HISTORIA IESUITICA

Ludwig Lucius, Rodolphus Hospinianus



sed propagetis non ejiciatis, ad recipiatis, non illi extremum vale dicatis,
sed in sinum, in cor vestrum recondatis. Certè Henricus. IV. Christianissi
Rex Galliae beatae memoriae, majori ignominia quam vos, et vestra Resp.
videbatur notatus: deprehensa tamen Ordinis hujus innocentia, quicquid
antecesserat opinionum perversarum, remisit Rex, regio animo condonavit, ju
nevit imo voluit, ut ignominiam gloria, mortem vita sequeretur. Imitemi
ni quaeso Christianissimi Regis exemplum, vos ipsos vincite, pauperem et
mendicantem Ordinem recipite, et gaudium erit Romae apud summum Pontificem
apud Regem meum Christianissimum, apud Regem Hispaniarum Catholicum, ap.
Magnum Ducem Hetruriae, apud Reges et Principes caeteros Europae, imprimis
apud Serenissimam domum Austriacam, cui Ordo hic imprimis gratiosus. La
bente autem ordine hoc, vel repudiato, summi Pontificis authoritas quam
tamen sartam tectam, ceu capitis Ecclesiae tueri et defendere teneni
ni paulatim labefactabitur, Fides Apostolica, quam is ad sanguinem usq.
defendit, concidet, Ecclesia Catholica cujus fundamentum est solus Petr.
frendentibus Haereticis vigere, vivere, florere desinet. Clericorum profes
sio inanis erit, et paucis omnia complectar, omnia sursum et deorsum
vertentur, et janua Antichristo aperietur. Nec ergo mala haec in Ec
clesiam Catholicam redundent, recipite in fidem, veram eam sodalitatem
pro qua Christus singulariter est mortuus, quam B. Virgo prae caeteris
ordinibus diligit hac n. salva, Imperii vestri Majestas, Reip. digni
tas, pacis cum interna tum externa utilitas, toti mundo cum nomi
nis vestri immortalitate, patescent. Dixi.

NB. Responsum ORATORIS Veneti ad
hanc oratiunculam vide in
ultima pagina hujus libri.

SALUTI PUBLICAE

HISTORIA JESUITICA;

DE

IESVITARVM ORDINIS ORIGINE,

NOMINE, REGULIS, OFFICIIS, VOTIS, PRIVILEGIIS, REGIMINE, DOCTRINA, PROGRESSU, ACTIBUS AC FACINORIBUS, TAM COMMUNITER, QUÀM SINGULARITER:

IN QUATUOR LIBROS TRIBUTA, ET BONO ECCLESIÆ, REIQ. PUBLICÆ CHRISTIANÆ, NUNC ETIAM LATINÈ EDITA,

PER

M. LUDOVICUM LUCIUM,

in almâ BASILEENSIUM Academiâ Professorem publicum.

IGNAT. DE LOIOLA

FRAN. XAVERIUS

BASILEÆ,
Typis JOH. JACOBI GENATHI. 1627.



PSALMO 139. vers. 19. & seqq.

O' si evertas Impios, DEUS! Facessite à me homines sanguinarii:

Qui de Te nefariè loquuntur, Adversarii tui nequitiâ elati.

Nempè tuos osores odi, JOVA; Tibi contrariis infensus:


Et quidem odio capitali odi, eos hostium numero habens.

Explora me, DEUS, meam mentem noscitans; proba me, meos sensus noscitans:

Et vide, an sim in pravâ vivendi viâ; meq; in viam ducito rectam.

PIIS ET INCLYTIS
ORBIS CHRISTIANI
REGIBUS, PRINCIPIBUS, DYNASTIS,
AC RERUMPUBLICARUM
MAGISTRATIBUS;
QUOT-QUOT VIDELICET
PURUM JESU CHRISTI EUANGELIUM
SERIO STUDIO CORDI'QUE
HABENT,
AC DIABOLI REGNUM EVERSUM
EUNT;
PRO FELICI
IN ECCLESIA
VERA CHRISTI PROPUGNANDA,
ET
FALSA ANTICHRISTI DEBELLANDA,
SUCCESSU,
INCREMENTA SPIRITÛS JOVÆ,
QUI EST
SPIRITUS SAPIENTIÆ & INTELLIGENTIÆ,
SPIRITUS CONSILII & FORTITUDINIS,
SPIRITUS SCIENTIÆ & METÛS
JOVÆ,
ANIMITÙS COMPRECATUS,

In
Devotissimi
Pro Divina Gloria
Zeli,
Adversùs Patriæ Salutem
Studii,
Erga Universos ac Singulos
Affectûs,
Testimonium ac Monimentum
Publicum,
quàm potest
Subjectissimo, Demississimo,
Humilimo Animo,
JESUITICAM HISTORIAM
istam,
bona fide contextam,
Dicat et Offert
Majestatis, Serenitatis,
Excelsitatis, et Gratiæ
Ipsorum
Servulus,
M. LUDOVICUS LUCIUS,
in Basileensi Academia
Modi Veritatis
Professor.



PRÆ-



PRÆFATIO.


D Jeſuiticam hanc Hiſtoriam, ante octennium iſtud à Venerādo Sene, & Clariſſimo Viro, D. RODOLPHO HOSPINIANO, Theologo Tigurino, τῷ ἤδη μακαρίτῃ, feliciter cœptam, ità pertexendam, atq; nunc Latinè quoq; edendam, (LECTOR, quisquis es, Chriſtiane) nullus pravus Me præcipitem egit affectus; nullus ſiniſter induxit metus; nullus deniq; malus abſtulit error: ſed (cum Deo καρδιογνώστῃ loquor) ipſa cum Veritatis divinæ ſtudio conjuncta, in-primis erga cōmunem, meritiſſimoq; jure dilectam Patriam noſtram, GERMANIAM, intima ex animi viſceribus profecta commiſeratio, impulit, perpulitq;. Iſtis ſiquidem, ab annis jam aliquot continuatis, (ex quibuscunque à principio extrinſecis, ac politicis occaſionibus, cauſisque in ſpeciem avidiſſimè arreptis) publicis ac cruentis Euangelicę Religionis perſecutionibus, per Antichriſtum Romanum, ejusq; fidos θεομάχους & aſſeclas, in plurimis, iisq; diverſis, locis ac provinciis, res (eheu!) eò deducta eſt: ut Patria illa noſtra maximam partem peſſumdata ſit; atque in Germaniâ antehàc incognitarum inauditarumque, plùs-quàm Turcicâ & barbaricâ crudelitate graſſantium nationum, publicæ prædæ expoſita: ſic quidem, ut, niſi Deus noſter omni-

Hodiernarum Religionis perſequutionum cauſa.

potens,(qui,ad infandam noſtrā profanitatem ac hypocriſin, juxtà cum vitio animi, adversùs ſanctum ac ſalvificum Euangelium ſuum,ingratiſſimi; quo factū, ut ſanctiſſimum quoq; Nomen ipſius,ac vera Religio, inter hoſtes blaſphemiis proſcindatur maléq; audiat; juſto judicio, & condignis modis iſtis,vindicandam, quodammodò coactus eſt) Nos brevì oculis paternæ miſericordiæ ſuæ reſpiciat, cœlitúsq;,ὡς ἀπὸ μηχανῆς,nova auxilia ſufficiat; omnium utiq; rerum, tàm politicarum,quàm eccleſiaſticarum,miſer interitus exſpectandus, cunctaq; ſub Romani illius Lupi tyrannidem redigenda videantur. Quin-etiam intereà,non tàm dolenda, quàm ſanguineis lacrymis deploranda venit, aperta illa obduratio animorū, ac perfidia, tàm-multorum fucatorum Chriſtianorum,ac Judæ ſociorum, inter ipſos Euangelicos;quos quidem mala illa,quanquàm ipſis proxima, & verticibus eorū impendentia, nondum infeſtârunt. Eorum namque perpauci (proh dolor!) ſunt, qui contritione Joſephi,ac Fratrum ſuorum exitio, ſeriò afficiantur: quin-imò maximus eſt eorum numerus, qui, brutorum pecorum inſtar, ſuis duntaxat cupiditatibus, voluptatibus, avaritiæ, & injuſtitiæ, ſecurè indulgent; non ſecùs,ac ſi cum Morte fedus pepigiſſent, atq; cum Orco ſibi optimè proſpexiſſent. Nonnulli verò inſuper miſeros,in Chriſtianæ religionis profeſſione ſocios ſuos, ſubſannare non verentur; atque etiam,(quò notoriam ſuam proditionis mercedem benè gnaviterq; promereantur) in Scriptis

ſuis

ſuis, ac falsò ità dictis Politicis diſcurſibus, maximos Chriſtianos Principes, quibus communis Patriæ ſalus, ac Euangelicæ Religionis libertas, curæ cordiq; eſt, temerè cōdemnare; Antichriſtiano contrà, & perperàm-vocato Catholico agmini & examini, per omnia applaudere, plenariamque tandem victoriam transſcribere, impiè præſumunt.

Ex adverſariâ contrà parte, eſt factio Jeſuitica: quæ conſiliorum hoſtilium & cruentorum ἐργοδιώκτης, inceſſanter illa urget; ipſa manus admovens, & paſſim in caſtris hoſtilibus obvagans: illi-ipſi re-verâ, de quibus Spiritus S. in Apocalypſi Johannis capite 16. hisce verbis eſt vaticinatus: *Et vidi, ex ore Draconis, & ex ore illius Beſtiæ, & ex ore Pſeudo-prophetæ illius, tres impuros ſpiritus, ſimiles ranis, prodeuntes. Sunt enim ſpiritus dæmoniorū, edentes ſigna: quiq; abeunt ad Reges terræ, & totius Mundi; ut congregent eos ad prælium, magni illius diei Omnipotentis.* Quam in rem ità novus ille Hæreticus Profeſſor Jeſuita Romæ, CORNELIUS CORNELII, (ut aliarum Jeſuiticarum creaturarum, & à fide orthodoxâ Apoſtatarum, nullam nunc mentionem faciam) *Præfatione ad S. Trinitatem increatā & creatam in Chriſto, Commentariis in Minores Prophetas præfixâ*, diſertis verbis ſcribit: *Aperuiſti Regum oculos, ut id liquidò cernerent; ideóq; ſinguli in Calviniſmum, ut regni ſui peſtem, inſurgerent. Ità dediſti Chriſtianiſſimo Galliarū Regi, Ludovico XIII. Sancti*

Jeſuitæ omnium hodiernarum perſecutionū ἐργοδιῶκται.

Ludovici hæredi & æmulo, supra ætatem, animos & vires: ut Urbes *& Arces plurimas, quas Hugonotti insederant, armatâ manu eis extorqueret; cæteras penè omnes ad deditionem cogeret. quod nemo Majorum cogitare, ne-dum aggredi, ausus fuerat. ut jam ipse Franciæ totius sit Rex; qui, ante triennium, dimidiatus & precarius ejus tantùm Rex esse videbatur. Ità Ferdinandum Imperatorē invictum, spem & columen Germaniæ, tot tantisq; victoriis, iisq; continuis, decorâsti: ut, Te pro eo manifestè pugnante, illud Julii Cæsaris, imò verò propatrui sui, Caroli V. Imperatoris, jurè dicere possit:* Veni; vidi; vicit Christus. *Et illud Deboræ, Judicum 5.* Nova bella elegit Dominus; portas hostiū ipse subvertit, &c. *Instar fulminis enim, victor ejus exercitus, duce Bavaro, quasi redivivo Judâ Machabæo, pervasit, subegitq; Austriam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Hungariam, Palatinatum utrumq; ex iisq; Hæreticorum patriarchas, Hussitas, ac rebellionum faces, Calvinistas, expulit & profligavit. Quâ in re suas quoq; egregiè præstitêre partes, insignes ex Italis Belgisq; Duces, cum validis copiis, ab optimo Rege Catholico, opportunè in auxilium submissi.* Ut *jam Germania, putidis & pestiferis membris resectis libera, redintegrari, revalescere, pristinasq; vires & robur queat colligere: quibus in unum collectis roborata, nō tantùm Turcis resistere; sed & eos bello lacessere, & invadere, audeat;*

audeat; Hungariamq́, hæresis dissidio perditam, unitis Germanorum & vicinorum armis, repetere & recuperare valeat. Hæc eorum æterna erit gloria: hi immortales triumphi: hæc trophæa, quæ in omne ævum perennabunt. Agite Principes generosi, pergite magnis animis: opus felicibus adeò auspiciis cœptum conficite: paribus studiis rebellem Calvini hæresin, penè evulsam, stirpitùs ubilibet eradicate. Quare procul absit à Christiano fidelium pectore; ut Hæreticos, contra orthodoxum suum Principem rebellantes, adjuvare aut fovere satagat. Qui enim Hæreticos juvat, hæresin juvat & propugnat; ipsamq́ Christi fidem & Ecclesiam oppugnat. Qui Rebelles juvat, rebellionem juvat & propugnat. Quocirca, justo Dei judicio, reddetur ei talio: ut, in quo peccavit, in eodem puniatur; & ab Hæreticis bello, à Subditis rebellione, exagitetur: ut, quod aliis fecit injustè, idem justè à suis patiatur. &c.

Hæc omnia Jesuitæ, clara utiq; & significantia, verba sunt: quibus unusquisq;, dummodò non omnem humanum sensum rationemque exsuerit, oculis cernere, auribus exaudire, manibusque palpare queat; ecquid Jesuitæ hodierno tēpore agant; quorsumq́; summos Reges ac Principes, qui ab eorum partibus sunt, indefatigabili studio, stimulent ac impellant. Neq; vel minimum scrupulum Bonis movere debet; quòd Jesuitæ, ut suas nequitias, ac parricidiales technas, apud suos tegant atque pallient, HÆRETICOS tantùm ac

Jesuitæ propria sua Hæreticorū ac Rebellium cognomina Christianis, quos ipsi per-

ſequuntur, affricare conantur.

REBELLES crepent; hosque ſibi proprios, ſuisq; doctrinis & operibus debitos titulos, & infamia cognomina, miſeris & afflictis Euangelicis Chriſtianis, quos ipſi perſequuntur, odioſoque, at falſo, Calvinianorum nomine traducunt, impingere & affricare conantur.

Enimverò, haudquaquàm Hæretici, ſed VERI CATHOLICI, ORTHODOXI'Q. FIDELES, illi ſunt:

Vera Catholica ac Euangelica Fidei & Religionis ſumma.

„ Qui unicum illum, verum & omnipotentem DEUM,
„ Creatorem & Conſervatorem omnium, viſibilium &
„ inviſibilium Creaturarũ, in tribus diſtinctis Perſonis,
„ Patris, Filii, & Spiritûs ſancti, agnoſcunt; ſolumq; pro
„ Deo ac Domino ſuo habent. Qui æternum & unige-
„ nitum Dei Filium, cum ſeriâ humilique agnitione &
„ confeſſione peccatorum ſuorum, cùm originalis, tùm
„ actualium, pro unico ſuo Mediatore, Redemtore, ac
„ Servatore, ex intimi pectoris ſenſu acceptant, ac profi-
„ tentur: qui, propter ſalutem ipſorum, à Patre ſuo cœ-
„ leſti, in hunc Mundum miſſus, veram humanam Na-
„ turam, ex carne & ſanguine ſanctę Virginis Mariæ, per
„ operationem Spiritûs ſancti, in unitatem Perſonæ ſuæ
„ aſſumſerit; in eâq; pœnam peccatorum, ipſorum loco,
„ ſuſtinuerit; vitamque adeò ſempiternam ipſis acquiſi-
„ verit, ac promeritus ſit; ipſos quin-etiam, per Spiritum
„ ſuum ſanctum, magìs atque magìs à peccatis repurget
„ ac regeneret; partamq; ipſis ſalutem, in communione
„ ſanctæ catholicæq; Eccleſiæ Chriſtianæ, conſervet ac
„ tueatur: ità ut, per veram fidem ac fiduciam, in ſanctiſ-
„ ſimâ illius paſſione ac merito repoſitam, in hac vitâ,

perfe-

perfectam omnium peccatorum remiſſionem, juſtifi- “
cationisq; gratiam, conſequantur; & poſt hanc vitam, “
in extremo illo die, reſurrectionem carnis ſuæ, ad æter- “
nam ac beatam illam vitam, certò exſpectēt. Qui pro- “
indè etiā, unico iſti Deo ac Servatori ſuo, juxta verbum “
ac præceptum illius, ſoli ſervire ſunt parati; eundem “
ſolum invocant; Nomen illius ſanctificant; Verbum “
illius audiunt, eiq; parent; Signis Sacramentisq; gratiæ “
illius, tantùm ex inſtituto & mandato ejus, utuntur: “
deniq; etiā, Dei cauſsâ, Proximum ſuum ex animo di- “
ligunt; benè illi cupiunt, proq; virili ſuâ benefaciunt. “

Hæc, inquam ego, nulla quidem certè Hæreſis eſt; ſed vêra illa, unica, catholica, & ſola ſalvifica, omnium verè-Chriſtianorum fides. Maléque ſit Jeſuitis omnibus ac ſingulis; donec in æternum aliud quicquam ex Dei verbo evincant!

Jeſuitica fides & religio non eſt Catholica;

Ex contrario autem, quâ fronte vos Jeſuitæ, impudenter adeò, catholicā veramq; fidem jactare auſitis? cùm Sole clariùs pateat, veſtram fidem ac religionem, in plerisq; illius articulis, veteri Chriſtianæ Eccleſiæ incognitam fuiſſe; ſed ex humanis ſubindè commentis, inſtar centonis ex plurimis aſſumentis, conſutā; adeóque etiā veterum, partim Gentilium errorum, partim Judaicarum ceremoniarum, partim etiā damnatarum Hæreſium, plenam eſſe.

ſed à diverſis, & ex cō pluribus, cōſutus cento: putà,

Quomodo namque, quando, & à quibus, veſtra fides ac religio conficta & conſarcinata fuerit; id ſatìs ſuperq; à veſtrismet Scriptoribus, POLYDORO VER-

GILIO, SABELLICO, PLATINA, pluribusq; aliis, deſcriptum, memoriæque proditum eſt.

1. Ex Gentiliſmo; in

Quòd verò multos antiquorum GENTILIUM ERRORES ac IDOLOLATRIAS, in cultu religionis veſtræ, retinueritis, atq; inſerueritis; id probatu longè eſt facilimum. Principiò ſiquidem conſtat, doctrinam ac THEOLOGIAM VESTRAM SCHOLASTICAM, in Platonis potiùs, Ariſtotelis, Porphyrii, Averrois, aliorumque gentilium Philoſophorum dogmatibus, quàm in ſanctorum Prophetarum, Chriſti Domini, & Apoſtolorum doctrinâ, fundari; & ex illis à vobis comprobari.

Theologiâ ſuâ ſcholaſticâ:

Idolorum ad religionis cultum fabricâ & veneratione:

Deindè, quòd IDOLA & IMAGINES, ad cultum veſtrum religioſum, effingitis; iisq; templa & ſacella, non in urbibus & pagis ſolùm, verùm etiam in ſylvis & agris, viis publicis, atque lucis, exſtruitis; altaria illis erigitis, quibus ea imponitis; unumquodque Idolum ſuo peculiari inſtrumento inſignitis; eademq; colitis; coram illis vos incurvatis ac proſternitis; auro, argento, aliisq; rebus precioſis, ea decoratis; publica donaria iis ſuſpenditis; candelas & lucernas ante illa accenditis; in proceſſionibus ac circuitibus ea humeris circumportatis; &c. Unde, obſecro, iſta omnia depromſiſtis? Certè non à Chriſto, & Apoſtolis ipſius; ſed à Gentilibus, qui eadem, eodemq; modo, cum ſuis Idolis fecerunt: teſtante id non Scriptura ſolùm ſacrâ; ſed etiam Gentilium ipſorum ſcriptis: EUSEBIO quoq;, in Hiſtoriâ eccleſiaſticâ, lib. 7. cap. 18.* referente, Gentiles,

** aliis 14.*

tiles,

tiles, inter alia idola ſua, etiam Chriſti & Apoſtolorum imagines, ità veneratos fuiſſe. POLYDORUS itèm VERGILIUS, lib. 6. cap. 11. clarè oſtendit, utì Proceſſiones veſtræ à Gentilibus originem ſuam repetant.

Mortuorum ἀποθέωσις, Divorumq; tutelarium cõſtitutione:

Sic etiam, à quónam illud didiciſtis; quòd, EX DEMORTUIS SANCTIS, DIVOS vobis fabricatis? quos Deos tutelares ac dominatores, ſuper Civitates, Provincias, & Regna Mundi, ſtatuitis; quosq; Aquæ & Igni, Tempeſtatibus, ac Terræ fructibus, cunctis Morbis, ac quibuscunq; Artibus & Opificiis; ſumma, omnibus, quæ in Mundo ſunt, præficitis: unicuiq; inſuper Divo peculiarem, in ejusmodi res, poteſtatem aſſignatis: quos propterea invocatis, eisque ſacra facitis; ut auxilia ipſorũ impetretis. &c. Ubi, & à quo, inquam, iſthæc didiciſtis? niſi à Gentilibus ipſis; qui pari ratione poteſtatem ac regimen Deorum ſuorũ partiti ſunt; & unicuivis peculiare ſuum officium tranſcripſerunt. Id quod Deus ipſe in Judæis quoq; reprehendit, apud Jeremiam Prophetam, capite 2.

Mariæ Virginis, tanquam Cœli reginæ, culturâ:

Ubi itèm hoc didiciſtis; quòd ſanctam Virginem MARIAM CŒLI REGINAM facitis, eique ſacrificatis? niſi à Gentilibus, qui paria fecerunt; eademque Judæi ab illis didicerunt. utì apud eundem Prophetam Jeremiam, capite 44. cernere eſt.

Purgatorio:

Præterea, undè dogma veſtrũ DE PURGATORIO accepiſtis: in quo Animæ defunctorũ ad tempus torqueantur; donec tandẽ, Superſtitum ſacrificiis ac interceſſionibus, aliisque meritoriis operibus, ex eodem

liberentur, & ad quietem reducantur? nisi à Platone, Homero, Vergilio, Ovidio, aliisque gentilibus Philosophis ac Poëtis.

Nominibus Missæ, Pontificum, & Archiflaminum; Tõsurâ monachali; Aquâ lustrali; Facibus funeralibus; Cereorũ benedictione; Bacchanalibus; &c.

Undè etiam nomen MISSÆ vestræ, PONTIFICES, & ARCHIPRESBYTEROS, talesque hujusmodi complures titulos & cognomenta, habetis? nisi à Gentilibus. Itèm, quòd Sacrifici ac Monachi CAPUT IN GYRUM TONDENT; AQUA LUSTRALI Populum adspergunt; FACIBUS CEREIS cadavera sepeliendorum præcedunt: Omnia ista a Sacrificis gentilibus didicerunt. À quibus etiam CEREORUM vestrorum BENEDICTIONES, BACCHANALIA, plurimaq; alia accepistis; quæ hîc, brevitatis gratiâ, jam prætereo.

2. Ex Judaismo, in Ceremoniis innumeris, ad ordinem hierarchicũ pertinentibus.

Ecquis etiam ignorat, quàm multas ex antiquis CEREMONIIS JUDAICIS, ad vestræ religionis exercitium transtuleritis? quæ tamen, ceu umbræ & figuræ futurorum, veteri duntaxat legi Mosaicæ inservire; in Novo autem Testamento abolitæ esse, debebāt: quippè per Christum impletæ ac sublatæ; ideóq; etiā Apostolis, ac primitivæ Ecclesiæ apostolicæ, nihili ampliùs putatæ, neque usurpatæ. Nihilominùs vos illas, quasi istorũ omnium ignari, in Ecclesiam Christi cumulatè, ac postliminii quasi jure, iterum introduxistis. Cujusmodi est SUMMUM SACERDOTIUM, totusq; CLERUS LEVITICUS, cum suo OLEO, UNCTIONE, VESTITU, omniq; ornatu: utì sunt preciosæ INFULÆ, auro gemmisq; radiantes, CHO-

RALES

RALES LINTEÆ, MISSATICÆ VESTES, aliaq; PAPALIA & EPISCOPALIA ORNAMENTA, ex ſericis, holoſericis, & aureis textis; INDUSIA itèm CHORALIA, ac LEVITICÆ TUNICÆ; TEMPLORUM CHORI, ALTARIA, EORUMQUE MAPPALIA; LYCHNUCHI DEAURATI, LAMPADES, THURIBULA, NOLÆ, ORGANA MUSICA; CHRISMA, THUS, & BALSAMUM; HOSTIÆ AZYMÆ, ENCÆNIA, JUBILÆA, SACRIFICIA; aliæq; Ceremoniæ innumeræ, quas à Judæis mutuò accepiſtis. Utì id non modò DURANDUS veſter, in ſuo Rationali divinorū Officiorū, fatetur; verùm etiā in JURE CANONICO veſtro variè continetur. Ità enim exſtat in Decreti parte 1. Diſtinct. 21. cap. Decretis. *Miniſtri verò ſacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum, ſunt ſummi Pontifices, & infrà Præſules, ac reliqui Sacerdotes: quorum inſtitutio in Veteri Teſtamento eſt inchoata; & in Novo pleniùs conſummata. Summi enim Pontifices, & minores Sacerdotes, à Deo ſunt inſtituti per Moyſen: qui, ex præcepto Domini, Aaron in ſummū Pontificem; filios verò ejus, unxit in minores Sacerdotes. Poſteà verò David, cùm miniſteria Domûs Domini ampliaret, Janitores & Cantores inſtituit. Porrò Salomon quendam modū exorcizandi invénit; quo Dæmones adjurati, ex obſeſſis corporibus pellebātur. Huic officio mancipati, Exorciſtæ vocati ſunt; de quibus Dominus in Euangelio:*

Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia; filii vestri *(videlicèt Exorcistæ)* in quo ejiciunt? *Hæc omnia in Novo Testamēto Ecclesia imitata, habet Janitores suos; quos Ostiarios appellamus. Pro Cantoribus, Lectores & simul Cantores instituit. Exorcistas autem, nomine antiquo & officio permanēte, recepit. Pro filiis verò Aaron, omnes infra summum Pontificem sacerdotium administrantes sunt consecrati. Inter eos quædam discretio servata est: ut alii appellentur simpliciter Sacerdotes; alii Archipresbyteri; alii Chorepiscopi; alii Episcopi; alii Archiepiscopi, seu Metropolitæ; alii Primates; alii Patriarchæ; alii summi Pontifices. Horum discretio à Gentilibus maximè introducta est; qui suos flamines, alios simpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant.* Et in parte 3. De Consecrat. Distinct. 1. c. 2. Tabernaculum. ità legitur: *Si enim Judæi, qui umbræ Legis deserviebant, hæc faciebant: multò magìs nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per Jesum Christū data est, Templa Domino ædificare, &, prout meliùs possumus, ornare; eaq; divinis precibus, & sanctis unctionibus suis, cum altaribus & vasis, vestibus quoq; & reliquis ad divinum cultum explendū utensilibus, devotè & solenniter sacrare; & non in aliis locis, quàm in Domino-sacratis, ab Episcopis, & non à Chorepiscopis, Missas celebrare, nec sacrificia Domino offerre debemus.*

Ex quibus omnibus ſatis apparet, prænumeratas Pontificias ac Jeſuiticas Ceremonias omnes, à Judæis acceptas; eosq́; id ſibi optimo jure licere, perſuaſos eſſe. quicquid etiam Dominus ipſe Chriſtus, apud Johannem cap. 4. dicat: *Venit tempus, ut neq; in hoc Monte, neq; Hieroſolymis, adoretis: ſed veri adoratores Patrem in ſpiritu & veritate adorabunt.* Quid itèm Paulus, in Epiſtolâ ad Hebræos, prolixè confirmet; Vetus Teſtamētum, cum omnibus ſuis umbris ac figuris, per Novum, ſublatum & abolitum eſſe: quidq́; idem, in Epiſtolâ ad Galatas, capite præſertim quinto, vehementiſſimè contra Pſeudapoſtolos diſputet; qui Ceremonias Legis Moſaicæ, juxtà cum Euangelio, converſis Eccleſiis ex Gentilibus obtrudere volebant: & magno contrà ſtudio teſtificetur, omnibus illis, qui id faciant, aut acceptent, Chriſtum nihil omninò prodeſſe.

Sed & Jeſuiticam fidem veſtram, DAMNATORUM VETERUM ERRORUM ATQUE HÆRESIUM, quæ unquàm in Orbe Chriſtiano fuerūt, plenam eſſe; id verò ἀναντιῤῥήτως verum clarumq́; eſt. Nam, undè aliàs habetis, niſi ab antiquis Hæreticis NOETIANIS & PRAXEANIS; duplicem Trinitatē, increatam unam, & alteram creatam in Chriſto, eſſe?

3. Et ex veterum Hæreſiū lernâ: nempè,

Noëtianorū, & Praxeanorum:

Ab ANTHROPOMORPHITIS didiciſtis, Deum & ſacram Trinitatē humanâ ſpecie repræſentare; idq́; contra expreſſum Dei mandatum, Exodi 20. & Deuteronomii 5. capite. Quo ſenſu etiam Paulus, ad Romanos 1. de Gentilibus ſcribit: quòd hoc-ipſo graviſſimè

Anthropomorphitarū:

peccârint, summéque infatuati fuerint; gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinē imaginis hominis mortalis, commutantes.

Collyridianorum: Apud COLLYRIDIANOS studuistis, sanctam Virginem Mariam adorandam, eique sacra offerenda esse. id quod tamen in illis, tanquam idololatricum & hæreticum, fuit condemnatum.

Gnosticorū, & Carpocratianorū: Cum GNOSTICIS & CARPOCRATIANIS commune habetis; quòd Imagines Christi & Sanctorum veneramini, iisq; odores incenditis: prout illi, ceu Hæretici, fecerunt.

Pharisæorū, Encratitarū, & Manichæorum: Ità cum PHARISÆIS, ENCRATITIS, & MANICHÆIS, commune vobis est; quòd Traditiones vestras humanas Dei verbo æquiparatis: eàdemque, imò majore adhuc necessitate, quàm Dei ipsius mandata, observari vultis.

Nazaræorū, Catharorū, ac Donatistarum: De Justificatione docetis; Peccatorem miserum, nō solâ fide in Jesum Christum, sed propriis etiam suis operibus & satisfactionibus, coram Deo justum fieri, ac salutem promereri debere. Quæ damnata doctrina fuit Hęreticorum, quos NAZARÆOS, CATHAROS, DONATISTAS, eorumque similes, dixerunt.

Pelagianorum: De Libero Hominis arbitrio, damnatā PELAGII hæretici doctrinam tenetis: quòd Homo animalis, etiam ante regenerationem Spiritûs sancti, propriis liberi sui arbitrii viribus, se-se ad Dei gratiam præparare, aptumque reddere, atque ità ex congruo & condigno aliquid apud Deum promereri, possit.

De

De sacro Baptismo, cum MESSALIANIS facitis: solum Originale peccatum per Baptismum ablui; pro cæteris autem subsequentibus peccatis, Hominem ipsum, per Pœnitentiam, satisfacere debere, tradētibus. Salivam itèm Sacerdotis, in Baptismo, Diabolū abarcere. Ità & Socii vestri Monachi, hypocriticas suas preculas, ad certa tempora & horas adstrictas; & quidem cum ardentibus cereolis, falsâq; multas eâ ratione indulgentias acquirendi persuasione, factas; ab Hęreticis istis MESSALIANIS traxerunt. *Messalianorum:*

Ex MAHUMEDIS ALCORANO, votivas vestras Peregrinationes, & Sanctorum demortuorum invocationem, pluraq; adhuc alia, hausistis. *Mahumedanorum:*

A' SATURNILIANIS, EBIONITIS, TATIANIS, ENCRATITIS, & MANICHÆIS, didicistis; Matrimonium, vitæ statum imperfectum & carnalem esse; ideóque illos, qui Deo placere, ac perfecti esse velint, extra illud in cœlibatu agere debere: imò etiam jam conjugatos, si ejusmodi cœlibem vitam ingredi velint, ab invicem separatis. *Saturnilianorū, Ebionitarū, Tatianorū, Encratitarum, & Manichaeorum:*

Ab iisdem modò-dictis Hæreticis, atq; etiam PRISCILLIANISTIS, pari ratione didicistis; ut Carnibus, Ovis, aliisq; ejuscemodi cibis, quos Deus creavit, certis diebus ac tēporibus, vesci, prohibeatis. Id quod sanctus Apostolus Paulus, cum pręcedente, Dęmoniorum doctrinā expressè nominat, 1. ad Timoth. 4. cap. *Priscillianistarum:*

Et, quantū ad innumeras vestri religiosi cultûs Ceremonias pertinet, cum NAZARÆIS & EBIONITIS *Nazaraeorū, & Ebionitarum:*

commune habetis; quòd Legis Mosaicæ ceremonias in Christianam Ecclesiam invexistis, ac tanquã necessarias exercetis: utì jam priùs satìs ostensum fuit.

Iterùm Priscillianistarum.

Denique, sicutì PRISCILLIANISTÆ docebant, Mentiri & Pejerare, itemq; Juramenta tollere ac non-servare, peccatum nullum esse; quando ad illos attineret, qui non ipsorum religionis essent: ità Vos quoque Regulam istam, in Constantiensi Concilio conditam, adhuc-usq; strenuè observâstis atq; exercuistis; quòd Hæreticis (pro quibus Nos habetis ac diffamatis) nulla fides servãda sit, nisi quatenus Vobis placet ac commodum est. ideóque nec peccatum esse, si honorem fidemq; vestram in Nobis frangatis; atque etiam Subditos à fidelitate & obsequio, Magistratibus suis jurato, (dummodò isti à Vobis Hęretici declarati sint) absolvatis, ac liberos pronuntietis.

En barathrũ hujuscemodi omnigenarũ Hęresium, damnatorumq; dogmatũ, vestra est religio Jesuitica! Et tamen impudentissimè Vos, coram universo Mundo, Catholicos, & quidẽ solos verè-Catholicos, jactatis; Nos verò contrà damnatarũ hęresium insimulatis; omnesque Vobis addictos Principes & Magnates, ad Nos modis rationibusq; omnibus persequendum & exstirpandum, indesinẽter instigatis; adeóq; etiã comminationibus æterni exitii & condemnationis, nî id faxint, eò cogitis & adigitis: tantùm, quòd vestris damnabilibus & Antichristianis dogmatibus contradicamus, Nosq; Vobis palàm opponere ausimus.

Par

Par eſt quoque alterius veſtræ criminationis ratio; quando Nos, ut REBELLES ac SEDITIOSOS, coram veſtratibus, falsò traducitis & accuſatis. Cùm certiſſimum, ipſoq; meridiano Sole manifeſtius ſit, Vosipſosmet Jeſuitas, veſtraq; Idola, Romanos Pontifices, veros Seditionum ac Rebellionum authores facesq;, omni tempore in Mundo fuiſſe, & adhuc eſſe. Nam, ut nunc vetuſtiſſimarum illarum ac diutiſſimarum turbarum mentionem omittamus, quæ paulò poſt Apoſtolorum tempora exortæ, ad duo integra ſecula durârunt, ob rem leviculam nulliusque momenti; Ad quem videlicet diem Chriſtiani Paſcha celebrare debeant? quapropter Victor, Epiſcopus Romanus, cunctas Aſiæ Eccleſias excommunicavit, Diaboloque tradidit; quòd in eo non ſecum, & cum Romanâ Eccleſiâ facerent: ſicq; magnum ac peſſimum ſchiſma in toto Orbe Chriſtiano excitavit. Ut etiam taceamus maximam illam contentionem, adeóq; ſanguinis Chriſtiani effuſionem, à Romanis Pontificibus, adversùs Græcas Eccleſias, Chriſtianosq; Imperatores, concitatam; quæ & ipſa longum tempus duravit, ludicrorum ac ſtercoreorum Idolorum cauſsâ: Pontificibus illa, contra expreſſum Dei verbum & interdictum, ceu bona, defendentibus ac erigentibus; Græcis contrà, tanquã ſuperſtitioſa, ac Idololatriæ adminicula, ſecundùm Dei verbum, rejicientibus & condemnantibus. Quæ ſuper Idolis contentio, etiam in causâ fuit; ut Orientale Imperium ab Occidentali, Pontificis Romani inſtinctu,

Jeſuitæ, Romaniq; Pontifices, veri ſunt ſeditionum ac rebellionũ, per totũ Orbem Chriſtianũ, authores.

1. Ob diſſidium de die Paſchatis celebrandi.

2. Propter Idola in templis habẽda.

omninò tandem abscissum, ac Saracenorum Turcorumque prædæ expositum fuerit. Id tantummodò Christianus Lector consideret, quot quantasq; turbas Romani Pontifices, diabolicæ suæ ambitionis, & regnandi cupiditatis gratiâ, in Ecclesiâ Christianâ dederint; se-se mutuò ipsi condemnantes, atque unus alterius Constitutiones Ordinationesque subvertentes ac rejicientes.

3. Ambitiosa Paparum cupiditatis regnandi causâ.

Hinc factum, ut VIGILIUS Papam SYLVERIUM, intercedente falsò testimonio, per Theodoram Imperatricem, & Antoninam Bellisarii conjugem, Pontificatu dejecerit; ipseque locum illius occupaverit: Sylverius contrà Vigilium, operâ Episcoporum nonnullorum, excommunicârit. Utì hoc-ipsum Juri Canonico, in Decreti parte 2. causâ 24. quæst. 4. cap. 30. insertum legitur.

Hinc etiam STEPHANUS III. captum à se Papam CONSTANTINUM non solùm gradu dejecit: sed etiã oculis privavit; omniaq; ab illo ordinata rejecit; adeóque ipsummet (Mariano Scoto referente) igni tradendum curavit.

Ità STEPHANUS VI. FORMOSUM Papam, cum omnibus Actis suis, in Cõcilio propterea coacto, condemnavit, ac retractavit; Papam ipsum, post mortem, refossum, profanavit; duos digitos, quibus ille consecraverat, præcisos in Tyberim projecit; ipsum deniq;, velutì laicum, iterùm humari jussit: Platinâ & Nauclero factum id describentibus.

È di-

E' diverso, ROMANUS I. qui post hunc STEPHANUM sedem occupavit, Antecessoris sui acta prorsus rescidit, & annihilavit. Ubi expresse addit Platina; Ponticulos istos nihil aliud cogitâsse, quàm ut unus alterius, Antecessoris sui, nomen & honorem deturbaret, ac pessumdaret.

Similiter & JOHANNES X. fecit: qui, Ravennæ Concilio coacto, omnia FORMOSI Papæ denuò justificavit; STEPHANI autem negotia condemnavit, ac publicè concremavit.

Sic Papa LEO V. à quodam Sacerdote, ministro suo, CHRISTOPHORO I. posteà dicto, per tumultum, in carcerem conjectus fuit; & iste, illius loco, Pontificatum invasit. Sed & ipse brevì, à SERGIO III. iterùm sede papali dejectus, claustroq; primùm, deindè verò gurgustiolo inclusus, vitam miserrimè finivit.

Ità & SERGIUS iste FORMOSUM Papam, integros octo annos jam sepultũ, (utì STEPHANUS VI. antè quoque fecerat) refodi; capite, cæterisque digitis, truncari; & cadaver, tanquàm sepulturâ indignum, in Tyberim projici, fecit: omniaque illius acta, quæ priùs iterùm comprobata fuerãt, de novo abrogavit, & annihilavit. Ubi Platina scribit; Pontifices prorsus ex Antecessorum suorum vestigiis excessisse; donisque, muneribus, variisq; artibus, Papatum aggredi: quem ubi assecuti fuerint, cultum divinum deserere, easq; inter se inimicitias, quas crudelissimi Tyranni, exercere; atque, ut suam duntaxat libidinem ac voluptatem expleant,

cogi-

cogitare. Hi (scilicet) sunt sanctissimi illi Patres, Christique Domini Vicarii! Atq; hæc est ordinaria illorum successio, & egregia concordia Ecclesiæ ipsorum, de quâ non satis gloriari nôrunt!

Pariter & de BONIFACIO VII. legitur, quòd JOHANNEM XV. (qui, per absentiam illius, à Romanis, Pontifex electus fuerat) redux Romam factus, carceri incluserit; oculos illi eruerit; atque in carcere ipsum fame enecârit.

Sic ALEXANDER II. & HONORIUS II. (qui, eodem tempore Pontifices electi erant) se-se mutuò excommunicabant; Concilia adversùs invicem cogebant; imò etiam hostiles copias educebant, & aliquoties confligebant, in Campo Neronis ad Romam: Platinâ & aliis testibus.

De URBANO II. scribitur; quòd, anno Christi 1095. Placentiæ, contra CLEMENTEM III. habito Concilio, decreta quædam condiderit: quæ postmodùm Romæ, ab omnibus Cardinalibus, tanquam hæretica, condemnata & concremata fuerint.

Ita eodem tempore ALEXANDER III. & VICTOR IV. Antipapæ electi sunt: qui se-se mutuò, coram toto Mundo, Apostatas, Hæreticos, Seditiosos, Antichristos, ac Diaboli filios, proclamârunt ac scripserunt. Num verò non egregia hæc est Ecclesiæ Romanæ concordia?

*lib. 8. editionis Germanicæ.

Aventinus, Bojorum Historicus, lib. 7.* scribit; illo tempore duos quoque Papas fuisse: quorum URBA-

NUS VI. Romæ; CLEMENS autem VII. Avenione, ſedem habuerit. atque hanc diſcordiam in Papatu ad quadraginta annos durâſſe, ad Conſtantienſe videlicet uſq; Concilium; ità ut ſemper duo, tandem etiam tres ſimul Pontifices fuerint: quorum quisq; alterum excommunicârit, ac pro Hæretico & Antichriſto declarârit. Quo factum, ut doctorum nonnulli exſurgentes, vehementes contra Papatum conciones inſtituerint: undè multa in fide diſcordia, utì noſtris temporibus, exorta fuerit.

Taceo nunc Papam EUGENIUM IV. & FELICEM V. qui in Concilio Baſileenſi contra illum electus fuit: ex quo iterum Schiſma in Eccleſiâ obortum; quod novennium integrum duravit. Taliumq; exemplorum Papâ-Catholicorum diſſidiorum, ac turbarũ in Eccleſiâ, multa adhuc allegari poſſent; niſi iſta ſufficerent, ad hoc: ut Chriſtianus Lector ex iis recognoſcat, ipſosmet Romanos Pontifices, veros & capitales turbarum ac ſeditionũ authores omni tempore fuiſſe; per quos Orbis Chriſtianus perturbatus, & confuſus fuerit.

Enimverò, Pontifices Romani, non inter ſe modò ſic invicem digladiati fuêre; ac, per affectationem diabolici ſui in Eccleſiâ Primatûs, omnigenas turbas ac diſcordias in illâ dedêre: verùm etiam, ceu veri Antichriſti, ad annos jam ſexcentos, (ab eo præſertim tempore, quo, veri Domini Chriſti loco, falſum ſuum panaceum ac miſſaticum Deum Orbi Chriſtiano obtru-

4. Invasionis in jura Imperatorũ, ac imminuta horũ majestatis causâ.

ſerunt) non ceſsârunt cõtra ordinarios ſuos Magiſtratus, Imperatores Romanos, inſurgere ac rebellare; illos excommunicare, & apertis bellis perſequi: donec tandem, non ſolùm poteſtati illorum ac jugo penitùs ſe ſubtraxerunt; ſed etiam jura illorum (in ſpiritualibus & eccleſiaſticis rebus præſertim) ad ſe trânſtulerunt; atq; Imperatores, ſervorum inſtar, ſibi ſubjectos reddiderunt; miſerrimisq; modis eos exceperunt, quàmprimùm hi vel minimùm, majeſtatis ac juris ſui Imperatorii conſervandi gratiâ, illis ſe-ſe opponere auſi ſunt. Cujus rei exempla notoria ex Hiſtoriis patent:

Imperatoris HENRICI IV. contra quem Papa primùm GREGORIUS VII. tyrannico proceſſu inſtituto, Rodolphum Sueviæ Ducem excivit; novoque exemplo, coronâ aureâ, cum hac inſcriptione,

[*Petra dedit Petro; Petrus diadema Rodolpho:*]

transmiſsâ, Imperatorem deſignavit. URBANUS poſteà II. filium Imperatoris ſeniorem, Cunradum, quem Italiæ pater præfecerat; PASCHALIS deniq; II. juniorem ejusdem filium, Henricum, qui Patris loco etiã Imperator factus eſt, ad arma contra Patrem corripienda, concitavit.

Imperatoris HENRICI V. contra quem dictus Papa PASCHALIS II. tantam in urbe Româ commovit ſeditionem ac rebellionem: ut, niſi Imperator, captivo ſecum abducto Pontifice, ex Urbe tùm diſceſſiſſet; de vitâ ſimul ac fortunis ſuis periclitatus fuiſſet.

Imperatoris FRIDERICI I. contra quem Papa

ALE-

ALEXANDER III. insurrexit, ac Venetos ad bellum cõcitavit. in quo cùm filius Imperatoris Otto captus; ac Pater, redimendi illius caussâ, ut Papæ supplex fieret, moveri se passus esset: Papa pedem collo Imperatoris imposuit, verbaq; ex Psalmo 91. [*Super aspidem & basiliscum ambulabis*] blasphemo modo, publicè acclamari jussit.

Imperatoris PHILIPPI: contra quem Papa INNOCENTIUS III. Ottonem Saxoniæ Ducẽ, posteà Imperatorem quoque factum, excitavit.

Ejusdem hujus Imperatoris OTTONIS IV. quem dictus Papa INNOCENTIUS crudeliter persecutus est; donec ipsum Imperio iterùm dejecit.

Imperatoris FRIDERICI II. contra quem Papa GREGORIUS IX. & INNOCENTIUS IV. fulmina excommunicationis suæ vibrârunt; sicque Orbem Christianum universum conturbârunt.

Imperatoris ALBERTI I. cui Papa BONIFACIUS VIII. petitum titulum Romani Imperatoris principiò denegavit: & uno die habitu Pontificio, postridie Imperatorio incedens, superbo ac verè-antichristiano animo, simùl & Romanum Pontificem, & Imperatorem se esse, indigitavit.

Imperatoris LUDOVICI IV. quem Papa JOHANNES XXII. immeritâ causâ, Imperio dejicere conatus est; Ducemque Austriæ Fridericum, tametsi jam cum Imperatore in gratiã reversum, contra illum tamen instigare non desiit; atq; etiam fulmen excom-

municationis ſuæ in illum vibravit. Eundem Imperatorem etiam ſequentes duo Pontifices, BENEDICTUS XI. & CLEMENS VI. malitioſè, ad mortem uſq; illius, excommunicationibus ſuis ſunt perſecuti.

Imperatoris MAXIMILIANI I. cum quo Papa JULIUS II. nunc ut hoſtis, mox iterùm ut amicus, ità perfidè luſit: ut, cùm aliquando Imperator, Oeniponti, ad feneſtram circumjacentes Alpes diſpiciens, apud ſe ſolus profuſiſſimè ridere cœpiſſet; ac Dominus Leonhardus Liechtenſteinius, ecquid Imperator ità rideret, rogâſſet? ille reſponderit: *Quidni riderem ego, quando cogito, quàm mirabilis ſit in operibus ſuis DEUS? ut qui, tàm impio Sacerdoti Romæ; damarum verò hîc adeò temerario inveſtigatori, Orbem Chriſtianum regendum commiſerit!*

Imperatoris CAROLI V. tanti aliàs Pontificatûs patroni: quem Papa CLEMENS VII. itidem perfidioſè tamdiù naſo ſuſpendit adunco; donec tandem commotus Imperator, Romanam urbem armatâ invaſit manu, Papamque rebellem in ordinem redegit.

Ex quibus iterùm cernere poteſtis, Domini Jeſuitæ; non miſeros pauperesque Calviniſtas, (qui, vobis-ipſis dictitantibus, ante hos centum annos, nondum in iſtâ rerum naturâ fuêre) ſed Romanos veſtros Pontifices, rebelles illos fuiſſe, & adhuc eſſe; qui ſe poteſtati ordinariæ divinitùs-conſtituti Magiſtratûs, jam indè à tot ſeculis, crudeliter opponunt. Proindè & vos hodiéque reverà rebelles eſſe; qui Pontificias illas doctrinas &

actiones

actiones probatis, ac defenditis; cunctisq; Regibus ac Principibus, Pontifici, vobisque juratis illius carnificibus, non per omnia parére volentibus, ubi apertâ vi nocere non valetis, occultis tamen ac parricidialibus technis, in foveam usque ipsorum, insidiamini, atque illos è medio tollere nitimini.

5. Ob tyrannidē, in miseros Euangelicos, in Bohemiæ regno, alibiq; exercitam.

Toti quin-etiam Orbi Christiano manifestum jam notumq; est, vosmet-ipsos Rebelles illos esse; qui turbarum istarū, quibus universa Germania nunc concutitur, causam culpamq; sustineatis. Num enim non vos estis, qui statim ab obitu Imperatoris RODOLPHI II. laudatissimæ memoriæ, Constitutionem ipsius publicam, Bohemis clemētissimè factam, quam LITERARUM MAJESTATIS nomine insigniunt, in controversiam vocâstis, falsisque vestris interpretamētis perforâstis? Num non vos estis, qui per Creaturas vestras Jesuiticas, ac subornatos Apostatas, Euangelicorum Templa, partim demoliti estis, partim vi occupâstis? Miseros contrà Subditos, Euangelicæ doctrinæ addictos, omnimodâ & infandâ tyrannide, ad communicandum cum idolo vestro missatico, coëgistis: Dominisque id negantibus, miseris quoque ac ratione-destitutis jumentis atque pecoribus pabula sua prohibuistis? Num non vos estis, qui hanc Conscientiarum tyrannidem, ubivis locorum ac terrarum, ubi Deus vos, in corporum animarumque pœnam, obtinere permittit, continuatis; omnesq; ac singulos, qui, hoc casu, verbi ac mandati divini normam sequuntur,

vobisq́; resistunt, ceu Rebelles, gladii acie, omnibusq́; aliis parricidialibus modis, è Mundo tollere satagitis? Ecquis autem vobis Jesuitis, aut ulli hominum in hoc Mundo, potestatem in aliorum conscientias dedit; ut eas, pro arbitrio vestro, cogatis, &, quò vobis lubitū est, pertrahatis? *Quis imponat mihi necessitatē, credendi, quod nolim; vel, quod velim, non-credendi?* benè Christianéque dixit LACTANTIUS, Institut. lib. 5. cap. 14. Quòd si igitur nulla vobis, in conscientias hominum, potestas est: quomodo Rebelles sint, obsecro, qui, pro libertate Christianæ conscientiæ suæ, affectatæ vestræ animarum tyrannidi se-se opponunt; partamque sibi, per sanguinem Christi, libertatem nequicquam eripi patiuntur? (De rebellione & oppositione Inferiorum contra Superiores, in secularibus ac politicis negotiis, hoc loco nihil dico: quippè cujus longè diversam esse rationem, omnes nôrunt.)

Potestatem in conscientias hominū nullus mortalis habet.

At-verò, cur soli CALVINISTÆ dicti vobis hodiè rebelles sunt, & in sanguinariis scriptis vestris tales audire coguntur? interim tacentibus, hoc-ipso demūm tempore, Euangelicos alios, qui se LUTHERANOS dici gaudent; haud aliter, quàm si istorū optimi Amici essetis? Númne hi minùs se conscientiarum tyrannidi vestræ opponunt, atque illi faciunt? Númve his magìs vos parcitis, atque illis? Aut num clementiorem gladium ignemq́ue pro his, quàm pro illis, paratum habetis; ubicunque potestas vobis in eos fieri potest? Veruntamen omnipotens ille Deus in cœlis, cujus judicium

dicium à domo ipſius initium capere ſolet, etiam vobis mendacibus ac homicidis terminum veſtrum poſuit; ultra quem progredi minimè valebitis; ſed ipſi vos tandē, feces iracundiæ divinæ exhaurire cogemini.

Qui Jeſuitarū nequitias & ſcelera tangit, nō propterea pduellis, aut læſæ Majeſtatis reus eſt.

Haudquaquàm verò etiam conſequitur: ut is, qui vobis Jeſuitis vitia & flagitia veſtra publicè exprobrat, ac in lucem protrahit, ſimul etiam ſummorum Principum majeſtatem lædat, illorumque perduellis fiat; qui vos Jeſuitas adhuc foverunt ac promoverunt; utì autem vos ſimplicibus per fucum perſuadere conamini; ac vobis palpum obtrudens nudipes ille Monachus, BALDUINUS JUNIUS, in 4. libro Chronici ſui moralis, his verbis pronuper ſcribere auſus fuit: *Quòd ſi Jeſuitæ eſſent, quales in Verrinis Hæreticorum depinguntur, Mauris, Æthiopibus, ipſo Cacodæmone Lucifero, qui de cœlo præcipitatus eſt, tetriores; animarum vultures, ſicarii, Sinones, parricidæ, & quicquid iis pingi fingive poteſt deteſtabilius: neceſſe foret, Imperatores, Carolum V. Ferdinandum, Maximilianum, Rudolphum, Matthiam; Reges Chriſtianiſſimos, Catholicos S. R. I. Electores, Archiduces Auſtriæ ſereniſſimos, & Bojariæ Duces; Archiepiſcopos, &c. quotquot nempè Societati Jeſu tot Gymnaſia, tot Academias, erudiendæ Juventuti; tantas obeundæ rei divinæ Baſilicas; tot Palatia, tanquàm Mauſolea, exſtruunt, cenſibus annuis locupletant; vel amare ac fovere in Jeſuitis iſta ſcelera & flagitia, vel ignorare penitùs.*

Si amant ac fovent; eorundem criminum rei ſunt: quod nefas eſt cogitare. Si non nôrunt; quanta hæc quámq; craſſa ſit ignorantia! quàm ſupina, quàm deperditorum hominum, ac omninò inexcuſabilis!

Dilemmatis Jeſuitici cōfutatio.

Si namque hæc conſequentia valere debeat: attendite, per Deum immortalem, vos Chriſtiani & Euangelio addicti Principes ac Magiſtratus, in univerſum omnes; & audite, quid Jeſuitæ, eorumq; ſimiles Monachi & Sacrifici, de Vobis ſentiant judicentq;. Nempè ità: *Quòd ſi Euangelici Concionatores ac Theologi (ſive jam Lutherani, ſive Calviniani audiant) eſſent, quales in Verrinis & famoſis Pontificiorum chartis depinguntur, Cacodæmone ipſo tetriores, Animarum latrones, Hæretici, Seditioſi ac Rebelles, & quicquid iis excogitari aut dici poteſt deteſtabilius: neceſſe foret, Euangelicos Chriſtianos Reges Angliæ, Daniæ, Sueciæ; Sereniſſimos ſacri Romani Imperii Electores ac Principes; Duces Brunſuicenſes, Pomeranos, Megalopolitanos, & Wirtembergicos; Marchiones Badenſes; Landgravios Haſſiæ; Comites, Barones, ac Civitates Imperiales, &c. quotquot nimirùm Euangelicis Doctoribus & Concionatoribus, tot Gymnaſia, tot Academias, erudiendæ Juventuti; tot vero Dei cultui obeundo Templa, exſtruunt, tradunt, & pro neceſſitate ſuſtentant: hos inquam, vel amare, ac fovere in ſuis Doctoribus & Concionatoribus, iſta ſcelera & flagitia; atq; ſic eorundem criminū reos eſſe: vel ignorare illa penitùs; adeóq;*

hanc

hanc crassam, supinam, ac omninò inexcusabilem, tàm deperditorum hominum, ignorantiam esse. Num igitur Jesuitæ argumentationem istam, per omnia membra sua, ex parte Euangelicorum, pro consequente ac necessariâ habeant; (uti, dubio procul, in animis suis illam habent) id verò etiam, verbis aut scriptis, Euangelicis Principibus ac Magistratibus significandum & explicandum, Jesuitis remittitur.

Nos quidem certè, superiùs-positam Jesuiticam & Monachicam ratiocinationem, ex Pontificiorũ Principum ac Magistratuum parte, pro inconsequente & sophistico non-causæ paralogismo agnoscimus. Tametsi enim dicti Pontificii Principes ac Magistratus, Jesuitarum nequitias, scelera & flagitia, ignorent: nequaquam propterea consequitur, hanc crassam & omninò inexcusabilem hominum deperditorũ ignorantiam esse. Causa siquidem atque culpa ignorantiæ istius, non apud ipsos Principes & Magistratus; sed apud Jesuitas, esse deprehenditur: quippè qui scelera ac nequitias suas quàm-astutissimè tegere, imò verò etiã aliquo sanctitatis prætextu, ac zeli pro Catholicâ religione specie, palliare nôrunt. Cùm è contrario ipsis etiã summis Principibus, quibus Jesuitæ eorumq; similes à secretis confessionibus sunt, æquè non, ac infimo Laico, aut vilissimo Rustico, licitum sit, utì in sacris Bibliis de Religionis negotio, aut controversis articulis; sic in Euangelicorum libris, de Jesuitarum hæreticis dogmatibus, ac parricidialibus cõsiliis & actionibus,

pro necessitate inquirere, aut ex illis instructionem capere: sed omnia illos, quæcunque à Confessariis suis proponuntur ac dicuntur, implicitâ & non-intellectâ fide, in Papæ honorem & gratiam, pro certis verisque habere; quin-imò etiam authoritate ac potestate suâ publicè defendere, ac propugnare, oportet.

Nec minùs hoc indubitatum nobis est: siquidem Dei gratiâ ac miseratione contingat aliquando, (utì cum bonâ animi fiduciâ id eventurum speramus) ut Principibus & Magnatibus Pontificiarum partium, flagitia & scelera Jesuitarum, horumque creaturarum, probiùs innotescant ac pateant: fore, ut illa non modò non ament, neque foveant; sed durioribus etiam fortean pœnis vindicent ac persequantur, quàm verò adhuc ab Euangelicis Magistratibus factū est. Cujusmodi primum, totique adeò Orbi notum, in Serenissimâ, quanquàm adhuc Pontificiâ, Republicâ Venetâ, exemplum oculis nostris obversatur: quod brevì etiã alterum, (ut fama est) in Poloniæ Regno, subsequetur.


Protestatio pro hac Historiâ contra Jesuitas: Denique etiam hoc, pro Jesuiticâ hac Historiâ, protestamur: Tametsi plures ac diversæ putatitiæ Apologiæ, à Jesuitis antehàc in publicum editæ fuerint: (cujuscemodi est Lixivium illud Gretserianum, cum ementitis, & à Jesuitis ipsis pro se confictis testimoniis; Crocodilinæ itèm lacrymæ, & ad magnos Patronos suos institutæ querelæ, cum infitiatione levium nonnullarum circumstantiarum; ac si ipsis, tàm sanctis scilicet viris, maxima coram hoc Mundo injuria fieret:

aut

aut etiam Libelli illi famosi,quibus Antagonistas suos tantùm criminãtur; Ordinem verò suum,tàm utilem, támq; necessarium, super astra extollunt:) Nisi tamen, illis omnibus non obstantibus,id Jesuitæ ostenderint ac evicerint, positas ac enumeratas hìc Regulas & Doctrinas,falsò ipsis adscriptas ac tributas; atque etiam, propter exindè orta pessima ipsorũ facinora & nequitias,in tot Regnis ac Provinciis,institutos contra ipsos & exsecutioni datos Processus judiciarios, nullos atq; irritos esse: Quòd ità hisce,coram toto Christiano Orbe, omnium ejusmodi malarũ rerum, quales partim in Historiâ istâ sufficienter expositæ sunt, partim adhuc ampliùs, ubi & quando opus fuerit, exponi,ac fusiùs diduci possunt,convicti teneri; ac publici Mendaciorum simul & Homicidiorum doctores & consultores haberi,debeant.

Supplices autem,& ex intimo animi affectu,Deum ac Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui est Pater ille luminum,comprecamur: ut omnium illorũ,qui non ex affectatâ malitiâ,sed ignorantiâ & simplicitate,errãt atq; peccant,clementer misereatur;& Spiritu Verboq; suo corda ipsorũ illuminare dignetur: quò Veritatem ipsam agnoscere,agnitamq; ad temporariam simul & æternam salutem suam acceptare,valeant. Calumniatores autem ac mendaciorum spiritus illos, qui veritati Euangelii Christi malitiosè obluctantur, ac simplices rudesque animas,seu falsâ doctrinâ pervertunt, seu tyrannicâ crudelitate evertũt ac persequuntur; hos *cum Voto Christiano.*


hos inquam, unà cum magiſtro ſuo Antichriſto, deſtruat, amentiamque eorum coram toto Mundo manifeſtam reddat: quò ipſi tandem aliquando blaſphemare ac perſequi deſinant; ſanctiſſimum verò Dei nomen à cunctis unicè agnoſcatur, honoretur, ac celebretur. AMEN, AMEN!



HONORI IESVITARVM P.

OMNIPOTENS dedit hos non atrox Dæmonis aſtus:
Criminis expertes non ſua ſollicitant.
Principibus benè ſunt affecti cordibus haudq;
Fraudibus indulgent aut animam eripiunt.
Contribuunt ſibi ſic meritò ter-maxima JESU
Nomina non faſtus hac tenet ambitio.
Hinc Polus accipiet non Orcus flebilis illos,
Suaviter ut vivant nec mala ſuſtineant.


S. I. M.



ORTHODOXÆ RELIGIONIS, ET AVITÆ LIBERTATIS, Studioſo Lectori S.

NOSTRA quòd Hiſpanis GERMANIA corruit armis,
Pænéq; Romanum deficit Imperium;
Et quòd in Iſtricolis commota rebellio regnis,
Unde ſuas noſtris Barbarus auget opes:
Quòd Belga, & Gallus, fidusq; Britannus, Iberi
Vim timet; & Venetas Hadria turbat aquas:
Quod Rhatæ, atque Italæ, vicinæq; Alpibus oræ,
Horrendis madeant ſæpè latrociniis:
Inter & Helvetios quòd nunc fiducia fratres
Senſim perverſi langueat arte GenI:
Te docet eximius præſente volumine Scriptor,
Veridico infandos dum explicat ore dolos.
Proh pudor! & Pietas, Themis, atque Modeſtia, magnum
Fecit Eſavitico naufragium Oceano!

J. JAC. GRASSERUS.



JESUI-


JESUITOGRAPHIA,
DE
ORDINIS JESUITICI INSTITUTIS AC MORIBUS.


Opulentas Civitates,
Ubi sunt commoditates,
Semper quærunt isti Patres:
Claras ædes, bonum vinum,
Bonum panem, bonum linum,
Et pallium tempestivum,
Indiæ Galli, Capones,
Turdi, Lepores, Pavones,
Sunt horum Patrum bucones.
Pingui carne vitulinâ,
Non bovinâ, sed ovinâ,
Horum plena est coquina.
Ambiunt ubique primum;
Non admittunt peregrinum,
Nec surgunt ad matutinum.
Vivunt unà Joviales,
Dies agunt feriales.
Quot optarent esse tales?
In singulos speculantur,
Et ubique perscrutantur,
Quid vel agant, vel loquantur.
Confessores curiosi,
Prædicatores verbosi,
Et doctores fastuosi.
Solliciti de gloriâ
Semper, & de pecuniâ,
Et augendâ familiâ.
Sui summi laudatores,
Aliorum despectores,
Et omnium sunt censores.
Ex cohorte Juventutis,
Illos agunt blandimentis;
In hos sæviunt tormentis.
Qui nobiles, qui formosi,
Divites, ingeniosi,
Sunt Jesuitis pretiosi.
Illos sibi prædestinant;
In illos flagris ferinam
Exercent carnificinam.
Si successio speratur,
Hac Societas lætatur;
Et, qui linquit, prædicatur.
Si cui caligant oculi,
Circumstant ripam lectuli
Jesuitæ, Dæmon, Angeli.
Hi, vel ille, morituri
Animam sunt habituri;
Illi bonis potituri.
Ad illos institutio
Spectat, vel substitutio,
Vel delegata portio.
Nam semper ob causam piam,
Ad augendam familiam,
Detrahunt Falcidiam.
O' vulpinam sanctitatem!
Prædicando charitatem,
Subducunt hæreditatem.
Sunt audaces ad petendum,
Prompti sunt ad capiendum,
Habiles ad succedendum.
Nôrunt blandâ cantilenâ,
Cum doctrinâ Christianâ,
Allicere aliena.
Heus tu Bone, confitere;
Sed ô nostri miserere,
Si salutem vis habere.
Nil habemus, ut videtis;
Date nobis, quæ habetis;
Centuplum accipietis.
Si quem contigit donâsse:
Redi sæpè, semper tace:
Absolvo te; vade in pace.
Hi periti mendicantes,
Sunt quasi nil habentes,
Et omnia possidentes.
Eminent inter Clericos,
Imperant inter Laicos,
Excellunt inter Aulicos.
Heu, quot ex istis Patribus,
Spretis spiritualibus,
Incumbunt secularibus!
Martem nôrunt animare,
Et tumultus suscitare
Inter Reges, & sedare.
In occulto multa tractant,
Quæ vel ipsum Papam celant.
Quid non ista vulpes tentant?
Multa merè ridicula,
Nobis, velut oracula,
Sua jactant miracula.
Versipelles, gloriosi,
Ultores, seditiosi,
Sunt isti Religiosi.
Si illos petunt Potentes,
Et opibus affluentes;
Pedes habent diligentes.
Si quid quærant carcerati,
Et omnibus spoliati: . . . .
Dicunt, sumus occupati.
Non hæc JESUS vos docuit?
Cujus nomen si placuit,
Cur & vitam non induit?
Inter greges afflictorum,
Primus egit ille Chorum,
Turbam vitans superborum.
At Jesuitæ non hos greges;
Sed solos sectantur Reges,
Ipsis & facturi leges.
JESUS, peram & sacculum,
Duxit esse ridiculum,
Velle ferre Apostolum.
At hi, quámvis in Mammonã
De cathedrâ multa tonant,
Semper ipsis æra sonant.
Domus, agros, uniones,
Aureorum milliones,
Habent isti sancti Patres.
Abbatias, Prioratus
Habent, & Episcopatus:
Tantùm superest Papatus.
Cum hoc fastu dignitatis,
Junge votum paupertatis,
Et decus humilitatis.
Habent opes Venetorum;
Habent fastum Hispanorum;
Imperium Romanorum.
Tanquam Sancti adorantur;
Tanquam Reges dominantur;
Tanquam Fures deprædantur.
Dominantur temporale;
Dominantur spiritale;
Dominantur omnia malé.
Hos igitur Jesuitas,
Nebulones, Hypocritas,
Fuge, si cœlica quæras.
Vita namque Christiana
Abhorret ab hac doctrinâ,
Tanquam fictâ & insanâ.

Ergo:
Vos, qui cum Jesu itis,
Non ite cum Jesuitis.

IN
OFFICINAM
JESUITICAM.

Euge Præco, quin exclamas!
Quisquis mores novos amas,
Quiq; in aulâ vis amari,
Et à vulgo collaudari.
Si magistros quæris doctos:
En præstantes probè coctos,
Ex IGNATII *culinâ,*
In hac nostrâ Officinâ.
Quæris merú Ostentatorem:
Et nugarum venditorem:
Vin' tu doctum sycophantam,
Et peritum halophantam:
Vin' tu suavem palpatorem,
Aulicumq; assentatorem?
En tibi hunc nostrû Cottonem:
Aget vel, si vis, lenonem.
Vis virum tibi gloriosum,
Nimiùq; superciliosum?
Sat est, si habes Bellarminum:
Nisi mavis Possevinum.
Idem Del'rio *hoc præstabit:*
Et Gretzerus *pulcrè dabit:*
Nec quisquam nostrûm his sudabit.
Vin' tu doctus prædicari,
Et centones concinnare
Ex alienis, tàm latenter,
Ut te cuncti admirentur?
Tunc imitare Maldenatum,
Vel quemvis illâ stirpe natum.
Carpe viros, carpe mores;
Quorum tu decerpis flores.
Vin' virum loquentissimum,
Mendacem mendacissimum,
Os maledicentissimum,
Et detractorem pessimum:
Qui ampullata verba fundas,
Et scelerum theatrum condas,
Omnes bonos denigrando,
Omnes pessimos laudando:
Cloacam convitiorum,
Barathrum mendaciorum?
En furiosus & insanus,
Solus dabit hæc Scribanus.
Si nova quæris ex Inferno:
Non opus est nunc Averno.
Nam quivis dæmoniacus
Cottoni *est vatidicus.*
Tu, qui adis officinam,
Audi nostram disciplinam.
Si piget multum laborare,
Cùm velis lautè victitare:
Confer te ad nostras caulas;
Faxo spernas Regum aulas.
Nos nihil vile obsonamus:
Austerum vinum non potamus.
Non libet nobis mendicare,
Nudisq; plantis oberrare.
Nec nos duriter cubamus,
Plumam mollem nos amamus.
Odimus mendicitatem,
Dum crepamus paupertatem.
Pauperes quidem nos amamus;
Sed perrarò hos visitamus.
Divitum lectis assidemus,
Ubi est, unde quid speremus:
Dum narrant, quantum peccaverint;
Nos quærimus, quid legaverint.
Scribe fili nos heredes;
Lega fundum, dona ædes.
Nos pro te supplicabimus,
Et requiem cantabimus.
Semper cura est de culinâ:
Hæc est nostra disciplina.
Quid tu, qui hic substitisti;
An, quod quæris, invenisti?
Dic in aurem, si profari
Times; noli me celare.
Doceri vis æquivocare,
Absque culpâ pejerare?
Vis mentiendo non mentiri,
Et in arte hac erudiri?
Lege nostros Aphorismos,
Et contortos Syllogismos.
Novi: quæris percussorem,
Vel murorum suffossorem;
Qui nôrit sicam intentare,
Vel venenum temperare?
Intra nostrum penetrale:
Quamvis nil hic prostet tale;
Producet tamen noster penus,
Omne sicariorum genus.
Nonne ipsi hoc præstamus:
Assassinos subornamus,
Magnis promissis oneratos,
Atque ad quidvis animatos.
Præcipui nostri Rectores
Hujus sunt artis Professores.
Hi submittunt proditores;
Hi subornant percussores.
Excitant seditiones,
Nutriunt rebelliones;
Modò jubeat Romanus,
Vel sic postulet Hispanus:
Servis his, cor, sermo, manus.
Omnis jam terra nostris scatet
Quà fidelis Orbis patet:
Ubique aut jam succrevimus,
Aut jam sementem sevimus.
Hispania nobis genetrix;
Italia nobis obstetrix;
Gallia nobis mammam dedit,
Atq; huc-usq; victum præbet.
Hinc Germania latè patens,
Et Polonia fructu scatens,
Noster fundus, noster penus:
Hic augescit nostrum genus.
Hæc altè Præco gloriatur.
Hos qui prospectus admiratur,
Is certè vetus dictum nescit;
Quòd mala herba citò crescit.
Sed jam accurrunt mercatores;
Nondum spernuntur mali mores.
Sceleri dum cedunt honores,
Nunquàm deerunt hic emtores.





INDEX CAPITUM Historiæ Jesuiticæ.

LIBRI I.

LIBRI II.

DE DOCTRINA JESUITARUM.

LIBRI III.

Cap. Pag.

LIBRI IV.



HISTO-



Æ

R E

æ 1 5 4 0. ū fratribus ıs testimo- ut,cùm ex el leves ob eraret: nec n vibrabat, rum. Bo- hominem olentiam, itarū pro- gellorum almanas- *um, ac tru-* tis,gravia ierit; pro- eneirâ te- iretur, est

Ignatius Lojola, author Iesuiticæ sectæ, truculētus homo.

es quoque edem,san- n Regum , spirent; ovitiorum *er: quia,ut ita nostrum scriptis,in- sicut Ponti-*

Quæ ferox natura in totam ejus sectam derivata quoque est.

Cap.



HISTORIÆ JESVITICÆ
LIBER PRIMUS.
DE ORIGINE ET AUTHORE JESUITARUM ORDINIS.
CAPUT I.



IRCITER annum reparatæ ſalutis humanæ 1540. IGNATIUS LOJOLA, Cantaber, *Societatis Jeſu* fratribus initium dedit. Fuit is (pro antiquo gentis illius teſtimonio) tam truculentâ animi ferocitate præditus; ut, cùm ex ephebis egreſſus eſſet, quemvis obvium, ſibi vel leves ob cauſas reſiſtentem, percuteret, & ferro transverberaret: nec veritus ſit dicere, ſe manu ſuâ dextrâ, quâ gladium vibrabat, aëremque percutiebat, vel invitis diis, hoſtes ſuos omnes proſtraturum. Bobadilla, unus ex primis Lojolæ Sociis, ingenuè fatetur, eum fuiſſe hominem militiæ caſtriſque aſſuetum. Hanc feritatem, immanitatem, & inſolentiam, Jeſuita factus, adeò non depoſuit: ut Hoffæus, Romæ in domo Jeſuitarũ profeſsâ Aſsiſtens, teſtatus ſit, eum nonnullos Societatis ſuæ fratres flagellorum ictibus ità confeciſſe; ut præmaturâ morte interierint. Similiter Salmanaſſar, Neapolitanus Jeſuita, confitetur, *Lojolam naturâ ferocem fuiſſe, durum, ac truculentum.* Ribadeneira etiam, in vitâ Ignatii, ſcribit; In levibus erratis, gravia interdum exempla eum ſtatuiſſe. Et qualis per univerſam vitam fuerit; propria ipſius conſcientia ei dictavit: dum, ſub finem vitæ, Ribadeneirâ teſte, ſe-ipſum deteſtabilem dixit, & ſe indignum, qui honeſtè ſepeliretur, eſt profeſſus.

Ignatius Lojola, author Ieſuiticæ ſectæ, truculẽtus homo.

Atque hæc ejus immanis, beluina, & truculenta natura, in omnes quoque ejus diſcipulos & ſectatores derivata eſt: ut qui nihil aliud, quàm cædem, ſanguinem, & interitum piorum & orthodoxorum omnium, quin-etiam Regum ac Principum Papiſticorum, qui dictatis ipſorum parêre recuſant, ſpirent; ſicut in ſequentibus indicabitur ampliùs. Jacobus Cruſius, Novitiorum Landſpergenſium Rector, *Miles*, dicebat, *eſſe debuit noſtræ Societatis Pater: quia, ut militis eſt, totis viribus in hoſtem irruere; nec deſiſtere, donec victor evadat: ita noſtrum eſt, in omnes irruere, qui Pontifici Romano reſiſtunt; illoſq; conſiliis, dictis & ſcriptis, invocato etiam ſeculari brachio,* (hoc eſt, igne & ferro,) *tollere & abolere: ſicut Ponti-*

Quæ ferox natura in totam ejus ſectam derivata quoque eſt.

fex, & nostra vota, contra Lutheranos suscepta, volunt & mandant. Jesuitæ Colonienses, in Censurâ suâ, inquiunt: *Nisi Lutherana religio ferro & igne tollatur; Ecclesia Romana pacem & tranquillitatem habere non potest.* Gregorius Baderus, in Bavariâ Jesuitarum Provincialis Landspergæ, dixit: *In urbe Augustâ nostri pacem non sunt habituri; nisi curaverimus, Euangelicos concionatores ejici ac tolli.* Item: *Nostrorum consiliis, Euangelici concionatores Viennâ expulsi sunt: ideò etiam nostri jam ibi in pace docent, & rebus pro animi votis potiuntur.* Rursus prædictus Crusius pro concione aliquoties dixit: *Non potissimùm ob hunc finem in Germaniam missi sumus; ut Doctores, Concionatores, & Præceptores, in scholis & templis, agamus: sed ut operam demus, ne Lutherani & Euangelici Protestantes majora incrementa sumant: sed exscindantur. Si id nostrates ab ortu Lutheri fecissent; jam Ecclesia Romana in pace viveret. Verùm causâ nondum cecidimus: conjungamus mutuas operas, vires & arma; tunc facilè poterimus illos exstirpare. Ad hunc finem nisi omnia nostra consilia & actiones direxerimus: periculum est, ne nobis idem, quod illis intendimus, faciant; & in foveam, quam paramus hæreticis, ipsi nostrâ negligentiâ incidamus.* Ad eundem modum, magnus ille Jesuitarum fautor, Andreas Fabricius, (eumque imitatus infamis apostata, Caspar Schoppius) Cæsarem hortatur: *ut femur suum gladio accingat; neque patiatur hæreticos vivere.* Antonius Possevinus, Jesuitarum per Germaniam Inquisitor, in libello, quem inscripsit, *Miles Christianus,* edito, cùm Papa Pius V. exercitum in Galliam suis auxilio mitteret, ut adversarios Pontificiæ sedis de medio tollerent, scribit: *Omnes Christianos jure obligatos esse, ut Romanam religionem, contra Euangelicorum doctrinam, totis viribus, & proprii sanguinis effusione, tueantur. Pacem namq;, & publicum bonum, in Ecclesiâ Romanâ conservari non posse; nisi hostes ejus exterminentur.* Quibus addit: *Nisi expuleritis eos; patriam, uxores, liberos, parentes, amicos, & opes, in tuto possidere non poteritis.* Tandem hortatur Duces exercitûs istius; *ut nihil omninò hæreticis permittant; nec fidem datam servent: Inquisitores clandestinos in eos subornent: domestica & intestina bella inter illos excitari curent: Proditores ac sicarios, omnibus locis, contra illos instituant: Duces, aliter facientes, in Ecclesiam Romanam peccare, inexcusabiles reddi, & damnari,* asserens.

Lojola miles infelix.

Contulit autem sese Ignatius, (ut ad istum redeamus) cum aliis multis sui similibus truculentis, & sanguinem humanum sitientibus Hispanis, in arcem Pompejopolitanam, regni Navarreni, eo tempore; quo eam Galli obsederũt, vehementissimeque oppugnârunt. Cùm autem nimis ferociret in obsidione illâ: divinâ vindictâ in ipsum exardescente, factum est; ut æneæ bombardæ pilâ, à Gallis immissâ, crus ejus dextrum frangeretur; sinistrum quoque, lapide de muro excusso, graviter circa inguina vulneraretur; & ipse à Gallis caperetur. Sed quorundam tum clementiâ curatus est: ita tamen, ut in utrumq; latus claudicaret, domumque sic rediret.

Vitæ genus pristinum mutat.

Hoc modo, justo Dei judicio, punitus, militiam deseruit; & lectioni profanorum librorum, temporis fallendi causâ, totum se tradidit. Cùm verò, ob claudicationem deformem, ab omnibus rideretur, ipseque ad res politicas tractandas se ineptum intelligeret: militaris & politicæ vitæ, cui hucusque addictus

dictus fuerat, pertæsus, vitæ pristinæ genus mutare, & aliud instituere proposuit. Contigit autem, ut in manus ejus venirent *Legendæ*, mendaciorum plenissimæ; quas *Vitas* seu *flores Sanctorum* vulgò nominant; quas, pro more superstitiosorum hominum, avidissimè legit: & legentem tanta incessit religio; ut de novo Ordine instituendo cogitare inciperet. Ut rectissimè dixerit illel; quòd *desperatio Monachum faciat*. Cogitat de novo Ordine instituēdo, falsarum apparitionū prætextu:

Ut autem persuaderent Jesuitæ hominibus, non casu aut fortuitò cogitationes has in animo Lojolæ, de novo Ordine instituendo, ortas fuisse; ut res in majore admiratione & authoritate esset: B. Mariam Deiparam, portantem in ulnis puerulum suum Jesum, apparuisse Ignatio, fingunt; eumque, ut, in Filii Jesu honorem, Societatem seu Ordinem institueret, hortatam esse; simulque promisisse, se illi & Sociis indulgentissimam matrem, adjutricem, & promotricem, futuram.

Anno igitur ætatis suæ 26. domo, patriâ, ac propriis laribus relictis, Ignatius, ad templum Deiparæ virgini dedicatum, quod *Montem serratum* vocant, concessit; ibique vestibus preciosioribus exsutus, laceras ac viles induit: in quibus rigidissimam aliquamdiu vitam egit. Delituit etiam, per tempus aliquod, solitarius in specu quodam, ad littus fluvii, per campum Mauresanum decurrentis: ibique de asperiore vitâ ineundâ, & peregrinatione Hierosolymitanâ, secum ipse deliberans, viatorium & pauperis peregrini habitum tandem coëmit; sparteos nimirum calceos, talarem è sacco tunicam, funemque pro balteo, tornatilem baculum, & in usum aquæ cucurbitam. Ut igitur Minoressam accessit, oppidumque hoc amictu ingressus est; ad publicum infimę plebis hospitium precariò se contulit; ibique, paupertatis & pœnitentiæ studio, inter egentes ac sordidos vitam exorsus est. Ità quidem Maffejus, & Ribadeneira. Victum ostiatim emendicavit quotidie: totam hebdomadam, excepto die dominico, jejunavit, in ipso cibatu simplici pane contentus: humo nudâ cubavit; auctoque supplicio, singulis diebus ter se flagellis quàm acerrimè cæcidit: sacrificio quoque matutino, Vesperarum item & Completorii officiis, interfuit assiduè. Vexatus autem diuturnâ & periculosâ ægrotatione, demum ità convaluit; ut, ex reliquiis morbi, dolore stomachi cruciaretur: ob eamque causam calceos induit, & panni crassioris tunicâ cinereâ, & capitis tegumento, contra hyemem se-se munivit. Patrios lares relinquit. Eremitam agit. Mendicat.

In hac palæstrâ cùm se ad tempus exercuisset: indè, in pauperis peregrini habitu, Hierosolymam proficisci constituit, Christi sepulcri adorandi, & cętera loca visendi gratiâ. Hoc igitur mentis proposito, sub initium anni 1523. Minoressâ profectus, Barcinonem, indeq; Romam, ac tandem Venetias, pervênit. Venetiis in Cyprum insulam, ac deinde in Palæstinam vectus, demum Hierosolymam accessit; & loca illa, quæ sacra vocant, invisit; iisque locis usque adeò delectatus fuit: ut constitueret, omnem ætatem suam reliquam illic consumere. Quia verò multi eum ab hoc instituto dehortabantur; cum reliquis peregrinis naves ascendit, & in Hispaniam rediit. Hierosolymam contendit. In Hispaniam redit.

Studiis literarum se dedit.

Quia verò intelligebat, ad eam vitæ rationem, quam animo proposuerat, literarum cognitionem, (quarum hactenus nullam prorsus habuerat; imò ne scribere quidem nôrat,) plurimùm valere; animum ad eam rem appulit. Ut igitur Barcinonem revertit, anno Christi 1524. ætatis autem suæ 33. repuerascere & elementarius fieri cœpit. Tam autem obtusi & stupidi ingenii erat: ut rudimenta Grammaticæ, verborum itèm ac nominum inflexiones, vix ediscere posset. ex quo fiebat, non solùm ut nihil novi mandare memoriæ posset; sed etiam ut, si quid antea impressum esset, id-ipsum confestim deleretur. Nihilominùs tamen, in Grammaticalibus præceptis addiscẽdis, strenuè perrexit; & fructum mediocrem inde percepit: Complutumque, ad graviora studia, se-se contulit. Ibi artium curriculum iniit, non admodum felici successu. nam præproperâ festinatione, sine omni judicio & delectu, nullo servato vel ordine, vel discrimine disciplinæ, multa & varia uno eodemque tempore aggressus est.

Inquisitioni subjicitur.

Cùm autem in vili suo habitu, coopertus sacco, publicè homines ad pœnitentiam hortaretur, nullâ acceptâ ab Episcopis concionandi licentiâ; nec eruditione sufficiente præditus esset: bis in carcerem conjectus fuit: semel Compluti; deinde Salmanticæ, quò Compluto relicto concesserat: & ab Inquisitoribus, de doctrinâ, & novo vitæ genere suspectus, examinatus fuit. Interrogationes autem Inquisitorum, Ignatio in carcere propositæ, hæ fuerunt.

Articuli Inquisitionis, Ignatio propositi.

1. Vtrùm credat, sacram Scripturam esse doctrinam imperfectam, mutilam, mancam; quæ non contineat omnia, ad salutem, fidem, & mores piè vivendi, pertinentia?

2. Vtrùm credat, defectum illum sarciendum esse, assumendo traditiones?

3. Vtrùm credat, sacram Scripturam in illis, quæ continet & proponit, esse veluti nasum cereum, non præbentem certam aliquam & immotam sentẽtiam; sed quæ in quamvis interpretationem flecti possit?

4. Vtrùm rectè fiat, quòd in universum Laici à lectione sacrarũ literarum arceantur?

5. Vtrùm lectio S. Scripturæ non tantùm non sit utilis; sed multis modis perniciosa?

6. Vtrùm credat, quòd, post susceptum Baptismum, peccatum in renatis nullum remaneat; sive quod apertum sit, sive quod tegatur vel operiatur?

7. Vtrùm credat, quòd concupiscentia, quæ reliqua est in renatis, etsi repugnet legi Dei; tamen non sit propriè, verè, in se vel ex se, & suâ naturâ, peccatum?

8. Vtrùm credat, falsum esse; quòd peccatum sit, quicquid legi Dei repugnet?

9. Vtrùm graviùs peccent homines, violantes Ecclesiæ præcepta; quàm committentes ea, quæ legi Dei repugnant?

10. Vtrùm renati, in hac vitâ, possint suis operibus legis perfectionem consequi?

11. Vtrùm doctrina Euangelii propriè sit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata?

12. Vtrùm, in rebus ad salutem pertinentibus, liberum arbitrium tantum valeat; ut nihil homo agere possit quicquam, ipsomet non annuente, & ad divinæ gratiæ susceptionem non-parato, & promto?

13. Vtrùm fides sit firmissima assensio, non tantùm eorum, quæ in Scripturâ patefacta sunt; verùm etiam illorum, quæ sine scripto in manus tradita sunt?

14. Vtrùm

14. Vtrùm credat, quòd justus, ex fide vivens, non habeat illud in Christo; sed ex operationibus suis?

15. Vtrùm credat, quòd fides justificans illam formam, seu vim, non habeat ex Christo, quem apprehendit & possidet; sed ex charitate?

16. Vtrùm credat, justificationem nihil aliud esse, quàm justitiæ acquisitionem; vel (si philosophicè loquendum sit) motum ad justitiam?

17. Vtrùm credat, quòd misericordia Dei in Christo, in quâ nostra salus consistit, hæc sit; quòd Deus rectè-operantibus, hoc est, legem implentibus, vitam æternam promiserit?

18. Vtrùm homo possit satisfacere pro peccatis Deo, secundùm mensuram proportionis: etiamsi offensio sit infinita; & satisfactio nostra finita?

19. Vtrùm Sancti invocandi sint; ut pro nobis apud Deum intercedant?

20. Vtrùm invocatio Sanctorum recipienda & concedenda; etiamsi nusquam de eâ Scriptura doceat?

21. Vtrùm traditiones Ecclesiæ, etsi ex Scripturâ probari non possint, parem tamen authoritatem habeant, & eâdem fide sint credendæ; sicut illa, quæ manifesta habent in Scripturâ testimonia?

22. Vtrùm rectè adorentur imagines?

23. Vtrùm Matrimonii doctrina impudicitiæ januam aperiat, ac animis libidinis faces subministret?

24. Vtrùm eorum, qui voverint cœlibatum, & se continere non possint, legitimæ nuptiæ appellandæ sint; an contrà fornicatio, incestus, summum nefas, ac adulterium?

25. Vtrùm credat Purgatorium?

26. Vtrùm credat, Pontificum Romanorum perpetuam successionem, apertum indicium esse Catholicæ Ecclesiæ, & fidei Apostolicæ?

27. Vtrùm credat, penes Ecclesiam esse, quædam, etiam in sacris literis expressa, commutandi authoritatem; nonnulla instituendi parem facultatem; ideoq; non minorem illi, quàm expresso Dei verbo, vindicandam esse authoritatem?

28. Vtrùm credat, panem Cœnæ in verum Christi corpus transsubstantiari, vi consecrationis?

29. Vtrùm tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in sacramento?

Ad quæstiones istas omnes & singulas, cùm affirmando respondisset Ignatius: utrobique, tàm Compluti, quàm Salmanticæ, Pontificiæ doctrinæ addictissimus inventus, extra omnem noxiam è custodiâ dimissus fuit.

Salmanticâ relictâ, Lutetiam Parisiorum se contulit, sub initium anni 1528. ibi se totum literis dedit: àc tandem Magister artium creatus est. Quia verò illîc loci paupertatem sectabatur; stipem ostiatim colligebat; pueros gratis erudiebat; omnibus ultrò, nullâ petitâ mercede, sua obsequia, labores, & studia, offerebat; sicque aliquam apud populũ rudem existimationem sibi comparabat: factum est, ut nonnulli Studiosi, amore ejus incensi, illi se socios & imitatores adjunxerint. Primus eorum fuit *Petrus Faber*, Allobrox, pago Villareto, Gebennensis diœcesis, humili loco natus: qui jam antea se-se in solitudines abdere, ibique radicibus herbarum victitare, decreverat. Secundus fuit

Ignatius Parisiis studet.

Ignatii socii primi.

Franciscus Xaverius, nobilis Cantaber: qui priùs Ignatii hypocriticam vitam vehementer irriserat. Hos deinde imitati sunt, *Jacobus Laynes*, Seguntinus; *Alfonsus Salmeron*, Toletanus, Græcis & Latinis literis mediocriter eruditus; *Nicolaus Bobadilla*, Placentinus; *Simon Roderigius*, Lusitanus; & pòst aliquantò *Claudius Jajus*, Gebennensis; & *Joannes Codurius*, Ebredunensis; *Paschasiusq; Broëtius*, Ambianensis; Fabri præcipuè monitis permoti.

Ignatius cũ sociis itineri Hierosolymitano se accingit.

Hos socios nactus Lojola, quod jam diu moliebatur & agitabat animo, reipsâ aggredi, primo quôq; tempore, statuit; videlicet, ut Hierosolymam, cum Papæ veniâ, repeteret, gentesque Turcicas ad Pontificios errores converteret, etiam cum mortis periculo: & in eandem sententiam socios suos, superstitiosos homines, facilè adduxit. Cùm igitur singuli peccata sua confessi essent, & Eucharistiam sumsissent, in æde suburbanâ, quæ *Mons martyrum* dicitur: voto se-se obstrinxerunt, emensis Theologiæ spatiis, mundo renunciare, & in paupertate perpetuâ vivere; ac nominatim, ad constitutam diem, Hierosolymam, propter infidelium conversionem, navigare. hoc verò propositum si non succederet, Romam redirent; suamque operam Papæ, in convertendis Hæreticis, offerrent. Votum hoc ediderunt, in dicto templo, Anno 1534. XIIX. Calendas Septembris.

Venetiis se insinuat.

Sub finem anni 1536. itineri se-se accingunt, & Venetias proficisci statuunt. Viam igitur capessunt, suo quisque baculo innixi, pedites. Vestitus erat omnium, ut peregrinorum & pauperum. Hoc habitu, ad tertium Idus Januarias, anni 1537. Venetias pervenerunt. Ibi valetudinariis, seu nosodochiis, inter se distributis, ægrotos & pauperes curârunt; Confessiones audiverunt; Eucharistiam ministrârunt, quibus id per Sacerdotium licebat. Imò ne vilissima quidem & servilia, corporibus pauperum curandis, defugerunt ministeria: straverunt lectulos; everrerunt sordes; purgârunt scaphia; cadavera mortuorum sepelierunt; interdiu noctuque omnibus præstò fuerunt: & his officiis mirificè, apud quoscunque, Venetiis se-se insinuârunt.

Romam proficiscitur.

Interea etiam de profectione Hierosolymitanâ deliberantes, primò omniũ Romam ire constituunt; & à Papâ jus, tum ad sacros (quos vocant) Ordines, titulo voluntariæ paupertatis, tum ad mansionem Hierosolymitanam, petere. Nugantur hîc Jesuitæ, Ignatio, non procul ab urbe templum ingresso, Deum Patrem se-se ostendisse; & Jesu filio suo, bajulanti crucem, & crudelissimis affecto suppliciis, præsentem Ignatium sociosque commendâsse. cúmq; ille eos in fidem ac patrocinium recepisset, ad Ignatium dixisse: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Atq; hoc-ipsum vel in-primis fuisse causæ, ob quam Ignatius postea confirmatæ Societati nomen Jesu indiderit.

Ad Papam venit.

Urbem ingressi, à Petro Ortizio Hispano, Cæsaris Legato, ad Paulum III. Papam introducuntur; ab eoque, post pedum oscula, omnia, quæ volebant, de sacerdotio, deque Hierosolymitanâ provinciâ, à Papâ impetrant. Obsequia etiam, quæ Pontifici offerebant, in Apostolicis functionibus, non aspernatus est ille; sed instructos insuper pecuniâ eos à se dimisit. Quia verò navigationis,

nis, & peregrinationis Hierosolymitanæ, consilia in irritum cecidissent; subindè autem aliqui ad Lojolæ institutum aggregarentur; aliqui etiam à Papâ varias in urbes mitterentur: visum est eis, ut de stabiliendâ Societate suâ, primo quôque tempore, inter se consulerent. In unum igitur congregatis locum, quæsitum inter alia est; Placerétne, ad vota duo, Paupertatis & Castitatis, tertium quoque perpetuæ Obedientiæ adjungere; & è suo numero aliquem eligere, qui cæteris amplâ cum potestate præesset? & omnes unanimiter censuerunt, deligendum unum esse, cui omnes in terris, tanquam Christo, parérent, cujus in verba jurarent; & cujus denique nutum ac voluntatem sibi, instar divini oraculi ducerent. Placuerunt hæc omnibus: ac paulò pòst Ignatium elegerunt; eumque Generalem Præpositum appellârunt. Additum ad hæc in eodem Conventu: ut Societatis candidati, cùm aliis experimentis; tum verò præcipuè peregrinatione, & infirmis publici alicujus valetudinarii curandis, probarentur. In hoc quoque Conventu, tribus communibus votis, quartum quoque additum est: ut paulò infrà indicabitur.

De stabiliendâ Societate deliberat.

Generalis Societatis suæ constituitur.

Hæc, & alia plura, tùm quidem ab eis decreta sunt; & Ignatio mandatum, ut ea, in summam redacta, Papæ, Apostolicâ auctoritate sancienda atque approbanda, proponeret: deinde, ut eadem ipse postea fusiùs explicaret, ordinaretque; & quàm accommodatissimas, ad Societatis vocationem & spiritum, leges canonesque perscriberet.

Post decem annos, quibus Generalatum administravit Ignatius, sub specie & prætextu humilitatis & modestiæ cujusdam, se-se Generalatu suo omninò abdicare constituit. Sociis igitur Romam evocatis, cùm in consilium illi convenissent, exposuit; se, qui vitia sua nôsset, & initiò invitum, atque adeò coactum, Societatis gubernacula recepisse: perque Christi sanguinem nunc petere atque obtestari, ut, sine ullo sui respectu, communi utilitati consulant, & quàm-primùm sibi sufficiant virum, animo & corpore firmiorem. Et *ut hoc liberè faciatis,* inquit; *Ego, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, depono Generalatum meum, simpliciter & absolutè; meq; abdico hoc munere privoq;: & omnibus animæ meæ viribus obsecro, tum Professos, tum si quos Professi adhibere ad hanc deliberationem volent; ut huic meo tam justo desiderio faveant, piamq; oblationem libenter admittant.* Cùm autem quisque metueret, ne fortè alius sibi præferretur: ut ventum est ad suffragia, omnium consensus in eo retinendo exstitit, qui olim in eligendo fuerat; modò publicam rem ordinaret, & leges Ordini vel Societati præscriberet. Ignatius, ne minùs dicto audiens videretur; precibus Sociorum non-invitus cessit, & hoc onus in se recepit: & scripsit libellum, *Exercitiorum spiritualium*, itemque librum decem in partes distributum; in quo leges dedit Societati, & formam gubernationis præscripsit.

Generalatum hypocriticè resignat.

In eodem denuò cõfirmatur.

Sub idem ferè tempus, Papa Socios aliquot ab Ignatio postulavit; quos hinc-indè mitteret. Idque peregrinationis apostolicæ fuit exordium: de quo infrà suo loco plura dicentur.

Papæ aliquos è suis Apostolos dat.

Interea, cùm Societas magis magisque cresceret, Ignatius (ut erat illi jam an-

Sui instituti formulā concipit. antea à Sociis injunctum) totius instituti formulam, latiùs postea explicandam, ad certa capita breviter redegit. Deinde nactus opportunitatem, quòd Papa Tibur se receperat, eam formulam, authoritate Apostolicâ comprobandam, eidem Papæ obtulit, per Contarenū Cardinalem. Eam ubi perlegit Papa; non improbavit quidem: sed tamen, ne minùs inconsultè aliquid statuisse videretur, totum negotium tribus Cardinalibus delegavit. Hi etsi approbationem dissuaderent Pontifici; & potiùs numerum Religionum minuendum, quàm augendum, censerent: pervicerunt tamen Socii. nam Papa Societatem approbavit, 5. Nonas Octobris, anno 1540. hac conditione: ut in universum non plures, quàm sexaginta, numerarentur Socii. Triennio tamen pòst, liberum reliquit Pontifex Paulus III. Ignatio & successoribus, quotquot vellent, in Societatem adscisere.

Fœminas à Societatis suâ depellit. Regimen quoque & curam fœminarum, à Societate suâ prorsus depulit Lojola. Cùm enim Elisabetha Rosella, Barcinonensis, (quæ ejus prima literarū studia foverat) se-se Romam ex Hispaniâ contulisset; ut, cum aliis fœminis, ad normam & præscriptum illius viveret: ille, curam fœminarum suscipere se posse, negavit: Papam quoque adiit, ac petiit, ut non ab illis modò, sed ab omnibus in perpetuum fœminarum collegiis gubernandis, immunem Societatem esse jubeat. Annuit Papa, & Societati, ab ejusmodi munere, vacationem in perpetuum dedit: eaque postea trinis Bullis testata & confirmata est.

Honoribus in Societate aditū obstruit. Præterea, Prælaturis, & aliis honoribus ecclesiasticis, in Societatem suam Lojola prorsus omnem aditum obstruere conatus est: sed frustrà; ut suo loco indicabitur.

Moritur. Febri tandem ardente correptus, ut intima urerentur ejus præcordia, obiit Ignatius, Jesuitarum Patriarcha, horâ post Solis ortum primâ, feriâ sextâ, pridie Calendas Augusti, anno post Christum natum 1556. ætatis 65. suæ conversionis 35. confirmatæ verò Societatis 16. quo tempore jam-tùm ab ipso constitutæ numerabantur Provinciæ 12. & in iis varia Ordinis domicilia ferè centum.

Maffejus, qui Ignatii vitam descripsit, placidè ipsum defunctum refert. At Hasenmüllerus, qui aliquot annis & ipse Jesuita fuit, & in multis Jesuitarum Collegiis vixit, in fine Jesuiticæ suæ historiæ, sanctè testatur, Turrianum Jesuitam sæpè dixisse sibi: Ignatium in cœnâ, prandio, Missâ, in recreationibus etiam, ità à dæmonibus exagitatum; ut magnâ copiâ frigidissimum mortis sudorem fuderit: tandem verò cum tremore ipsum obiisse; mortuumque nigerrimo vultu conspectum fuisse. Cùm etiam (inquit Hasenmüllerus) corpus ipsius ad templum, quod Cardinalis Farnesius exstruxit, transferre vellent: testibus omnibus Jesuitarum professis, cadaveris ejus ossa non sunt inventa; Jesuitis jam fingentibus, ea forsan per Angelos translata esse.

Falsa edit miracula. Ut autem Ignatio, totique adeò Ordini suo, majorem authoritatem concilient Jesuitæ; multa & stupenda miracula eidem affingunt. Maffejus quidem, illorum authorem nullum nominat. Ribadeneira verò dicit, se illa habere à

quo-

quodam Wilhelmo Consalvo; Consalvum autem ab Ignatio Lojolâ, qui ei, anno ferè ante suum obitum, hæc omnia communicârit. Nemo igitur hæc miracula vidit, nec iis interfuit: sed solus Ignatius Consalvo narravit; *Petrum, itemq; Virginem Mariam, sibi diversis vicibus apparuisse: bis se à Diabolo invisibili specie tentatum esse: Sacro-sanctam Trinitatem in cœlis; Christum etiam corporaliter in hostiâ; animam quoq; Hosii in cœlum ascendere, vidisse: Deum insuper sibi monstrâsse modum, quo universum Mundum creârit: Jesum Christum deniq; promisisse, quòd ei propitius esse velit Romæ.&c.*

Quid verò de hisce, & aliis consimilibus Jesuitarum & Papistarum miraculis, verè censendum sit; jam-dudum satis nos præmonuit Servator noster Christus, Matthæi 24.v.23.24. inquiens: *Tunc* (novissimis scilicet Mundi diebus; non solo excidii Hierosolymitani tempore) *si quis vobis dixerit; Ecce, hîc Christus, aut hîc: ne credite. Excitabuntur enim Pseudochristi, & pseudoprophetæ; & edent signa magna, & miracula: ità ut seducant (si fieri possit) etiam electos. Ecce, prædixi vobis.* Et Paulus Apostolus, 2. ad Thessalonicenses 2. vers. 8.9.10.11.12. *Et tunc* (potestate Imperatoriâ Romę sublatâ, vers. 7.) *retegetur Impius ille (Antichristus:) quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & illustri adventu suo abolebit: cujus adventus est ex efficacitate Satanæ, cum omni potentiâ, & signis, ac prodigiis mendacibus; & cum omni fraude injustitiæ, in iis qui pereunt: propterea quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideò igitur mittet eis Deus efficaciam deceptionis; ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati; sed acquieverint in injustitiâ.* In hac sententiâ nos acquiescimus; quicquid Jesuitæ, aliíve Papistæ, de mendacibus suis miraculis, per universum Mundum deblaterent ac glorientur: nec vel hilum commovemur, si maximè nostrates, imò interdum etiam suos homines, gravissimè incusent; propterea quòd miraculis & visionibus ipsorum fidem abrogamus, eaq; contemnimus ac ridemus. Ità enim Richeomus Jesuita, in Expostulatione suâ apologeticâ, contra Stephanum Pasquierium, nobilem Advocatum in Parlamento Parisino, *Horribile,* inquit, *dictu cogitatuq; est, quàm profana maledicta Diagoras Francus* (Pasquierium intelligit) *effundat in miracula; quæ rerum omnium præpotens Deus per Ignatium de Lojolâ edidit.*

Et tamen ob hæc miracula, & fidelem operam, sedi Romanæ jam nutanti & vacillanti præstitam, canonizatus, & in numerum Papisticorum deorum à Papâ relatus, adeoque æterno & omnipotenti Dei Filio æquiparatus est Lojola. Sic enim Gretserus Jesuita Ingolstadiensis, *Calvinianos, Ignatii Lojolæ miracula ridentes, similes esse* dicit *Judæis, fidem Christi miraculis derogantibus.* Et Petrus de Valderannâ, Prior Conventus S. Augustini Hispalensis, in Concione, die Canonizationis Lojolæ habitâ, inquit: *Quòd Ignatius, suomet ipsius proprio nomine chartæ inscripto, plura, quàm ipse Moyses, miracula, & totidem edat, quot Apostoli: quodq; sigillum ejus tantæ authoritatis penes creaturas obtineat; ut subitò illi obediãt. Hoc, hoc-ipsum esse, quod in summam ejus admirationem nos inducat.* Petrus itèm Doza, Monachus Ordinis S. Dominici in Conventu Valentiæ, in consimili Concione. blasphemè abutitur verbis Apostoli Pauli ad Hebręos 1. inquiens: Canonizatur.

NOVISSIME' DIEBUS ISTIS LOCUTUS EST NOBIS DEUS, IN FILIO SUO IGNATIO; QUEM CONSTITUIT HÆREDEM UNIVERSORUM. *Nec ei quicquam in hoc genere laudationis deesse videtur; quàm,* PER QUEM FECIT ET SECULA.

DE NOMINE ET HABITU JESUITARUM.

CAPUT II.

VTRùM Jesuitæ ipsi hoc nominis sibi arrogârint, (id quod probabilius apparet,) an verò ipsis à Papâ, & Concilio Tridentino primùm, honoris gratiâ, tributum fuerit, (utì ex illis nonnulli gloriantur:) id verò ad rem parum, aut etiam nihil, interest. Constat tamen, omninò novum novi Ordinis in Papatu id nomen esse: quo Jesuitæ indigitant, aliorum Ordinum ac Religionũ homines, qui se ab hominibus, putà Franciscanos, Dominicanos, Benedictinos, Augustinianos, &c. cognominant, ipsis sordere ac displicere. quippe quo ipso omnigenæ superstitiones, sectæ, ac dissensiones, in orbem Christianum invectæ; atque homines à Christo, unico Ecclesiæ suæ capite, & viâ salutis æternę, ad humana commenta & nugas, adeoque in avia & pręcipitia æterni exitii, abducti fuerunt. Tametsi autem Jesuitæ novo isto nomine sibi assumto, videri possint, malo huic remederi voluisse: res tamen ipsa loquitur, ad istud Ordinis sui nomen, novum quoque schisma in Ecclesiâ exsistere: ut hoc pacto ipsi criminis rei fiant, de quo nos tamen perpetuò hodie accusant. Deus concordiam & unitatem veram Ecclesiæ suæ omnibus modis commendavit: unde etiam, ejusdem Patris voluntate & consilio, effectum est, ut omnes uno *Christianorum* nomine dicti notatique fuerint, jam indè ab initio istius per Euangelii prædicationem aggregationis: utì legere est Actorum 11. vers. 26. Ideoque hanc appellationem, unitatis illius velut sacramentum quoddam atque vinculum constat esse. Apparet etiam, in eodem cognomine esse inclusam religionis professionem. Hoc igitur vinculum unitatis, veræq; fidei tesserã, dissolvit, quisquis aliam sibi asciscit appellationem: quod Paulus manifestè docet, 1. Cor. 1. v. 12. 13.

Jesuitarũ nomen schismaticum.

Objicit quidem Gretserus Jesuita: Si *fideles rectè à Christo nominentur Christiani: se quoq;, & sui Ordinis homines ac socios, non minùs rectè nominari Jesuitas, à nomine Jesu.* Respondeo; permagnam utriusque illius nominis diversitatem esse. Filius Dei *Jesus* appellatur ideò, quòd nos salvet ab omnibus peccatis nostris; Matth. 1. v. 21. & quòd aliunde salus nec peti debeat, nec alibi reperiri possit. Actor. 4. v. 12. *Christus* autem vocatur ideò, quòd à Patre ordinatus, & à Spiritu sancto unctus sit, Propheta ac Doctor, qui nobis arcanum consilium, & omnem voluntatem Patris, de redemtione nostrâ, patefecit; & summus Pontifex, qui nos unico sacrificio sui corporis redemit, & assiduè pro nobis apud Patrem deprecatur; & Rex, qui nos suo verbo & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur & conservat. Ab hoc Christo, nos rectè Christiani vocamur; quia per fidem sumus membra Christi, & unctionis ipsius participes;

ut ipsi quoque spirituales simus Prophetæ & Doctores, qui nomen ejus coram Mundo confiteamur; & Sacerdotes, qui nos ipsi sistamus vivam gratitudinis hostiam; & Reges, qui in hac vitâ, contra peccatum & Satanam, liberâ & bonâ conscientiâ pugnemus, & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneamus. Posito autem, Christianos etiam Jesuitas cognominari posse: id tamen propriè, non de hujus præsentis, sed futurę demum æternæ & beatæ vitæ conditione, intelligendum foret. Quâ de re etiam Ludolphus Carthusianus, in libello de Vitâ Christi, ante annos 300. ita scripsit: *Christus, est nomen gratiæ: Jesus, est nomen gloriæ, honoris & sanctitatis. Sicut enim in hac vitâ, per gratiam Baptismi, à Christo dicimur Christiani: sic in cælesti gloriâ, in Domino Jesu, dicemur Jesuitæ, id est, à Salvatore salvati. Sancti, qui in cœlis sunt, & fruuntur æternâ gloriâ, veri sunt Jesuitæ, triumphantes & sancti servi Dei. Qui verò adhuc in terris degunt, & militant pugnantq; in multis periculis, militiæ suæ nomen retinere & gerere debent; quod est verum Christianorum nomen. Si verò ità se gerunt, ut Sancti, qui in æternâ gloriâ sedent super throno salutis; nomen Jesuitarum tùm obtinere possunt. Quia verò haberi volunt in numero militantium, & pugnantium sub Christi vexillo; Christi quoque nomine contenti sint.*

Ex quo consequitur, eos, qui se hodie *Jesuitas*, aut *Societatem Jesu*, aut etiam *Dominos de Societate Jesu*, appellant, blasphemè id nominis contra Dominum Jesum usurpare; quasi qui socii & collegę ab eodem asciti essent: aut certè injurios in alios veros Christianos esse; ac si ipsis solis beatitate in Christo perfruendum esset. Quocirca etiam rectè, in magnâ illâ synodo Gallicanâ, Possiaci anno 1561. habitâ, x v. die Decembris, totius Ecclesiæ Gallicæ authoritate, Jesuitarum, & Societatis Jesu, nomine ipsis est interdictū. Quâ in re tamen ità, ut in omnibus aliis sibi non placitis, obedientes ac morigeros sese præstiterunt.

Jesuitarū, & Societatis Jesu nomen, blasphemū est, & injuriosum.

Quoad Ordinem suum, *Canonici regulares* audiri volunt: quia videlicet in certas vivendi regulas, non quidem Christi; (quippe quibus omnes in universum Christiani tenentur; quæque & bene recteque hîc vivendi, & illîc sempiternæ felicitatis consequendæ, sufficientem normam tradunt) at Ignatii Lojolæ, sunt jurati.

Jesuitæ Canonici regulares haberi volunt.

Monachorum verò nomen horrent Jesuitæ: tametsi huc-usque innumera Monachorum claustra, cum omnibus illorum proventibus ac redditibus, versutè admodùm occupârint; simplicesq; illos socios indè exegerint. Nec immeritò tamen Monachi esse dici ve recusant. Propriè siquidem Monachus significat hominem solitarium; qui solus vivit, & solitariæ vitæ genus elegit. Jesuitæ autem, non in solitudinibus, aut extra hominum consortia vivunt: sed in mediis urbibus, in foro, in vicis, in compitis, in curiis Senatorum, & aulis Regum ac Principum, versantur: in castris quoque, & inter armatorum acies, circumvolitant: denique in ipsa quoque gynæcea, & penetralia mulierum usque, perreptant. In-primis verò diligentes & assidui sunt Jesuitæ, apud divites moribundos: à quibus non, aliorum Monachorum instar, exigui

Nolūt vocari Monachi.

alicujus muneris donatione contenti, discedunt; sed multa Aureorum centena millenaque, totasque adeò hæreditates, exclusis nonnunquam legitimis etiam hæredibus, emendicare, atque expilare solent. Constat præterea, Monachos alios habitu quoque, juxta Regulæ diversitatem, ab invicem discrepare: ut qui, informi plerumque habitu incedentes, tetricum quiddam & inhumanum sapiant: hi nudis pedibus, aut fenestratis calceis; hi turbinato vertice & capucio; hi cucullâ nigrâ, vel albâ, vel cinericiâ, &c. aut contortis funibus horrendi. At Jesuitæ formam vestitûs communem & usitatam tenent: quâ se turbis hominum ultrò citroque miscent; rumusculos impunè captant; suumque speculatorium, seu potiùs proditorium munus, exsequuntur. Indè est, quòd ad extremas etiam oras, nullo penè sumtu, abeunt; & gravissimas nonnunquam, Papæ jussu, legationes obeunt, quæ Cardinalibus tantùm antehac demandari solebant.

Jesuitarũ habitus & vestitus.

Atque ut particularius quiddam, de Jesuitarum habitu & vestitu, constet: ab initio quidem illi, cùm simularent peregrinationem Hierosolymitanam, proficiscebantur baculo innixi, pedites, peregrinorum pauperum more: pendebat è scapulis mantica ex corio, & Rosaria palàm de collo suspensa. Sed mirum, quantum hodierni Ignatiani mutati sint ab illis. Nam, cùm hinc-inde peregrinantur, *galeris* utuntur, seu pileis turritis: *Baretam* autem suam consecratam apud se nihilominùs reservant: &, si Collegium vel Domum Jesuiticam ingrediantur, pileo turrito remoto, Baretas, ut agnoscantur, recipiunt: quâ re nescio quam existimationem sibi creari putant. Hæ Baretæ quadrangulares, & informam crucis, ex pretiosâ materiâ, formatæ sunt. Pro Cucullis, (quod sanctissimum tamen hactenus Monachorum indumentum habitum fuit; adeò ut etiam Imperatores, Reges, & Principes, vitâ hac functi, in talibus sepeliri voluerint) Jesuitę utuntur *palliis philosophicis*, hoc est, oblongis; & quidem nigris. Sub his palliis *tuniculas* habent, (quas *Solannas* dicunt,) ad plantam usque pedis ferè dependentes, quas cannabe holosericâ stringunt. Sub tuniculis *thoraces, caligas*, & *tibialia* gestant, de optimo pannorum genere: quo etiam,, dum seculares erant, utebantur. *Calceos* habent corrigiis constrictos. Regula enim præcipit, *habitum illorum conformem esse debere vestimentis, quibus Clerici & Sacerdotes utuntur: ne novo & peregrino habitu, hominibus, quibus-cum versantur & agunt, molestiam vel aversionem creent.*

Jesuitę vestibus suis spiritualẽ interpretationem affingunt.

His suis vestimentis autem spiritualem quoque interpretationem affingũt. *Pilei* enim quadrati mysterium, est signum crucis. significat etiam Trinitatis unitatem, & cum eâdem beatæ Virginis Mariæ conjunctionem. Præterea hoc volunt mysterium esse: ut quatuor cornua, vel anguli, quatuor Mundi plagas designent; ad quas, vel à Pontifice ipso, vel à suo Generali, etiam non accepto viatico, ablegantur. *Tunicula* interior, Albam, quâ Jesum Herodes derisit, designat. *Thoracem, caligas, calceos, cingulum vel zonam, fascias crurales*, ex epistolâ ad Ephesios cap. 6. interpretantur. *Indusium* volunt esse perpetuæ castitatis devotæ memoriam. Quando etiam se induunt, vel vestibus exsuunt; certas

pre-

preculas recitant. Exempli gratiâ, quum calceos claudunt, dicunt: *Domine, non ſum dignus, qui ſolvam corrigiam calceamenti tui.* Dum ſe conſtringunt: *Cinge, Domine, femora mea caſtitatis cingulo, &c.*

Hunc verò habitum, cùm peregrinantur, interdum deponunt; & alium induunt, putà Nobilium, Mercatorum, Opificum, Militum, ac ſimilium: quò ſic tutiùs inter Euangelicos latêre, & omnia faciliùs expiſcari & explorare poſsint.

Quòd-ſi, ab hoc illorum externo habitu, oculos ad mores illorum & geſtus externos avertas: ità ſunt ad ſpeciem humanitatis, pietatis, omniumque virtutum, compoſiti; ut opinari poſsit aliquis, Johannem Baptiſtam, in ſevero ſuo cultu, non fuiſſe ſanctiorem. Videte enim ex Jeſuitarum grege aliquem: hominem oculis videbitis humaniſsimum, ſi vultui; pientiſsimum & humilimum, ſi geſtui creditis. Caput eleganter comtum, & in unam partem habet inclinatum: ut videatur ejus ſimilis, qui noſtri causâ in cruce pependit. Cruces etiam pictas, vel ſculptas, ſemper in manibus habet. &c. Enimverò geſtuũ hic apparatus nihil aliud eſt; niſi pellis ovina, & larva virtutum, ad decipiendos & fallendos homines comparata. Nec mentiar, ſi dicam, ſub iſto veſtitu, geſtu, & habitu, latêre lupinum animum; imò antiquum Serpentem, authorem diſsidiorum, turbarum, bellorum, cædium, atque adeò omnium malorum, à quibus unquam & uſquam Eccleſiæ & Reipubl. periculum eſſe poteſt; ubi & quando Jeſuitarum dictamini contradicitur, aut reſiſtitur: uti eventa & exempla notoria paſsim hoc oſtendunt. Jeſuitarũ hypocriſis.

DE REGULIS ET CONSTITUTIONIBUS Jeſuitarum.

CAPUT III.

IESUITÆ in ſuis Regulis mandant, ac ſeverè præcipiunt; ne quis eas cuiquam extraneorum concedat, vel communicet; vel quicquam de illis, ſcripto vel dicto, aliis referat. Papa quoque Paulus III. in Bullâ anno 1549. Jeſuitis datâ, conceſsit Generali Ordinis illorum: *ut eas Regulas evulgantes, ſeu in apertum producentes, vel illorum vota revelantes, in quocunq; habitu contigerit inveniri, poſsit ac debeat excommunicare, capere, incarcerare; &, ſi opus ſit, brachii ſecularis auxilio invocato, liberè & licitè invadere, captivos ducere, & pro arbitrio tractare.* Voluit etiam, *ut nulli Prælatorum liceat, Regulas & Conſtitutiones Jeſuitarum, excepto Papâ, ſub cenſuram ſumere.* Quia enim illæ nihil aliud ſunt, quàm cento, ex omnibus reliquorum Monachorum Regulis conſutus; ac ferè nihil aliud docent ac præcipiunt, quàm traditiones humanas, ſuperſtitiones, hypocriſes, idololatrias, & propriæ ἐθελοθρησκείας opera: mirum certè non eſt, ſi ipſosmet pudeat, hæc aliaque, in ſuis Regulis contenta, divulgari. Jeſuitæ Regulas ſuas clàm haberi volunt:

Quanquam autem Regulæ Jeſuitarum, longo tempore, ſic clàm ab ipſis habitæ fuerint; ut ab Orthodoxis comparari ac legi non potuerint: tandem tamen ipſimet, anno 1607. ſuperiorũ ſuorum permiſſu, Lugduni in Galliâ, typis & tamen ipſimet eas typis excudi curant.

Jacobi Roussin, (quámvis & hoc clanculùm; aliquibus eorum semper in typographiâ præsentibus, qui excusa exempla ad se receptarent) illas ediderũt: quarum exemplum unum, singulari Dei providentiâ, in Galliis comparatum, ac viro postmodum principi Euangelico, in Germaniâ, dono oblatum fuit; cujus jussu Regulæ illæ denuò typis mandatæ sunt; atque ità etiam Euangelicis, quanquàm doctis duntaxat viris, qui Latinè callent, innotuerunt. Rectè igitur nos, cum Augustino, pronuntiare possumus: *Nihil apud nos in tenebris, vel occultè, geritur. Omne enim, quod honestum scitur, publicari non timetur. Illud autem, quod turpe est & inhonestum, prohibente pudore, non potest publicari. Quamobrem Pagani* (Jesuitæ) *mysteria sua in tenebris celebrant; vel in eo prudentes. Erubescunt enim palàm illudi: piacula enim, quæ illic vice legis aguntur, nolunt manifestare.* Eas igitur Jesuitarum Regulas & Constitutiones verbotim huc apponere, & paucis tantùm locis, ubi mysteria iniquitatis ipsorum delitescant, candido Lectori indigitare, placet. Ità verò illæ habent.

SUMMARIUM EARUM CONSTITUTIONUM, QUÆ AD SPIRITUALEM NOSTRORUM INSTITUTIONEM PERTINENT, ET AB omnibus observandæ sunt.

1. Quámvis summa sapientia, & bonitas Dei Creatoris nostri ac Domini sit, quæ conservatura est, gubernatura, atque promotura, in suo sancto servitio, hanc minimam Societatem Jesu; ut eam dignata est inchoare: ex parte verò nostrâ, interna charitatis & amoris illius lex, quam Sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet, potiùs, quàm ulla externæ Constitutiones, ad id adjutura sit: Quia tamen suavis dispositio divinæ providentiæ, suarum creaturarum cooperationem exigit; & quia Christi, Domini nostri, Vicarius ità statuit; & Sanctorum exempla, & ratio ipsa nos ità docet in Domino: necessarium esse arbitramur, Constitutiones conscribi; quæ juvent ad meliùs in viâ inceptâ divini obsequii procedendum, juxta instituti nostri rationem.

2. Finis hujus Societatis est, non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum, cum divinâ gratiâ, vacare; sed cum eâdem impensè in salutem, & perfectionem Proximorum, incumbere.

3. Nostræ vocationis est, diversa loca peragrare, & vitam agere in quâvis Mundi plagâ; ubi majus Dei obsequium, & animarum auxilium, speratur.

Jesuitæ toti Mundo prædominari satagunt.

[N B. Sub isto falso prætextu, potentissimos terrarum Monarchas, Imperatores, Reges, Principes, ac Dominos, potestati ac libidini suæ jam subjectos habent Jesuitæ: quandoquidem, ubicunque tandem locorum ipsi degant, superiorem, præter suum Generalem, alium nullũ recognoscunt; quippe quem illi pro Christi Vicario, adeóque pro cœli terræque domino, habent ac venerantur. Atque ità sonus eorum Româ exivit, in universum Mundum; ipsiq; per totam Italiam, Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, Africam, Indiam orientalem & occidentalem, Brasiliam, Mexicanam, Galliam, Belgium, Germaniam superiorem & inferiorem, Austriam, Poloniam, Hungariam, Bohemiam, Mora-

raviam, aliasque quasvis regiones, citra ullum territoriorum aut jurisdictionum respectum, prædominantur. id vel Collegiis ac Domibus ipsorum contestantibus; quæ verę Regiæ sunt, & palatia ipsa Imperatorum ac Principum superant: in quibus nihil omninò deficit; sed ad necessitatem voluptatemq; abundè sufficiunt omnia.]

4. Ratio vivendi in exterioribus, justas ob causas, majus Dei obsequium semper intuendo, communis est: nec ullas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones, ex obligatione subeundas, habet; sed illas assumere quivis poterit, quæ sibi videbuntur, cum approbatione Superioris, ad majorem sui spiritûs profectum convenire; & quas, propter eundem finem, Superiores eis poterunt imponere.

5. Ipso initio sui in Societatem ingressûs, debet quisque generalem totius vitæ confessionem, apud aliquem Sacerdotem, à Superiore assignatum, facere; & post eam, sacratissimum Christi Domini nostri corpus sumere: & sic sexto quôque mense, eodem modo generaliter, ab ultimâ inchoando, confitebitur. Et omnes, tam Professi, quàm formati Coadjutores, semel singulis annis, parati esse debebunt, ad confessionem generalem, quæ ab ultimâ generali inchoetur, ei, quem Superior sibi substituerit, faciendam.

6. Utantur quotidie omnes, conscientiæ suæ examinatione consuetâ. Si sacerdotes non fuerint; confiteantur oportet, & sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ sumant, octavo quôque die: & unus omnium sit Confessarius, à Superiore constitutus. Quod si fieri non poterit: quisque certè suum stabilem habeat Confessarium, cui ipsius conscientia prorsus aperta sit.

7. Qui autem alii, quàm suo Confessario designato, confiteretur; debet postmodum (quantum recordari poterit) eidem suo Confessario, totam suam conscientiam aperire: ut, nihil ignorando, quod ad eam pertineat, meliùs in Domino possit eundem juvare.

8. Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo, Qui dimiserit patrem, &c: *existimet, sibi patrem, matrem, fratres, & sorores, & quicquid in Mundo habebat, relinquendum: imò sibi dictum existimet verbum illud;* Qui non odit patrem, & matrem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Et ità curandum ei est, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exsuat, ac illum in spiritualem convertat; eosq; diligat eo solùm amore, quem ordinata charitas exigit: ut qui Mundo, ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit; eumq; loco parentum, fratrum, & rerum omnium, habet.*

[N.B. Sub isto falso prætextu, tot plagia committunt Jesuitæ; quibus filios à naturali suo erga Parentes obsequio abstrahunt: quò sic ipsi postmodum etiam bona illorum, adeoque integras hæreditates, ad se transferre ac rapere possint.

Exemplum Constitutionis seu Regulæ hujus recenset Elias Hasenmüllerus. *Erat Landsperga,* inquit, *Novitius, nomine Johannes; artificio sartor. Hic cum reliquis Novitiis animi gratiâ in campum procedit. Obviàm fit illi pater, senio confectus: qui filium, quem annum ferè non viderat, alloqui & salutare cupit. Filius autem faciem avertit, tanquam ad horrendi monstri occursum: &, ne patrem audire, & cum ipso loqui cogatur, aufugit. Pater senex filium inclamat: Hoccine est mihi nutricationis gratiam*

referre? At ille surdus & mutus pergit. Pater, faxit Deus, inquit, ità fugias; ut nunquam redeas! &, reliquis Jesuitis silentibus, Hac, ait, est pietas, quam Jesuita suos docet? Abeat igitur in malam crucem degener iste filius; qui non se gerit, ut Christianum decet. Ubi domum deventum est; Rector, re auditâ, factum Johannis maximè probans: Macte virtute fili mi, inquit, qui patrem tibi elegisti Patres Societatis nostræ; quos te magis, quàm patrem tuum, amare oportet: eò quòd hic secularis sit; illi spirituales. Factum hoc insuper dicto Hieronymi (Per calcatum patrem perge ad Christum) *confirmare conatus est, & cujusdam Parisiensis Novitii exemplo; qui ne quidem matris lacrymis permoveri potuerit, ut ex cœnobio pedem moveret. Addebat deniq;: Parentibus, si eos à Societate Jesuitarum abstrahere conarentur, dicendum & scribendum esse;* Vade post me, Satana: *quòd non parentibus naturalibus; sed Societatis Patribus, obedientiã absolutam voverint.*

Jacobus Crusius Jesuita, Novitium quendam, de Jesuitismo deserendo, & ad suos redire cogitantem, hujusmodi verbis compellavit: *Quid tibi curæ sunt parentes? Audi Christum, & Ignatium. Hic monet, ut naturalem seu carnalem amorem in spiritualem convertamus: hoc est, omnem στοργὴν & dilectionem in Patres Societatis transfundamus. Ille verò dicit, Qui non odit patrem & matrem suam, non me est dignus: hoc est; Si vis in Societate vivere, necesse est, ut parentes tuos, te ad seculum retrahere conantes, tanquam capitales hostes, oderis & fugias, & Societatis amorem parentum dilectioni longè præferas. Hoc est enim, naturalem erga parentes affectum in spiritualem convertere; ut sanctus Pater noster Ignatius docuit. Quid tibi cum patre tuo? En, pro patre seculari, recepisti aliquot mille spirituales Patres. Quid tibi cum matre tuâ? En, mater tibi est Ecclesia Romana, & B. Maria. Quid tibi cum fratribus? En, pro uno atque altero fratre carnali, tot habes fratres spirituales, quot sunt Jesuitæ. Quid cum sororibus? Tot sunt tibi sorores, quot in Romanâ Ecclesiâ virgines. Quid cum tuis opibus & domibus? En, pro unâ domo, tot pulcra Collegia, tot amplas Domos, atque tot redditus. Quid cum amicis? Jam tibi sunt amici, Papa Dei Vicarius, Cardinales, Episcopi, Imperator, multi Reges & Principes, & omnes Catholici. Noli ergo Satanam audire, dicentem; Redi ad tuos, contrahe matrimonium, &c.*

Quod autem ad malè-detortum Christi dictum attinet: Is nihil tale his verbis, quod Jesuitæ putant, docere voluit; nimirum, deserere, vel etiam odio habere Parentes, ac Jesuiticam agere vitam, esse, Christum plùs quàm patrem vel matrem amare: sed hoc potiùs; ut ipsum omnibus, etiam qui nobis conjunctissimi sunt, quique naturæ legibus nobis commendantur, præferamus, imò tantùm non odio habeamus; si quando res eò deveniat, ut aut ipsum abnegare, aut ab ipsis divelli oporteat. Per comparationem igitur dicuntur ista: ut neminem nobis tam charum aut amicum habeamus, in cujus gratiam à Christo deficere velimus. Deinde hoc quoque vult: ut eos affectus, qui per se etiam laude digni sunt, in officio contineamus, ne nos à fide & pietate, quam ipsi debemus, transversum abripiant. Unde dicit se-ipsum interpretans Christus, Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem & matrem,* SUPRA ME, aut PLÙS QUÀM ME, *non est me dignus.* Damnantur etiam tales Parentum desertores, Gangrensis Synodi Canone 16. qui sic habet: *Quicunque filii à parentibus, prætextu divi-*

divini cultûs, abscedunt, nec debitam reverentiam & honorem illis dependunt; anathema sint.]

9. *Ad majorem in spiritu profectum, & præcipuè ad majorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisq; debet; ut omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcunq; quæ notatæ in eo & observatæ fuerint, Superioribus, per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.*

10. *Boni etiam omnes consulant, ab aliis corrigi: & ad aliorum correctionem, juvare, ac manifestare se-se invicem sint parati, debito cum amore, & charitate, ad majorem spiritûs profectum: præsertim ubi à Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ità præscriptum, aut interrogatum, ad majorem Dei gloriam.*

11. *Diligenter animadvertant oportet, (magnifaciendo, summiq; momenti id esse ducendo, in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantoperè juvet, ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omninò, & non ex parte, abhorrere ab omnibus, quæ Mundus amat, & amplectitur; & admittere, & concupiscere totis viribus, quicquid Christus Dominus noster amavit, & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ Mundi sunt, sequuntur, diligunt, & quærunt magnâ cum diligentiâ; honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terrâ, sicut Mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ iis omninò contraria sunt; indui nimirum eâdem veste, ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reverentiâ: adeò ut, si sinè offensione ullâ divinæ majestatis, & absq; Proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & injurias pati, ac stulti haberi & existimari; (nullâ tamen ad id per eos datâ occasione) eò quòd exoptant aßimilari, ac imitari aliquo modo creatorem, ac dominum nostrum Jesum Christum, ejusq; vestibus & insignibus indui. Quandoquidem illa ipse, propter majorem profectum nostrum spiritualem, induit; nobisq; exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, divinâ gratiâ adspirante, eum imitari & sequi (cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitã) velimus.*

12. *Ut meliùs ad hunc perfectionis gradum, in spirituali vitâ tam pretiosum, perveniatur: majus ac impensius studium cujusq; sit, quærere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.*

13. *In exercendis officiis abjectis, & humilibus, promtiùs ea suscipi convenit, à quibus sensus magis abhorrebit: siquidem injunctum fuerit, ut in eis se exerceat.*

14. *Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis: ut, cùm quis animadvertitur ad superbiam esse propensus; exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futuræ videantur. & sic de aliis pravis animæ propensionibus.*

15. *Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divinâ gratiâ consequi poßimus, in absolutâ omnium Constitutionum observatione, nostriq; instituti peculiari ratione adimplendâ, prætermittamus.*

16. *Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium rerum, studium incumbant: ac in hujusmodi majus momentũ, quàm in doctrinâ, vel aliis donis naturalibus, & humanis, constitutum esse, ducant. Illa enim interiora sunt; ex quibus efficaciam ad exteriora permanare, ad finem nobis propositum, oportet.*

17. Omnes rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum; verùm etiam circa res omnes particulares: id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant divinæ bonitati, propter se-ipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus prævenit nos; potiùs, quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum: (quámvis hinc etiam juvari debeant) & in omnibus quærant Deum, exsuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum: ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta sanctißimam ac divinam ipsius voluntatem.

18. In concionibus domesticis, de iis crebrò tractent, quæ ad sui abnegationem, & in virtutibus profectum, & omnimodam perfectionem, attinent: ad ea se invicem exhortando; & præcipuè ad unionem & charitatem fraternam.

19. Magnoperè conferet, devotè, quoad fieri poterit, ea munera obire; in quibus magis exercetur humilitas & charitas. Et in universum loquendo, quantò aliquis se arctiùs Deo adstrinxerit, & liberaliorem erga summam majestatem se præstiterit: tantò eum in se liberaliorem etiam experietur; & ipse in-dies magis idoneus erit, ad gratias, & dona spiritualia uberiora recipienda.

20. Postquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit, in aliquo gradu: ad alium progredi curare non debet; sed in suo perfici, & obsequio Dei, & gloriæ, se-se impendere.

21. Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant; & devotioni quærendæ, pro mensurâ gratiæ Dei ipsis communicatæ, insistant.

22. Ab illusionibus Dæmonis, in suis spiritualibus exercitationibus, caveant, & se contra omnes tentationes tueantur: simul rationes sciant, quæ adhiberi poßint, ut eas superent; & ad veras solidasq; virtutes consequendas insistant: sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores: curent verò semper, in viâ divini servitii progressum facere.

23. Paupertas, ut murus religionis firmus, diligenda, & in suâ puritate conservanda est; quantum, divinâ gratiâ adspirante, fieri poterit.

24. Diligant omnes paupertatem, ut matrem; & juxta mensuram sanctæ discretionis, suis temporibus, ejus effectus aliquos experiantur: nullâq; re tanquam propriâ utantur: paratiq; sint ad mendicandum ostiatim; quando vel obedientia, vel neceßitas id exiget.

25. Victus, vestitus, & lecti ratio, erit ut pauperibus accommodata: & unusquisq; sibi persuadeat, quòd, quæ vilißima erunt ex iis, quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius majorem abnegationem, & spiritualem profectum.

26. Intelligant omnes, quòd mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de iis, quæ domi sunt, minimè possunt; nisi Superior conscius consensum præstiterit.

27. Omnes, qui sub obedientiâ sunt Societatis, meminerint, se gratìs dare debere, quæ gratìs acceperunt: nec postulando, nec admittendo stipendium, vel eleemosynas ullas; quibus Missæ, vel Confeßiones, vel Prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas, juxta nostrum institutum, exercere potest, compensari videatur: ut sic majori cum libertate poßint, & proximorum ædificatione, in divino servitio procedere.

28. Quæ ad votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigent: cùm constet, quàm sit perfectè observanda: nempe enitendo angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditiâ.

29. Omnes diligentissimè curent, portas sensuum suorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione custodire; ac se in pace, & verâ humilitate internâ, conservare; & eam in silentio, cùm id observandum est: cùm autem loquendum, in circumspectione, & ædificatione verborum, & modestiâ vultûs, ac maturitate incessûs, motuumq; omnium, sinè ullo impatientiæ, aut superbiæ signo, exhibere: in omnibus procurando, atque optando potiores partes aliis deferre; omnes in animo suo, tanquam sibi superiores, ducendo; & exteriùs honorem, ac reverentiam, quam exigit cujusq; status, cum simplicitate & moderatione religiosâ, exhibendo: atque ità fiat, ut se mutuò considerantes in devotione crescant, Deumq; Dominum nostrum laudent; quem quisq; in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat.

30. In refectione corporis curandum est, ut temperantia, modestia, & decentia, interiùs & exteriùs, in omnibus observetur. Præmittatur benedictio; & sequatur actio gratiarum: quas omnes agere debent, cum eâ, quâ par est, devotione & reverentiâ. Et, dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio præbeatur.

31. Expedit in-primis ad profectum, & valdè necessarium est, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant: Superiorem (quicunque ille sit) loco Christi Domini nostri agnoscentes, & internâ reverentiâ & amore eum prosequentes: nec solùm in exsecutione externâ eorum, quæ injungit, integrè, promtè, fortiter, & cum humilitate debitâ, sinè excusationibus & obmurmurationibus, obediant; licèt difficilia, & secundùm sensualitatem repugnantia jubeat: verùm etiam conentur interiùs resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis & judicii, habere; voluntatem ac judicium suum cum eo, quod Superior vult & sentit, in omnibus rebus, (ubi peccatum non cerneretur) omninò conformantes; propositâ sibi voluntate ac judicio Superioris, pro regulâ suæ voluntatis & judicii: quò exactiùs conformentur primæ ac summæ regulæ, omnis bonæ voluntatis & judicii; quæ est æterna bonitas, & sapientia.

32. Liberam sui-ipsorum, rerumq; suarum, dispositionem omnes, cum verâ obedientiâ, Superiori relinquant; nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam, tenendo: non repugnando, non contradicendo, nec ullâ ratione judicium proprium ipsius judicio contrarium demonstrando: ut, per unionem ejusdem sententiæ & voluntatis, atq; per debitam submissionem, meliùs in divino obsequio conserventur, & progrediantur.

33. Omnes obedientiam plurimùm observare, & in eâ excellere studeant: nec solùm in rebus obligatoriis; sed etiam in aliis: licèt nihil aliud, quàm signum voluntatis Superioris, sinè ullo expresso præcepto, videretur. Versari autem debet ob oculos Deus, creator ac dominus noster; propter quem homini obedientia præstatur: & ut in spiritu amoris, & non cum perturbatione timoris, procedatur, curandum est.

34. Ad Superioris vocem perinde, ac si à Christo Domino egrederetur, quàm-promtissimi simus; re quâvis, atq; adeò literâ à nobis inchoatâ, nec-dum perfectâ, relictâ.

35. Ad eum scopum vires omnes, ac intentionem, in Domino convertamus; ut sancta obedientia, tum in exsecutione, tum in intellectu, sit in nobis semper omni ex parte perfecta: cum magnâ celeritate, spirituali gaudio, & perseverantiâ, quicquid nobis injunctum fuerit, obeundo; omnia justa esse nobis persuadendo; omnem sententiam, ac judicium nostrum contrarium, cæcâ quâdam obedientiâ, abnegando.

36. Quisq; sibi persuadeat, quòd, qui sub obedientiâ vivunt, se ferri, ac regi à divinâ providentiâ, per Superiores suos, sinere debent perinde, ac si cadaver essent; quod quòquò versùs ferri, & quacunq; ratione tractari se sinit: vel similiter, atq; senis baculus, qui ubicunq;, & quacunq; in re, velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit.

[NB. In istis sex Constitutionibus, de cæcâ obedientiâ, & abnegatione, non solùm voluntatis, sed etiam intellectûs ac judicii proprii, fundatur & latet barathrum omnis nequitiæ Jesuiticæ. Ubi animadvertendum: etiamsi in 31. juxta literam, ab obedientiâ istâ cæcâ id, quod absque peccato fieri non posit, aliquatenus excipi videatur; in cæteris tamen, in mandata Superiorum inquirendi, eaque scrutandi, potestatem Jesuitis omnem penitùs ademtam esse; sicque teneri eos, pro justis ac legitimis agnoscere omnia sibi injuncta: Omnia videlicet justa esse sibi persuadendo, non secùs, ac si Christus ipse præcepisset. A' quibus etiam tractari se permittere debeant, ac si cadaver aliquod, aut Senis baculus essent: ità ut nulla, vel temporis, vel rationis, vel sensûs etiam communis aut externi, ratio habeatur: nimirum, ut obedientia sit, in cæcitate suâ, omnimodè perfecta. Atque hanc Ignatii mentem sententiamque fuisse, Maffejus in ejus Vitâ testatur, inquiens: *Cùm, in Societate nostrâ, virtutem hanc cæteris virtutibus anteferret: tùm nihil huic laudi tàm contrarium dicebat esse; quàm, in Superiorum jussis & consilio examinando, moram, vel potiùs arrogantiam: negabatq;, obedientis nomine dignum haberi oportere, qui legitimo Superiori non, cum voluntate, judicium quoque submitteret.* Et mox: *Ad sapientem hanc sanctamq; stultitiam cæcæ obedientiæ, suos, ut essent ad subita & seria promtiores, interdum etiam fictis in rebus erudiebat.* Hinc ergo fit, ut nihil tam nefarium, seditiosum, inhonestum, & horrendum, inferioribus injungant superiores; quod illi detrectare audeant. Ac propterea, cùm Jesuitæ omnes, magni & parvi, nulli Imperatori, Regi, Principi, ullive alii politico magistratui, obstrictos se esse; ideoque nullum in eum læsę majestatis crimen committere posse, præsumant: licitè tales, & liberè, quando à Papâ illi excommunicati, aut à viris eruditis & gravibus, putà Jesuitis, aut etiam à Populo, pro Hæreticis habiti, omni potestate principali privati, pro Tyrannis immanibus declarati, subditique ipsorum ab omni obedientiâ & subjectione absoluti fuerint, è medio tolli, & occidi posse ac debere; tantumq; abesse, ut ità contra majestatem Principum peccetur; ut contrà æternæ salutis præmium, talibus parricidis, divinitùs sit propositum. Id quod cùm exempla notoria, tum etiam doctrina Jesuitarum propria, suo loco, clarissimè contestabitur.]

37. Adimplere quisq; debet quasvis pœnitentias; quæ propter defectus, & negligentiam suam, vel quidvis aliud, fuerint injunctæ. Pœnitentias verò hujusmodi promtâ voluntate admittere deberet, cum verò emendationis, & spiritualis profectûs, desiderio; etiamsi propter defectum non-culpabilem injungerentur.

38. Cùm aliquis administeria culinæ obeunda ingreditur, vel ad eum juvandum, qui coquus est; eidem obedire cum magnâ humilitate, in rebus ad ipsius officium pertinentibus, debet. Atq; valdè necessarium est, ut omnes, non solùm Superiori Societatis, vel Domûs;

mûs; sed etiam subordinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem accèperunt, obediant: & assuescant, non intueri, quis ille sit, cui obediunt; sed potiùs, quis ille, propter quem & cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.

39. Si aliquis ex iis, qui domi sunt, cuiquam scriberet: non nisi obtentâ facultate, & literis ei ostensis, quem Superior destinaverit, id faciat. Si ad eundem literæ mitterentur; ei primò reddentur, qui a Superiore fuerit constitutus: qui eas lectas reddet, aut non reddet illi, ad quem sunt destinatæ, prout in Domino expedire, ad majus ipsius bonum, & Dei gloriam, existimabit.

40. Quicunque hanc Societatem in Domino sequi volet, & in eâdem ad majorem Dei gloriam manere; sub sigillo confessionis, vel secreti, vel quacunq; ratione ei placuerit, & ad majorem ipsius consolationem fuerit, debet conscientiam suam, magnâ cum humilitate, puritate, & charitate, manifestare; re nullâ, quâ Dominum universorum offenderit, celatâ: & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti, Superiori, qui tùm fuerit Societatis, vel cui ex Præpositis, vel aliis ex inferioribus, ille injungeret, prout magis convenire videretur, reddat: & sexto quòque mense, rationem hanc sui, ab ultimâ, quam reddiderit, incipiendo, quisq; reddet. Sic etiam videtur, quòd Coadjutores formati, & Professi, singulis annis, vel crebriùs, si Superiori videbitur, suæ conscientiæ rationem, dicto modo, ei reddant.

41. Nullam debent celare tentationem, quam Præfecto rerum spiritualium, vel Confessariô, vel Superiori, non aperiant; imò verò, totam animam suam illis integrè manifestam esse, pergratum habeant; nec solùm defectus aperiant; sed etiam pœnitentias, vel mortificationes, & devotiones, ac virtutes omnes, voluntate purâ optantes ab illis dirigi, sicubi à rectitudine deflecterent: nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum judicio illorum, quos Christi Domini nostri loco habent.

42. Idem sapiamus; idem, quoad ejus fieri poßit, dicamus omnes, juxta Apostolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur; nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec scriptis libris: (qui quidem edi non poterunt in lucem, sinè approbatione atq; consensu Præpositi Generalis.) Imò & judiciorum de rebus agendis diversitas, quæ mater esse solet discordiæ, & inimica unionis voluntatum, quantum fieri potest, evitari debet. Unio verò, & conformitas mutua, diligentißimè curanda est; nec, quæ ei adversantur, permittenda: quò juncti invicem fraternæ charitatis vinculo, meliùs & efficaciùs poßint se divino obsequio, & auxilio Proximorum, impendere.

43. In Societate, nec sit, nec sentiatur, animorū propensio ad partem alterutrā factionis, quæ esset fortaßis inter Principes, vel Dominos Christianos: sed sit potiùs quidā universalis amor, qui partes omnes (licèt sibi-invicē contrariæ sint) in Domino nostro amplectatur.

44. Omnes, quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus, vel exterioribus rebus, habeant in quo occupentur: ne otium, malorum omnium origo, quoad ejus fieri poßit, domi nostræ locum habeat.

45. Ut pleniùs poßit Societas rebus spiritualibus, juxta suum institutum, vacare; quoad ejus fieri poterit, à negotiis secularibus abstineat: (qualia sunt, testamentariorum, vel exsecutorum, vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia) nec ea, ullis precibus adducti, obeunda suscipiant; vel in illis se occupari sinant.

46. Ut nimia solicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, reprehensibilis est: ità cura moderata tuendæ, ad divinum obsequium, valetudinis, ac virium corporis, laude digna, & ab omnibus adhibenda est. & eâ de causâ, cùm animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliquid aliud necessarium esse, circa victum, vestitum, habitationem, officium, aut exercitationem, & sic de aliis rebus: admoneant omnes eâ de re Superiorem, vel quem ad id Superior constituerit; duo interim observantes. Primum: ut, antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant; & post orationem, si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant. Alterum: ut, cùm verbo, aut scripto brevi, (ne excidat memoriâ) Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositæ relinquant; &, quicquid ille statuerit, optimum ducant: nec contendere, aut urgere, per se, vel alium, (sive concedatur, quod petitur; sive non) pergant. quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium, ac suum majus bonum; quod Superiori, re intellectâ, in Domino visum fuerit.

47. Ut non expedit, tanto labore corporali quenquam onerari; ut spiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur: ità aliqua corporalis exercitatio, quæ utrumque juvet, omnibus communiter convenit; etiam illis, qui mentalibus exercitiis debent insistere: quæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec sinè mensurâ discretionis assumi.

48. Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta, in vigiliis, & abstinentiis, & aliis pœnitentiis externis, ac laboribus: quæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire solent. Ideò suo Confessario detegi ab unoquoque convenit, quicquid in hac parte faciat.

49. Aegritudinis tempore, non solùm observare unusquisque obedientiam, magnâ cum puritate, debet, erga Superiores spirituales; ut ipsius animam regant: sed cum eâdem humilitate, erga Medicos corporales, & infirmarios; ut corpus ejus regant.

50. Qui ægrotat, humilitatem & patientiam suam præ se ferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, iis, qui ipsum invisent, & cum eo versabuntur & agent, quàm dum valebat corpore, ad majorem Dei gloriam, præstare curet, verbis piis, & ad ædificationem facientibus, utendo: quæ ostendant, ægritudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris, ac Domini nostri: quandoquidem non minus donum est, quàm sanitas.

51. Aliquoties singulis annis omnes, à Superiore sibi pœnitentias injungi, propter defectum observationis Regularum, petant: ut hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali, in viâ Dei, quisque habet.

52. Omnes demum observationi Constitutionum studeant: ad quam, easdem scire, saltèm quæ ad quemlibet pertinent, necesse est. Quare legere, vel audire easdem, singulis mensibus oportebit.

REGULAE COMMUNES.

1. Singuli præfinitum sibi tempus, suæ conscientiæ bis quotidiè examinandæ, orationi, meditationi, lectioniq́ue, impendant, cum omni diligentiâ, in Domino.

2. Omnes quotidie sacro decenter intersint: & concionem, lectionémve sacram, cùm in templo nostro habebitur, audiant.

3. Sin-

3. *Singuli statuto die, & aßignato sibi Confessario, confiteantur; & non alteri, sinè Superioris facultate.*

4. *Omnes (qui Profeßi, aut formati Coadjutores non sunt) bis in anno sua vota renovabunt, præmißâ confeßione generali: quo tempore rationem suæ conscientiæ reddent; & quoties etiam Superiori visum fuerit, juxta morem Societatis.*

5. *In abstinentiâ sextæ feriæ, Societatis consuetudo servetur.*

6. *Nullus mortificationem publicè faciat, nec concionetur; nisi Superiore approbante.*

7. *Nemo pecuniam apud se habeat: apud alium verò, nec pecuniam, nec quicquam aliud.*

8. *Libros nemo habeat, sinè facultate: in iis verò, quibus uti licet, nec scribat quicquam; nec notam ullam imprimat.*

9. *Nemo rem ullam ex domo, vel ex alterius cubiculo, sibi usurpet; aut ab externo, quovis modo, sibi, aut aliis, accipiat, sinè Superioris licentiâ.*

10. *Ad majorem unionem eorum, qui in Societate vivunt, majusq; auxilium eorum, apud quos habitant, singuli addiscant ejus regionis linguam, in quâ resident; nisi fortè ipsorum nativa illic esset utilior: salvâ tamen Latini sermonis lege, in iis, qui literis dant operam.*

11. *Nullus ità cubiculum suum claudat, quin aperiri extrinsecùs poßit: aut arcam, seu quicquam aliud habeat obseratum, absq; Superioris facultate.*

12. *Apertâ fenestrâ nemo noctu dormiat; nec sinè indusio, aut non-coopertus.*

13. *Nemo cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus.*

14. *Nemo eorum, qui ad domestica ministeria admittũtur, aut legere discat, aut scribere; aut si aliquid scit, plus literarum addiscat: nec quisquam eum doceat, sinè Præpositi Generalis facultate: sed satìs ei erit, sanctâ cum simplicitate, & humilitate, Christo Domino nostro servire.*

15. *Signo campanæ constitutis horis audito, omnes statim, vel imperfectâ literâ relictâ, ad id, ad quod vocantur, se conferant.*

16. *Ut consulatur valetudini: nemo extra consueta tempora bibat; nec extra domum cibum sumat, absq; facultate Superioris.*

17. *Qui malè se habere præter solitum senserit; id Infirmario, vel Præfecto sanitatis, aut Superiori, referat. Nemo verò medicinam ullam accipiat, aut Medicum eligat, vel consulat, nisi approbante Superiore.*

18. *Singuli, etiamsi Sacerdotes sint, cùm primùm surgunt, lectum operiant; eumq; & reliqua componant, horâ consuetâ; & scopis cubiculum verrant, tertio saltem quoque die: exceptis iis, qui, ob occupationes majoris momenti, aut valetudinis causâ, judicio Superioris sublevandi sunt.*

19. *Mundities, quæ & ad valetudinem, & ad ædificationem confert, omnibus curæ sit, tam circa se-ipsos, quàm circa alia omnia.*

20. *Qui gravem tentationem alicujus noverit; Superiorem admoneat: ut ei ipse, pro paternâ in suos curâ, ac providentiâ, convenienti remedio poßit occurrere.*

21. *Quæ à Superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab aliis exquirat; aut conjecturam faciendo, de iis sermonem misceat: sed unusquisq; sibi ac muneri*

neri

neri suo attendens, quicquid de se, atque aliis, constituendum erit, tanquam de manu Dei exspectet.

22. Omnes caput aperiant suis Superioribus; & Sacerdotibus ii, qui Sacerdotes non sunt: discipuli etiam suis præceptoribus. Unusquisque autem Superiores alloquatur, magnâ cum reverentiâ: is verò, quem Superior alloquitur, aut reprehendit, humiliter & sinè interpellatione audiat.

23. Si cui à Superiore denegatum aliquid fuerit; alium Superiorem ne adeat super eâ re: quin ei aperiat, quid sibi ab alio fuerit responsum, & quas ob causas negatum.

24. Cui fuerit alicujus rei cura commissa; si impedimentum aliquod intervenerit, maturè admoneat aliquem ex Superioribus, ut provideat.

25. Nemo, cùm ex uno loco in alium proficiscitur, quicquam secum asportet, sinè facultate Superioris.

26. Extra tempora recreationi assignata, hac ratione silentium servandum est: ut nemo loquatur, nisi obiter & perpaucis, aut de rebus necessariis, præsertim in Ecclesiâ, Sacristiâ, & Refectorio. In Missâ verò, concione, mensâ, lectionibus, & disputationibus, si quid privatim dicere necesse erit; brevissimè, & submissâ voce, suggeratur.

27. Nemo, præter eos, qui à Superiore deputati fuerint, loquatur cum iis, qui in primâ probatione versantur. Excipiuntur tamen usitatæ salutationes; quas, cùm alii aliis obvii fiunt, charitas religiosa exigit.

28. Omnes demissâ voce, ut religiosos decet, loquantur; nullusq; cum alio contendat: sed. si quâ in re nobis est diversa sententia, eaq; videtur manifestanda; rationes modestæ, & cum charitate afferantur, eo animo: ut suus veritati sit locus; non ut in eâ re superiores videantur.

29. Qui, facultate acceptâ, ægrotos invisent, non solùm demissâ voce loquantur; sed tantâ etiam moderatione, ut illis molesti non sint: atq; de iis agant, quæ & exhilarare, & consolari ægrotos, circumstantesq; ædificare in Domino, possint.

30. Caveant sibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus sinistrè sentire aut loqui solent: quin potiùs & bene sentiant; & peculiari affectu diversas à suâ nationes prosequantur in Domino: ac proinde nemo bella, contentionésve inter Christianos Principes, in colloquium inducat.

31. Nemo, præter eos, quibus per Superiorem licet, quicquam aliis jubeat; aliósve reprehendat.

32. In alterius officium nemo se ingerat: in locum verò alieno ministerio deputatum, nullus ingrediatur, sinè facultate Superioris, aut Præfecti illius loci, in rebus necessariis.

33. Nemo in alienum cubiculum ingrediatur, sine generali aut speciali Superioris facultate. Quòd si aliquis intus sit, non priùs aperiat ostium, quàm post pulsum audiat, Ingredere: & tamdiu aperta sit janua, quamdiu intus unà fuerint.

34. Ut ea, quæ religiosos decet, gravitas & modestia retineatur: nemo alium etiam joco tangat; præterquàm, in signum charitatis, amplexando, cùm quis aut abit, aut redit peregré.

35. Nemo, dum mensæ accumbit, cuiquam ex nostris, præterquàm ei Superiori, qui præ-

præest toti Domui aut Collegio, caput aperiat. Et cùm aliquid in mensâ cuiquam deest; is, qui illi aſsidet, admoneat eum, qui miniſtrat.

36. Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet, ſinè facultate generali, aut particulari, Superioris.

37. Nemo cujusquam externi ad domeſticum, aut domeſtici ad externum, mandata deferat, aut literas, inſcio Superiore: ſeculares autem rumores, qui foris audiuntur, ne temerè, & ſine fructu, narrentur.

38. Nemo, quæ domi acta, vel agenda ſunt, externis referat; niſi Superiori id probari intelligat. Conſtitutiones verò, aliósve hujusmodi libros, aut ſcripta, quibus Societatis inſtitutum vel privilegia continentur, non niſi ex Superioris expreſſo conſenſu, iis communicet.

39. Nemo ſcriptas dabit, aut mittet, cuiquam externo, vel domeſtico, inſtructiones ſpirituales, aut meditationes: nec exercitia ſpiritualia Societatis alicui communicabit; niſi à Superiore id approbetur.

40. Nemo ab externis conſilium petat, ſinè facultate Superioris.

41. Nemo cujusquam negotii, etiam pii, ſinè facultate Superioris, curam ſuſcipiat; nec ad id operam ſuam promittat, aut ſe propenſum oſtendat: ſecularia verò negotia, ut quæ ſunt à noſtro inſtituto aliena, & vehementer à ſpiritualibus avocant, multò magis averſari convenit.

42. Omnes, pro ratione ſui gradus, datâ commodâ occaſione, enitantur piis colloquiis Proximum ad meliora promovere; & conſilio, ac exhortatione ad bona opera, præſertim ad confeſsionem, excitare.

43. Nullus domo egrediatur; niſi quando, & cum quo Socio, Superiori viſum fuerit.

44. Cùm quis facultatem à Superiore petit, aliquò eundi; ſimul etiam aperiat, quò, & cujus rei causâ, ire velit; præſertim ſi Prælatus, aut alius vir primarius, conveniendus ſit: eâdemq; die referat eidem, quid egerit; ſicuti ipſum velle intelliget, & res poſtulaverit.

45. Ingreſſuri, egreſsurive domo, tintinnabulum nec vehementiùs, nec crebriùs pulſent, quàm par eſt. Nemo autem, niſi conſuetâ domûs januâ, egrediatur, vel ingrediatur.

46. Qui domo egrediuntur, ſignabunt ſua nomina; quæ prope oſtium domûs in tabulâ deſcripta ſunt: & admonebunt janitorem, quò ſint profecturi.

47. Omnes ante noctem, qui foris ſunt, ſe domum recipiant: nec egredientur ante lucem ſinè facultate Præpoſiti, vel Rectoris.

48. Cùm quis iter faciens tranſit per locum, ubi Domus aut Collegium Societatis ſit: ad aliud hoſpitium ne divertat; ejusq; qui illic præeſt, obedientiæ ſubſit in omnibus; ſicut & reliqui, qui in eâdem Domo, vel Collegio, commorantur. Quòd-ſi quis etiam ad negotia tractanda venerit: ea non, niſi ex ejusdem conſilio, ac directione, tractabit.

49. Singuli has regulas, & officiorum ſuorum, habeant atque intelligant, ſibiq; faciant familiares; ac earum memoriam menſibus ſingulis, eis legendis, vel audiendis, renovent. Qui tamen peculiaria miniſteria Coadjutorum obeunt; eas, quæ ad ipſorum officia pertinent, ſingulis hebdomadis repetant.

REGULÆ PROVINCIALIS.

DE IIS, QUÆ AD EJUS PERSONAM, ET COMMUNEM TOTIUS PROVINCIÆ ADMINIstrationem, spectant.

CAP. I.

1. Quæ Præpositis Domorum, & Rectoribus, quod ad eorum personas attinet, in Regulis præscribuntur, eò diligentiùs servare enitatur Provincialis; quò pluribus, pro ratione officii sui, vitæ spiritualis studio, præire debet.

2. Finem officii sui (quem ante oculos habebit) in eo positum esse intelligat; ut Provinciam sibi commissam, in acquirendâ perfectione, juxta proprii instituti rationem, & regulas ipsi datas, promoveat.

3. Imitetur in gubernatione charitatem, mansuetudinem, & benignitatem Christi Domini nostri: ut juxta eam normam, quam tradiderunt Apostoli, non dominans, sed forma factus gregis ex animo, exemplo magìs, quàm verbo, subditos ad perfectionem dirigat.

4. Severitatem, suo tempore, cum benignitate misceat; suamq; auctoritatem per solidas virtutes tueatur: ac dilectionem & curam suorum præ se ferendo, modestè & circumspectè præcipiendo, ità amabilem se reddat; ut omnes fidenter ad illum recurrere possint.

5. Solicitè animum ad gubernationem applicet: neque tamen in eâ ità distrahatur; ut in studio orationis, & sanctis desideriis, quibus totam sustentare debet Provinciam, intepescat. Quámvis autem ordinariè concionari non debet: si quando tamen, per occupationes officii sui, commodè licebit; & hoc, & alia Societatis ministeria, exercere poterit.

6. Nullas regulas, aut ordinationes, aut consuetudines toti Provinciæ communes, abroget; vel novas inducat, inconsulto Generali: sed secundùm eas, quas habet, gubernet Provinciam.

7. Sicut Provincialis, quando necesse est, in regulis, ordinationibus, decretis, & in ipsis etiam Constitutionibus, cum particularibus dispensare potest: sic, cùm dispensaverit, in rebus majoris momenti, quæ videantur urgere, & in quibus sine gravi incommodo Generalis responsum exspectari nequeat; debet eum primo quôque tempore, de hujusmodi dispensatione, & ejus causâ, admonere.

8. Præter facultates, quæ in his Regulis conceduntur, habeat etiam eas omnes, quæ in Compendio facultatum Societatis Provincialibus concessæ sunt: quas ex Compendio ipso intelliget.

9. Omnes facultates eorum Superiorum, qui Provinciali subordinati sunt, ad ipsum quoque pertinent: ab ipsoq; etiam suspendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur.

10. Potest Provincialis, in absentiâ, vel in periculo vitæ constitutus, nominare Viceprovincialem; si Generalis neminem designâsset. Quocunque autem modo constituatur,

easdem

easdem omninò facultates habeat, quas Provincialis; nisi à Generali, vel Provinciali, limitentur: rationem tamen administrationis non immutabit.

DE IIS, QUÆ ILLUM AD BONAM PROVINCIÆ ADMINISTRATIONEM JUVABUNT.

CAP. II.

11. Consultores quatuor habebit, à Generali designatos, in iis locis, ubi frequentiùs residet, quoad fieri poterit; cum quibus res graviores communicabit: quòd-si absentes sint, per transmissas literas: quorum unus, ab eodem Generali constitutus, erit ejus Admonitor, & Socius. In quâvis autem Domo, vel Collegio, operâ Superioris, & ejus Consultorum, quos ad consultationem adhibendos judicaverit, utatur in rebus iis, de quibus ordinariè consultandum erit.

12. Si expediret, præter Consultores, alios etiam nonnunquam ad consultationem vocare poterit; & eos quidem, quos de rebus propositis meliùs judicare posse existimaverit: vel, si absentes sint, jubere, ut de rebus iisdem sententiam suam ad se transmittant.

13. Literas, & scripta, quæ pertinent ad rem, de quâ consultatio habenda est, ostendat Consultoribus: (nisi quid obstet) ut, bene informati, sententiam suam meliùs dicere possint.

14. Cùm ordinationes aliquas communes à Generali acceperit; illas Superioribus suæ Provinciæ, & Consultoribus, manifestari faciat. Et quæ alicujus momenti fuerint, ad gubernationem vel instructionem pertinentes, in libro ad id designato describendas curet.

15. In proponendâ re, de quâ deliberandum est, in neutram partem animi sui propensionem ostendat: ne Consultoribus declinandi in eam partem detur occasio; sed quisq; liberiùs in Domino suam sententiam aperiat.

16. Si quando aliquid occurrerit, de quo non liceat cum Consultoribus agere: poterit juxta primum, & secundum modum, in exercitiis ad electionem faciendam traditum, quid agendum sit, deliberare.

17. Libenter se ab aliis admoneri patiatur de iis, quæ ad officium & personam suam pertinent: & eum præcipuè, qui Admonitoris officio fungitur, benignè audiat.

18. Habeat secum Literas apostolicas authenticas, & Compendium facultatum Societatis; Constitutiones, Decreta, Regulas omnes, & quæ à Generali ordinantur: eaq; bene intelligat, & observari faciat.

19. In loco, in quo diutiùs ei residendum est, habebit Archivum: in quo asservabit instrumenta authentica, libros, & cætera, quæ ad officium Provincialis, & communem usum Provinciæ, pertinent: quæ omnia, ex catalogo à se subscripto, successori tradet.

20. Habeat libellum, in quem referat ea, quæ consultanda, vel providenda, vel ad Generalem scribenda sunt: ne memoriâ excidant.

21. Orationes, & Missas, ad tempus indicere poterit, etiam in totâ Provinciâ, pro causis, quæ videbuntur id exigere: modum tamen in eâ re non excedat.

DE SUPERIORIBUS EI SUBORDINATIS, ET EORUM OFFICIALIBUS.

CAP. III.

22. Etsi Præpositos Domorum, & Rectores Collegiorum, & Domorum Probationis suæ Provinciæ, constituere non potest: si tamen necesse esset, aliquando mutationem facere Superioris alicujus; & periculum esset in mora; vel si is moreretur: poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim constituere; donec Generalis admonitus provideat. Ministros autem, Procuratores, & Præfectos studiorum, ipse designabit; ac etiam Subministros, & Præfectos sanitatis, ubi opus esse judicaverit.

23. Constituat Magistros Novitiorum, in locis probationum non-separatis à Generali tamen confirmandos: & eos quidem, qui in rebus spiritualibus exercitati sint, & in modo procedendi Societatis nostræ benè probati.

24. Designabit Præfectos rerum spiritualium, in omnibus Collegiis, & Domibus professis; quales in primâ regulâ officii illorum præscribuntur: itemq; ordinarios nostrorum Confessarios; ex quibus ferè conveniret Præfectos rerum spiritualium deligere.

25. Deligere poterit Consultores, & Admonitores eorum, qui præsunt in Provinciâ; ità ut statim suo officio fungi possint: scribet tamen de iis ad Generalem; ut ab eo confirmentur.

26. Prædicatores, & Confessarios, ipse constituet: præmisso tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum, juxta formam Concilii Tridentini.

27. Lectores ordinarios in omnibus classibus, & primarios Officiales, præter Rectorem, & Cancellarium in Universitatibus, deligat: novas tamen lectiones non addat; nec scholas usquam ullas, & præsertim eas, in quibus pueri legendo & scribendo instituantur, (quod nec privatim licebit) sinè facultate Generalis, aperiat.

28. Tueatur auctoritatem Superiorum immediatorum in subditos: ità tamen, ut constet, posse omnes ad mediatos recurrere. Ideò, quicquid agendum, vel immutandum erit, quod ad Immediatorum officium pertineat; per eosdem fieri curabit.

29. Si quos ad gubernationem idoneos judicabit; curet de illis paulatim, & negotiis tractandis, & domesticis ministeriis obeundis, experimentum sumere: ut & ipsi talenti accepti specimen dare, & Societatis officia eis tutò committi, possint.

30. Observet, si qui detineantur in ministeriis aliquibus, qui magis idonei essent ad alia: eam tamen habeat cujusq; rationem, ut universale bonum semper præferatur.

31. Neminem ab obedientiâ Superiorum immediatorum, inconsulto Generali, eximat; nisi periculum esset in morâ: & tunc certiorem faciat Generalem, de personâ, & de causis, propter quas eam exemerit.

DE ADMITTENDIS.

CAP. IV.

32. Eos ad probationem, per se, vel per alios, admittere poterit; quos ad institutum nostrum idoneos in Domino judicaverit: cavebit tamen, ne cujusquam admissio, justam aliquam externorum offensionem, aut Societatis nocumentum pariat. Quod cum iis potissimùm observandum erit, qui in Scholis nostris instituuntur.

33. At-

33. Attendat, ne nimii sint nostri, in hominibus ad Societatem alliciendis: sed per virtutes, & bonæ vitæ odorem, omnes ad Christum trahere studiosè curent.

34. Meminerit, quòd inepta turba ad institutum nostrum admitti non debet: & observari faciat in hoc diligenter regulas officii Examinatoris.

35. Quod ad prima quinque impedimenta attinet; etsi Societas in nullo eorum dispensare potest: si tamen in eo, qui admitti petit, dona aliqua Dei illustriora cernerentur; Generalem admoneat. quòd si de ejusmodi impedimentis dubitaret; ad eundem recurrat.

36. In secundariis impedimentis, dispensandi facultatem habebit; præterquàm in deformitate magnâ, aut defectu insigni, (qualem habent Eunuchi) & in ætate infra 15. & ultra 50. expletos annos; & in conjugatis etiam in casu, in quo non est impedimentum essentiale.

37. Poterit in casu aliquo anteponere, & postponere, aliqua ex sex experimentis; eaq; moderari, & alia in alia permutare: dummodò biennio, & bene probentur Novitii. Quod etiam tempus prorogare poterit, si opus esse judicaverit.

38. Poterit etiam cum Novitiis, in secundo anno probationis, circa studia dispensare; habitâ ratione personarum, locorum, & temporum, prout expedire in Domino judicabit. Ii verò, cum quibus dispensaverit, extra domum Probationis, & seorsum à Collegialibus, esse debebunt, sub curâ alicujus Sacerdotis, ab ipso constituti: qui vicem Magistri Novitiorum gerat; ejusq; regulas, & Examinatoris, habeat: ex quibus ea servabuntur, quæ commodè servari possunt. Cujusmodi erit, ut per dimidiam horam vesperi orent: sed iis tantùm diebus, quibus à studiis vacaverint.

39. Coadjutores temporales plures esse non debent; quàm qui necessarii sint, ad sublevandas Domos, vel Collegia, in rebus, quibus occupari Sacerdotes & Scholastici non possunt, sinè detrimento majoris boni.

DE DIMITTENDIS.

CAP. V.

40. Facultatem habet dimittendi eos, qui in primâ & secundâ probatione, ante & post emissa vota, versantur: nisi à Præposito generali in illius Provinciam destinati, vel de Societate ipsi tam benè meriti essent; ut eorum esset particularis ratio habenda. In his enim casibus, inconsulto Generali, dimittere non debet: nisi causæ admodum urgentes & graves essent; ita ut minimè dubitaretur, Generalis mentem hujusmodi futuram esse.

41. Scholasticos verò approbatos, & Coadjutores non-formatos, qui probationem absolverunt, inconsulto Generali, non dimittat: nisi in gravibus & urgentibus casibus, & qui ejusmodi sint; ut, sinè gravi periculo, Generalis responsum exspectari nequeat: quem tamen post dimissionem certiorem faciat, adjunctis causis dimissionis. Et in universum, diligenter Provinciali dispiciendum est; ut, qui minùs idonei ad nostrum institutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipse intra biennium probationis dimittat. Quòd-si, peracto etiam probationis tempore, aliqui hujusmodi deprehendantur, tempestivè Generalis moneatur: ne, cum Societatis jacturâ, diutiùs, quàm par est, retineantur.

42. Provincialis erit, juxta commissam sibi facultatem, auditis suis Consultoribus; vel, si necessitas urgeat, Superiore, & Consultoribus ejus loci, ubi tunc erit, qui ipsi vide-

buntur, adhibitis; judicare de causis sufficientibus ad demißionem: curabit tamen, ne ad hac extrema, nisi quàm-consultißimè, & aliis tentatis remediis, veniatur.

43. Coadjutores formatos, sive spirituales, sive temporales, & Professos, nullo modo dimittet.

44. Circa modum dimittendi, observet ea, quæ in secundâ parte Constitutionum, capite tertio, dicuntur: & intelligat, an is, qui dimittitur, aliquid Societati dederit; & si quid ei reddi oporteat, juxta ejusdem capitis declarationem. Scripta verò an secum asportare debeat, consideret ipse diligenter.

45. Declaretur iis, qui dimittuntur; quòd liberi maneant à votis simplicibus, si ea juxta formulam Societatis consuetam emiserint.

46. Circa dimissos, aut egressos è Societate, & postea reductos, vel spontè redeuntes, observentur ea, quæ in Constitutionibus & Decretis dicuntur: &, si admittantur, denuò examinentur & probentur, prout ipsi videbitur. Si quis autem semel egressus erit; poterit quidem iterum admitti: sed advertatur, hujusmodi homines rarò idoneos, ad instituti nostri disciplinam, inveniri.

DE LITERARUM STUDIIS.

CAP. VI.

47. In Universitatibus, & Collegiis, in quibus nostri literas profitentur, idoneos & eruditos Professores, pro ratione loci & debiti, constituat. Et, si aliquis Lector extraordinarius adjiciendus videretur, Generalem consulat.

48. Peculiari curâ videat, num Lectiones in Scholis nostris, & scholasticæ exercitationes, diligenter, aßiduè, atque ordine habeantur: num Magistri, & Discipuli, suum in Domino officium faciant. &, si quid opus esse judicaverit, provideat, juxta ea, quæ in quartâ parte Constitutionum, & Regulis, habentur.

49. Ipsius prudentiæ relinquitur, quid hi, aut illi, addiscere debeant, juxta ætatem & ingenium uniuscujusq;, ad majorem gloriam Dei: eos autem, quos non esse aptos ad studia inveniet, ab illis removere poterit.

50. In addiscendis disciplinis, ordinem servari faciat: efficiatq;, ut priùs Scholastici in linguâ Latinâ solidum jaciant fundamentum, quàm ad alia majora studia transeant. curabit verò, humaniorum literarum studia magni fieri: & eorum, qui eas profitentur, peculiarem curam haberi: &, ne in his Professores idonei desint; illorum seminaria & instituet, & conservabit.

51. Aliarum linguarum studium valdè commendatum habeat: Hebraicæ verò iis tantùm concedat, qui in Theologiæ facultate mediocriter eruditi jam sint; aut certè tam humiles, ut sperandum meritò sit, hoc studium, sine illorum detrimento, utile valdè futurum.

52. Designet aliquos, qui & probatæ virtutis in-primis sint, & ingenio polleant: ut, absolutis studiis Philosophiæ, & Theologiæ, ad ea repetenda, privatum & quietum studium habeant, & positivæ, ac S. Scripturæ se dedant: quo etiam tempore, in disputationibus publicis, rationem suorum studiorum reddant; ut eas facultates privatim, vel publicè, ad suam, vel aliorum utilitatem, profiteri poßint.

53. Diligenter studeat, ut Præceptores Philosophiæ, cum magno delectu, eos Aristotelis in-

interpretes legant, qui contra Christiana dogmata impiè scripserunt: & ità Philosophiam interpretentur; ut Theologiæ scholasticæ, quam nobis commendant Constitutiones, subservire faciant.

54. Cùm opinionum novitas, vel diversitas, non modò finem ipsum, quem Societas, ad Dei gloriam, propositum habet, impedire poßit; sed etiam ipsum Societatis statum maximè labefactare: necesse est, ingeniorum licentiam, in opinionibus vel introducendis, vel sectandis, omnibus modis, certâ aliquâ lege coërcere. Quare diligentißimè curent Provinciales, juxta mentem Constitutionum, ea exactè ab omnibus nostris, & præcipuè à Professoribus, observari, quæ in ratione Studiorum præcipiuntur.

55. Curet, ut ii, qui propensum animum habent ad aliquam facultatem, in quâ possunt insignes evadere, in eâ diutiùs versentur; habitâ tamen spiritualis profectûs ratione: & de talibus Generalem admoneat.

56. Qui, propter ætatem provectiorem, aut alias causas, in facultatibus Superioribus, & Scholasticis studiis, progressum facere non possunt: curabit, ne in illis tempus insumant; sed casibus conscientiæ discendis dent operam: sintq; semper aliqui ex nostris, qui huic studio diligenter incumbant: ut Societas copiam habere poßit operariorum, qui confeßionibus audiendis sint idonei.

57. In singulis Domibus, & Collegiis, aliquem constituat, qui in casibus conscientiæ benè versatus sit: ut difficultatibus, domi & foris occurrentibus, satisfacere poßit.

58. Comœdias, & Tragœdias, rarißimè agi permittat; & non-nisi Latinas, ac decentes: & priùs aut ipse eas examinet, aut aliis examinandas committat: eas verò, atq; alias id genus actiones, in Ecclesiâ fieri, omninò prohibeat.

59. Sub finem studiorum, Generalem de uniuscujusq; talento admoneat; &, quantum singuli profecerint, ei referat.

60. Curet, ut nullus ex nostris librum aliquem, ex unâ in alteram linguam, transferat, aut imprimat, absque Præpositi generalis facultate.

DE PROMOVENDIS AD ORDINES, ET GRADUS LITERARIOS.

CAP. VII.

61. Potest, per se, vel per alios, præsentare ex nostris eos, quos idoneos, juxta instructionem à Generali traditam, censuerit, ad ordines Ecclesiasticos recipiendos.

62. Quàmvis, in actibus Scholasticorum communibus, exercendi sunt nostri, juxta Constitutiones: nullus tamen ad Philosophiæ, vel Theologiæ, gradus, etiamsi idoneus sit, promoveatur, sinè Præpositi Generalis facultate.

63. Cùm nostri, de Generalis facultate, in Universitatibus Societatis, promovendi sunt ad gradus literarios: si quâ in re necessariâ ad promotionem erit dispensandum, (quod rarißimè faciendum est; ne hujusmodi gradus veniant in contemtum) ubi id fecerit, tam de personâ, quàm causâ dispensandi, admoneat Generalem.

64. Etsi Doctoratus, & Magisterii gradus, juxta Constitutiones, prædicto modo, nostri accipere possunt: nomine tamen Doctoris, vel Magistri, ratione gradûs, inter se non utantur.

DE

DE PROMOVENDIS IN PROFESSOS, ET COADJUTORES FORMATOS, AC SCHOLARES.

CAP. IIX.

65. Poteſt admittere, poſt biennium, ad vota ſimplicia Scholaſticorum approbatorum, & Coadjutorum non-formatorum, quos in Domino idoneos judicaverit, juxta Regulas & Conſtitutiones.

66. Curet autem, ut, quàm-primùm aliquis biennium Novitiatûs expleverit, (niſi juſtâ de causâ differendus videretur) peractis iis, quæ in examine habentur, hæc vota in ſacro, antequàm communicet, emittat, coram aliquibus domeſticis tantùm: non tamen inter eos, qui tunc fortè vota renovarent; etiam-ſi ea priùs ex devotione edidiſſet.

67. Si quos, ut indifferentes, admiſerit: (quod raro fieri debet) poteſt eos applicare ad gradum Coadjutorum, vel Scholaſticorum; ſicut magis in Domino convenire judicabit. In hac verò claſſe indifferentium, ultra tempus biennii probationis, nemo maneat.

68. Scholaſtici, ſimul-atq; Superiorū arbitrio, ſtudia abſolverint, tertium probationis annum, in Domibus Probationum, peragant. quod ſi commodè fieri non poſſit; in Domibus Profeſſorum, vel in Collegiis, probari eos faciat, juxta regulas Novitiatûs.

69. Finitâ viſitatione, conſideret, qui ſint idonei in ſuâ Provinciâ, ut in Coadjutores formatos, ſpirituales, vel temporales, aut in Profeſſos, juxta Conſtitutiones, & inſtructionem à Generali traditam, admitti poſſint: & ſecundùm eandem accuratè Generalem informari curet.

70. Antequàm admittat eos, qui, cum Generalis facultate, profeſſionem, vel vota Coadjutorum formatorum, emiſſuri ſunt; ea ſervare curet, quæ ab ipſis erunt facienda. ejusmodi ſunt, diſpoſitio bonorum temporalium, ſi quæ adhuc habuerint; exercitia ſpiritualia; confeſſio generalis; & alia, quæ in Conſtitutionibus, & Decretis congregationum, dicuntur. In profeſſione etiam, & iis votis emittendis, ſervetur, & ut publicè fiant; & in cæteris omnibus, quæ Conſtitutiones præſcribunt.

71. Qui profeſſionem fecerint, etiam trium votorum, emittant vota illa ſimplicia, quæ poſt profeſſionem emittenda ſunt; idq; juxta formulam primæ congregationis, ut à tertiâ recognita eſt: & doctrinam Chriſtianam, tam ipſi, quàm Coadjutores formati ſpirituales, per quadraginta dies intra annum, doceant.

72. Habeat librum, in quo eorum nomina ſcribantur, qui vota ſolemnia, vel ſimplicia, poſt biennium, in Domibus, vel Collegiis ſuæ Provinciæ, emittunt; juxta ordinem Præpoſitis Domorum, & Rectoribus, traditum.

73. Cùm aliqui profeſſionem, vel vota Coadjutorum formatorum, fecerint: exempla hujusmodi votorum, & aliorum quoque, quæ Profeſſi poſt emiſſam profeſſionem faciunt, nomine ipſorum ſubſcripta, ad Generalem quàm-primùm transmittat.

74. Conſtituat juxta Conſtitutiones, ut Profeſſi, & Coadjutores ſpirituales formati ſuæ Provinciæ, in Domibus profeſſis, quantum fieri poteſt, commorentur.

DE REBUS COLLEGIORUM, ET DOMORUM.

CAP. IX.

75. Aedificia conſervari, & ſi opus erit, inſtaurari, curet. Quòd-ſi quæ ædificanda majoris

joris momenti fuerint; ut esset templum, dormitorium, vel aliquid hujusmodi: nisi approbante Generali, non fiant; ad quem pertinet, formam & modum nostrorum ædificiorum præscribere.

76. Redditus, & reliqua stabilia, conservari curet; &, an crescant, vel minuantur, intelligat. Si quis autem hujusmodi bona augere vellet, vel aliquid donare, poterit id admittere: si tamen conditiones aliquæ exigerentur; non, nisi approbante Generali, ullam admittat, & eodem modo, quæ dantur Domui professæ, accipere; &, si quid stabile donatum fuerit, etiam vendere poterit. Si tamen domui necessarium precium non esset; & trecentorum ducatorum valorem excederet: consulat Generalem; ut de eo, juxta ipsius præscriptum, disponat.

77. Cùm lites, pro rebus præsertim temporalibus, diligenter nostris fugiendæ sint: non intendat quisquam è nostris omninò, litem aliquam, absque consensu Generalis, aut ejus, cui expressè suas vices ad hanc rem ille commiserit; nisi in re adeò necessariâ, ut ejus responsum exspectari nequeat: de quo tamen postea ipsum admoneat. Quocirca nitatur Provincialis, primùm rem compromissione componere. Nostris autem si lis intendatur: curandum etiam diligenter, nisi de jure nostro manifestè constaret, ut aliquâ transactione vel concordiâ res tota componatur. Id si commodè fieri non valeat: poterunt in judicio se defendere, cùm Provincialis potestatem habeat, conservandi & defendendi res Collegiorum, etiam in judicio; cum facultate alios substituendi, si id necessarium vel conveniens aliquando fuerit.

78. Intelligat, an exempla authentica contractuum majoris momenti, præsertim rerum perpetuarum, ad Archivum, quod est in Urbe penes Præpositum Generalem, missa sint: alioqui mittenda curabit.

79. Videat computa, inter Superiorem & Procuratorem transacta; rationemq; exigat accepti & expensi: & resolutionem ultimi sui computi summatim scribi faciat; quam ipse subscribet in libro designato. in hoc autem scripto simul constet, tam de summâ accepti & expensi, ab ultimâ visitatione; quàm de eo, quod residuum fuerit; vel etiam si quid debiti maneat.

80. Visitet bona stabilia extra Domum, quæ sinè magno incommodo visitari possint: ut videat, num quâ instauratione, vel culturâ, egeant; & quid ad eorum conservationem opus sit.

81. Si Domus, vel Collegia, cum commodâ fundatione, offerentur: expendat, quid ad commune bonum ex iis speretur; & an aliquæ conditiones exigantur; & an locus sit salubris: & omnia ad Generalem referat; nihil interim certi promittendo.

82. Magnum æs alienum Collegia, vel Domos, conflare non sinat; si solvendo fore probabiliter non speret, habitâ ratione redditiuum, & eleemosynarum, quæ ordinariè dari solent: nec in iis plures habitare permittat; quàm ali possint.

83. Quando contribuendum erit, ad sumtus communes Provinciæ: statuat ipse, quid cuiq; Collegio, vel Domui, servatâ proportione debitâ, imponi debeat.

84. In vestitus ratione, tria observari faciat. Primum, ut honestus ille sit: Alterum, ut ad usum communem, & approbatum, honestorum Sacerdotum ejus loci, in quo vivitur, accommodatus: Tertium, ut professioni paupertatis non repugnet.

85. Habitationem, officinas, vestes, & reliquam supellectilem, omnia deniq; diligenter inspiciat: nec necessaria deesse, aut superflua expendi, permittat: & rerum mobilium inventarium conferri faciat, cum inventario in præcedenti visitatione, vel Provinciali subscripto. Observet etiam, quæ teneatur œconomiæ ratio.

DE IIS, QUI BONIS SUIS NONDUM SE ABDICARUNT.

CAP. X.

86. Non permittat, nostros abdicare se possessione bonorum suorum; nisi quos constantes & stabiles in suâ vocatione cognoverit: atque in eâ re maturo semper consilio procedat.

87. Non sinat, pactiones inire nostros, cum parentibus suis, & quibuscunq; aliis, de legitimâ parte, & aliis bonis ad se pertinentibus: nisi illi priùs admoneantur, Societatem ipsam ad ea bona nullum jus habere; & Generalis de totâ re priùs informetur.

88. Cùm quis ex nostris est dispositurus de bonis suis, in auxilium Societatis: admoneatur Generalis de eorum valore; & de animo relinquentis; & necessitate etiam Domorum, & Collegiorum Provinciæ, si in eâ hujusmodi bona sint.

89. Si aliqua bona applicabuntur Societati, cum facultate Generalis: magnoperè curet Provincialis, ut cum ædificatione, & charitate, & non cum rigore, exigantur; potiúsq; per Procuratores externos, quàm per nostros. Expediet quoque, ut ex his eleemosynæ aliquæ, in pauperes ejus oppidi, ubi sunt bona, distribuantur: & ratio dati & accepti talium bonorum scripto constet; ut ipse, aut Superior illius Domûs, vel Collegii, cui applicata fuerunt, eam reddere possit ei, qui à Generali fuerit designatus.

90. Non ferat, nostros quicquam petere à parentibus, cognatis, vel amicis; sed omnia eis necessaria à Societate provideantur: intelligatq; etiam, si quibusdam ad tempus proprietas bonorum temporalium permittitur; usum tamen eorum, ad propriam utilitatem, nulli esse concedendum.

DE MODO, QUO CUM GENERALI, ET ALIIS PROVINCIIS, AC EXTERNIS, SE HABERE debeat.

CAP. XI.

91. Obedientem, reverentem, ac fidelem, se Præposito Generali exhibeat; & hac re subditis in-primis exemplum præbeat: idq; potissimùm curet, ut omnes de suis Superioribus benè sentiant, ejusq; peculiari devotione afficiantur.

92. Perspecta Generali esse cupiat omnia, quæ ad suam Provinciam pertinent: eaq; per se, & Superiores Domorum, & Collegiorum, & Consultores suæ Provinciæ, juxta formulam scribendi, manifestari diligenter curet.

93. Cogitet de communi bono Societatis; illudq; juvet: Congregationes Provinciales suo tempore, juxta formulam traditam, cogat. si quid annotaverit circa Decreta & Constitutiones, vel quid aliud, quod Congregationem generalem exposcat; Præposito Generali scribat; vel Procuratori, tertio quôq; anno ad eundem venturo, tradat.

94. Si occasio se obtulerit, juvandi alias Provincias: non desit charitatis officio; & litera-

terarum communicatione, juxta formulam scribendi, mutuam concordiam & charitatem foveat.

95. Benevolos & devotos conservet: curetq́;, ut benefactoribus se gratos nostri exhibeant. si qui autem adversantur Societati; studeat, ut meliùs informati reconcilientur.

96. Quæ eleemosynæ externis pauperibus, sive ordinariæ, sive extraordinariæ, dari debeant; ipse Superioribus præscribet, auditis Consultoribus, pro Collegii vel Domûs facultate. Ubi verò habentur bona Ecclesiastica: eleemosynas aliquas fieri providebit, in locis præcipuè, ubi hujusmodi redditus percipiuntur.

DE COMMUNI RATIONE JUVANDI PROXIMOS.

CAP. XII.

97. Intelligat, præsertim sub finem studiorum, qui ex nostris, & quousque, quibusq́; rationibus, domì & forìs, externis se communicare debeant. quod tamen, nisi probatis & in vocatione stabilibus, discretis, & benè instructis, quiq́; alios ædificare possint, concedendum erit.

98. Consideret, num Missæ celebrentur, & Sacramenta alia ministrentur, juxta usum Romanæ Ecclesiæ: concionandi etiam, & doctrinæ Christianæ docendæ, modum observet: curetq́;, ut in his omnibus nostri uniformes sint; & ut finem, quem Societas intendit, assequantur. Præcipuè verò circa Concionatores invigilet: ut, si quis ex iis ad suas se regulas fortè non accommodaverit, à concionandi munere amoveatur; & in aliis Societatis nostræ ministeriis occupetur.

99. Videat, num in Domibus & Collegiis, Cōcionatores & Confessarii ad sua munera idonei sint: & statuat, pro ratione instituti & loci, quàm frequenter domì, vel forìs, concionandum, vel publicè legendum sit, vel doctrina Christiana tradenda: & tempore pestis aliqui ab eo designentur; qui, separati ab aliis, proximis juvandis vacent.

100. Det operam, ut Confessarii maturioris sint ætatis, quantum fieri potest: præsertim qui ad confessiones mulierum audiendas mittuntur: curetq́;, ut nostri gratìs, & privilegiis Apostolicis prudenter, & moderatè, utantur.

101. In iis locis, in quibus simul Domus Professorum, & Collegium fuerit, Societatis ministeria in domo exercenda curabit: in Collegiis verò ea, quæ ad studia literarum, & auxilium spirituale Scholasticorum pertinent, tractanda sunt.

102. Efficiet, ut in festis, quæ à nostris præcipuè celebrari solent, ornatus nostrarum Ecclesiarum sit moderatus ac religiosus, &, quoad fieri potest, sinè nimiâ distractione nostrorum, & molestiâ externorum.

103. Non permittat, ut cum Congregationibus externorum, quæ Confraternitates dicuntur, nostri misceantur; nec in Domibus, vel Collegiis, ulli earum conventus agantur: nisi qui ad finem earundem Domorum & Collegiorum, in divino obsequio, fient.

104. Si examinandi ministerium, ab Ordinario injunctum, effugere nostri nullâ ratione possint: quámvis de doctrinæ sufficientiâ judicium ferre valeant; illud tamen retineant: ne de admittendis, vel non admittendis, ferant; sed illud omninò Prælatis relinquatur.

DE MISSIONIBUS, ET MUTATIONIBUS NOSTRORUM.

CAP. XIII.

105. Provincialis non abeat à suâ Provinciâ, sine Generalis; nec Præpositus, aut Rector, à suâ Domo, vel Collegio, absque Provincialis facultate; nisi locus esset vicinus; aut, sinè gravi incommodo, Superioris responsum exspectari non posset. Reliquorum verò mutationes intra Provinciam, Provincialis ipse ne faciat, sinè causâ alicujus momenti.

106. In mittendis operariis per Provinciam, extra Domos & Collegia, ut in vineâ Domini laborent; observet, quæ in Constitutionibus, & Regulis missionum, dicuntur: videat tamen, ne Domus & Collegia necessariis ministris destituantur.

107. Quocunque mittat aliquem; eum per se, vel alium, plenè instruat, & ordinariè in scriptis, tam de modo procedendi, quàm de mediis, quibus eum uti velit ad finem, quem in animo habet.

108. Per crebram literarum communicationem juxta formulam scribendi, totius successûs certior factus, ex eo loco, ubi ipse commoratur, consilio & orationibus, & aliis rationibus, eum juvabit; ut persona & negotium postulaverit.

109. Optimi quique, & maturiores ad proximos juvandos, quantum commodè fieri poterit, mittantur: & si ei videbitur expedire, alicui Superiori vicinioris Domûs, vel Collegii, subjiciantur.

110. Cùm mutari aliquem oportebit; animadvertat, ut ad eum revocandum, quoad fieri poterit, iis mediis utatur: ut ii, à quibus evocatur, potiùs benevoli omninò maneant, quàm offensi, vel malè affecti.

111. Si missum à Superiore, vel à summo Pontifice, minùs utiliter occupari videret, Generalem admoneat.

112. Extra Provinciam suam neminem mittat, nec etiam ad laborandum in vineâ Domini; nisi negotii alicujus, aut peregrinationis causâ: aut nisi et constaret de Generalis voluntate; vel conveniret cum Provinciali illius Provinciæ, ad quam mittere aliquem voluerit. Ad Provincias tamen extra Europam, & inter ipsasmet, hæ transmutationes, sinè facultate Generalis, ne fiant.

113. Post cognitam Generalis mortem, Provincialis neminem ex iis, qui jus suffragii habent, ex suâ Provinciâ in aliam mittat, ante congregationem Provincialem: nisi causa sit adeò urgens; ut ipse, & major pars Consultorum ipsius, existimet esse mittendum.

114. Cùm peregrè erit nostris proficiscendum: aliquem, cui maximè confidat, præficiet, cui toto itineris tempore cæteri, tanquam Superiori, in omnibus obediant.

115. Ad retinendam religiosam disciplinam, & paupertatis rationem, det operam: ut nostri in profectionibus, quos ipsorum Superiores id præstare posse judicaverint, in toto, vel in parte, pedestri itinere utantur, & in equitando solius necessitatis, sive personæ, sive negotiorum, ratio habeatur.

116. Expensas itinerum solvere, ejus erit Provinciæ, aut Collegii, aut Domûs; in cujus bonum & utilitatem cedit profectio. Quòd-si in eâ re dubium esset: arbitrio ipsius, auditis Consultoribus, statuendum relinquitur. Si aliquando tamen inter aliquos Provinciales non conveniret: recurrant ad Generalem.

117. Quan-

117. Quando quis ab uno loco ad alium transfertur: Superior, ad quem talis mittitur, informandus est, quantum ad cognoscendum, & juvandum eum, sit satis. Neminem autem ex uno in alium locum ire permittat, sinè literis patentibus.

DE VISITATIONE.

CAP. XIV.

118. Singulis annis, per se-ipsum, singula loca suæ Provinciæ visitet; cùm hoc sit valdè proprium sui officii: & ibi diutiùs immoretur, ubi magis erit opus; præsertim in loco, ad communicationem cum inferioribus, & Generali Præposito, magis commodo.

119. Si quando, ob causas graviores, visitare omnia loca suæ Provinciæ ipse non possit: re cum suis Consultoribus collatâ, ad ea, quæ non potest, sibi alium substituat. Quámvis omninò curandum sit, ut Domos probationis, & Scholasticorum seminaria, peculiari curâ, & per se, visitet.

120. Cùm ad Domum, vel Collegium aliquod pervenerit; Superiorem interroget, num aliquid urgeat, cui statim necessariò sit remedium adhibendum: & Visitationes præteritas petat: deinde omnes simul benignè alloquatur; eosq; ad renovationem in spiritu, & studium perfectionis, hortetur.

121. Incipiat Visitationem à templo: cujus ostio clauso, videat, quomodo custodiatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. mox visitet sacrum Infirmorum oleum, & Sanctorum reliquias, (ex quibus nihil ullâ ratione auferatur,) altaria, sedesq; Confessariorum, atque alia, quæ tam in templo, quàm in Sacristiâ, ad divinum cultum pertinent.

122. Postea ad visitationem personarum accedat; & curet, ut omnibus benevolum se exhibeat: ne alicujus mentem subeat suspicio; quòd, ob sinistras aliquas informationes, minùs hilarem vultum ipsis ostendat.

123. Petat à Superiore, & consequenter à Consultoribus, & aliquibus Patribus antiquioribus, vel præcipuis Officialibus; ut ea, quæ sciunt alicujus momenti, de statu Collegii, vel Domûs, aut de personis, referant. Quòd-si judicaverit expedire; jubere poterit, ut informationes hujusmodi, vel partem earum, breviter scribant, & sibi tradant: scripta autem, quæ secretum continent, clausa ipse diligentissimè servet; caveatq;, ne minimo quidem indicio eos, qui sibi aliquid referunt, prodat.

124. Hujusmodi informationibus acceptis & consideratis; percurrat, cum Superiore, catalogum personarum Domûs, vel Collegii: brevemq; de singulis ab eo capiat informationem.

125. Deinde vocet sigillatim omnes, eo ordine, qui ei magìs convenire videbitur: & singulos seorsum, juxta instructionem sequenti capite positam, memoriter potiùs, quàm ex scripto, interroget; &, quæ advertenda judicaverit, sibi memoriæ causâ scribat. Quid verò à quôque interrogandum sit, illius prudentiæ relinquitur.

126. Hortetur omnes, ad veritatem sincerè dicendam: ne ipsis imputetur, si morbi, propter eorum silentium incogniti, & latentes, curari non possint. admoneatq;, teneri eos servare sub secreto, quicquid cum eo, quod secretum requirit, transegerint; licèt à quovis alio, qui ipso sit inferior, de eâ re interrogentur.

127. Non facilè credat, si quæ forsan contra alios, præsertim Superiores, dicentur;

sed ea notet, & expendat, ut veritatem assequatur: caveatq́, ne, dum subditos consolari studet, illi debiliores in obedientiâ, & reverentiâ erga suos immediatos Superiores, reddantur.

128. Si quis divisionis, aut dissensionis, eorum qui unà vivunt, inter se, vel cum suo capite, auctor esse inveniretur: diligentissimè ab eâ Congregatione, velut pestis, quæ eam potest inficere, si præsens remedium non adhibeatur, separandus est.

129. Visitatio rerum, aut partium Domûs, juxta ea, quæ in præcedentibus Regulis, præsertim in 9. capite hujus officii, dicta sunt, fieri debet: in quâ simul examinandæ sunt Regulæ Officialium, qui ejusmodi rerum curam habent. Si quid autem non solùm informationem; sed inspectionem requirat: ipse per se, aut socium, id præstabit.

130. Summarium Constitutionum, & Regulas communes, coram Superiore, Consultoribus, & Ministro, examinabit: &, si quas non observari intellexerit; consideratis causis, remedia adhibebit, ut observari possint. Regulas autem Ministri, Consultorum, & Admonitoris, Concionatorum, & Sacerdotum, itemq́, præcipuorum Officialium, ipse per se cum ipsismet examinabit: reliquas verò aliorum Officialium, poterit socio, aut alteri, coram singulis eorum examinandas committere.

131. Provincialis integram rationem totius anteactæ vitæ, juxta Constitutiones, ab aliis exigat, qui Societatem ingrediuntur: & ab eo tempore, quo ad studia missi sunt, ab iis, qui, illis absolutis, ad tertium probationis annum peragendum mittuntur. Quòd-si id aliquando per se præstare non poterit: substituat ad id ordinariè Superiorem Domûs, vel Collegii. Singulis verò annis, in quâcunque Domo, vel Collegio suæ Provinciæ, absolutâ rerum domesticarum visitatione, aut in ipso visitationis decursu, (si id opportunius in aliquibus fore judicaret) rationem conscientiæ ab omnibus accipiat, ab ultimâ, quam reddiderunt, juxta modum inferiùs præscriptum. Quòd-si visitatio circa renovationem votorum inciderit: (quam extra statutum tempus, ratione sui adventûs in Domum aliquam, vel Collegium, præsertim magnum, per unum aut alterum mensem, prætermittere, aut differre poterit) ipse ad excipiendas confessiones generales nostrorum, aliquos Patres probatos, & maturiores, designabit; eosq́, qui sibi confiteri volent, benignè audiet.

132. Postremùm omnium visitet Superiorem Domûs, vel Collegii, circa ea, quæ ad personam & officium ejus attinent, juxta officii ejus regulas, & ea, quæ ex acceptis informationibus collegerit.

133. Visitatione cujusque Domûs, vel Collegii, absolutâ, & rebus omnibus perspectis, ut laboris sui fructum capiat: denuò omnia, quæ accepit in visitatione, consideret; & ea, quæ majoris momenti sunt, diligentiùs expendat: quid item clarum, quidq́, tantùm probabile videatur, & de quibus Generalis consulendus est; & quæ cum solo Superiore Domûs, vel Collegii, quæ etiam cum Consultoribus, & quæ cum aliis particularibus sint transigenda, diligenter discernat.

134. Quæ, ad gubernationem spectantia, ipsi ordinanda videbuntur; hæc vel illa iis etiam expendenda tradat, quos de unâ-quâq́ re meliùs judicare posse confidat. Et antequàm ultimam exsecutionis manum rebus imponat; omnia in orationibus, & Missarum sacrificiis, Deo commendet: ut juxta ipsius divinum beneplacitum dirigantur.

135. Postquam autem apud se omnia cōstituerit, ex præteritæ visitationis memoriali, ubi

ubi rerum, quæ temporaria sunt, ordinationes scribuntur: eas, quæ exsecutioni mandatæ fuerint, expungat. In libro verò, in quo non nisi majoris momenti ordinationes scribendæ erunt, ipse ea tantùm scribet, suâq; manu subscribet; quæ cum Generali communicaverit, & ab ipso fuerint approbata.

INSTRUCTIO DE IIS, QUÆ IN VISITATIONE INTERROGANDA SUNT.

CAP. XV.

QUÆ AD GUBERNATIONEM PERTINENT, A' SUPERIORIBUS, ET CONSULTORIBUS, ET ALIIS, QUIBUS videbitur, petenda.

1. *Interroget, si quid graviùs in eâ Domo, vel Collegio, accidisse, extra confessionem intellexerit; & quod remedium sit adhibitum.*

2. *Quo modo serventur Regulæ, quæ ad Novitios pertinent.*

3. *An aliqui, præsertim pueri, aut mulieres, ad vota emittenda inducantur; vel ad consilia alia observanda indiscretè trahantur.*

4. *An aliquis domi nimis affectus videatur ad consanguineos: vel ad eorum subventionem teneatur.*

5. *De numero, & sufficientiâ Confessariorum; & de frequentiâ, & fructu Confitentium.*

6. *Quo modo literarum studia vigeant; & quàm exactè serventur, quæ de opinionum novitate, & diversitate, statuta sunt. Et an aliqui videantur, finitis jam studiis, educendi è Collegiis.*

7. *An infirmi, hospitalia, carceres, & triremes (ubi essent) visitentur, & adjuventur à nostris.*

8. *Ex quibus operibus piis, juxta nostrum institutum, major fructus percipiatur.*

9. *De curâ in tradendis spiritualibus exercitiis, & quàm exactè illa fiant. Et de vigilantiâ, in puerorum ac rudium in doctrinâ Christianâ institutione.*

10. *De modo conversandi, juxta rationem & finem nostri instituti.*

11. *De missionibus, & earum fructu; & modo procedendi eorum, qui mittuntur.*

12. *An aliqui, prætextu valetudinis juvandæ, à spiritûs perfectione degenerent, & à laboribus nostri instituti abhorreant, atque ad otium adspirent.*

13. *An erga nostros infirmos, & hospites, debita Societatis charitas & cura exerceatur.*

14. *An aliqua ambitionis, & proprietatis indicia, in aliquo appareant.*

15. *Quæ eleemosynæ externis pauperibus dentur.*

QUÆ AB OMNIBUS PETI POSSUNT.

16. *Quo modo valeat corpore, & viribus: & quo modo ei conveniat ratio victûs, vestitûs, cubiculi, & exercitationis corporalis, quâ utitur.*

17. *Si quid dubitationis, aut difficultatis; si quid etiam ad suam consolationem, instructionem, aut profectum, fore putat: confidenter proponat.*

18. *Quod*

18. Quod ad alios attinet, interrogetur; quomodo tractetur à suis Superioribus: & quid sentiat de illis, tam de personis, quàm de officiis eorum.

19. An aliquis Superior impedierit libertatem subditorum, scribendi ad Superiores mediatos; aut quovis modo significaverit, sibi non placere, ut nostri de ipso, aut ejus gubernatione, ad eosdem scribant.

20. An noverit, extra confessionem, aliquid de quâvis personâ, quod non ei probetur: ut de inobedientiâ, murmuratione, conspirationibus, præsertim contra Superiores: &, si quid parùm honestum, & incautum, in familiaritate nimiâ cum aliquâ personâ, accidisset: vel contrà de dissensione.

21. Quomodo serventur domi Constitutiones, Decreta, Regulæ, communis ordo, & ordinationes; quæ à Præposito Generali, & aliis Superioribus, emanant.

22. Quomodo exerceantur ministeria Societatis erga externos, quod ad modum, & fructum attinet.

23. Quis sit profectus nostrorum, in rebus spiritualibus; & quod omnium, in solidis virtutibus acquirendis, studium.

24. Si de iis etiam, quæ pertinent ad alias Domus, & Collegia totius Provinciæ, aliquid habet, quod alicujus momenti videatur, liberè proponat.

PRO SCHOLASTICIS ADDATUR.

25. Quid ingenii, memoriæ, virium, & propensionis ad literas, in se experiatur.

26. An occupatione exteriore, vel studiis, removeatur, vel distrahatur à rebus spiritualibus.

27. An habeat libros necessarios; & an scribat, legat, disputet.

28. De suo profectu in literis quid sentiat.

29. An omnia experimenta Societatis fecerit, & quo fructu.

PRO IIS, QUI IN PROBATIONE VERSANTUR.

30. An firmus sit in proposito vivendi, & moriendi, in Societate.

31. An sit indifferens ad quemlibet gradum, ministeria, & exercitia Societatis; prout obedientia constituerit.

32. An exercitia spiritualia, vel aliqua alia experimenta, fecerit; & in quibus plus profecerit; & alia, si videbitur, ex Examine.

MODUS ACCIPIENDÆ RATIONIS CONSCIENTIÆ.

Quod in Summario Constitutionum præscribitur, de manifestandâ conscientiâ; id magni momenti, ad Dei gloriam, & Societatis nostræ bonum, Pater noster sanctæ memoriæ Ignatius existimavit: quare, ut omni diligentiâ, & animi sinceritate, servetur, Provinciali curandum erit. Et, cùm quisq; dixerit, quæ dicere voluerit, juxta instructionem datam; poterit Provincialis, si quæ existimaverit ampliùs interroganda, id etiam facere: quámvis, quæ hominem pudore multùm afficerent, ea extra confessionem interroganda non essent. Nec à singulis singula petet; sed prudenter & circumspectè, pro ratione perso-

sona-

sonarum. Deniq; eam suavitatem teneat: ut illa omnia, non tanquam judex exigere; sed ut benignus parens, ob subditi consolationem, cognoscere velle videatur.

REGULÆ PRÆPOSITI DOMUS PROFESSÆ.

DE IIS, QUÆ AD EJUS PERSONAM, ET TOTIUS DOMUS ADMINISTRATIONEM, PERTINENT.

CAP. I.

1. Omni studio enitatur, ut talis sit; qualis optatur Rector in nostris Constitutionibus: atque eò magis, quòd illis præsit, quos viros spirituales, & perfectionis studiosos, esse oportet.

2. Primam officii sui curam, in eo positam esse intelligat: ut oratione, & sanctis desideriis, totam Domum, velut humeris suis, sustineat: & quæcumq; in iis, quibus præest, ad ipsorum aliorumq; ædificationem, juxta instituti nostri rationem, optare debet, priùs in se-ipso præstare studeat.

3. Communes regulas ipse servet: & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum usu, quantum fieri potest, vitet: familiaritate, atque indulgentiâ cum quibusdam, alios ne offendat.

4. Intra annum, postquàm officium Præpositi primâ vice inierit, quadraginta diebus Christianam doctrinam, eo modo, quo in secundâ Congregatione de Rectore expositum est, legat, aut doceat: sed ex causâ per alium id munus, cum facultate Provincialis, obire poterit.

5. Consuetudines receptas, & à Generali, vel Provinciali, approbatas servet, ac servari faciat. si tamen aliqua alia, à præcedenti Præposito, inducta fuerit; non mutet, inconsulto Provinciali: ipse verò, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

6. Eos, qui domestica obeunt ministeria, (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter constituat; suas cuiq; regulas tradat: aliquando visitet; &, prout in Domino convenire judicabit, vel in eisdem ministeriis detineat, vel ab eis removeat. Quia verò officia quædam, ut benè fiant, experientiam requirunt: qui ad ea idonei inveniuntur, non facilè mutari debebunt.

7. Ut prospicere Officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore graventur, debebit: ità, cùm tempus vacuum illis fuerit, ut illud utiliter impendant divino servitio, curabit.

8. Etsi potestatem habet, designandi Confessarios suis subditis: ordinarium tamen Confessarium Domûs non constituet, sinè approbatione Provincialis.

9. Quamvis in virtute obedientiæ jubere possit: non nisi rarissimè, & ex gravi ac urgenti causâ, id faciat.

10. Ordinarias tantùm pœnitentias imponat; quales sunt, parva mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensâ, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi usque ad panem & aquam, (si res postulaverit,) disciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia, & domestica.

11. Sicut ad Præpositum pertinet, dispensare in Regulis, & Constitutionibus, & decretis Congregationum generalium, cum particularibus, quando necesse erit: sic &, cùm

F

dispensaverit in rebus majoris momenti, quæ videntur urgere, & in quibus, sinè gravi incommodo, Provincialis responsum exspectari non potest; eum primo quôque tempore, de hujusmodi dispensatione, ac ejus causâ, admonere.

12. Nomina eorum, qui vota solemnia, vel simplicia, emiserunt, in libro ad hoc parato notentur: in Professis quidem, & Coadjutoribus formatis, cum nominibus admittentium; in reliquis verò, post biennium, cum nominibus celebrantium: adnotato loco, & tempore, juxta Constitutiones.

13. Quas habeat facultates, partim ex iis, quæ ipsi in his Regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis, intelligat: ut in iis, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

DE IIS, QUÆ PRÆPOSITUM AD BONAM ADMINISTRATIONEM JUVABUNT.

CAP. II.

14. Sit solicitus, ne Minister, & reliqui Officiales, suo desint officio; omissis aliis, quæ possent impedire.

15. Singulis, vel saltèm alternis hebdomadis, cum suis Consultoribus conveniat; (nisi, pro re natâ, aliquid extraordinariè esset consultandum) deq; rebus majoris momenti, quæ, pro temporum & negotiorum varietate, occurrunt, cum illis agat: quamquàm, iis auditis, penes ipsum erit, de singulis statuendi, facultas.

16. Consultores, aliosq; omnes, cùm ei aliquid proponunt, libenter & benignè excipiat; & præcipuè eum, cui Monitoris officium commissum est: efficiatq;, ut in suâ Domo, quæ in Formulâ scribendi præscripta sunt, serventur.

17. Habeat librum, in quo scribantur visitationes Domûs, à Generali approbatæ: in quo etiam ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur. & quæ perpetuæ fuerint, ab iis, quæ temporariæ sunt, separatim notentur: alia verò, quæ Visitator & Provincialis præscripserint, in alio libro scribantur.

18. Institutum Societatis cognoscat, ex lectione Literarum apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum generalium Congregationum: magìs autem particularia, ex lectione Regularum, tàm communium, quàm officii sui, & aliorum, qui sub ipsius curâ sunt, ac Provincialis, & Compendii facultatum Societatis; atq; ex observatione consuetudinum receptarum; ac demùm ex recursu ad Superiorem, in iis, de quibus dubitabit.

19. Libellum habeat, in quem referat, quæcunq; sibi ad bonum Domûs statum subindè occurrent; ne memoriâ excidant: præcipuè illa, de quibus ad Generalem, vel Provincialem, scribendum putat.

20. Pro occurrentibus necessitatibus, communibus & privatis, Missas, & orationes suorum, (moderatè tamen) juxta consuetudinem Societatis, applicare poterit.

DE CURA NOSTRORUM IN SPIRITU.

CAP. III.

21. Curet, ut unicuiq;, in suo officio, integram obedientiam cæteri præstent; & Officiales Ministro; & sibi etiam omnes: studeatq; eisdem exemplo obedientiæ præire; quam ipse suis Superioribus, quos Christi loco habet, præstare debet.

22. Det

22. Det operam, ut Constitutiones & Regulæ observentur: omnibus domesticis cum omni solicitudine invigilet; eosdemq; ab iis, quæ nocere possint, domi & foris, defendat, cùm præveniendo; tùm etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo.

23. Efficiat, ut sibi, vel aliis ab ipso deputatis, statis temporibus, ratio conscientiæ reddatur, juxta modum, qui in officio Provincialis præscribitur, & instructionem ad reddendam conscientiæ rationem: à Professis quidem, & Coadjutoribus formatis, semel in anno; ab aliis verò bis. & aliquos prætereà maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant; nisi Provincialis tunc adsit.

24. Meminerit, ut Scholastici, si qui erunt, & Coadjutores non-formati, bis singulis annis, circa festa Circumcisionis Domini nostri, & Apostolorum Petri & Pauli, vota sua renovent; præmissis iis, quæ fieri solent.

25. Singulis, vel alternis diebus Veneris, exhortationem nostris, vel ipse faciat; vel aliquis alius, qui rationem nostri instituti benè teneat: in quâ agatur, de observatione Constitutionum & Regularum; de fraternâ charitate, humilitate, patientiâ, mortificatione, & aliis virtutibus; præsertim de obedientia. tametsi, exhortationis loco, spiritualis collatio, eisdem de rebus, aliquando haberi potest.

26. Crebrò, & magnâ charitatis significatione, alloquatur subditos; eorumq; necessitatibus, non corporis tantùm, sed multò etiam magis animæ, paterno affectu prospiciat. Si quem verò intelligat aliquâ tentatione pulsari, præsertim gravi; ejus peculiarem curam & solicitudinem, non solùm per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios, gerat: nec, remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

27. In correctionibus, & pœnitentiis injungendis, rationem habebit dispositionis personarum, & ædificationis universalis & particularis earum, ad gloriam Dei.

28. Nisi prudentia, rebus particularibus adhibita, aliter procedendũ dictaverit; illud in correctionibus observet: ut ii, qui peccant, primò in charitate, & dulcedine, admoneantur: secundò, in charitate quidem; sed eo tamen modo, ut eis confusio & rubor injiciatur: tertiò, amori ea, quæ timorem incutiant, si opus erit, adjiciantur.

29. De publicis defectibus, publica debet esse pœnitentia; iis tantùm, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

30. Poterit mittere interdum aliquem ex suis, ut ostiatim petat eleemosynam; aut ut inserviat hospitali; aut comitetur Emtorem; aut in plateis concionetur, Christianámve doctrinam doceat: prout magìs in Domino expedire videbitur; habitâ ratione ædificationis, & spiritualis utilitatis nostrorum.

31. Delegare poterit Confessario, vel aliis, vices suas: ut eas pœnitentias approbent, vel improbent; quas, ad majorem sui spiritûs profectum, assumere quisq; volet. Et, ut nostris, qui Sacerdotes non sunt, facultatem dare possint, frequentiùs, quam octavo quôque die, communicandi: quos eâ ratione magìs in spiritu juvari, in Domino judicaverint.

32. In dandâ facultate jejunandi, sicut & in aliis pœnitentiis concedendis, videat, ne mensuram rectæ rationis excedat: detq; operam, ut omnes intelligant, ad singularitatem non pertinere, si quis jejunet aliis non-jejunantibus; dummodò ordinaria consuetudo jejunandi, quæ juxta Constitutiones non sit, non introducatur.

33. Unio, & conformitas mutua, diligentissimè curanda est; nec ferenda inter ullos

domesticorum perturbatio, vel ira mutua. si quid autem hujusmodi accideret; curet, ut statim, cum satisfactione debitâ, in gratiam invicem redeant.

34. Tam ipse, quàm omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, juxta Constitutiones, aliquando intra annum, officium vel officia eorum, qui domi inserviunt, ad tempus aliquod obibunt.

35. Videat scripta, & literas omnes, quæ scribuntur ad domesticos, & quas ipsi aliis scribunt: aut aliquem virum fidelem, & qui donum discretionis habeat, domi constituat; qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magìs expedire judicabit: sibiq; referat, si quid invenerit, quod tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quæ aliâ ratione offendere poßint, neminem scribere permittat: nec sigillum quenquam habere sinat, sinè Provincialis facultate.

✱36. Non sint domi arma, nec instrumenta musica; nec libri lascivi, aut vani: nec novæ ullæ recreationes introducantur.

DE AUXILIO ANIMARUM.

CAP. IV.

37. Meminerit, hoc pertinere ad scopum totius Societatis; ut ad animarũ salutem, & perfectionem cum divinâ gratiâ promovendam, incumbat: & nostri instituti puritatem, in Domibus profeßis præcipuè, elucescere debere; quæ non tàm circa media ad hunc finem præparanda, (quemadmodum Collegia) quàm circa finem ipsum, & usum mediorum ad eum conferentium, versantur.

38. Videat, an nostri zelum habeant animarum; & an strenuè ac diligenter earum salutem procurent; ut ii solent, quos sanctus Dei amor impellit: nec solùm immoderatos, pro ratione virium, labores suscipi non sinat; sed multò etiam minùs, in Proximis juvandis, negligentiam toleret.

39. Proponatur populo aßiduè, in Ecclesiâ, Verbum Dei, in prædicationibus, & sacræ Scripturæ, vel doctrinæ Christianæ lectionibus, quod etiam in aliis Ecclesiis, plateis, & locis, præstari potest; quando ad majorem Dei gloriam conferre videbitur. Nominatim verò puerorum, ac rudium personarum, in Christianismo institutionem, tanquam proprium nostræ vocationis ministerium, valdè commendatum habeat: intelligatq;, Christianam doctrinam canendo doceri posse; ubi ad majorem ædificationem id fore observabitur. Modus autem, sive id canendo, sive secùs fiat, pro locorum ratione, ad ædificationem, & majorem utilitatem, exigatur.

40. Procuret diligenter, ne desint designati Confessarii; qui domi, in administratione Sacramentorum confeßionis & communionis, cum fructu exerceantur: quiq; extra Domum, ægrotorum confeßiones audire, morientibus opem ferre, & eos, qui in carceribus & hospitalibus inveniuntur, visitare & consolari poßint, & reliquis pietatis operibus, quæ in literis apostolicis instituti nostri, & Constitutionibus, proponuntur, incumbere. Sed hæc omnia ipse, juxta ordinem à Provinciali præscriptum, exsequatur: qui pro ratione loci, & copiâ nostrorum, metietur, quantum in hujusmodi rebus operæ sit ponendum.

41. Curet, ut nostri, in spiritualibus exercitiis tradendis, accuratè exerceantur; post-

quàm

quàm ea in se fuerint experti. Nullus tamen deberet ea tradere; nisi prudentiâ, ac rerum spiritualium usu, satis probatus esset.

42. Si operariorum copia suppetet: poterit suos mittere ad alia loca vicina, habito consensu Provincialis: ut, similibus operibus charitatis functi, Domum, constituto tempore, redeant.

43. Non permittat eodem tempore omnes Sacerdotes abesse: sed semper domi, aut in Ecclesiâ, aliqui maneant, qui occurrentibus necessitatibus Proximorum satisfacere possint.

44. Cùm quis prædicationi, lectioni sacræ, aut confessionibus audiendis, vacat: provideat, ne studii tempus, aliáve necessaria, illi desint.

45. Si quis ad sacros ordines promovendus, aut in Confessarium, vel Concionatorem, esse eligendus videbitur: Provincialem admoneat.

46. Si quem ex iis, qui in Ecclesiâ nostrâ assiduè ad Sacramenta accedunt, intelligeret vitæ suæ exemplo alios offendere: quantum in ipso est, remedium per Confessarium, vel aliquem alium, convenienti ratione adhibere curet.

47. Non permittat, ut nostri curam mulierum religiosarum, & aliarum quarumcunque, suscipiant; ut ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant. quámvis nihil repugnet, aliquando apud eas concionari; aut semel unius Monasterii confessiones, speciales ob causas, audire: quod tamen non fiet; nisi postulent ii, qui eis præsunt.

48. Etsi proprium Præpositi officium est, Domum sibi commissam diligenter ac fideliter gubernare; neque is, propter aliud quidquam, huic muneri deesse debet: si quando tamen per officii sui occupationes licebit; & concionari, & confessiones audire, & alia Societatis ministeria exercere poterit, ac debebit.

DE ORDINE DOMESTICO.

CAP. V.

49. Quotidie, post orationem matutinam, fiat sacrum: cui intersint omnes, qui Sacerdotes non sunt: nisi aliquibus, propter peculiares causas, aliud tempus, ad sacrum audiendum, concessum sit.

50. Tempore orationi & examini assignato, sit aliquis, qui observet, num omnes iis vacent. Quod & Minister ipse aliquando faciat; & Præpositus huic rei diligenter invigilet.

51. Syndicum domi constituat, ubi Ministri aut Subministri operâ ad id non uteretur: cujus officium erit, observare in omnibus, quod ad honestatem & decentiam externam pertinet, Ecclesiam & Domum, in locis publicis, perlustrando; & si quid, quod non conveniat, annotaverit, Superiori referendo.

52. A' posteriore prandii signo ad cœnam, octo ut minimùm horæ intersint: aliquid verò amplius, usque ad refectiunculam vespertinam, diebus Veneris & jejuniorum, juxta morem regionis: à tempore autem, quo se nostri cubitum receperunt, usque ad signum, quo excitantur, septem.

53. Benedictio, & gratiarum-actio, in Refectorio, juxta usum Breviarii Romani, in primâ mensâ fiant. in secundâ verò, & privatâ, teneri possunt antiqua benedictio & gratiarum-actio: quæ à singulis submissè, & stando, fieri debent.

54. In mensâ, Sacerdotes præcedant alios, ad eum gradum non-promotos: sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, ullus ordo constituatur.

55. Si, aliquâ de causâ, Præpositus primæ mensæ adesse non poterit: curet, ut Minister adsit.

56. À prandio, & à cœnâ, hora una; diebus autem Veneris, post collationem vespertinam, dimidia, recreationi religiosè impendantur: idq; in uno loco si commodè fieri poterit. sed neque extra hujusmodi horas, labores nimiùm continuari, sinè aliquâ convenienti relaxatione, sinat.

57. Conferentiæ casuum conscientiæ, bis singulis hebdomadis habeantur; quibus Sacerdotes omnes, qui commodè poterunt, interesse debent: Præside docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentiùs explicare ac definire possit.

DE IIS, QUÆ PERTINENT AD RES TEMPORALES.

CAP. VI.

58. Magno & constanti animo speret, à divinâ bonitate, suæ Domui subsidia temporalia adjicienda: si & nostri, ad quærendum Dei regnum, sibi & Proximis seriò incumbant; & ipse, ratione indigentiæ, instituti nostri integritatem violari, numquam permittat.

59. Habeat Procuratorem, qui eleemosynas petat: cui alios ad eam rem substituere poterit, si necessarium judicabit; ità tamen, ut quàm paucissimi in mendicando occupentur.

60. Singulis mensibus, à Procuratore rationem accepti, & expensi, præsente Ministro, exigat: ut totius Domûs administrationis ratio ipsi constet; eamq; reddere possit, cui & quando per Superiorem constituetur: caveat autem, ne Domus alieno ære gravetur.

61. In iis, quæ ad rationem victûs, & aliarum rerum vitæ necessariarum, aut convenientium, spectant, quámvis curandum est; ut communis illa sit, & valetudini nostrorum accommodata: habenda tamen semper est ratio humilitatis, paupertatis, ac spiritualis ædificationis in Domino.

62. Ut curare debet, ne ii, qui in vineâ Domini, magno cum Proximorum fructu, se exercent, necessario subsidio privati, majora bona relinquere cogantur; néve morbo, aut ætate debiles, ministerio fraternæ charitatis destituantur: ità iis, qui neutrâ ratione aliorum indigent operâ, adjutores assignare non debet.

63. Aegrotorum verò cura habeatur magna: & observetur diligenter, tàm in victûs ratione, quàm in cæteris, quod Medicus præscripserit.

64. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur; id in communem usum accipiatur, ac dispensetur.

65. Caveat, ne Domus ipsa, àliquísve Professorum, aut Coadjutorum, redditibus Collegiorum, præterquàm in rebus minimis, utatur.

66. Si quid stabile donatum, legatúmve Domui fuerit; Provincialem admoneat: ut quàm-primùm vendatur; & precium in usus necessarios, juxta illius judicium, expendatur: temporis tamen opportunitas, ad vendendum, non est excludenda.

67. Lites forenses fugiat: nec ullam, inconsulto Provinciali, intentet; nec intentæ respondeat, nisi cogatur.

68. Si

68. Si bona alicujus ex nostris distribuenda essent: si ineundi contractus; si fabrica alicujus momenti, & expensæ extraordinariæ faciendæ; aut si bona offerantur, cum aliquâ obligatione: rem ad Provincialem deferat.

69. Depositum pecuniæ nullum prorsus admittat; aliarum verò rerum, non nisi cautissimè: dummodò sint eorum, quibus multum debeamus; aut alioqui id officii, sine magnâ offensione, denegari non possit.

70. Neminem ex nostris, in causis civilibus, nedum criminalibus, examinari (nisi, qui ad peccatum obligare potest, compelleret) permittat, absq; licentiâ: quam minimè dabit, nisi in causis, quæ ad religionem catholicam pertinent, aut alioqui piæ sint; & ità uni faveant, ut non in alterius detrimentum cedant.

71. Nullum domi jumentum, equitandi causâ, ad usum alicujus de ipsâ Societate, ordinariè habeatur: nisi aut propter continenter infirmam alicujus valetudinem, aut propter publica negotia, id necessarium & urgens judicaret Generalis.

DE COMMUNICATIONE CUM EXTERNIS, ET GRATITUDINE ERGA FUNDATORES, & benefactores.

CAP. VII.

72. Mulieres invisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructûs, nostros non sinat: nec hoc quidem permittat, nisi viris valdè probatis, & prudentibus.

73. Non permittat fœminas Domum nostram ingredi.

74. Curet, ne primarios viros invisere nostri consuescant: nisi sancto studio piorum operum ducerentur; vel quando intimâ benevolentiâ in Domino conjuncti essent.

75. Non sinat offerri munuscula, quæ Magnatibus ad res majores obtinendas offerri solent.

76. Non permittat, ut nostri cibum capiant apud externos; aut ab eis, cùm ægrotant, visitentur: nisi causa non-levis momenti ad id concedendum moveret, quam eandem esse oportebit, si quando externus aliquis, ad mensam præsertim Refectorii, invitandus videretur.

77. Amicos conservare; & eos, qui malè erga nos affecti sunt, præcipuè si homines sint non-vulgaris auctoritatis, orationibus & rationibus convenientibus, in amicitiam revocare; aut saltèm, ne adversarii sint, efficere studeat.

78. Observet, quæ erga fundatores, & benefactores, tàm vivos, quàm mortuos, observanda sunt: eisq; gratitudinem exhibeat; &, si quam aliam obligationem habet, ei satisfieri curet.

DE IIS, QUI ADMITTI PETUNT, AD DOMUM DIVERTUNT, AUT FORAS MITTUNTUR.

CAP. IIX.

79. In Societatem neminem admittat; nisi à Generali, vel Provinciali, id ipsi committatur: sed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel scribat, quales illi sint, & quibus donis Dei præditi.

80. Si

80. Si is, qui admitti petit, ad institutum Societatis valdè idoneus videbitur; & necessitas urgeret: poterit eum, tànquam hospitem, domi recipere, donec responsum à Provinciali accipiat; vel ad eundem mittere, si expedire judicaverit.

81. Recedentem sinè licentiâ ab alio loco Societatis, vel ab eâ dimissum, non admittat: sed, si expedire videatur, ad Provincialem de eo scribat, & ejus ordinationem exspectet: illo domi, ut hospite, vel in alio pio loco, si videbitur, detento.

82. Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate, per Domum transeuntes; eosq́ amanter hospitio excipiat: ac meminerit, se aliquo viatico, aut eleemosynâ, eos, si indigerent, juvare posse: curet item diligenter, dirigere ac juvare expeditiones hospitum, qui negotiorum causâ domi versantur.

83. Externi ne accipiantur hospitio, ut domi pernoctent: nisi ii sint, quibus multum debeatur; aut id officii, sinè magnâ offensione, prætermitti non possit. Quâ in re habeatur præcipua ratio Religiosorum; cùm necessitatis causâ ad nos divertunt.

84. Cùm quis domo egredietur; det ei socium convenientem. si quando autem aliquis solus forâs mittitur: is sit, cui meritò possit confidere.

85. Neminem ex suâ Domo, in alium locum, mittat, sinè literis patentibus.

86. Si quis experimento comperiretur, ferre non posse Domûs cœlum; & malè habere continenter cerneretur, vel aliâ ratione videretur mutandus; Provincialem admoneat, an aliò mitti debeat.

87. Profecturi ad alia loca, eâ, quam Sottanam *vocant, & aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent: nisi fortè ratio temporis, aut alioqui charitas, suaderet, melioribus esse commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter necessaria erunt, magnâ charitatis significatione, ab eo loco, unde mittuntur, subministrentur: sumtibus tamen eorum, quorum erit, expensas itineris solvere.*

REGULÆ RECTORIS.

DE IIS, QUÆ AD EJUS PERSONAM, ET TOTIUS COLLEGII ADMINISTRATIONEM, PERTINENT.

CAP. I.

1. Omni studio enitatur, ut talis sit; qualis optatur in nostris Constitutionibus: primamq́ officii sui curam in eo positam esse intelligat; ut oratione, & sanctis desideriis, totum Collegium, velut humeris suis, sustineat.

2. Communes Regulas ipse servet; & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum usu, quantum fieri potest, vitet: & familiaritate, atque indulgentiâ cum quibusdam, alios ne offendat.

3. Intra annum, postquàm officium Rectoris primâ vice inierit, quadraginta diebus Christianam doctrinam, eo modo, quo in secundâ Congregatione expositum est, legat, aut doceat: sed, ex causâ, per alium id munus, cum facultate Provincialis, obire poterit.

4. Consuetudines receptas, & à Generali vel Provinciali approbatas, servet, ac servari faciat. Si tamen aliqua alia, à præcedenti Rectore, inducta fuerit; non mutet, inconsulto Provinciali: ipse verò, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

5. Eos,

5. Eos, qui domestica obeunt ministeria, (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter constituat; suas cuiq; regulas tradat; aliquando visitet; & prout in Domino convenire judicabit, vel in eisdem ministeriis detineat, vel ab eis removeat. Quia verò officia quædam, ut benè fiant, experientiam requirunt: qui ad ea idonei inveniuntur, non facilè mutari debebunt.

6. Ut prospicere Officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore graventur, debebit: ita, cùm tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant divino servitio, curabit.

7. Etsi potestatem habet, designandi Confessarios suis subditis: ordinarium tamen Confessarium Collegii non constituet, sinè approbatione Provincialis.

8. Quámvis in virtute obedientiæ jubere possit: non nisi rarissimè, & ex gravi ac urgenti causâ, id faciat.

9. Ordinarias tantùm pœnitentias imponat; quales sunt, parva mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensâ, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi usque ad panem & aquam, (si res postulaverit) disciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia & domestica

10. Sicut ad Rectorem pertinet, dispensare in Regulis, Constitutionibus, & Decretis Congregationum generaliū, cum particularibus, quando necesse erit: sic &, cùm dispensaverit, in rebus majoris momenti, quæ videntur urgere, & in quibus, sinè gravi incommodo, Provincialis responsum exspectari non potest; eum, primo quôq; tempore, de hujusmodi dispensatione, ac ejus causâ, admonere.

11. Nomina eorum, qui vota solennia, vel simplicia, emiserunt, in libro ad hoc parato notentur: in Professis quidem, & Coadjutoribus formatis, cum nominibus admittentium; in reliquis verò post biennium, cum nominibus celebrantium: adnotato loco, & tempore, juxta Constitutiones.

12. Quas habeat facultates, partim ex iis, quæ ipsi in his Regulis conceduntur, partim ex Compendio facultatum Societatis, intelligat: ut in iis, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

DE IIS, QUÆ RECTOREM AD BONAM ADMINISTRATIONEM JUVABUNT.

CAP. II.

13. Sit solicitus, ne Minister, & reliqui Officiales, suo desint officio; omissis aliis, quæ possent impedire.

14. Singulis, vel saltem alternis hebdomadis, cum suis Consultoribus conveniat; (nisi, pro re nata, aliquid extraordinariè esset consultandum) deq; rebus majoris momenti, quæ pro temporum & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quanquam, iis auditis, penes ipsum erit, de singulis statuendi facultas.

15. Consultores, aliosq; omnes, cùm ei aliquid proponunt, libenter ac benignè excipiat; & præcipuè eum, cui Monitoris officium commissum est: efficiatq;, ut in suo Collegio, quæ in formulâ scribendi præscripta sunt, accuratè serventur.

16. Habeat librum, in quo scribantur visitationes Collegii, à Generali approbatæ; in

quo etiam scribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis, quæ temporariæ sunt, separatim notentur: alia verò, quæ Visitator & Provincialis præscripserint, in alio libro scribantur.

17. Institutum Societatis cognoscat, ex lectione Literarum apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum generalium Congregationum: magis autem particularia, ex lectione Regularum, tàm communium, quàm officii sui, & aliorum, qui sub ipsius curâ sunt; ac Provincialis, & Compendii facultatum Societatis; atque ex observatione consuetudinum receptarum; ac demum ex recursu ad Superiorem, in iis, de quibus dubitabit.

18. Libellum habeat, in quem referat, quæcunq; sibi ad bonum Collegii statum subindè occurrent; ne memoriâ excidant: præcipuè illa, de quibus ad Generalem scribendum putat.

19. Pro occurrentibus necessitatibus, communibus & privatis, Missas & orationes suorum, moderatè tamen, juxta consuetudinem Societatis, applicare poterit.

DE CURA NOSTRORUM IN SPIRITU.

CAP. III.

20. Curet, ut, cuiq; in suo officio, integram obedientiam Collegiales præstent; & Officiales Ministro; & sibi etiam omnes: studeatq; eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipse suis Superioribus, quos Christi loco habet, præstare debet.

21. Det operam, ut Constitutiones & Regulæ observentur: omnibus Collegialibus cum omni solicitudine invigilet; eosdemq; ab iis, quæ nocere possint, domi & foris, defendat, cùm præveniendo; tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo: ità ut in virtutibus, & literis, proficiant.

22. Efficiat, ut sibi, vel aliis ab ipso deputatis, statis temporibus ratio conscientiæ reddatur à suis, juxta modum, qui in officio Provincialis præscribitur, & Instructionem ad reddendam conscientiæ rationem: & aliquos præterea maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant; nisi Provincialis tunc adsit.

23. Meminerit, ut Scholastici, & Coadjutores non-formati, bis singulis annis, circa festa Circumcisionis Domini nostri, & Apostolorum Petri & Pauli, vota sua renovent; præmissis iis, quæ fieri solent.

24. Singulis vel alternis diebus Veneris, exhortationem nostris, vel ipse faciat, vel aliquis alius, qui rationem nostri instituti bene teneat: in quâ agatur, de observatione Constitutionum & Regularum; de fraternâ charitate, humilitate, patientiâ, mortificatione, & aliis virtutibus, præsertim de obedientiâ, tametsi, exhortationis loco, spiritualis collatio, eisdem de rebus, aliquando haberi potest.

25. Crebrò, & magnâ charitatis significatione, alloquatur subditos; eorumq; necessitatibus, non corporis tantùm, sed multò etiam magis animæ, paterno affectu prospiciat. Si quem verò intelligat, aliquâ tentatione pulsari, præsertim gravi: ejus peculiarem curam, & solicitudinem, non solùm per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios, gerat: nec, remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

26. In correctionibus, & pœnitentiis injungendis, rationem habebit dispositionis personarum, & ædificationis universalis & particularis earum, ad gloriam Dei.

27. Nisi

27. Nisi prudentia, rebus particularibus adhibita, aliter procedendum dictaverit; illud in correctionibus observet: ut ii, qui peccant, primò in charitate, & dulcedine, admoneantur: secundò, in charitate quidem; sed eo tamen modo, ut eis confusio & rubor injiciatur: tertiò, amori ea, quæ timorem incutiant, si opus erit, adjiciantur.

28. De publicis defectibus, publica debet esse pœnitentia; iis tantùm, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

29. Poterit mittere interdum aliquem ex suis, ut ostiatim petat eleemosynam; aut ut inserviat hospitali; aut comitetur Emtorem; aut in plateis concionetur, Christianámve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur: habitâ ratione ædificationis, & spiritualis utilitatis nostrorum.

30. Delegare poterit Confessario, vel aliis, vices suas: ut eas pœnitentias approbent, vel improbent; quas, ad majorem sui spiritûs profectum, assumere quisq; volet.

31. In dandâ facultate jejunandi, sicut & in aliis pœnitentiis concedendis, videat, ne mensuram rectæ rationis excedat: detq; operam, ut omnes intelligant, ad singularitatem non pertinere, si quis jejunet aliis non jejunantibus: dummodò ordinaria consuetudo jejunandi, quæ juxta Constitutiones non sit, non introducatur.

32. Unio, & conformitas mutua, diligentissimè curanda est: nec ferenda inter ullos domesticorum perturbatio, vel ira mutua. si quid autem hujusmodi accideret: curet, ut statim, cum satisfactione debitâ, in gratiam invicem redeant.

33. Tàm ipse, quàm omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, juxta Constitutiones, aliquando intra annum, officium vel officia eorum, qui domi inserviunt, ad tempus aliquod obibunt.

34. Non permittat, nostros Scholasticos frequentiùs, quàm octavo quôque die, communicare, nisi particulares ob causas; habitâ magis ratione necessitatis, quàm devotionis: diebus tamen solemnibus, in hac re dispensare poterit. Coadjutoribus verò, & iis, qui literis non dant operam, longè faciliùs concedi potest, ut etiam intra hebdomadam communicent: & Præfecto rerum spiritualium, aut Confessario, delegari; ut id concedat iis, quos eâ ratione magìs in spiritu juvari, in Domino judicabit.

35. Videat scripta, & literas omnes, quæ scribuntur ad domesticos, & quas ipsi aliis scribunt: aut aliquem virum fidelem, & qui donum discretionis habeat, domi constituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magìs expedire judicabit; sibíque referat, si quid invenerit, quod tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quæ aliâ ratione offendere possint, neminem scribere permittat: nec sigillum quemquam habere sinat, sinè Provincialis facultate.

36. Non sint in Collegio arma, nec instrumenta musica; nec libri lascivi, aut vani: nec novæ ullæ recreationes introducantur.

DE LITERARUM STUDIIS.

CAP. IV.

37. Neminem ad inchoanda studia admittat; nec eos, qui ad illa, ex Provincialis commissione, admissi fuerint, ad aliam facultatem promoveat, absque ejusdem Provin-

cialis approbatione: cui, post maturam considerationem, & examen, de unoquoque, suo tempore significabit, quid sentiat.

38. Impedimenta removeat, quæ à studiis animos Scholasticorum avocant: qualia sunt, nimia mortificationes, vel devotiones, vel externæ occupationes. Et circa illorum valetudinem, peculiari curâ animadvertat, ut & in laboribus mentis modum servent; & in iis, quæ ad corpus pertinent, religiosâ commoditate tractentur: ut diutiùs in studiis perseverare, tàm in literis addiscendis, quàm in eisdem exercendis, ad Dei gloriam, possint.

39. Videat, quomodo Professores omnes suo munere fungantur: curetq; diligenter, à Philosophiæ & Theologiæ Professoribus ea servari, circa opinionum diversitatem, quæ in Constitutionibus, & Ratione studiorum, præscripta sunt. Intelligat etiam, per se, vel per alios, quomodo Scholastici in suis studiis proficiant. quòd-si animadverteret, aliquem in iis inutiliter tempus terere; ad Provincialem referat.

40. Singulis hebdomadis, dies unus saltèm, a prandio, Scholasticis ad quietem destinatus sit: in quo eos ad hortum, aut prædium Collegii, vel aliò, exercitii corporis, vel recreandi animi gratiâ, mittere poterit. In reliquis autem studiorum intermissionibus, sequatur ordinem à Generali, vel Provinciali, constitutum.

41. Etsi Præceptorem publicum in scholis instituere non potest, absq; Provincialis facultate: ad tempus tamen, necessitatis gratiâ, id facere poterit.

42. In actibus promovendorum ad gradus literarios, (ad quos nostri, sinè facultate Generalis promoveri non possunt) si, quâ in re alicujus momenti, dispensatione opus esset: Provincialem admoneat.

43. Constitutiones, sive Regulæ, quæ ad Scholasticos Societatis pertinent, publicè in Refectorio bis, aut ter, singulis annis, legantur.

44. Sub finem studiorum cujusque, suarum esse partium Rector intelligat; auditis Consultoribus, Provincialem de uniuscujusq; talento admonere; &, quantum singuli profecerint, referre; &, num aliqui ad sacros ordines promovendi sint, aut in Confessarios, aut Concionatores, aut Lectores, eligendi, proponere.

DE ORDINE DOMESTICO.

CAP. V.

45. Quotidie, post orationem matutinam, fiat sacrum; cui intersint omnes, qui Sacerdotes non sunt: nisi aliquibus, propter peculiares causas, aliud tempus, ad sacrum audiendum, concessum sit.

46. Quando nostri ad sacram communionem accessuri sunt, præsertim diebus dominicis: curet, ut in Ecclesiâ (si commodè fieri potest) id faciant; separati tamen ab externis, quantum locus feret.

47. Tempore orationi, & reliquis exercitiis, assignato, sit aliquis, qui observet, num omnes iis vacent. Quod etiam Ministri, & ipsemet Rector aliquando faciat.

48. Syndicum domi constituat, ubi Ministri aut Subministri operâ ad id non utetur: cujus officium erit, observare in omnibus, quod ad honestatem & decentiam externam pertinet, Ecclesiam & domum in locis publicis perlustrando; & si quid, quod non con-

conveniat, annotaverit, Superiori referendo. Præter hunc, alios particulares Syndicos, in classibus singulis, habeat; qui, quantum fieri poterit, ex prudentioribus & maturioribus deligantur.

49. Omnes, præter illos, quos ipse judicaverit excipiendos, horæ quadrantem, ante prandium, vel cœnam, corporis exercitationi tribuant.

50. A posteriore prandii signo, ad cœnam, octo ut minimùm horæ intersint; aliquid verò amplius, usque ad refectiunculam vespertinam, diebus Veneris, & jejuniorum, juxta morem regionis: à tempore autem, quo se nostri cubitum receperunt, usque ad signum, quo excitantur, septem.

51. Benedictio, & gratiarum-actio, in Refectorio, juxta usum Breviarii Romani, in primâ mensâ fiant: in secundâ verò, & privatâ, retineri possunt antiqua benedictio & gratiarum-actio, quæ à singulis submissè, & stando, fieri debent.

52. In mensâ, Sacerdotes præcedant alios, ad eum gradum non-promotos: sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, ullus ordo constituatur.

53. Si aliquâ de causâ Rector primæ mensæ adesse nō poterit; curet, ut Minister adsit.

54. Dominicis diebus, & festis, si commodè fieri potest, & aliis etiam, si Superiori videatur, sint aliqui, pro multitudine Scholarium, à Superiore delecti; qui inter cœnandum, pro lectione, concionem habeant: quibus conveniens aliquod tempus eodem die, ad se parandum, pro Superioris arbitrio, dandum erit.

55. A prandio, & à cœnâ, hora una; diebus autem Veneris, post collationem vespertinam, dimidia, recreationi religiosè impendatur: idq; in uno loco, si commodè fieri poterit. Sed neque extra hujusmodi horas, labores nimiùm continuari, sinè aliquâ convenienti relaxatione, sinat.

56. Scholastici omnes, ubi aliqua fuerit eorum copia, pro more Societatis, (nisi quis eximendus videretur) diebus saltèm dominicis, ad finem recreationis post prandium, in tonis, seu ratione concionandi, exerceantur: de iis crebrò tractantes, quæ ad sui abnegationem, & in virtutibus profectum, & fraternam charitatem, spectant.

DE IIS, QUÆ PERTINENT AD RES TEMPORALES.

CAP. VI.

57. Singulis mensibus, à Procuratore rationem accepti, & expensi, præsente Ministro, exigat: ut totius domûs administrationis ratio ipsi constet; eamq; reddere possit, cui, & quando per Superiorem constituetur: caveat autem, ne Collegium ære alieno gravetur.

58. In iis, quæ ad victum, vestitum, & habitationem, & alia corpori necessaria, pertinent, curet: ut, quámvis sit, in quo probetur virtus, & sui-ipsius abnegatio; non desit tamen, quo sustentetur natura, habitâ convenienti ratione personarum in Domino. Cum Scholasticis verò, in iis, quæ ad vestitum attinent, magis, quàm cum iis, qui probantur, exterioris decentiæ ratio habeatur.

59. Aegrotorum cura habeatur magna: & observetur diligenter, tàm in victûs ratione, quàm in cæteris, quod Medicus præscripserit.

60. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur; id in communem usum accipiatur, ac dispensetur.

61. Caveat, ne qua Domus Professorum, aut aliquis eorum, vel Coadjutorum formatorum, reditibus Collegii sui, præterquàm in rebus minimis, utatur: nisi is eidem Collegio necessarius sit, aut conveniens, ut in eo commoretur.

62. Lites forenses fugiat: nec ullam, inconsulto Provinciali, intentet; nec intentæ respondeat, nisi cogatur.

63. Si bona alicujus ex nostris distribuenda essent; si ineundi contractus; si fabrica alicujus momenti, & expensæ extraordinariæ faciendæ; aut si bona offerantur Collegio, cum aliquâ obligatione: rem ad Provincialem deferat.

64. Depositum pecuniæ nullum prorsus admittat; aliarum verò rerum, non nisi cautissimè: dummodò sint eorum, quibus multum debeamus; aut alioqui id officii sinè magnâ offensione, denegari non possit.

65. Neminem ex nostris, in causis civilibus, nedum criminalibus, examinari (nisi, qui ad peccatum obligare potest, compelleret) permittat, absque licentiâ: quam minimè dabit, nisi in causis, quæ ad religionem Catholicam pertinent, aut alioqui piæ sint; & ità uni faveant, ut non in alterius detrimentum cedant.

DE AUXILIO ANIMARUM, COMMUNICATIONE CUM EXTERNIS, ET GRATITUDINE ERGA FUNDATORES, ET BENEFACTORES.

CAP. VII.

66. Det operam, ut à nostris ministeria Societatis, juxta Provincialis præscriptum, & cujusque talentum, exerceantur; non solùm in nostrâ, sed etiam in aliis Ecclesiis, carceribus, & aliis locis, quantum commodè fieri poterit: nominatimq; ministerium doctrinæ Christianæ commendatum habeat.

67. Curet, ut nostri, spiritualibus exercitiis tradendis, accuratè exerceantur; postquam ea in se fuerint experti. nullus tamen deberet ea tradere; nisi prudentiâ, ac rerum spiritualium usu, satis probatus esset.

68. Non permittat, ut nostri curam mulierum religiosarum suscipiant, & aliarũ quarumcunq; ut ordinariè illarum confessiones audiãt, vel ipsas regant: quámvis nihil repugnet, aliquando apud eas concionari, aut semel unius Monasterii confessiones, speciales ob causas, audire. quod tamen non fiet, nisi postulent ii, qui eis præsunt.

69. Etsi proprium Rectoris officium est, Collegium sibi commissum diligenter ac fideliter gubernare; neque is, propter aliud quicquam, huic muneri deesse debet. si quando tamen per officii sui occupationes licebit: & concionari, & confessiones audire, & alia Societatis ministeria exercere, poterit.

70. Mulieres invisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructûs, nostros non sinat: nec hoc quidem permittat, nisi viris valde probatis & prudentibus.

71. Non permittat, fœminas Collegium nostrum ingredi.

72. Curet, ne primarios viros invisere nostri consuescant: nisi sancto studio piorum operum ducerentur; vel quando intimâ benevolentiâ in Domino conjuncti essent.

73. Non

73. Non sinat offerri munuscula, quæ Magnatibus, ad res majores obtinendas, offerri solent.

74. Non permittat, ut nostri cibū capiant apud externos; aut ab eis, cùm ægrotant, visitentur: nisi causa non levis momenti, ad id concedendū, moveret. quam eandem esse oportebit, si quando externus aliquis ad mensam, præsertim Refectorii, invitandus videretur.

75. Amicos conservare; & eos, qui malè erga nos affecti sunt, præcipuè si homines sint non-vulgaris auctoritatis, orationibus & rationibus convenientibus, in amicitiam revocare; vel saltèm, ne adversarii sint, efficere, studeat.

76. Observet, quæ erga fundatores, & benefactores, tàm vivos, quàm mortuos, observanda sunt; eisq; gratitudinem exhibeat: & aliis obligationibus, si quas Collegium habet, satisfieri curet.

DE IIS, QUI ADMITTI PETUNT, AD COLLEGIUM DIVERTUNT, AUT FORAS MITTUNTUR.

CAP. IIX.

77. In Societatem neminem admittat; nisi à Generali, vel Provinciali, id ipsi committatur: sed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel scribat, quales illi sint, & quibus donis Dei præditi.

78. Si is, qui admitti petit, ad institutum Societatis valdè idoneus videbitur; & necessitas urgeret: poterit eum, tanquam hospitem, domi recipere, donec responsum à Provinciali accipiat; vel ad eundem mittere, si expedire judicaverit.

79. Recedentem sinè licentiâ ab alio loco Societatis, vel ab eâ dimissum, non admittat: sed, si expedire videretur, ad Provincialem de eo scribat, & ejus ordinationem exspectet; illo domi, ut hospite, vel in alio pio loco, si videbitur, detento.

80. Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate, per Collegium transeuntes: eosq; amanter hospitio excipiat; ac meminerit, se aliquo viatico, aut eleemosynâ, eos, si indigerent, juvare posse: curet itèm diligenter, dirigere ac juvare expeditiones hospitum, qui negotiorum causâ domi versantur.

81. Externi ne accipiantur hospitio, ut domi pernoctent: nisi ii sint, quibus multum debeatur; aut id officii, sinè magnâ offensione, prætermitti non possit. quâ in re habeatur præcipua ratio Religiosorum, cùm necessitatis causâ ad nos divertunt.

82. Cùm quis domo egredietur; det ei socium convenientem: si quando autem aliquis solus forâs mittitur; is sit, cui meritò possit confidere.

83. Neminem ex suo Collegio, in alium locum, mittat, sinè literis patentibus.

84. Si quis experimento comperiretur, ferre non posse Collegii cœlum; & malè habere continenter cerneretur; vel aliâ ratione videretur mutandus: Provincialem admoneat, an aliò mitti debeat.

85. Profecturi ad alia loca, eâ, quam Sottanam *vocant, & aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent: nisi fortè ratio temporis, aut alioqui charitas, suaderet, melioribus esse commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter necessaria erunt, magnâ charitatis significatione, ab eo loco, unde mittuntur, subministrentur; sumtibus tamen eorum, quorum sit, expensas itineris solvere.*

REGULÆ EXAMINATORIS.

QUÆ IN EXAMINATORE REQUIRANTUR, ET QUID PRÆSTARE DEBEAT.

CAP. I.

1. Qui examinat eos, qui Societatem ingredi petunt, habeat oportet cognitionem rerum ejusdem Societatis, ac zelum boni progressûs ipsius: ut nullâ ratione dimoveri ab eo possit, quod magis in Domino convenire judicaverit.

2. Moderatus admodum sit, in admittendi desiderio. nam ut par est, solicitè cooperari vocationi divinæ, ut augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Christi: ita diligenter curandum est, ne quis admittatur; nisi qui illis Dei donis præditus sit, quæ, ad ipsius gloriam, hoc institutum exigit.

3. Quando aliquis Societatem ingredi petit; primus ipse aget cum eo: ut intelligat, quæ sint ejus dotes, & vocatio. si quis autem clarè deprehenderetur ineptus, ad institutum Societatis: Superiori significet; &, acceptâ ab eo facultate, illum consilio, & si quid aliud charitas suggerit, adjutum, statim dimittat: alios verò ad eos mittat, qui a Superiore designati fuerint, ut cum illis colloquantur.

4. Postquam omnes designati, eum, qui admitti desiderat, allocuti fuerint: curet Examinator, ut à Superiore vocentur; & referant, quid de eo sentiant: Superior autem, quid facto opus sit, constituet.

5. Si ille, qui ingredi cupit, nulli fuerit domi satis notus; intellecto ejus nomine, & eorum, quibus cognitus est, extra domum inquiri poterit, cujusmodi homo ille sit. juvabit etiam ad hoc-ipsum si ad Sacramenta, in Ecclesiâ nostrâ, frequenter accedat. Quòd-si adhuc de eo dubitaretur: non parum confert, si in spiritualibus exercitiis constituatur. quibus peractis, si res nondum constaret: intelligat a Superiore, utrùm differendum responsum, aut omninò dimittendus sit.

BREVE EXAMEN, QUO UTI DEBET CUM IIS, QUI INGREDI PETUNT.

CAP. II.

6. In-primis qui admitti vult, interrogetur decenter, de quinq; impedimentis essentialibus: prudenter tamen, ut ea impedimenta esse, quæ à Societate excludunt, ille non intelligat; ne verum occultandi occasionem accipiat.

7. Si aliquod ex iis impedimentis in quoquam detegeretur: non est, quòd ulterius procedatur; sed, quoad fieri poterit, cum consolatione dimittatur. si tamen in eo dona aliqua Dei illustriora cernerentur: priùs oporteret rem omnem cum Superiore conferre.

8. Si nullum tale impedimentum esset: ulteriùs interrogetur, an omninò decreverit seculum relinquere; quibus de causis, aut quomodo, desideria hæc ei in mentem venerint, & quàm dudum ea habuerit; an in hac animi sententiâ remissior aliquando factus fuerit, & quatenus.

9. À quo tempore deliberaverit Societatem ingredi; & quid ipsum impulerit, ut hoc potiùs, quàm aliud institutum, amplecteretur: An à quoquam, præsertim è nostris, primùm

mùm ad id motus fuerit: Num deliberatum habeat animi propositum, vivendi & moriendi, in Domino, in hac Societate: &, an fuerit in eam aliâs admissus; & quare sit egressus.

10. Num habeat æs alienum, aut alias obligationes: Num morbum aliquem occultum, vel manifestum, & an hæreditarium, vel defectum in aliquâ sui parte, patiatur.

11. Interrogetur de ætate, patriâ, Parentibus, & eorum conditione: an rerum temporalium penuriâ premantur; & an eâ causâ, vel quacunque aliâ, necessariò ipsius operâ indigeant, aut probabiliter indigere possint.

12. An sit ex legitimo matrimonio: num à progenitoribus jam olim Christianis, an à modernis, vel hæreticis, descendat: An aliquis ex ejus progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus, ob aliquem errorem, contra nostram Christianam & Catholicam religionem.

13. Si literis præditus est: interrogetur, ubi eis operam dederit; quantum profecerit. Ingenii autem & judicii specimen, ex sermone, & aliis, conjicere licebit.

14. Si Coadjutor est futurus; petatur de ætate, ac viribus: an omninò sorte Marthæ contentus futurus sit; & num aliquam artem noverit. & observetur, an ad virtutem, & devotionem, propensus sit.

15. Tandem curandum est, ut, qui admitti desiderant, summam nostri instituti, probationesq; , ac difficultates, quæ in eo sunt, benè intelligant. De iis verò, quæ hîc interrogantur, aut de instituto explicanda dicuntur, plura, aut pauciora, juxta personarum qualitatem & cognitionem, inquiri & explicari poterunt.

16. Reliqua, quæ ad officium Examinatoris pertinent, si quando cum iis, qui in primâ probatione sunt, vel aliis nostris, illi obeunda erunt, petat ex officio Magistri Novitiorum.

17. Cæteri verò à Superiore designati, ut cum illis colloquantur, qui admitti petunt, iisdem ferè interrogationibus utentur; exceptis iis, quæ interrogato ruborem injicere possunt.

REGULÆ MAGISTRI NOVITIORUM.

DE IIS, QUÆ AD EJUS PERSONAM, ET INSTRUCTIONEM, PERTINENT.

CAP. I.

1. Rem esse magni momenti sibi commissam intelligat: quandoquidem, ex primâ Novitiorum institutione, pendet, majori ex parte, eorundem profectus, & spes nostræ Societatis in Domino: curetq;, ut in-dies, per studium propriæ perfectionis, instrumentum aptius, ad eos juvandos, reddatur.

2. Amabilem se præstet; & vitæ integritate, ac discretione, ità se gerat: ut omnes, qui in probatione sunt, ad eum, in suis tentationibus, confidenter confugiant; eiq; seipsos confidenter aperiant; & ab eo consolationem, & auxilium in omnibus, in Domino sperent.

3. In Domibus probationis separatis, præter has regulas officii sui, habeat etiam regulas, & omnes facultates aliorum Rectorum; exceptis iis, quæ Novitiatui non conveniunt.

4. Habeat socium Sacerdotem fidelem, & in rebus spiritualibus exercitatum, à Provinciali designatum: qui in iis, quæ in Novitiatu agenda sunt, sit ejus coadjutor. Habeat

etiam aliquem fratrem ex antiquioribus, in virtute probatum, & prudentem: qui, juxta ordinem obedientiæ, significet unicuique exercitia exteriora, in quibus occupandi sint; & manu ducat illos, cùm opus est, ad illa facienda.

5. In Domo probationis, conjunctâ Domui Professorum vel Collegio, habitatione tamen distinctâ, Magister Novitiorum erit subordinatus Præposito, vel Rectori: non tamen erit sub obedientiâ Ministri; sicut nec ejus socius. In eâ autem Domo, vel Collegio, cœnatio sit communis; mensâ aliquâ Novitiis, & eorum Magistro, designatâ.

6. Hic Magister Novitiorum, pœnitentias, in Novitiatu, tantùm suis Novitiis imponere poterit: extra verò non, nisi consulto Superiore.

7. Habeat hic-idem Magister Novitiorum potestatem ordinariam, absolvendi à casibus reservatis Novitios, qui sub ipsius curâ degunt: nisi ejus Superiori hæc facultas, aliquâ de causâ, restringenda videretur.

8. Versatum esse oportebit, in lectione librorum spiritualium: ut deceptiones, quæ in spirituali vitâ accidunt, non tantùm experimento, sed etiam lectione, intelligat. Quibus autem utiliter ipse uti poterit, ii ferè sunt, qui in subjecto catalogo numerantur. Novitiis verò eos tantùm legendos tradet, qui nostro instituto conveniunt: ne quid ab eo alienum hauriant, aut quacunque ratione quicquam detrimenti capiant.

LIBRI, AD USUM MAGISTRI NOVITIORUM ACCOMMODATI.

Basilii Ascetica, & Regula.
Gregorii Moralia.
Augustini Confessiones, & Meditationes.
Bernardus.
Bonaventuræ Opuscula.
Cassianus.
Homiliæ Dorothei, Macarii, Cæsarii Arelatensis Episcopi.
Opuscula Ephrem, Nili, Esajæ Abbatis.
Diadochus.
Hugo de S. Victore de Claustro animæ.
Richardus de S. Victore.
Humbertus de Eruditione Religiosorum.
Innocentius de Contemtu mundi.
Thomas de Kempis de Imitatione Christi, & alia ejus opuscula.
Vincentii tractatus de Vitâ spirituali.
Ludovici Blosii operæ.
Dionysii Carthusiani opuscula.
Albertus Magnus de Virtutibus.
Epistolæ Catharinæ Senensis.
Landulphus de Vitâ Christi.

HISTORICI.

Gregorii Dialogi.
Gregorius Turonensis de Gloriâ Confessorum, & Vitâ S. Martini.
Eusebii Historia ecclesiastica.
Severus Sulpitius de Vitâ S. Martini.
Vitæ Patrum selectæ.
Vitæ Sanctorum Lipomani & Surii.
Petrus Damianus.
Petrus Cluniacensis de Miraculis.
Literæ Indicæ.
Vita Patris N. Ignatii, & alii similes ad Novitiorum utilitatem accommodati: ex quibus desumet aliquos, pro illorum usu.

DE

DE PRIMA PROBATIONE.

CAP. II.

9. Postquam in Domino statuetur, ad probationem aliquem admittendum esse, in domo, vel habitatione separatâ primæ probationis: hospitum more, duodecim dies, vel usque ad viginti, & ampliùs, prout Superiori videbitur, diversetur: ut eo tempore de iis, quæ pertinent ad Societatem, ipse certior reddatur; & Societas eundem pleniùs in Domino cognoscat.

10. Postridie ei declarabitur, quomodo in eo loco se gerere debeat: ac nominatim, ne verbo, aut scripto, (nisi Superiori aliquâ de causâ non-levis momenti aliud videretur) cum externis, vel domesticis, agat; præterquàm cum iis, quos ad id Superior designaverit.

11. Librum completum Examinis, absque declarationibus, Latinâ linguâ pro iis, qui eam intelligunt, & vulgari pro aliis, habeat: nec-non & eisdem linguis Summariũ Constitutionum, & Regulas communes, habere debet.

12. Elapsis duobus aut tribus diebus, examinari accuratiùs incipiat: & relinquatur ei scriptum prædictum Examen; ut solus id maturiùs consideret: nisi, in aliquo particulari, aliud Examen brevius proponendum esse, Superior judicaverit.

13. Postea Literæ apostolicæ Julii III. anno 1550. & Summariũ Constitutionum, & Regulæ communes, eidem ostendantur, & relinquantur: ut omnia per otium magìs consideret. iis verò, qui Literas apostolicas Latinas non intelligerent, satìs esset, earum summam declarare.

14. Ordo examinandi esse debet; in-primis proponere, ac prosequi, quæ quatuor primis capitibus Examinis continentur: deinde ea, quæ speciatim ad literatos pertinent, vel Coadjutores, vel Scholares, aut indifferentes. Quámvis autem omnibus integrum Examen relinquatur: non sunt tamen omnes particulariter examinandi, nisi de iis, quæ ad utrumque pertinent: & si quid alicujus momenti occurrerit, quod Superiorem scire oporteat, scripto notabit.

15. In his omnibus proponendis, & declarandis, paulatim procedatur: ut, qui examinantur, res omnes nostri instituti, juxta ipsorum gradum, benè percipiant, ad suam majorem satisfactionem, & stabilitatem. & illa præsertim sunt magìs explicanda, quæ postea aliquam difficultatem afferre possent: ut de animi promtitudine, ad serviendum Deo ubique, & in re quâvis; de manifestatione suorum defectuum, juxta Constitutiones; de indifferentiâ ad gradus Societatis, in Scholaribus, & literatis; & de manifestatione conscientiæ, statutis temporibus.

16. Si quis ad studia majorem propensionem, quàm par esset, & minorem indifferentiam, quàm ad alia ministeria Societatis, præ se ferret; & videretur nihilominùs ad ea minùs aptus: non tantùm proponatur ei scriptum examen, ut reliquis; sed & accuratè illi explicetur, interrogeturq́; an patienter se dimitti sinet à Societate, dummodò ab omni voto ac promissione liber maneat.

17. Admoneatur, ut verè omninò ac sincerè respondeat: nam aliter multa gravia incommoda indè oriri possent. & nihilominùs admonere Confessarium oportet: ut, si quis verè non respondisset, ejus de eâ re conscientiam stimulet.

18. Si quid erit in interrogationibus, quod secretum requirat: id observabitur, ut par

eſt,& interrogato placuerit: declaretur tamen ei,quòd,juxta Conſtitutiones, licebit rem omnem Superiori manifeſtare.

19. Promittat relicturum ſe omnia bona ſua, poſt unum annum ab ingreſſu; quandocunq; injunctum à Superiore ei fuerit: & declaretur, quòd actus hujus promiſsionis,nec votum eſt,nec ſolum propoſitum;ſed promiſsio ſimplex,illâ conditione affecta: Si ipſe perſeveraverit; & Superior ei injunxerit.

20. Hoc tempore primæ probationis,per quinq; vel ſex dies accuratè informentur,prædicto modo,de iis,quæ ad inſtitutum,& ad ipſos pertinent: & lectione alicujus pii libelli, qualis eſſet de Imitatione Chriſti,ſubindè recreentur.

21. Coadjutores verò temporales,qui legere non didicerunt, aut qui minùs ad hæc tractanda idonei videbuntur,quámvis in propriâ vocatione,juxta ipſorum captum,plenè inſtituendi ſunt: poterunt tamen , hoc tempore, aliquo exercitio corporali, aut labore manuum, judicio Superiorum,occupari; ſejuncti tamen ab aliis.

22. Deinde, qui literis operam dederunt, de ſingulis facultatibus, in quibus verſati ſunt,ſingulas prælegant lectiones, coram eis, qui à Superiore,ad eorum talentum cognoſcendum,in doctrinâ,& proponendi modo,ſunt conſtituti:& poſtea exhortationem unam quisque faciat.

23. Tùm ſi quis,antequam fuerit in Societatem admiſſus,ſpiritualia exercitia non fecerit: hoc primum experimentum, (ut ſequenti capite,ubi de Experimentis agitur,mox dicetur) juxta 4.c.Exa.§.10.aggrediatur: &,juxta exercitia, ſuo tempore generaliter confiteatur; niſi ante ingreſſum fuerit alicui de Societate generaliter confeſſus: (tunc enim ſatìs erit, ſi ab eo tempore generalem confeſsionem incipiat:) & eodem tempore,conſcientiam ſuam Superiori,aut ei,quem Superior deſignaverit,aperiat; juxta Par.1.Conſt. c.4.§.6. &, ſi ab aliquâ cenſurâ, virtute noſtrorum privilegiorum,abſolutus fuerit; admoneatur: quòd,ſi non perſeveraverit; in eandem reincidet. Declaretur etiam illi,ſi qua vota, cùm adhuc eſſet in ſeculo,emiſit, (præterquam religionis determinatæ) in noſtrâ Societate, tam diu ſuſpenſa eſſe; dum ipſe in Societate manſerit: quòd-ſi receſſerit; eâdem obligatione teneri,quâ ante ingreſſum tenebatur. Expleto autem tempore hujus experimenti,ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum accipiat; & communem domum habitationis ingrediatur; ubi cum aliis verſari, & in ſecundâ probatione diutiùs exerceri,Novitii ſolent.

24. Si vel cujusquam valetudo,vel aliqua temporis aut perſonæ ratio,perſuaſerit,non eſſe tam-diu hæc mentalia exercitia continuanda: antequàm exercitia aggrediatur, per quatuor vel quinq; dies vacare, & ſeparatim recreari poterit: vel, ſi Magiſtro Novitiorum videretur, factâ confeſsione generali, & peractis exercitiis primæ hebdomadæ. Sed quando hæc relaxatio longiùs,ob valetudinem,aut aliam rationem , protrahenda Magiſtro Novitiorum viſa fuerit: poterit,ſumtâ Euchariſtiâ,etiam ad communem convictum admitti: &,ubi firmior fuerit,ſua exercitia peraget.

25. Si Superior judicaverit eum domi retinendum: curet, ut in libro ad id deſignato, quem penes ſe Procurator habere debet,ſcribatur, quicquid unusquisq; domum attulerit; cum ſubſcriptione ejus, qui examinatus eſt: & ut hæc alicubi ſeparatim aſſerventur, quouſque,biennio expleto,conſueta vota emiſerit.

26. In

26. In alio libro, quem apud se habebit, notabit diem & annum ingreßûs uniuscujusq; incipiendo à die, quo primùm probationem intravit, & nomen, & patriam; & quòd contentus sit, observare omnia ei proposita. Quando verò aliqui in Coadjutores temporales, & indifferentes, admittentur; speciatim id scripto declaretur; quòd, ut tales, examinati, & admißi fuerint: & hæc, qui examinatus est, manu suâ subscribat; & si scribere nescit, alius ejus nomine scribat.

DE SECUNDA PROBATIONE.

CAP. III.

DE EXPERIMENTIS.

27. In-primis diligenter curet, ut Novitii sex illis experimentis, quæ in Constitutionibus traduntur, seriò, & cum desiderato fructu, exerceantur: intelligatq; præcipuam Novitiatûs partem in his probationibus positam esse.

28. Exercitia spiritualia primùm singulis, eo quo procedunt ordine, præscripto tempore, atq; exactè tradantur, secundùm uniuscujusq; dispositionem & captum, juxta regulas libri Exercitiorum; prætermißis tamen his, quæ ad electiones spectant: ut indè, præter alia, certam, ac nostro instituto consentaneam, mente & voce, orandi rationem habeant: quam in-posterum servare debeant.

29. Quoad secundum experimentum, quo hospitalibus per mensem servire debent, videbit ipse, quid magis expediat: an nostros ibidem cibum capere, & dormire; an verò, per aliquot horas, quotidiè ministerium ægris impendere.

30. In hac probatione advertat, ne nostri nimio fervore suæ valetudini noceant; aut periculo contagionis alicujus morbi se exponant: admonebitq;, ne ingrediantur partem illam Xenodochii, ubi mulieres habitare solent.

31. Mense alio, ad peregrinandum sinè pecuniâ mittantur, ostiatim pro Christi amore mendicando: ut ad incommoditatem comedendi, & dormiendi, assuescant; & ut, omni spe abjectâ quam in pecuniis, & rebus aliis creatis, possent constituere, eam integrè, & verâ cum fiduciâ in Domino, constituant.

32. Advertendum, ne imbecilles, aut tenerioris ætatis, his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur; ne fiant asperiore hyeme, aut ferventiore æstate: illisq; regulas Peregrinorum, Literas patentes, &, cùm opus erit, particularem etiam instructionem, tradet: & ab ultimo loco, ad quem perveniunt, testimonium à Superiore Domûs, vel Collegii Societatis, si ibi fuerit, vel ab alio fide-digno, secum ferant; quòd suam devotionem secuti, sinè ullâ cujusq; querelâ, eò pervenerint. & in secundo, quinto, & sexto experimento, juxta Constitutiones, idem servetur.

33. In quarto experimento, quo in officiis abjectis exercentur, advertat; ne, nimiâ corporis fatigatione, spiritus obruatur: & à Scholasticis fiat potiùs, ad propriam cujusq; abnegationem, & humiliationem; quàm pro domesticâ aliquâ necessitate. Dum autem hæc probatio fit in Domo probationis: vacabit, qui ità probatur, ab aliis exercitiis aliorum Novitiorum, exceptis conferentiis, & exhortatione ordinariâ.

34. Cùm hæc probatio non fit in Domo probationis, sed in Domibus professis, aut Colle-

giis: sit aliquis, qui Novitiorum peculiarem curam gerat, ubi in recreatione separati sint, adjunctis aliis, à quibus in Domino adjuvari poßint.

35. In docendâ doctrinâ Christianâ pueros, ac personas rudes, publicè vel privatim, prout occasio se obtulerit, & in Domino ei commodiùs visum fuerit, tanquam in propriâ nostri instituti, Novitios exercendos curabit; habitâ personarum ratione.

36. In confeßionibus audiendis, & prædicatione divini verbi, domi aut foris, circa finem primi anni, probentur; qui ad hujusmodi ministeria idonei invenientur, & bonæ ædificationis specimen jam dederint: eo tamen modo, ne, tanquam operarii ordinarii, ad ministeria hæc exercenda exponantur; sed brevi tempore, & ad probationem.

37. Tametsi exercitia spiritualia exactè omnibus, in principio, tradenda sunt: quoad reliqua tamen experimenta, si quod eorum permutandum, aut multum moderandum judicaret, id ne faciat inconsulto Provinciali: quamquàm anteponere, aut postponere, ipse ea poterit, pro ratione personarum, temporum, aut locorum.

38. Advertat, ut hæ probationes inter se debitis spatiis distinguantur; ità, ut Novitii, unâ peractâ, aliquamdiu ad solita exercitia Domûs probationis redeant: ut, corpore & spiritu recreati, uberiorem fructum ex præteritis laboribus colligant; eâ tamen ratione, ut intra annum omnes absolvantur. Quòd-si, peculiari aliquâ de causâ, hæ probationes ad secundum annum differendæ viderentur: priùs Provincialis consulatur.

39. Præter hæc experimenta, alia fieri hoc biennio probationis possunt, & hæc eadem ex parte repeti; quando in Domino ità expedire judicaverit: & quidem omnia cum maturitate, & prudentiâ, ædificatione etiam externorum, sunt facienda.

DE INSTITUTIONE ET REGIMINE NOVITIORUM.

40. Ne fiant mortificationes publicæ, nisi ordinariæ, juxta Constitutiones: ut sunt, præter solita experimenta, petere ostiatim eleemosynam; comitari Emtorem, ad comportanda ea, quæ emuntur; indui vestibus vilioribus, quæ tamen religiosos deceant; & alia id genus, ut in officio Rectoris dicitur.

41. Convenit, ut, qui probantur, vestitûs ratione ad mortificationem, & abnegationem sui, & ad Mundum ejusq; vanitatem sub pedibus conculcãdam, juventur: & id quidem, quantum consuetudo, officium, & personarum circumstantia patientur. Discretioni autem ejus relinquitur, habitâ ratione ædificationis, an cum eisdem vestibus, quas ex seculo tulerunt, incedere sint permittendi; an verò cum aliis eas permutari oporteat.

42. Conferet, ut aliquando occasionem præbeat iis, qui probantur, exercendi obedientiæ & paupertatis virtutem, eosdem tentando, ad majorem ipsorum utilitatem spiritualem: in hoc tamen mensura, juxta uniuscujusq; vires, observetur.

43. In pœnitentiis, & corporis afflictionibus, advertat: ne nimius hujusmodi rerum usus tantoperè vires debilitet; ut postea ad ministeria nostri instituti inutiles reddantur: nec contrà tanta in illis sit relaxatio; ut, fervore spiritûs refrigescente, humani ac inferiores affectus incalescant.

44. Lectiones fiant de his, quæ ad institutum pertinent, & continentur Literis apostoli-

ſtolicis, Regulis, & Conſtitutionibus; præcipuè verò de iis, quæ in Examine, & tertiâ parte habentur; aut de aliis, quæ eò referuntur: mutatâ interdum materiâ, ut tædium tollatur. Modus verò lectionum facilis ſit, & ſimplex; & ad Novitiorum animos, ad inſtituti amorem, & ſolidarum virtutum perfectionem, promovendos, accommodatus.

45. Explicetur brevi enarratione doctrina Chriſtiana: ac modus benè & cum fructu confitendi, communicandi, Miſſam audiendi, & eidem decenter miniſtrandi; orandi itidem, meditandi, & libros denique pios legendi, pro captu uniuscujusque, tradatur.

46. Admoneat crebrò Novitios, ut in omnibus rebus Deum quærant; & in ſuis actibus intentionem puram, ad Dei beneplacitum, dirigant: ut familiares cum Deo, in ſpiritualibus devotionis exercitiis, eſſe curent: & tandem ita ſint inſtructi Novitii; ut nihil perfectionis, quod divinâ gratiâ conſequi poſſint, in abſolutâ noſtri inſtituti obſervatione, prætermittant.

47. Omnes perſpectos habeat, ut magis illis prodeſſe poſſit: ad quod juvabit, cum illis frequenter ſingillatim agere, & rationem ab unoquoq; rerum ſuarum ſuaviter exigere. in his autem privatis colloquiis, magnam utilitatem poſitam eſſe, ſciat.

48. Det operam, ut Novitii religioſam modeſtiam præ ſe ferant, juxta Conſtitutiones & Regulas, quæ de eâ conſcriptæ ſunt: in quibus tempore Novitiatûs diligenter inſtituendi erunt.

49. Cognoſcat, quem procedendi modum, in oratione, & examine, ſervent: & petat interdum, an contra aliquem defectum adhibeant examen particulare; &, quando reſiſtunt tentationibus, an propriis remediis utantur: in acquirendis virtutibus, quam rationem teneant. & intelligat demum an in his omnibus præſtent ea, quæ ab ipſo acceperunt.

50. Si aliquis ſolicitetur, vel perturbetur, ab hominibus, qui in viâ ſpiritûs non benè procedunt; & expediat, illum in alium locum transferri: Provincialem tempeſtivè moneat.

51. Si duo in eodem cubiculo habitent: alter eorum ejusmodi ſit, ut minimè dubitetur, quin alter ſit ejus ſocietate profecturus. & eandem ob cauſam, inter cubicula, quæ ſeorſum unicuiq; juniorum aſſignantur, par eſt, aliquos maturos ex antiquioribus intermiſceri.

52. Si aliquando permittendum videretur, ut aliquis conſanguineos, vel amicos, quos in ſeculo habebat, alloqueretur: coram aliquo, à Superiore ad id deſignato, id fiat, & breviter; niſi particulares ob cauſas, aliud ſtatueret Superior totius Domûs, vel Collegii.

53. Novitii non ſunt, ut-plurimùm, aſſignandi in ſocios noſtris, qui adeunt domos ſecularium: nec debent habere officia publica, in quibus neceſſarium ſit agere cum externis; ut Emtoris, Janitoris, & Sacriſtæ.

54. Videat, num aliqui, in ſchedulis, Novitiis aſſignandi ſint, ut cum eis loqui poſſint: quorum exemplo, & colloquiis, proficiant in Domino. &, ſi cum aliis ſinè facultate egerint, debitam eis pœnitentiam injungat.

55. Admoneat eos, ne vota ante biennium emittant, ſinè Superioris facultate; quam, in primo anno Novitiatûs, ſolus Provincialis, re maturè conſideratâ, dare poterit. Horum autem, qui hæc vota ſemel apud ſe, ex licentiâ Superioris, juxta formulam Societatis, emiſerint, memoria in libro aliquo aſſervetur; & poſtea tempore Novitiatûs, bis

bis in anno, statutis temporibus, seorsum ab aliis, qui biennium expleverunt, ipsi simul inter se illa renovabunt.

56. Diligenter observare debet, in toto probationis decursu, an ineptus aliquis, aut inutilis nostro instituto, probabiliter futurus sit: in quo major habenda est ratio boni communis Societatis, ad gloriam Dei, quàm particularis cujusq;. Quid autem sentiat in hac re, ad minimum sexto quôq; mense ad Provincialem scribat; ut ipse provideat.

57. De singulis etiam, sub finem biennii, ad eundem scribat; ut cum illius facultate consueta vota Societatis emittant, aut diutiùs probentur: priùs autem, quàm vota emittant, per hebdomadæ spatium se colligant; & aliqua exercitia spiritualia, præter alia, quæ præscripta sunt, faciant.

58. Scholastici, qui studiis absolutis, tertium probationis annum peragunt, in variis experimentis, & speciatim in nonnullis jam-dictis, quámvis illis priùs jam perfuncti fuerint, probentur. Hujus autem probationis tempore, in scholâ affectûs se exerceant; & in rebus spiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate, & abnegatione universi amoris sensualis, voluntatis, & judicii proprii, & ad majorem cognitionem, & amorem Dei conferunt, insistant.

59. Adhibeat diligentiam, ut Coadjutores temporales, in modo orandi, juxta Constitutiones, instruantur: eosq; mysteria Rosarii doceat, & privatim instruat; ut ad suæ vocationis ministeria afficiantur, & sorte Marthæ contenti sint.

60. Exhortationibus ordinariis omnes intersint. Coadjutores tamen temporales, & indifferentes, non interrogentur in Conferentiis, nisi cum rerum & personarum delectu; nec ad Tonos conveniant. & ii quidem per sex menses, ad minimum, in domo probationis sint: reliquo autem biennii tempore, sic sub curâ Magistri erunt; ut aliis officiis, ad-instar aliorum Coadjutorum, vacare poßint; & tempus ordinarium orationis Domûs, vel Collegii, ubi agent, habeant: experimenta tamen, ad quæ apti fuerint, intra annum absolvant.

61. Quando erit concio domi, vel in Ecclesiâ, quam Novitii sint audituri; eo die à Lectionibus, & Conferentiis, & Tonis, liberi erunt.

62. Singulis hebdomadis, die unâ à solitis exercitiis vacent: in quâ aliquid honestæ recreationis poterunt sumere, domi vel forìs.

DE EXAMINE SEMESTRI NOVITIORUM.

63. Sexto quôq; mense, per biennium probationis, Literas apostolicas, & Regulas, unusquisq; videre & considerare debet, & Examen, relicto secundo & tertio capite, & aliis, quæ ad gradum suum non pertinent; ut Regulâ 12. & 13. dictum est. deinde, postquam hæc omnia viderit, interrogetur.

64. An prædictis omnibus contentus sit; an verò aliquid dubii, vel difficultatis, circa ea occurrat: quæ experimenta peregerit; & quomodo in illis se habuerit.

65. An vires sibi corporales, & spirituales, suppetere sentiat, ad labores perferendos, qui in Societate requiruntur: num deliberatum habeat animi propositum, vivendi & moriendi in hac Societate JESU, *Domini nostri.*

66. Exa-

66. Examen hoc factum notetur scripto, ut constet. Quòd-si quid novi occurrat, aut si qua mutatio alicujus momenti accidat: Superiorem certiorem reddat.

67. Demùm, qui sic examinatus est, reddet rationem conscientiæ suæ Superiori, aut ei, quem Superior delegaverit: & ab ultimâ confessione generali incipiendo, generaliter confitebitur Sacerdoti, qui fuerit à Superiori designatus.

DE ORDINE DOMUS PROBATIONIS.

CAP. IV.

68. Novitii manè, post pulsum campanæ, dum surgunt, dum se induunt, & lectum decenter operiunt, aliquas orationes ad Deum fundant; aut aliquid in Domino meditentur: & reliquo semihoræ spatio, piâ aliquâ lectione, aut aliâ ratione, ad orationem se præparare poterunt.

69. Postea integram horam orationi mentali, aut vocali, vel meditationi, dent; juxta cujusq; captum, & Magistri Novitiorum instructionem.

70. Absolutâ oratione, media illis conceditur hora, ad lectum & cubiculum componendum; & ad dispiciendum, quem fructum ex oratione collegerint.

71. Post hæc, Missam devotè & reverenter audiant: quâ absolutâ, intersint lectioni, seu exhortationi, quæ de rebus spiritualibus, bis in hebdomadâ, per dimidiam horam, illis fiet: reliquâ autem dimidiâ, statim repetent audita: & conferent inter se terni, aut quaterni, sinè ullâ disputatione; sed cum humilitate, & modestiâ.

72. Sequenti die, iis de rebus, ut meliùs ad praxin reducantur, eâdem horâ fient collationes, hac ratione: ut, lectione præcedenti breviter, per unum, aut plures à Magistro designatos, repetitâ, proponat aliquis, quomodo vincatur talis tentatio, aut difficultas in re propositâ; aut unde oriatur hoc vel illud impedimentum, & quid remedii possit adhiberi; & alia similia. Postquam autem aliqui dixerint, quid sibi occurrat; Magister constituet, quid tenendum sit.

73. Reliquo toto tempore, usque ad examen, (quod semper ante prandium fiet) per quartam horæ partem, in suis officiis, aut in aliquo exercitio corporali, aut labore manuum, à Magistro Novitiorum præscripto, occupabuntur: aliquid tamen temporis quotidiè, præsertim ante prandium, tribuant Regulis, & doctrinæ Christianæ, & aliis, quæ judicio Magistri Novitiorum cuiq; convenient, addiscendis, & memoriæ mandandis.

74. Post examen, sequatur prandium: quo absoluto, horam integram recreationi dabunt, tàm qui in priore, quàm qui in posteriore mensâ pransi erunt. Tempore autem recreationis, poterunt mutuò colloqui: dummodò pauciores, quàm quatuor, non conveniāt; nisi aliter Magistro videretur. Agent autem, de exemplis vitæ Christi, vel Sanctorum, aut de his, quæ cum ædificatione in Societate fiunt; aut de re aliquâ utili in Domino.

75. Expleto recreationis tempore, audito campanæ pulsu, se-se ad cubicula recipiant: (præter eos, qui in aliquibus officiis occupati erunt) ut aliquid legant, vel scribant, vel quid aliud agant, juxta Magistri præscriptum.

76. Post finitam horam, omnes cum Magistro convenient; & pensum aliquod eorum, quæ antea memoriæ mandaverint, reddent. Postea explicabitur illis bis, singulis hebdomadis, per dimidiam horam, doctrina Christiana: deinde eam recitabunt, uno stante & in-

terrogante; & aliis respondentibus, vel se-se invicem interrogantibus: & instruantur in modo docendi illam, juxta morem regionis. Uno verò die cujusq; hebdomadæ fiant Toni.

77. His expletis, ad sua officia, vel ad aliquid legendum, aut ad alias occupationes, se conferent: deinde, ante ultimam horam, quæ cœnam præcedit, per semihoram, orationi vacabunt: ipsam verò horam ultimam, sequentem ante cœnam, partim officiis domesticis, partim corporali exercitationi, vel aliis occupationibus, quas Magister præscripserit, impendent.

78. Post cœnam, horam integram recreationi dabunt: reliquo tempore usque ad examen, (quod semper fiet, antequàm cubitum eant, per quartam horæ partem) poterunt aliquid legere; vel aliâ ratione se ad orationem sequentis diei præparare; vel aliud facere, pro arbitrio Magistri Novitiorum.

79. Novitios inter se conversari non convenit: sed silentium invicem, & cum aliis, observare; nisi in rebus, in quibus loqui necesse sit: excepto recreationis tempore, de quo jam suprà dictum est.

DE EXAMINE EORUM, QUI, BIENNIO ABSOLUTO, IN SCHOLASTICOS APPROBATOS ADMITTUNTUR.

CAP. V.

80. Postquam quis biennium Novitiatûs, peractis experimentis, expleverit; & ad interrogationes, quæ sexto quôq; mense fiunt, responderit: antequàm vota Scholasticorum emittat, interrogetur.

81. An velit se duci sinere circa ea, quibus studere debet, ac studiorum modum, & tempus, juxta quod Superiori videbitur?

82. An contentus futurus sit, eodem, atque alii, modo in Collegio agere; nullisq; privilegiis, aut prærogativis, omnium minimum, qui in eo fuerint, anteire: omnem sui curam Superiori relinquendo?

83. An statuerit omninò apud se, studiis absolutis, ac probationibus peractis, Societatem, ad vivendum in eâ & moriendum, ingredi, in eo gradu, quem Superior constituerit, ad majorem Dei gloriam?

84. Admoneatur, quòd, votis post biennium ab ipso emissis, non poterit, sinè facultate Generalis, à Societate nostrâ recedere; nec ad aliam religionem, exceptâ Carthusiensium, transire: sub pœnâ excommunicationis, ipso facto incurrendâ, juxta Bullam Pii V. anno 1565. expeditam.

DE EXAMINE SCHOLASTICORUM, STUDIIS ABSOLUTIS.

CAP. VI.

85. Scholastici, studiis suis absolutis, statim, postquam ad tertium annum probationis peragendum missi fuerint, generatim interrogandi sunt: an firmi in suâ deliberatione, & votis & promissione Deo oblatis, antequàm ad studia se conferrent, permaneant? ut eorum status meliùs cognoscatur; & ipsi magìs in Domino juvari possint.

86. In-

86. Interrogentur etiam, & examinentur particulatim, eisdem interrogationibus, & examine; quo sexto quoq; mense, antequàm ad studia mitterentur, interrogati fuerunt: ut Superioribus eorum memoria renovetur; & mutatio, si aliqua in rebus jam affirmatis accidisset, cognoscatur.

87. Postremò reddent rationem vitæ suæ, inchoando ab eo tempore, quo eam reddiderunt, quando ad studia missi sunt.

REGULÆ MODESTIÆ.

1. In conversatione nostrorum, illud in universum dici potest; ut, in omnibus externis actionibus, appareat in nostris modestia, & humilitas, conjuncta cum religiosâ maturitate: speciatim autem hæc observanda erunt.

2. Caput huc-illuc leviter non moveatur; sed cum gravitate, ubi opus erit: &, si opus non sit, teneatur rectum, cum moderatâ inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo.

3. Oculos demissos ut-plurimùm teneant: nec immoderatè eos elevando; nec in hanc, aut illam partem, circumflectendo.

4. Inter loquendum, cum hominibus præsertim alicujus auctoritatis, non defigatur adspectus in eorum vultus; sed potiùs sub oculos.

5. Rugæ in fronte, ac multò magis in naso, evitentur: ut serenitas exteriùs cernatur, quæ interioris sit indicium.

6. Labia nec nimis compressa, nec nimiùm diducta.

7. Tota facies hilaritatem potiùs præ se ferat, quàm tristitiam, aut alium minùs-moderatum affectum.

8. Vestes sint mundæ, & cum religiosâ decentiâ compositæ.

9. Manus, si non sustinendâ veste occupentur, decenter quietæ teneantur.

10. Incessus sit moderatus, sinè notabili festinatione; nisi necessitas urgeret: in quâ tamen, quantum poterit, decôris ratio habeatur.

11. Omnes denique gestus, ac motus, ejusmodi sint; qui apud omnes ædificationem pariant.

12. Si plures simul erunt; ordinem præscriptum à Superiore, bini vel terni incedendo, servent.

13. Si loquendum fuerit; meminerint modestiæ, & ædificationis, tùm in verbis, tùm in ratione ac modo loquendi.

INSTRUCTIO AD REDDENDAM CONSCIENTIÆ RATIONEM, JUXTA MOREM SOCIETATIS.

Intelligant singuli, dum rationem conscientiæ sunt reddituri, quanti momenti Pater noster sanctæ memoriæ Ignatius id duxerit, ad majorem divinæ bonitatis gloriam: ut subditi magìs in spiritu, cum gratiâ uberiori, proficiant; ac tantò majore cum diligentiâ, amore, & solicitudine, juvari, & à periculis conservari possint: ut, quæ in Examine, &

Constitutionibus, toties commendantur, & §.40. Summarii Constitutionum præscribuntur, de reddenda ratione conscientiæ, exactè serventur. Proinde unusquisque, magnâ cum puritate, sub sigillo confessionis, aut secreti, aut quacunque ratione ei placuerit, & ad majorem ipsius consolationem fuerit, totam animam suam integrè manifestam faciat; nullam rem celando, quâ Dominum universorum offenderit, post ultimam rationem redditam conscientiæ: vel certè aperiat eos defectus, qui magìs ab eo tempore gravant ipsius animam.

Capita verò, quibus conscientiæ ratio reddi debet, hæc ferè erunt: ex quibus cùm ea retulerint, quæ ad plenam sui manifestationem dicenda putaverint; petant à Superiore, ut eos interrogando juvet, ac suppleat, si quid esse judicet, quod ad majorem Dei gloriam, & suorum notitiam, scire velit.

1. An vivat contentus juxta suam vocationem?

2. Quomodo se habeat circa obedientiam, etiam intellectûs, paupertatem, castitatem, & usum aliarum virtutum: & quarum præcipuè studio intentus sit?

3. An sentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes molestas? & de facilitate, seu difficultate, & modo eis resistendi: & ad quos affectus, vel peccata, sit magìs propensus & incitatus?

4. An contra Constitutiones, vel Regulam aliquam, vel ordinationem Superiorum, firmum judicium habuerit; vel contra eam disputaverit?

5. Quid sentiat de ipso instituto Societatis, & mediis, quibus illa utitur ad suum finem consequendum: & quem experiatur in se zelum animarum?

6. Quomodo spiritualibus rebus sit affectus: quantum temporis orationi tribuat: & num vocali, an potiùs mentali, juvetur: & utri plus temporis tribuat: & quem modum in orando teneat?

7. Num, in usu rerum spiritualium, consolationem & devotionem habeat; an verò contrà desolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur: & quomodo in iis se gerat?

8. De fructu, quem ex communione, confessione, examine, præsertim particulari, & aliis exercitiis spiritualibus, percipiat.

9. Num, post ultimam rationem conscientiæ, quam reddidit, majorem an minorem fructum fecerit: & quem animum experiatur, ad perfectionem consequendam?

10. Quomodo observet, quæ ex Constitutionibus & Regulis, tum communibus, tum officii sui, ad eum pertinent.

11. De mortificationibus, pœnitentiis, & aliis exercitationibus, quæ faciunt ad spiritûs profectum: & in specie, de præparatione ad injurias, & ad alia, quæ ad Christi crucem pertinent, ferenda; atque de eorum desiderio.

12. De sociis; & quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino: & an alicui plùs sit familiaris, quàm aliis?

13. An aversionem animi sentiat ab aliquo: & an offensus sit in aliquo à Superioribus, vel Officialibus, vel quâvis aliâ personâ.

14. An tentationes aliquas sit passus, quas alii intellexerint: præsertim circa vocationem?

REGULÆ PEREGRINORUM.

1. Persuadeant sibi, peregrinationis finem, non tàm esse corporis defatigationem, & ut multum iter conficiant; quam ut ex eâ fructum aliquem spiritualem percipiant: atq; ex eo fine, & iter ipsum, & cæteros peregrinationis labores, moderentur.

2. Litanias simul omnes quotidie, in ipso itineris ingressu, vel Itinerarium dicant: nec orationem, & consueta examina, prætermittant: & alias etiam Regulas observent, quantum ratio itineris permittet.

3. Studeant frequenti oratione, & meditatione, comitem itineris sibi Christum facere: & colloquiis interdum piis, & religiosis, ac lectione alicujus libri pii, molestias itineris levare poterunt. Quòd-si cum externis, in viâ, aut in hospitiis, egerint: meminerint, pro ratione sui gradûs, habitâ ratione temporis personarum, sermones de rebus spiritualibus inducere, & fructum aliquem, quoad poterunt, efficere.

4. Eleemosynas simpliciter, pro Christi amore, petant: ut, omni spe illâ abjectâ, quam in pecuniis, & rebus creatis, habere possunt, integrè, verâ cum fide & ardenti amore, eam in suo Creatore ac Domino constituant: memores, à Christo Domino Apostolos, sinè sacculo & perâ, missos; ipsum etiam Dominum non habuisse, ubi caput reclinaret.

5. Indigentiâ & penuriâ rerũ corpori necessariarum probari exoptent; ut ad incommoditatem cibi, somnive capiendi, libenter assuescant: injurias verò, illusiones, & opprobria, quæ in itinere inferri contigerit, patienter cum Dei gratiâ ferant; gaudeantq; materiam præberi sibi imitandi aliquo modo Christum Dominum, ejusq; vestibus atq; insignibus se-ipsos induendi.

6. Qui majoribus pollent ad viam peragendam viribus; eos, qui sunt infirmiores, subsequi, & non præcedere debent: & iter cujusq; diei, horum debilium infirmitate commensuretur. Quòd-si quis viribus destitueretur; jumento, aut aliâ ratione, juvari debet: quâ in re, non qualitatis personarum; sed necessitatis, & charitatis fraternæ, ratio est habenda.

7. Si quis in morbum incideret, ità ut ulteriùs progredi non posset; nec expediret, reliquos ibi moram trahere: si vicinum esset Collegium, aut Domus Societatis; eò esset æger (si modò morbus patiatur) deducendus. Alioqui aliquis ex nostris illi erit socius relinquendus; ut consolationi ei sit, & auxilio. Ægro autem viribus restituto, cœptum iter ambo prosequentur.

8. Si in viâ ab honesto & pio amico invitarentur: posset, qui præest, hospitalitatis beneficium admittere. Tunc autem curare debent, verbis, & religioso exemplo, hospites ædificatos in Domino relinquere.

9. Ejusdem ædificationis, & exempli, in omnibus hospitiis meminisse debent: sobrietatis etiam in mensâ, & modestiæ in conversatione, nunquam obliviscantur.

10. Cùm in itinere ad Collegia, vel Domos Societatis, divertent: studeant omnes bonum ædificationis odorem, exemplo vitæ, ac morum, nostris relinquere. De rebus verò, aut personis aliorum Collegiorum, aut Domorum, nihil loquantur, aut tractent; nisi ad ædificationem.

11. Si transierint per locum, ubi Domus, aut Collegium Societatis sit: nihil ab externis,

Constitutionibus, toties commendantur, & §. 40. Summarii Constitutionum præscribuntur, de reddenda ratione conscientiæ, exactè serventur. Proinde unusquisque, magnâ cum puritate, sub sigillo confessionis, aut secreti, aut quacunque ratione ei placuerit, & ad majorem ipsius consolationem fuerit, totam animam suam integrè manifestam faciat; nullam rem celando, quâ Dominum universorum offenderit, post ultimam rationem redditam conscientiæ: vel certè aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravant ipsius animam.

Capita verò, quibus conscientiæ ratio reddi debet, hæc ferè erunt: ex quibus cùm ea retulerint, quæ ad plenam sui manifestationem dicenda putaverint; petant à Superiore, ut eos interrogando juvet, ac suppleat, si quid esse judicet, quod ad majorem Dei gloriam, & suorum notitiam, scire velit.

1. An vivat contentus juxta suam vocationem?

2. Quomodo se habeat circa obedientiam, etiam intellectûs, paupertatem, castitatem, & usum aliarum virtutum: & quarum præcipuè studio intentus sit?

3. An sentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes molestas? & de facilitate, seu difficultate, & modo eis resistendi: & ad quos affectus, vel peccata, sit magis propensus & incitatus?

4. An contra Constitutiones, vel Regulam aliquam, vel ordinationem Superiorum, firmum judicium habuerit; vel contra eam disputaverit?

5. Quid sentiat de ipso instituto Societatis, & mediis, quibus illa utitur ad suum finem consequendum: & quem experiatur in se zelum animarum?

6. Quomodo spiritualibus rebus sit affectus: quantum temporis orationi tribuat: & num vocali, an potiùs mentali, juvetur: & utri plus temporis tribuat: & quem modum in orando teneat?

7. Num, in usu rerum spiritualium, consolationem & devotionem habeat; an verò contrà desolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur: & quomodo in iis se gerat?

8. De fructu, quem ex communione, confessione, examine, præsertim particulari, & aliis exercitiis spiritualibus, percipiat.

9. Num, post ultimam rationem conscientiæ, quam reddidit, majorem an minorem fructum fecerit: & quem animum experiatur, ad perfectionem consequendam?

10. Quomodo observet, quæ ex Constitutionibus & Regulis, tum communibus, tum officii sui, ad eum pertinent.

11. De mortificationibus, pœnitentiis, & aliis exercitationibus, quæ faciunt ad spiritûs profectum: & in specie, de præparatione ad injurias, & ad alia, quæ ad Christi crucem pertinent, ferenda; atque de eorum desiderio.

12. De sociis; & quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino: & an alicui plùs sit familiaris, quàm aliis?

13. An aversionem animi sentiat ab aliquo: & an offensus sit in aliquo à Superioribus, vel Officialibus, vel quâvis aliâ personâ.

14. An tentationes aliquas sit passus, quas alii intellexerint: præsertim circa vocationem?

REGU-

REGULÆ PEREGRINORUM.

1. Persuadeant sibi, peregrinationis finem, non tàm esse corporis defatigationem, & ut multum iter conficiant; quam ut ex eâ fructum aliquem spiritualem percipiant: atq; ex eo fine, & iter ipsum, & cæteros peregrinationis labores, moderentur.

2. Litanias simul omnes quotidie, in ipso itineris ingressu, vel Itinerarium dicant: nec orationem, & consueta examina, prætermittant: & alias etiam Regulas observent, quantum ratio itineris permittet.

3. Studeant frequenti oratione, & meditatione, comitem itineris sibi Christum facere: & colloquiis interdum piis, & religiosis, ac lectione alicujus libri pii, molestias itineris levare poterunt. Quòd-si cum externis, in viâ, aut in hospitiis, egerint: meminerint, pro ratione sui gradûs, habitâ ratione temporis personarum, sermones de rebus spiritualibus inducere, & fructum aliquem, quoad poterunt, efficere.

4. Eleemosynas simpliciter, pro Christi amore, petant: ut, omni spe illâ abjectâ, quam in pecuniis, & rebus creatis, habere possunt, integrè, verâ cum fide & ardenti amore, eam in suo Creatore ac Domino constituant: memores, à Christo Domino Apostolos, sinè sacculo & perâ, missos; ipsum etiam Dominum non habuisse, ubi caput reclinaret.

5. Indigentiâ & penuriâ rerũ corpori necessariarum probari exoptent; ut ad incommoditatem cibi, somníve capiendi, libenter assuescant: injurias verò, illusiones, & opprobria, quæ in itinere inferri contigerit, patienter cum Dei gratiâ ferant; gaudeantq; materiam præberi sibi imitandi aliquo modo Christum Dominum, ejusq; vestibus atq; insignibus se-ipsos induendi.

6. Qui majoribus pollent ad viam peragendam viribus; eos, qui sunt infirmiores, subsequi, & non præcedere debent: & iter cujusq; diei, horum debilium infirmitate commensuretur. Quòd-si quis viribus destitueretur; jumento, aut aliâ ratione, juvari debet: quâ in re, non qualitatis personarum; sed necessitatis, & charitatis fraternæ, ratio est habenda.

7. Si quis in morbum incideret, ità ut ulteriùs progredi non posset; nec expediret, reliquos ibi moram trahere: si vicinum esset Collegium, aut Domus Societatis; eò esset æger (si modò morbus patiatur) deducendus. Alioqui aliquis ex nostris illi erit socius relinquendus; ut consolationi ei sit, & auxilio. Aegro autem viribus restituto, cœptum iter ambo prosequentur.

8. Si in viâ ab honesto & pio amico invitarentur: poterit, qui præest, hospitalitatis beneficium admittere. Tunc autem curare debent, verbis, & religioso exemplo, hospites ædificatos in Domino relinquere.

9. Ejusdem ædificationis, & exempli, in omnibus hospitiis meminisse debent: sobrietatis etiam in mensâ, & modestiæ in conversatione, nunquam obliviscantur.

10. Cùm in itinere ad Collegia, vel Domos Societatis, divertent: studeant omnes bonum ædificationis odorem, exemplo vitæ, ac morum, nostris relinquere. De rebus verò, aut personis aliorum Collegiorum, aut Domorum, nihil loquantur, aut tractent; nisi ad ædificationem.

11. Si transierint per locum, ubi Domus, aut Collegium Societatis sit: nihil ab externis,

nec pro se, nec pro aliis, petant, aut accipiant, sinè facultate Superioris ejusdem Domûs, vel Collegii.

12. Omnes alii, qui iter faciunt ex nostris, equites, aut pedites, has Regulas Peregrinorum suo modo, quantum fieri potest, etiam servent: & tam peregrini, quàm reliqui, qui iter faciunt, patentes literas sui Superioris habere curent.

REGULÆ MINISTRI.

1. Ejus officium erit, Præpositum vel Rectorem juvare in iis, quæ in genere, vel in particulari, ei commendabit: nec dispensandi, aut mutandi, aut quidquam faciendi, nisi ex ejusdem præscripto, facultatem habebit.

2. Valdè commendatum sibi existimet, quod pertinet ad observationem Constitutionum, Regularum, Ordinum communium, & approbatarum Consuetudinum Domûs, vel Collegii: ideoq; habeat in scriptis, & aliquando legat, tàm communes omnium, quàm particulares Superioris & Officiarium Regulas; & eosdem Officiales, suas habere, intelligere, atq; observare, curet.

3. Officiales visitet, quoties opus fuerit, observando, quomodo suum officium exsequantur: quod saltèm alternis diebus faciet. Frequenter etiam visitabit cubicula, & alia loca Domûs: ut videat, quomodo omnia se habeant.

4. Cùm quis ab officio aliquo amovetur: curet, ut is suum successorem instruat, de ratione exercendi illud, juxta Regulas, & Consuetudines à Superiore approbatas.

5. Animadvertat in temporum mutationibus, quomodo in Collegio, vel Domo, fieri debeat horarum, ciborum, vestiumq; mutatio: & Superiori in memoriam reducat: præsertim bis in anno, sub initium veris, & autumni. Observet etiam crebrò, num aliquid desit ex necessariis, aut abundet: eorumq; potissimùm rationem habeat, qui, in corporis curâ, minorem de se-ipsis solicitudinem gerunt: curetq;, ut adsit, cùm Medicus ægrotos inviset.

6. Quotidie, horâ sibi designatâ, de rebus omnibus Domûs, rationem Superiori reddat: à quo excipiet, in libello ad id parato, quæ ei facienda committet: &, cùm primùm commode poterit, eidem referat, quæ exsecutus fuerit.

7. Redigat Superiori in memoriam ea, quæ necessaria Domui judicabit: ut, de emendis rebus ad victum & vestitum necessariis, suis temporibus; de fratrum nimio aut exiguo labore, de sanitate, & similibus.

8. Notet, ac referat Superiori, tàm defectus, si quos vel Domi, aut in Collegio, animadverterit, vel aliunde intellexerit; quàm quæcunque alia, quæ ad bonam gubernationem convenientia ei occurrent; tùm etiam circa res sibi commissas, & quasvis alias: ut, quomodo se nostri habeant, circa Obedientiam, orationem, ædificationem, & in omnibus virtutibus profectum & studium.

9. Curet per æditum, vel aliquem alium designatum, observari; an omnes die statuto communicaverint: & si quis, intra tempus designatum, ad confessionem, aut communionem, non accederet; intelligat à Superiore, num subtrahendus ei sit cibus corporis, donec cibum spiritûs sumat.

10. Peculiarem habeat curam, ut Domus munda sit, & omnia ubiq; decenter suis locis composita; sed præcipuè in iis, quæ ab externis videri solent.

11. Noctibus singulis, portas Domûs, quibus in publicum exitur, videat, an bene clausæ sint.

12. Designet aliquem, ex commissione Superioris, qui communes lucernas domûs opportuno tempore incendat, & extinguat: qui itèm publicas fenestras suo tempore aperiat, & claudat; ac, pro abluendâ facie, & manibus, in loco destinato aquam infundat; & pro iis extergendis, mantilia, ab iis, quæ in usum Refectorii sunt, distincta adhibeat: quæ alia non-Sacerdotibus, alia Sacerdotibus, destinata erunt; & bis saltèm in hebdomadâ mutabuntur.

13. Studeat animos Patrum, & Fratrum inter se, per benevolentiam, & præsertim cum Superiore per obedientiam unire: & si quid minùs æquo animo aliquis ferret, velit potiùs in se, (quoad fieri potest) quàm in Superiorem, causam rejici; veluti in injungendis pœnitentiis, quas ipse juxta præscriptum Superioris imponet: & tàm in eis quàm in reprehensionibus, ab animi perturbatione caveat; charitatemq; præ se ferendo, studeat, ut illi, quibus pœnitentias imponet, meritò sibi injungi cognoscant.

14. Si quando, absente Superiore, aliquid acciderit, quod adeò urgeat, ut commodè Superior exspectari nequeat: id Minister, auditis Consultoribus, exsequi poterit; quámvis in specie non sit ipsi commissum: dummodò existimet, juxta Superioris mentem id fore; statimq; redeunti, quod factum fuerit, referat. Quod autem sibi ordinariè agendum erit, absente Superiore; ab eo curet intelligere.

15. Si Subministrum habuerit; utatur ejus operâ in iis, quæ commodè per se facere non poterit, juxta præscriptum Superioris: si verò non habuerit, alternis saltèm diebus singula cubicula visitet, & alia, quæ in officio Subministri continentur, suppleat.

REGULÆ CONSULTORUM.

1. Intelligant, quanti momenti sit eorum officium; ut Superiores, eorum consilio & relatione adjuti, meliùs & faciliùs gubernare possint.

2. Sint amatores boni communis; illudq; in omnibus consultationibus præ oculis habeant: atq; ut divinæ inspirationi dent locum, & saniora sint eorum consilia: in suo sensu non nimis abundet.

3. In consultationibus sinceram intentionem habeant, & à perturbatione liberam: ut fideliter, & debitâ cum modestiâ, charitatis & obedientiæ memores, sententiam dicant.

4. Sint inter se maximè charitate conjuncti, & alter alterum honore præveniat; atq; apud alios alter alterius existimationem, verbis factisq;, tueatur. Si verò contingat, aliquem in consultationibus, diversæ, aut etiam singularis esse sententiæ: nemo ullam ab eo alienationem, vel habeat, vel ostendat.

5. Rem, de quâ consultatur, benè intelligant: nec sint in dicendo præcipites; sed negotio secum considerato, & oratione præmissâ, præcipuè cùm de rebus agitur difficilibus, sententiam suam aperiant. Quòd-si quid ex tempore discutiendum proponeretur; & sibi maturiùs considerandum judicarent: Superiori significabunt.

6. Expli-

6. Explicare breviter debent sententiæ suæ rationes. Quòd-si, ad rem confirmandam, aliorum rationes essent dissolvendæ: id etiam modestè faciant.

7. Cùm Superior, Consultoribus auditis, aliquid statuerit: judicium ipsi suum illius judicio submittent; neq; extra consultationem, aut quod statutum fuerit, sibi displicere, aut se in aliâ fuisse sententiâ, significabunt: laudent potiùs Superioris consilium apud alios, atq; tueantur. Quòd-si ob rei, de quâ agitur, gravitatem, adhuc sentirent, ad alium Superiorem esse rem deferendam; quòd nihil monitione sua se effecturos sperarent: re priùs apud se maturiùs consideratâ, & oratione præmissâ, ad immediatum illius Superiorem; aut, si is non provideat, ad Supremum, id facere ne prætermittant.

8. Etiamsi non interrogentur; si quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum, vel alicujus personæ particularis, pertineat: poterunt id Superiori proponere; ut is statuat, num ea de re sit deliberandum, nécne.

9. Consultores neq; ea, quæ quisq; in consultatione senserit; neq; ea, quæ proposita sunt, aut definita, aliis significare debent; præcipuè cùm res ipsæ secretum exigunt. Superioris autem erit, ea, quæ definientur, promulgare; cùm opus esse judicabit.

10. De literis, ad Superiores suo tempore mittendis, servent diligenter, quæ in Formulâ scribendi à Consultoribus exiguntur. Et hæ literæ sigillo, quod apud Admonitorem erit, obsignatæ mittantur: nec quisquam eorum sciat, quid alius scripserit.

11. Si quis ex nostris ad Generalem scripserit; & literas Admonitori, aut alicui ex Consultoribus, tradere voluerit: is acceptas cum suis, aut sub sua propria manûs inscriptione, ad Generalem mittendas curabit.

12. Si quid circa victum, vestitum, labores, & occupationes Superioris, aut circa gubernationem, moderandum, augendum, vel mutandum censerent: illum, præmissâ oratione, admonendum curent; quod fere per Admonitorem faciant.

13. Si quis cum eis, de difficultate aliquâ suâ, aut perturbatione, agat: ità eum suis monitis & consilio juvare studeant; ut semper, quantum possint, existimationem Superioris tueantur.

14. Ad omnia meliùs obeunda, Superiorum suorum, & aliorum Officialium, Regulas teneant, Constitutionesq;, & reliqua omnia, quæ ad nostrum institutum & administrationem pertinent, familiaria sibi reddant.

15. Ita suum munus exsequantur; ut nullam gubernationis partem sibi assumant: atq; eâ submissione se gerant; ut cæteris Obedientiæ exemplum præbeant.

REGULÆ ADMONITORIS.

1. Eâ modestiâ & humilitate officium suum obeat; ut subditum decet erga Superiorem, quem Christi loco habet. Niti enim debet, ne, hujus muneris occasione, reverentia atq; obedientia, interior vel exterior, in ipso debilior reddatur.

2. Animadvertat autem, ne reverentia hæc, & obedientia, fidelitatem, aut necessariam libertatem, opprimat: quò minùs Superiorem admoneat de iis, quæ, præmissâ oratione, proponenda in Domino judicabit.

3. Admoneat Superiorem de iis, quæ major pars Consultorum ei dicenda judicaverit:

verit: de aliis verò, quæ sive ipsi in mentem venient, sive ab aliis suggerentur, non facilè eum admonebit; sed de iis duntaxat, quæ non-levis momenti, post orationem, esse censuerit: sive illa ad personam, sive ad officium Superioris pertinebunt, juxta Constitutiones & Decreta.

4. Ea, quorum Superiorem admonuerit, meminerit tacitus apud se servare: quàmvis interrogatus à Consultoribus de iis, quæ ipsi commisissent dicenda, vel à Superioribus, rationem sui officii eis debebit reddere.

5. Cùm Superior, cuispiam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit: Admonitoris erit, cum debitâ submissione iterum, & sæpiùs, eum commonefacere. Quòd-si emendationem non sperat: factâ priùs oratione, id Superiori significet.

6. Admonitoris erit, ordinarias epistolas Consultorum suis temporibus colligere, atque ad mediatos Superiores mittere; nisi eas illi aliâ viâ mittere voluerint: simulq; referet eisdem, utrùm illi scripserint, an non.

7. Caveat, ne, occasione sui officii, debitam subordinationem, & observantiam subditorum erga suos Superiores, aliquâ ex parte imminuat, aut debilitet.

8. Sigillum apud se habeat, quo suas, & Consultorum, ac aliorum nostrorum literas, si ad eum detulerint, qui ad mediatos Superiores scribere voluerint, obsignare possit. Hoc tamen nullâ ratione, sinè facultate Superioris, uti licebit; nisi in iis literis, quæ ad Superiores mediatos scribentur.

FORMULA SCRIBENDI.

1. Magnoperè juverit ad animorum unionem in Societate, literarum ultrò citroq; missarum, inter Inferiores & Superiores, frequens commercium: & crebrò alios de aliis certiores fieri, & audire; quæ ex variis locis, ad ædificationem, & eorum, quæ geruntur, cognitionem, afferuntur.

2. Superiores Domorum, & Rectores, scribant singulis hebdomadis, ad suum Provincialem in Europâ: in Indiis verò, ut suis Provincialibus visum fuerit commodum, & opportunum.

3. Scribant autem ad suum Provincialem, de statu personarum, & rerum omnium: non solùm quæ inter nostros; sed etiam quæ, per ministeria Societatis, erga externos, in Domibus suis, vel Collegiis, fiunt: & non tantùm de his, quæ rectè se habent; sed etiam de his, quæ secùs: &, quoad fieri poterit, curent, ut omnia, tanquam præsentia, Provincialis cernat.

4. Primo quôque tempore, ad suum Provincialem scribant Superiores Domorum, & Rectores, de obitu eorum, qui in suis locis decedunt. Provincialis verò, reliquos de suâ Provinciâ admonebit; ut quam-primùm, solitis suffragiis, & orationibus, eorum animæ juventur: & statim Præpositum Generalem, & vicinos Provinciales, certiores reddat; ut simile officium præstare possint.

5. Missi ad fructificandum in agro Domini, scribant ad suum Provincialem, aut ad eum, quem ille designaverit, singulis hebdomadis; vel quoties ipsis fuerit præscriptum: ut, per crebram literarum communicationem, quantum fieri potest, totum successum suarum missionum illi declarent.

6. Provinciales Superioribus Domorum, & Rectoribus, ac iis, qui in missionibus versantur, singulis mensibus; personis autem privatis, quibus, & quando opus erit, scribant.

7. Provinciales omnium Provinciarum Europæ, scribant ad Generalem, semel quolibet mense: Rectores autem, & Superiores Domorum, & Magistri Novitiorum, tertio quôque mense.

8. Provinciales Indiarum, scribent Præposito Generali, quando se obtulerit navigationis commoditas: Rectores verò, & Superiores Domorum, ac Magistri Novitiorum, ex Indiis semel; ex Brasiliâ, & novâ Hispaniâ, bis in anno, si se obtulerit occasio.

9. Prædicti omnes extraordinariè sibi mutuò scribant, quoties necessitas urgebit.

10. Superiores Domorum, & Collegiorum, & Magistri Novitiorum, scribant ad Generalem, quæ alicujus momenti fuerint; etiamsi approbante Provinciali fiant: illa verò potissimùm scribant, in quibus Provincialis, admonitus, vel non providet, vel providere nequit; vel, postquàm Provincialis cum illis tractaverit, ipsi ab ejus judicio dissentiunt. sed tunc quidem addant, quid Provincialis responderit; & quibus rationibus ipsi ab eo dissentiant: interim tamen ei per omnia obediant.

11. Cùm Provinciales scribent Generali; curabunt, ut statum Domorum, & Collegiorum suorum, ac totius Provinciæ, benè explicent; & suppleant, si quid intellexerint, quod Superiores Domorum, & Collegiorum, minùs declaraverint: & in universum ita scribere debent; ut Generalis omnium rerum, omniumq; personarum, ac Provinciarum statum, quoad ejus fieri possit, ante oculos habeat.

12. Generalis ad Provinciales scribet, secundo quôque mense: ad Rectores verò, & Præpositos locales, sexto quôque mense; nisi aliqua necessitas priùs ad respondendum suadeat.

13. Si quis nostrorum aliud per literas, cum Præposito Generali, aut cum suo aliquo mediato Superiore, tractare velit; ne impediatur: nec ipsorum literæ, ad eos scriptæ, aperiantur; neque mediatorum Superiorum ad ipsos.

14. Literæ nostrorum, quæ negotia continent, solùm ad Præpositum Generalem; & non alios, qui cum ipso agant, destinentur: poterit tamen ad eos scribi: ut illa tractari & expediri curent.

15. Literæ negotiorum, ad quorum expeditionem Procuratoris Generalis operâ, aut informatione, opus erit; propriis literis ad Præpositum Generalem scribantur; adjectâ exteriùs literâ P. sub inscriptione earum.

16. Negotia majoris momenti, ex utrâq; Indiâ, & Brasiliâ, ternis exemplis scribantur; binis autem, ex reliquis Provinciis; si sit periculum, ne literæ intercidant: vel certè in proximis literis earum summa repetatur. & ut inveniantur, cùm opus fuerit, quæ scripta sunt ad Generalem: exemplum ejusmodi literarum, vel earum summam, in libro aliquo, qui scribunt, apud se retineant.

17. Si quid secreti scribendum, vel soli Superiori committendum sit: seorsum in propriâ epistolâ scribatur, quæ cum aliis, in eodem fasciculo colligata, includatur; adjecto exteriùs Soli, *sub inscriptione ejusdem epistolæ. quòd-si ejusmodi epistola sola mitteretur: aliâ chartâ involvatur, quæ absque* Soli *inscriptionem habeat.*

18. In

18. In rebus,quæ secretum requirunt,explicandis, his vocabulis utendum erit; ut ea intelligi,nisi a Superiore,non possint: modum autem præscribet Generalis.

19. Nullus inferior, nisi morbo impeditus, literas ad Superiorem,ex suâ commissione, scribi faciat.

20. Consultores Rectorum,& Superiorum localium, literas obsignatas ad Provincialem dabunt,bis in anno,mense Januario & Julio;& ad Generalem,singulis annis,mense Januario: Consultores verò Provincialium,ad Generalem, mense Januario & Julio; nisi res aliqua ita urgeret,ut de illâ,etiam extra hæc tempora,scribendum judicarent.

21. Iis literis sincerè, & sinè amplificatione,omniq; privato aut humano respectu semoto,significabunt,quid sibi de Superioribus, quorum sunt Consultores, & de eorum administratione,ac rerum statu,scribendum in Domino videatur:oratione tamen præmissâ, & re priùs diligenter consideratâ.

22. Ut Rector Universitatis,de omnibus Præceptoribus,& aliis de Societate; ità etiam Cancellarius & Consiliarii Universitatis, de ipso, ac aliis.scribent semel singulis annis, mense Januario,Præposito Generali:& bis in anno,mense Januario & Julio,Provinciali.

23. Hujusmodi literæ Consultorum, & horum officialium Universitatis,mittantur obsignatæ: nec quisquam eorum sciat,quid alius scripserit.

24. Quivis Præpositus & Rector, habeat librum; in quo scribantur Visitationes Domûs,vel Collegii,a Generali approbatæ: in quo etiam scribantur ordinationes aliæ alicujus momenti,quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis, quæ temporariæ sunt,separatim notentur. alia verò,quæ Visitator & Provincialis præscripserint,in alio libro scribantur.

25. Si quid scribendum esset de rebus quæ externorum aliquem attingerent: ità scribatur, ut etiam,si literæ in ejus manus inciderent,offendi non possit.

DE LITERIS ANNUIS.

26. Superiores Domorum, atque Rectores, curent ea observari; quæ indies in eorum Domibus Collegiisq;, per nostros, Dominus operari dignatur; quæq; ad nostrorum consolationem, ac Proximorum ædificationem, pertinent: ex quibus seligant optima quæque; atque in ordinem redacta, sub finem cujusque anni, ad suum Provincialem mittant.

27. Provinciales ex omnibus Superiorum localium, atque Rectorum suæ Provinciæ, & eorum qui in Missionibus versantur,epistolis,rejectis vel additis iis,quæ videbuntur, singulis annis, mense Januario,rerum gestarum capita Latinè collata,ex quibus deinde unæ literæ annales Romæ conficiantur,manu ipsorum subscripta, Romam,ad Generalem destinent.

28. In eâ compendiariâ narratione,hîc ordo servabitur. Recensebunt initiò numerum nostrorum in universum; tùm etiam singulis Domibus,Collegiis, & Missionibus nominatis: quot sint in iis Sacerdotes, Præceptores, Scholastici, & Coadjutores temporales; itemq; quot admissi sint eo anno in Societatem,quotq; è vitâ decesserint.neque deinde necesse erit,ad singula Collegia aut loca redire; nisi aliquid in iis contigerit,peculiari narratione dignum.

29. Agent primò de profectu nostrorum in Domino; & explicabunt, si quid in eo genere ædificationem facere possit: deinde de ministeriis Societatis erga proximos; ut de concionibus, lectionibus sacris, doctrinâ Christianâ, & exercitiis spiritualibus, visitatione carcerum & hospitalium, reconciliatione dissidentium, de pœnitentium frequentiâ, & de aliis nostri instituti piis operibus: ità tamen, ut ea tantùm commemorentur, quæ sunt alicujus momenti. Itèm de Scholis, & Discipulorum numero, & profectu; præsertim in Universitatibus, & Collegiis majoribus: de bonâ itèm Societatis existimatione. De contradictionibus autem, & persequutionibus, si quæ fuerint, ea tantùm attingant, quæ ædificationi fore videbuntur. Dicent etiam de Piorum erga nostros charitate, & eleemosynis paulò insignioribus.

30. Hæc omnia exponent, quàm plenissimè fieri poterit, (semper tamen vitatâ nimiâ prolixitate) adhibitis omnibus circumstantiis; etiam nominibus eorum, qui eas res gesserunt: ut, si opus fuerit, aliquando conscribi possit historia. Quâ etiam de causâ, cùm aliquid occurret dignum memoriâ; quod tamen, propter aliquam causam, non expediat omnibus vulgari; id scribent separatim integrè, & perfectè: in illâ autem communi narratione, vel omninò reticebunt; vel ea tantùm excerpent, quæ ædificationi esse possunt. Et quæ ad externos pertinent, ità narrentur: ut in eâ ipsâ domo aut civitate, ubi scribuntur, ac ubiq; publicè legi, citra cujusquam offensionem, possint.

31. Cùm literæ annuæ, Romæ confectæ, ad Provincias mittentur: legantur quàm-primùm, in singulis Domibus & Collegiis. Et ut Coadjutores nostri temporales, ex Latinis etiam literis fructum aliquem percipiant: sit aliquis, qui illarum summam, aut interpretationem, aliquo modo explicet. Neq; ultra duas hebdomadas retineri debent; ut ad reliqua loca citiùs deferantur: postquam verò ubique perlectæ fuerint; in præcipuâ Domo, vel Collegio ejusdem Provinciæ, asserventur, & simul consuantur.

DE CATALOGIS ET INFORMATIONIBUS ANNUIS.

32. Ad clariorem omnium nostrorum cognitionem, Superiores Domorum, & Collegiorum, duos Catalogos conficiant, ante id temporis, quo Procuratores Provinciarum ad Generalem veniunt, ità exactè, ac-si nunquam missi fuissent. In primo describantur omnes, qui in suis Domibus, vel Collegiis, ac missionibus sunt: in quo contineatur uniuscujusq; nomen, cognomen, patria, ætas, vires, tempus Societatis, studiorum, & ministeriorum, quæ exercuit, & gradus in literis, si quos habet; & an Professus, vel Coadjutor sit, &c. & à quo tempore.

33. In secundo Catalogo, dotes & qualitates uniuscujusq; describantur; videlicet, ingenium, judicium, prudentia, experientia rerum, profectus in literis, naturalis complexio, & ad quæ Societatis ministeria talentum habeat: quæ omnia diligenter, re Deo priùs commendatâ, & maturè consideratâ, & omni privato affectu semoto, sincerè & breviter perstringenda erunt. & utrumq; catalogum ad suum Provincialem mittant.

34. Sub finem cujusque anni interjecti, tertium etiam alium brevem catalogum ad Provincialem mittant, continentem nomina, & ministeria, in quibus unusquisq; nostrorum occupatur. mittant etiam supplementū primi, & secundi catalogi: in quo ea tantùm adno-

adnotabunt, quæ eo anno de novo occurrerint addenda; ut, qui in Societatem interim fuerint admißi, aut ab eâ desfuerint, vel quot mortui sint, vel aliâ quâvis causâ.

35. Hunc tertium catalogum, & supplementum primi & secundi catalogi totius Provinciæ, cum narratione pro annuis literis, de quâ dictum est, ad Generalem mittet Provincialis, mense Januario: primum verò & secundum, per Procuratorem Provinciæ, ad eundem, sigillo suo obsignatos, perferendos curabit. Quòd-si quid ipsi in his catalogis, & informationibus, notandum addendúmve videretur; id seorsum ad Generalem scribat.

REGULÆ PRÆFECTI RERUM SPIRITUALIUM.

1. Præfectus rerum spiritualium, cognitionem instituti Societatis, & zelum boni progreßûs ipsius, habeat; & in Obedientiâ, & Humilitate, exemplum aliis præbeat; & amabilem se eis exhibeat: ut ad eum omnes confugiant, confidenterq; sua omnia detegant; & ab eo consolationem, & auxilium, sperent in Domino.

2. Instruat nostros privatim, secundùm uniuscujusq; captum; quomodo interiùs & exteriùs se habere debeant: & ad id exhortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat; præsertim ut puram habeant intentionem divini servitii, & familiaritatem cum Deo, in spiritualibus devotionis exercitiis, & zelum sincerum animarum.

3. Petat, quem procedendi modum in oratione, & examine, habeant: &, si contra aliquem defectum, examen particulare faciant; &, si contra inordinatos affectus, propria remedia adhibeant; & in solidis virtutibus acquirendis, præsertim in Obedientiâ, quid observent; & de pœnitentiis, & aliis devotionibus.

4. Sicubi in his à rectitudine deflexerint; eos dirigat, juxta modum Societatis: erga cujus institutum, curet, ut omnes benè affecti sint; & det operam, ut orandi & meditandi modos, quos docuit Pater noster Ignatius, in libro Exercitiorum, retineant; & ut illo libro familiarißimè utantur: videatq; ne, dum nostri devotionem habere procurant, caput lædant, aut vires corporis nimis debilitent.

5. Versatum ipsum esse oportebit in lectione librorum spiritualium: & unicuiq; decernat tempus, & modum, cum fructu eos legendi, qui sint faciliores, & nostro instituto magis convenientes.

6. Peculiarem habeat curam, consolandi afflictos, & tepidos exhortandi; remedia pro cujusq; infirmitate, vel neceßitate, adhibendo: qualia sunt, frequentiùs communicare, plus temporis orationi impendere, exercitia spiritualia facere, plus aliquid pœnitentiæ assumere, libros aliquos spirituales legere, & similia. Quæ autem ex his ipse concedere poßit, & in quibus ad Superiorem recurrendum sit, ab eo intelligat.

7. Parem quoq; adhibeat diligentiam, ut Coadjutores temporales quieti sint, & sorte Marthæ contenti: & pro eorum captu illos instruat, mysteriaq; Rosarii doceat; ut majore devotione illud recitare poßint.

8. Doceat omnes, ut, præmißâ oratione, & cum magnâ reverentiâ, ad Sacramentum altaris accedant; & post ejus perceptionem, per aliquod temporis spatium orent, & gratias agant.

9. Præter eos, quos satis instructos Superior judicaverit, cum unoquoque agere de his, ultra mensem ne differat: sæpè verò consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione, & reliquis rebus spiritualibus, colligant; ut in-dies magis in Domino proficiant.

10. In his autem omnibus videat, ne ordo unicuiq; præscriptus impediatur; ac præsertim studia illorum, qui literis dant operam: nisi cùm Superior aliter judicaverit.

11. Curam peculiarem habeat Novitiorum, si qui Domi, vel in Collegio fuerint; nisi à Superiore aliunde prospectum sit: & erga eos observare studeat ea, quæ juxta Magistri Novitiorum, & Examinatoris Regulas, observari commodè poterunt.

REGULÆ PRÆFECTI ECCLESIÆ.

1. Curet, ut Ædituus Regulas suas observet: quas Præfectus ipse apud se etiam habeat.

2. Præbeat illi catalogum, singulis diebus Sabbathi, quo dies festi, ac jejuniorum proximæ hebdomadæ, contineantur: ut eum in Refectorio recitet, in cœna diei dominicæ sequentis.

3. Singulis diebus Sabbathi, vesperi, in Sacristiâ scripto proponat, quemadmodum quotidiè Sacra sint facienda, sequenti hebdomadâ: & quo ordine rem divinam in Altari summo facturi sint, qui ad hoc fuerint designati.

4. Detur opera, ne in Altari maximo desit unquam Sacrum, quo tempore celebrari solet: habeaturq; ratio, ne plura Sacra simul inchoentur; sed commodè omnia suis spatiis distinguantur.

5. Curam gerat Missarum, & orationum, quæ pro defunctis Societatis, & pro Fundatoribus, & Benefactoribus, ac pro ipsâ Societate, fieri debent; quas ex subjecto catalogo intelliget: & catalogum earum, quæ secundùm nostrum institutum, & ex præscripto Generalis, ordinariè faciendæ sunt, referat in duas tabellas: quarum alteram appendat in Sacristiâ; alteram in alio convenienti loco, quæ initio cujusq; mensis publicè in Refectorio legetur.

6. Cùm Superior, aliquid in Sacro Deo commendari, aut Sacra ipsa, quæ ab omnibus facienda sint, applicari ad finem aliquem, jusserit: curet scribi in schedulâ, in Sacristiâ affigendâ.

7. Quæcunq; autem ex his, non ab omnibus facienda erunt; ea Præfectus unicuiq; privatim significanda curabit.

8. Librum habeat, ubi mandata Superiorum de his rebus, si aliquamdiu duraturæ, aut non statim facienda sint, scribantur; ne memoriâ excidant: &, cùm fuerint adimpleta, deleantur.

9. In Collegiis & Domibus probationum, curet, juxta ordinem Superioris, de candelâ dandâ Fundatoribus, juxta Constitutiones.

10. Si quando externi Sacra aliqua fieri postulaverint; se Superiorem consulturum respondeat: nisi ejus animum perspectum jam habeat.

11. Externos Sacerdotes, ad faciendum Sacrum in nostro templo, non sinè delectu admittat;

mittat; sed eos tantùm, qui ædificationi sint, præsertim notos; idq; juxta ordinem Superioris: & intelligat, an à suo Ordinario legitimam habeant facultatem.

12. *Videat, an Sacerdotes Regulas suas observent; & num barbam, & coronam decenter tonsam, habeant.*

13. *Per se, vel alium à Superiore designatum, promovendos ad Sacerdotium instrui curet: & videat, ut ad Romanæ Ecclesiæ ritum, tàm ii, quàm omnes Sacerdotes, se accommodent; & ne confessiones audiant, nisi sint legitimè approbati.*

14. *Animadvertat, ne ullæ, pro Sacris faciendis, aut confessionibus audiendis, eleemosynæ admittantur.*

15. *Nulla sit in Ecclesiâ arcula, in quâ Eleemosynæ conjiciantur; sive pro nobis, sive pro aliis.*

16. *Det operam, ut sanctissimum Domini nostri Corpus decenter in custodiâ conservetur; diligenter cavens, ne unquam in eâ Sacramentum desit, habitâ communicantium ratione: & ut saltèm decimo quinto quôq; die innovetur; &, Sacris absolutis, in tabernaculo clavi obseretur.*

17. *Quando nostri in templo communicaverint: curet Præfectus, ut id faciant separatim ab externis.*

18. *Oleum sanctum, ut oportet, asservatum, singulis annis renovet; & Sanctorum reliquias, (quæ quidem mobiles fuerint) in tabernaculo ad id deputato, decenter custodiat: si quando autem devotionis causâ ostendendæ erunt; duo cerei accendantur. atq; hujus tabernaculi clavem unam ipse habeat; & alteram diversam Præpositus, aut Rector.*

19. *Cruces, calices, ornamenta, & reliqua id genus, ut par est, custodiantur: nec desint velamina, ad cooperiendos calices; & alia ad divinum cultum, & ornatum, necessaria.*

20. *Mutari faciat Altarium & Sacerdotum ornamenta, quod ad colorem attinet, habitâ temporum & Festorum ratione, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ.*

21. *Cùm templum ornandum fuerit; nihil sinè facultate Superioris, ad eam rem, commodatò ab externis petat: detq; operam, ut, quod acceptum fuerit, accuratè custodiatur, & dominis quàm-primùm reddatur.*

22. *Si templum instauratione, aliquâ in parte, indiguerit, aut aliis ad divinum cultum necessariis: provideat, sicut ipsi a Superiore fuerit præscriptum.*

23. *Superiori in memoriam redigat; ut aliquos designet, qui de concionibus, & modo concionandi, judicare possint: quorum saltèm unus concioni intersit; ut Concionatorem, cùm opus fuerit, & Superiori videbitur, admonere possit.*

24. *Conciones & lectiones templi, horæ spatium superare non debent: eo verò ordine Missæ dicantur; ne impediant, quo minùs conciones tempore præfixo inchoentur.*

25. *Advertat, ne viri, in templo, mulierum locum occupent; néve ex adverso earum, quantum fieri poterit, maneant.*

26. *Curet, ne domi desint Confessarii, qui necessarii in templo nostro sunt: & ut confessiones vesperi, decenti horâ, absolvantur.*

27. *Pridie Palmarum, Confessarios admoneat; ut Constitutionem illam observent, quæ ad externos ad suas Parochias dimittendos, Eucharistiæ sumendæ gratiâ, pertinet: & ante id tempus, si consuetudo regionis id postulaverit.*

28. Offi-

28. Officia Hebdomadæ sanctæ, & Vesperæ, (si hæ dicentur) fiant tono simplici, more Societatis, sinè cantu etiam firmo; nisi ubi Generalis Præpositus dispensaverit. id autem, quod de Vesperis dictum est, de Benedictione candelarum, & ramorum, intelligatur.

29. Cùm aliquid petendum erit pro Ecclesiâ, aut usu Sacristiæ: intelligat in eâ re Superioris voluntatem; eamq; exsequatur. cumq; pecuniæ alicujus momenti summa dabitur, aut colligetur; eam deponat apud Procuratorem, in scrinio aliquo: cujus clavem unam Superior habeat; & alteram diversam ipse Præfectus.

30. Librum habeat, in quo eleemosynarum, quæ Ecclesiæ usibus dantur, & expensarum, rationes constent.

31. Panni omnes linei semper mundi serventur; & separatim corporalia, atq; etiam purificatoria, (quæ quatuor cruces in angulis habeant) laventur: & utrorumq; ablutio, & cineres eorum, quæ vetustate consumta comburuntur, in sacram piscinam mittantur.

32. Catalogum unum rerum omnium Ecclesiæ mobilium, quæ alicujus momenti sunt, custodiat: in altero verò illa scribantur, quæ aut nova sibi traduntur, cum die, anno, &c. aut vetustate consumuntur; ut possit, cùm exigetur, prioris catalogi rationem reddere. Sæpè etiam res preciosiores inspiciet; ne aut lædantur, aut amittantur: arcis, in quibus servantur, & Sacristiæ januis, benè clausis & munitis.

33. Cùm nostrorum aliquis extremum diem obierit: spatio diei naturalis decenter teneatur: nisi ratione mali odoris, aut ex aliâ justâ causâ, anteverti hoc tempus Superiori posse videretur.

34. Observetur circa vestitum Sacerdotum mortuorum, quod de viventibus dicitur in Constitutionibus: ut scilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honesti ejus regionis, in quâ versamur, uti solent. Fratres verò, qui Sacerdotes non sunt, sepeliantur eo modo induti; quo alii Clerici honesti, qui Sacerdotes non sunt, sepeliri solent.

35. Curam suscipiet sepulcri, candelarum, precum, quæ consueto more dicuntur; rerumq; cæterarum, quæ ad eam rem erunt necessariæ.

CATALOGUS MISSARUM, ET ORATIONUM, QUÆ NOSTRIS PRÆSCRIBUNTUR.

SACRA, JUXTA NOSTRUM INSTITUTUM, à Sacerdotibus Societatis ordinariè facienda.

Singulis annis.

1. In principio cujusque anni, unusquisque Sacerdos Missam celebret, pro nostrâ Societate.

ORATIONES, JUXTA Nostrum Institutum, ab iis, qui Sacerdotes non sunt, ordinariè faciendæ.

Singulis annis.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, integrum Rosarium Dominæ nostræ, videlicet centum quinqua-

2. Sin-

ginta Ave Maria, & quindecim Pater noster, aut tres coronas, recitent.

2. Singulis annis, præscripto die, in quo memoria fundationis Collegii vel Domûs fit, Missa cum solennitate, pro Fundatore proprii Collegii vel Domûs, & benefactoribus vivis & defunctis, celebretur: & reliqui Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo habitaverint, pro eisdem sua Sacrificia offerant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, unam coronam, aut tertiam partem Rosarii, recitent.

Singulis mensibus.

3. In principio cujusque mensis, unusquisque Sacerdos Missam celebret, pro nostrâ Societate.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, tertiam Rosarii partem, aut unam coronam, recitent.

4. Initio cujusque mensis, omnes Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo fuerint, pro Fundatore proprii Collegii vel Domûs, & Benefactoribus vivis & defunctis, semel Missæ sacrificium offerant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, unam coronam, aut tertiam Rosarii partem, recitent.

Singulis hebdomadis.

5. Singuli Sacerdotes, pro illis de Societate, qui extra Provinciam moriuntur, semel in quâvis hebdomadâ, Missæ sacrificium offerant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, unam coronam, aut tertiam Rosarii partem, recitent.

6. Singulis hebdomadis, ubicunque fuerint decem, vel pauciores Sacerdotes, pro nostrâ Societate una Missa, à designato à Superiore, dicetur; duæ verò, si fuerint plures, quàm decem; tres autem, si fuerint plures, quàm viginti: & ità deinceps in reliquis decadibus, si numerus Sacerdotum fuerit major.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quâvis hebdomadâ, ad eandem intentionem, septem Pater noster, & septem Ave Maria, recitent.

7. Singulis hebdomadis, pro Benefactoribus vivis & defunctis, propriæ Domûs vel Collegii, præter eas quæ pro Fundatore dicuntur, una, aut duæ, aut plures Missæ, pro numero Sacerdotum, offerantur; servando ordinem modò-prædictum.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quâvis hebdomadâ, ad eandem intentionem, septem Pater noster, & septem Ave Maria, recitent.

8. Singulis hebdomadis, Missa semel, pro Fundatore proprii Collegii vel Domûs, & Benefactoribus vivis & defunctis, à designato à Superiore, celebretur.

Et unus ex iis, qui Sacerdotes non sunt, à Superiore designatus, ad eandem intentionem, unam coronam, aut tertiam partem Rosarii, recitet.

9. In Domibus & Collegiis, quæ

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad

saltèm viginti ex nostris alere possūt, etiamsi non habeant proprium Fundatorem, fiant pro iis vivis & defunctis, qui eorum fundationem notabiliter adjuverunt, eadem sacra, quæ pro Fundatoribus ordinariè fieri solent.

eandem intentionem, pro eisdem facere debent easdem orationes, quæ pro Fundatoribus ordinariè fieri solent.

SACRA, AB EISDEM EXTRAORDINARIE FACIENDA.

ORATIONES, AB EISDEM extraordinariè faciendæ.

10. Cùm primùm Societas in Collegii alicujus possessionem venerit; quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat, pro superstite Fundatore ipsius, ac Benefactoribus.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, Rosarium integrum, aut tres coronas, recitent.

11. Cùm ex hac vitâ idem Fundator excesserit; singuli Sacerdotes ter Sacrum, pro animâ illius, & Benefactorum, faciant.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, Rosarium integrum, aut tres coronas, recitent.

12. Idem judiciū erit de Cōmunitatibus, vel Rebuspublicis, quę nō moriuntur: fient enim tria Sacra pro viventibus, & tria pro defunctis earum. Sic etiam faciendum, quando plures simul fundationem constituunt.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium, aut tres coronas, pro viventibus Communitatibus, & totidem pro defunctis earum, recitabunt. Similiter facient, quando plures simul fundationem constituunt.

13. Cùm primùm Societas in alicujus Domûs professę possessionem venerit: quilibet Sacerdos intra illam Provinciam ter Sacrum faciat, pro superstite Fundatore ipsius, ac Benefactoribus: & quando vitâ functus fuerit, alia tria Sacra ab eisdem, pro animabus illius, & Benefactorum, fiant.

Et singuli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium, aut tres coronas, pro superstite Fundatore, ac Benefactoribus: & quādo vitâ functus fuerit, alterum Rosarium integrum, aut tres coronas, pro animabus illius, ac Benefactorum, recitent.

14. Pro Communitatibus verò, & pluribus, qui simul Domûs professæ fundationem constituunt, fiant intra eandem provinciam, quæ de Collegiis dicta sunt, num. 10, 11, 12.

Et singuli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, faciant, quæ de Collegiis, eisdem numeris, dicta sunt.

15. In Domo, vel Collegio, ubi quis de Societate decesserit: singuli Sacerdotes pro eo tria Sacra; in aliis verò Provinciæ locis, duo sacra faciant.

Et singuli ejusdem Domûs, aut Collegii, qui Sacerdotes non sunt, pro eo tres coronas, aut tres partes Rosarii; pro aliis verò ejusdem Provinciæ, duas coronas, aut duas partes Rosarii, recitent.

16. Cùm de obitu cujusq; nostrorum, qui extra Provinciam obiit, si-

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in suis orationibus, illius animam Deo

gni-

gnificatur: per universam Societatem, omnes Sacerdotes, in Missis, illius animam Deo commendent, pro cujusque devotione.

commendent, pro cujusque devotione.

17. Omnes Sacerdotes curent, juxta Constitutiones, frequenter orare pro universâ Ecclesiâ; ac pro iis præsertim, qui majoris sunt momenti, ad ejus universale bonum: cujusmodi sunt Principes ecclesiastici, & seculares; & alii, qui multum prodesse, vel obesse, bono animarũ possunt: & pro amicis, & benefactoribus, viventibus & vitâ functis; & pro aliis, in quorum auxilium peculiariter ipsi, & reliqui de Societate, in variis locis, inter fideles & infideles, incumbunt; & etiam pro malè-affectis erga nostram Societatem.

Et omnes, qui Sacerdotes non sunt, idem juxta Constitutiones curare debent.

SACRA, EX PRÆSCRIPTO P. N. Generalis, ab unoquoque Sacerdote Societatis ordinariè facienda.

18. Unusquisq; Sacerdos, singulis mensibus, duo Sacra faciat: alterũ pro Indiis, & Gentium conversione; alterum pro regionibus Septentrionalibus, & Hæreticorum reductione: & in aliis sacrificiis, & orationibus, eadem Domino commendabit.

19. Singulis hebdomadis, unusquisque Sacerdos Sacrum unum, ad intentionem Reverendi Patris nostri Generalis, faciat: & in aliis sacrificiis, & orationibus, eandem Domino commendabit.

ORATIONES, EX PRÆSCRIPTO P.N. Generalis, à singulis, qui Sacerdotes non sunt, ordinariè faciendæ.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, unam coronam, aut tertiam partem Rosarii, pro Indiis, & Gentium conversione; & alteram coronam, aut tertiam Rosarii partem, pro regionibus Septentrionalibus, & Hæreticorum reductione, recitent: & in aliis orationibus, eadem Domino cõmendabunt.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, unam coronam, aut tertiam Rosarii partem, recitent: & in aliis orationibus, eandem Domino commendabunt.

Non intendimus per ea, quæ superiùs recensentur, excludi reliqua Sacra, & orationes omnes; quæ, pro occurrentibus necessitatibus, à Superioribus imponi ad tempus solent.

REGULÆ SACERDOTUM.

1. Quæ de Disciplinâ religiosâ, in Regulis, & Instituto nostro, servanda omnibus proposita sunt; ea Sacerdotes, pro ratione sui gradûs, sibi præcipuè dicta existiment, & observent.

2. Divinum officium nitantur attentè, devotè, & opportuno tempore, recitare.

3. Ità vivere studeant, ut quotidiè meritò celebrare possint: ad idq; conducet, (quámvis ex Constitutione, octavo ut minimùm quôque die, confiteri teneantur) sæpiùs in hebdomadâ confiteri.

4. *Cærimonias Missæ, ex usu Romano, accuratè unusquisq; observet: in eâq; celebrandâ, pronunciationem, & quamcunque aliam exteriorem actionem, ità moderetur; ut non minùs aliorum ædificationi, quàm propriæ devotioni, serviat: & ideò semihoram, in faciendo Sacro, nec multum excedat, neque ita brevis sit, ut illam non expleat.*

5. *Qui in summo Altari Sacra facturi sunt, simul-atq; campanæ se vocantis pulsum audierint, vel admoniti fuerint, ad vestes Sacerdotales induendas se conferant: ut in tempore exire ex Sacristiâ possint.*

6. *Salutare tradendæ doctrinæ Christianæ ministerium pueris, ac rudibus, (quod, à sui origine, nostra Societas tanto affectu complexa est) pari omnes studio promovere curent.*

7. *Intelligant, sibi ratione peculiari incumbere, ut exercitiorum spiritualium, quæ tantoperè ad Dei obsequium conferre cernuntur, usum valdè familiarem habeant: quò & alios ad ea suscipienda adducere; & in eo tàm utili armorum spiritualium genere tractando, dexteritatem habere possint.*

8. *Omnes ii, quibus ex obedientiâ, confessiones audiendi, sanctum munus committitur, multum ad id affici studeant; &, tanquam nostri instituti valdè propriũ, magni faciant.*

9. *Nemo ad confessiones audiendas accedat, nisi à Superiore deputatus; & qui simul intelligat, quam facultatem ad hoc munus ab eo habeat.*

10. *Modum ea Sacramenta ministrandi, quæ Sacerdotes nostræ Societatis tractare possunt, perspectum omnes habeant; in eoq; uniformes sint, quantum regionum varietas patietur: formam tamen & rationem absolvendi, ab excommunicatione, & aliis censuris, & peccatis, eandem omnes sequantur; attendantq;, ne, ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarii & Parochi jure offendi possint.*

11. *In casibus conscientiæ, iisq; præsertim, qui ad censuras, casus reservatos, & restitutiones pertinent, sese diligenter exerceant: earumq; rerum compendia, & brevem interrogandi methodum; ac contrà singulorum peccatorum species, exempla & dicta Sanctorum, atq; alia salutaria remedia, comparare studeant.*

12. *Confessarii inter se-ipsos, & in modo procedendi cum pœnitentibus, conformes esse curent: &, quantum res tulerit, ità aliorum Confessariorum existimationi unusquisque consulat: ut omnes intelligant, mutuo charitatis & uniformis doctrinæ vinculo, Societatis Confessarios in Christo esse colligatos.*

13. *Vocati ad Ecclesiam, ad confessiones audiendas, statim cum animi alacritate eò se conferant: & quò major pœnitentium multitudo futura est; eò magìs tempestivè ab aliis occupationibus se expediant.*

14. *In templo confessiones, dum concio fit, vel sacra lectio, nemo audiat.*

15. *Confessarii ità audiant pœnitentes; ut mutuum adspectum fugiant: sic enim attentiùs, & liberiùs audient. Quòd-si locus non erit ejusmodi, ut tabula Confessarium à confitente dividat: manus interposita, inter faciem propriam & confitentem, qui ad latus esse debet, id præstabit.*

16. *In audiendis confessionibus, fœminarum præsertim, severos potiùs se, quàm familiares, exhibeant: in universum tamen, paterna quadam & spiritualis gravitas in eis eluceat.*

17. *Eos, qui crebriùs confitentur, maximè fœminas, breviter expediant; nec de rebus*

ad confeßionem non-pertinentibus in confeßione loquantur: extra confeßionem verò, si oportebit eas alloqui, longum sermonem ne misceant, & oculos modestè demissos habeant.

18. Quando quis à Superiore mittetur, ad confeßiones fœminarum audiendas; vel aliâ de causâ eas adierit: socius, quem Superior ipsi designabit, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit; unde videre eos, sed non, quæ secreta esse oportet, audire poßit, quantum loci dispositio patietur. Quòd-si non pateretur; curet omninò Sacerdos, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus.

19. Particularium personarum, præsertim fœminarum, curam nemo suscipiat: & quámvis Confessarius, pro suo munere, in vitâ spirituali pœnitentem instituat; nullius tamen obedientiam admittat.

20. Si quis, uni confiteri solitus, ab eodem alium Confessarium adeundi facultatem petierit, vel eâ non petitâ adierit: id sibi gratum esse, Confessarius benignè ostendat.

21. Ut sanitatis etiam ratio, ad Dei gloriam, habeatur; confeßiones manè, ad horam usq; prandii, tantùm audiant: ità ut, cùm signum primæ mensæ audietur, studeant se ità accommodare, ut ad secundum accedant: nisi fortè pœnitentium neceßitas aliud exigat.

22. Nemini, aut petere, aut accipere quidquam, liceat; sive ab iis, quorum confeßiones audiverit, sive ab aliis; quod vel in pauperes distribuat, vel alteri, satisfactionis nomine, restituat: nisi Superior, cùm opus esset, secùs faciendum judicaret.

23. Etsi vota, ad perfectionis statum pertinentia, ut sancta, laudari debent; & circa ea Confessarii consilium, sed magnâ cum consideratione, dare poßint: quia tamen non humanam, sed divinam vocationem requirunt; nemo ad ea emittenda quemquam inducat: verùm ad orationem tales hortetur; ut, à Deo adjuti, vocationem suam meliùs intelligant, & exsequantur.

24. Si quos viderint ad Religionem propensos: non facilè ad unam potiùs, quàm ad aliam; ad hoc, quàm ad illud Monasterium, invitent: sed liberam illis suam electionem relinquant. Poterunt tamen, petentibus consilium, eas Religiones vel Monasteria proponere; quæ illis magìs commoda in Domino judicaverint.

25. Nullus eis, quorum audit confeßiones, certum vestimenti genus, hunc aut illum habitum, vel colorem, præscribat: tametsi omnes ad honestum, & suo statui convenientem vestitum, hortari poßint.

26. Ut pium est, ad frequenter communicandum fideles exhortari: ità, quos ad id propensos viderint, admonere debent, ne crebriùs, quàm octavo quôque die, accedant; præsertim si matrimonio sint conjuncti.

27. Admoneat eos, qui sibi confitentur, à Dominicâ Palmarum, ad Dominicam in Albis inclusivè, eo tempore, (nisi aliud consuetudo loci postulaverit) debere semel in suâ Parochiâ communicare; exceptis Peregrinis, & iis qui facultatem haberent, & reliquis, quos jus excipit.

28. Qui vocantur ad juvandos eos, qui morti vicini sunt, ea in promtu habeant, quæ eo tempore, in quo tantum est momenti, usui esse poßint; tamdiuq; illis adsit, quamdiu sola neceßitas postulabit. Cæterùm, etsi, cùm opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari conveniat: iis tamen conficiendis non aßistant.

REGULÆ CONCIONATORUM.

1. Regulæ,quæ Sacerdotibus propositæ sunt,eas sibi Concionatores in-primis commendatas existiment; nec minore curâ,quàm cæteri,observent.

2. Memores sint,vocatos se esse, ad reducendas animas suo creatori. quod cùm sit opus omnium difficilimum; summo studio media illa adhibeant, quæ instrumentum cum Deo conjungunt : ejusmodi sunt solidæ virtutes, ac præcipuè charitas; pura intentio divini servitii.familiaritas cum Deo,in spiritualibus devotionis exercitiis; & zelus sincerus animarum,ad gloriam divinæ majestatis.

3. Enitantur cum Dei gratiâ,esse cæteris exemplo : ut non minùs vitâ,quàm doctrinâ, ad omnem virtutem Proximos alliciant.

4. Lectioni S.Scripturæ,ac Patrum præcipuè,incumbant. Conferet etiam, peculiari studio vidisse Euangelia,toto anno currentia; & in eis ea,quæ usui esse possunt,adnotâsse: itemq; compendium fecisse explicationis rerum,ad fidem, & Christianam vitam,necessariarum; atq; in communes locos redegisse omnia,quæ ad virtutum commendationem, & peccatorum detestationem,pertinent.

5. Conferet,vidisse præceptiones,si quas de modo concionandi illi tradunt,qui benè hoc munus obierunt; bonos audivisse Prædicatores; & in concionibus domi, vel in aliis locis minùs frequentibus,se exercuisse.

6. Optare debent,ut admoneantur,si quid in concione corrigendum videbitur iis, qui à Superiore ad id deputati fuerint & humili,& grato animo,id accipere.

7. Ità operam suam, in celebrioribus concionibus, libenter impendant; ut non minùs se,ad docendos pueros,& alios rudes instruendos,faciles & paratos exhibeant.

8. Si quando occasio tulerit,ut alius eodem tempore concionari velit : quantum in ipsis erit,libenter cedant.

9. Ea populo proponant,quæ ad captum & utilitatem Auditorum erunt accomodata; iisq; insistant,quæ ad Christi institutionem,atq; exstirpanda vitia,& virtutes inferendas, valent : & à rerum subtilium curiosâ tractatione se abstineant.

10. Commendare debent Confeßionis,& Eucharistiæ,frequentem usum; in bonis operibus profectum, & perseverantiam; Ecclesiasticarum ceremoniarum observationem; & cætera,quæ ad cultum divinum pertinent; eamq; obedientiam,quæ Principibus & Prælatis,qui Dei in terris vices gerunt,exhibenda est.

11. Commendabunt etiam,peculiari ratione,pœnitentiæ & misericordiæ opera,sanctarum precum, & aliarum piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, & bonam filiorum educationem.

12. Cùm experientia doceat, & sanctæ memoriæ Pater Ignatius scriptum reliquerit; nihil utilitatis percipi ex iis concionibus,in quibus Principes, & Magistratus Resp. Prælati,& alii Ecclesiastici,in particulari reprehenduntur : Concionatores nostri ab hujusmodi reprehensionibus abstineant.

13. Caveant,ne religiosos aliorum Ordinum,quos revereri & observare debent,ètiam tacitè videantur reprehendere. & quàmvis nostros, ad majores in virtute progressus, excitare

citare possint; præsertim in domesticis exhortationibus: reprehensionem tamen alicujus particularis, vel ipsius Societatis, ne attingant.

14. Ne rumoribus populi moveantur; ut nova, & parùm confirmata, in publicum afferant: & multò minùs ea populo proponant, quæ alioqui dubia & incerta sunt.

15. Curent, ut rationem, & modum, quem observare debent in rebus populo denuntiandis, & certis pauperibus, aliisq; piis operibus commendandis, à Superiore accipiant.

16. Caveant omninò, ne facetiis, aut inutilium rerum narratione, concionem contemtibilem faciant; iísve auditores ad risum moveant; vel contrà, ut ad fletum excitent, spectanda aliqua populo proponant, à communi in Societate concionandi consuetudine aliena: nisi in aliquo particulari casu, ad communem ædificationem pertinere, Superior, pro ratione loci, judicaret.

17. Ea, quæ dicturi sunt, diligenti præmeditatione, & peculiari ad Deum recursu, (quatenus per tempus licebit) paranda erunt.

18. Caveant arrogantiam, & ostentationem in concione; humilitatemq;, cui ex intimo cordis affectu studere debent, in omni actione præ se ferant. Quòd-si aliquid pro se, aut Societate, cogantur respondere: eâ modestiâ satisfaciant; ut causam Christi, non suam, agere videantur.

19. Modus concionandi, qui à scholastico diversus esse debet, ità sit ad docendum comparatus: ut ad animorum motum præcipuè dirigatur. cumq; quæstio aliqua earum, quæ ad fidem aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit: non ità exactè proponantur argumēta, quibus contraria pars confirmatur, (nisi auditorium id postulet) ut simpliciores ipso proponendi modo offendi possint: sed eo pacto rés exponatur; ut illi, ex datâ explicatione, solutionem eorum, quæ sibi in mentem venerint, aut ab aliis audiverint, facilè colligant.

20. Ne sint affectati, aut verborum lenocinia sectentur; nec, studio politioris sermonis, eos libros habeant familiares, ex quorum lectione detrimentum in spiritu accipiant, & seculare aliquid redoleant.

21. In laudibus, & reprehensionibus, à nimiis exaggerationibus, & ab omni specie adulationis, abstineant.

22. Gestus corporis sit modestus, & in quo gravitas quædam religiosa præcipuè eluceat: vocemq; accommodent ad res, quas tractabunt: proinde eam, ubi non est opus, ne præter modum extollant, aut deprimant.

23. In concionibus, & lectionibus templi, spatium horæ ne excedant.

REGULÆ EORUM, QUI IN MISSIONIBUS VERSANTUR.

1. Cùm scopus, ad quem tendit Societas, sit; varias Mundi partes, ex obedientiâ summi Pontificis, vel Superioris Societatis, peragrando, verbum Dei prædicare, confessiones audire, & reliquis, quibuscunq; poterit, mediis uti, ad animas, divinâ adspirante gratiâ, juvandas: quicunq; in hujusmodi missionibus versantur, sibi persuadeant, rem maximi ponderis in Societate sibi commissam esse; atq; ità se comparare studeant, ut apta Dei instrumenta, ad rem tantam, esse possint.

2. Quia

2. Quia vocationis nostræ est, vitam agere in quâvis Mundi plagâ, ubi majus Dei obsequium, & animarum auxilium, speratur: unusquisq; paratus esse debet, ut in eâ vineæ Christi parte, atq; opere, se exerceat, quod ipsi commissum fuerit; sive per varia loca discurrendo, sive in quibusdam continenter residendo.

3. Unusquisq; plenam in his, ac liberam sui dispositionem, Superiori, qui eum Christi loco dirigit, relinquat: poterit tamen motus animi, aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi proponere; subjiciendo suum sentire & velle ei, quod ipse in Domino judicaverit.

4. Ei, qui mittendus erit, plurimùm conveniet; ut intelligat à Superioribus scopum suæ missionis, & effectum, cujus gratiâ mittitur: id quod in scriptis si fieri potest, habere curabit.

5. Cùm oppidatim missi fuerint, ad fructificandum in agro Domini; dabunt operam, quoad fieri poterit, ut more pauperum Euangelium prædicent. proinde & pedites, vel in toto, vel in parte, iter facient; si eos Superior id præstare posse judicaverit: & ex eleemosynis, vel oblatis, cum ædificatione emendicatis, vivent; nisi alia ipsis, a Superiore, sustentationis ratio sit constituta.

6. Si nullum eis à Superiore designatum fuerit hospitium: intelligant, sibi ad aliquod hospitale, tanquam ad hospitium pauperum, esse divertendum: si tamen honestum id sit, atq; ad exercenda ex eo ministeria Societatis accommodatum. alioqui convenientius erit, ut in domum pii alicujus, & exemplaris Ecclesiastici, aliúmve ejusmodi locum, se recipiant: in quo cum ædificatione manere possint.

7. Cùm ingressi fuerint loca ea, in quibus Ordinarii resident: eos quàm-primùm adeant, suamq; operam illis submissè offerant; & facultatem, ad exercenda Societatis ministeria, modestè ac religiosè petant; eosq; omnes, tàm ecclesiasticos, præcipuè Parochos; quàm seculares, quorum auctoritate aut favore opus habent, benevolos sibi facere studeant.

8. Cùm eò pervenerint, ubi diutiùs immorari debent, prudenter ac maturè operam dabunt; ut notitiam habeant probatorum virorum, & pietate ac rebus agendis insigniorum: quorum informatione, vel auxilio, juvari possint, ad ministeria Societatis, majore cum fructu animarum, exercenda.

9. Qui in missione Superior erit, initio suscipiendorum operum, vel quando major subsidii necessitas cernitur, (quòd res magni momenti sint, vel difficultates graves incidant) applicabit, curabitq; applicari, Missas & Orationes: ut omnia cedant ad majorem Dei gloriam, & Proximorum utilitatem.

10. Si iis, qui mittuntur, non fuerit injunctum, ut medio aliquo utantur limitato; quale esset, vel legere, vel prædicare, &c. in iis tantùm se exercebunt, quibus Societas uti solet, juxta Constitutiones: conferre tamen illa cum eo Superiore, qui eis proprior fuerit, semper erit securius.

11. Media spiritualia, quibus, juxta institutum Societatis, & beneplacitum Superioris, uti poterunt, ferè sunt; ministerium verbi Dei, in prædicationibus, sacris lectionibus, privatísve exhortationibus, & colloquiis; Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ administratio; Exercitiorum spiritualium traditio; dissidentium reconciliatio; casuum

cen-

conscientiæ ad Ecclesiasticos, eorumq; officii, magìs privata explicatio; & Christianæ doctrinæ ad pueros, ac alios rudes, publica declaratio.

12. *Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia permittent, & vires patientur, incumbere poterunt: ut infirmos, præcipuè in Xenodochiis, per se, vel per alios, juvando; & pauperes, ac in custodiis detentos, quatenus licebit, eodem modo sublevando.*

13. *Etsi certus ordo, in nostris ministeriis exercendis, præscribi non potest: plerumque tamen utilius erit, & securius, ab humilioribus inchoare; ut à doctrinâ Christianâ pueris explicandâ, ab ægrotis hospitalium invisendis, eorumq; & aliorum magis-indigentium confessionibus audiendis.*

14. *Quamquàm humana media, non solùm spernenda non sunt; sed etiam, cùm opus est, prudenter & religiosè adhibenda: divinis tamen, & nostri instituti magis-propriis, præcipuè utendum est, in eisq; magìs fidendum; orandusq; Deus, ut iis omnibus det eam efficaciam, quæ sit proposito fini consequendo necessaria.*

15. *Juxta eam Charitatis regulam, quâ se Apostolus omnia omnibus faciebat, ut omnes lucri-faceret; expediet nonnunquam, ut ingenio eorum, cum quibus agent, initiò se attemperent: (quatenus ratio & virtus ferent) ità tamen, ut meminerint, ad id tandem eos cum Dei gratiâ perducere, quod illis in Domino magìs conferre judicabunt.*

16. *Eam animi magnitudinem, & æquabilitatem, retinere studeant: ut & prosperis successibus, & adversis, superiores sint: quò nullo eventu fracti, nec religiosæ modestiæ, nec sanctæ libertatis, nec bonæ de se conceptæ existimationis, quæ ad fructum colligendum necessaria est, quicquam amittant.*

17. *Si quos erga se, aut Societatem, malè affectos esse, intellexerint; (præsertim non-vulgaris auctoritatis homines) aut qui nostra ministeria impediant: non solùm pro eis orabunt; sed etiam convenientem aliquam rationem inibunt; ut eos amicos, aut saltèm non-adversarios, faciant. Ad quam rem non parum conferet; si, datâ occasione, instituti nostri rationem illis exponant: nullumq; officii genus prætermittant, quo illos, cùm opportunum fuerit, sincerè ac religiosè demereri, & conciliare possint.*

18. *Si quando Prælatum aliquem, in visitandâ diœcesi, comitabuntur: nihil se in negotiis, ad visitationem spectantibus, aliísve id genus ad jurisdictionem pertinentibus, immisceant; sed iis tantùm ministeriis attendant, quæ sunt nostri instituti propria.*

19. *Quámvis optare debeant, ut in suâ quisq; vocatione proficiat; æquumq; est, ut, pro suo munere, ad eam rem omnes hortentur: nullam tamen reformandi Cleri, aut Monialium, aliorúmve Religiosorum, curæ partem admittant. sic enim fiet, ut & munus suum sinè impedimento exsequi; & populum ad uberiorem fructum, ex visitatione percipiendum, sinè offensione, disponere possint.*

20. *Cùm præter id, quod eis fuerit peculiari ratione injunctum, res aliqua divini servitii se obtulerit; in quâ possint, sinè detrimento suæ missionis, suam operam ponere: opportunitatem quam Deus ad eam dederit, quantum in eodem convenire judicabunt, è manibus elabi non sinent.*

21. *Si in locis designatis diutiùs residendum erit; locumq; dederint præcipua negotia, (quæ nunquam propter alias occasiones, licèt bonas, divini obsequii, posthabebunt) excursiones aliquas facere, si eas cum fructu fore judicabunt, non erit inconveniens.*

22. Sinè facultate Superioris, nulli Confraternitati, Congregationíve, statuta condent; seu vetus illa sit, seu nova instituenda videatur. De novâ autem instituendâ, & quæ nullibi sit in usu, non priùs agent, quàm Superiorem consulant.

23. Quæ Deo auctore perficient, ea, quantum licebit, ità constituant; ut stabilia sint, & diu durare possint. Quod faciliùs obtinebunt, si res convenienti ordine disponant; earumq; bonum progressum iis commendent, quorum exemplo, auctoritate, studio, & diligentiâ, facilè conservari & promoveri possint.

24. Scribant ad eum, quem designaverit ille, à quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit constitutum; &, quantum fieri potest, totius successûs eum certiorem reddant, quemadmodum personæ & negotia exegerint: ut consilio, & aliis auxiliis, juvari possint.

25. Cùm, propter nullas occupationes, intermittendum sit propriæ perfectionis studiũ: diligenter animadvertant, ne, prætextu procurandæ aliorum salutis, propriæ perfectionis obliviscantur, ipsamq; propriam salutem eâ ratione in discrimen adducant; sed sæpè illud Domini mente revolvant: Quid prodest homini, si universum Mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? *sibiq; illud D. Pauli unusquisque dictum existimet:* Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis: hoc enim faciens, & te-ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

26. Hanc ob rem caveant, ne consueta, in Collegiis ac Domibus, orandi, & examinandæ conscientiæ, exercitia imminuant; nisi si quando necessitas, aut in eventu aliquo charitas, illud faciendum postularet. Conversationem cum secularibus nimiam non habeant, aut incautam, aut quæ secularem sapiat; sed in omnibus se integritatis, & gravitatis, exemplum præbeant: atq; in summâ, Regularum Societatis sive earum, quæ omnibus communes sunt, sive quæ ipsorum officii propriæ, quantum locus patitur, observationem non prætermittant.

27. Præter hæc, si, pro ratione diversarum regionum, & missionum qualitate, aliæ quædam à Superioribus constituenda videbuntur: ea, in peculiaribus instructionibus addita, pari diligentiâ observanda erunt.

REGULÆ PROCURATORIS GENERALIS.

1. In omnium negotiorum tractatione, perpetuò memor sit instituti Societatis; quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Ipse igitur verbo, & exemplo, eos omnes ædificet, quibus-cum versatur: & in his, quæ ad officium suum spectant, fidelitatem, prudentiam, & dexteritatem, habere studeat: atq; eos sibi benevolos conservet, quorum operâ ad negotia peragenda indiget.

2. Ad eum pertinent negotia omnia, ad expeditiones, lites, & quosvis contractus, sibi à Generali commissos, ineundos, spectantia; quæ ad universæ Societatis Collegia, vel Domos ejus, vel etiam ad particulares personas, pertinebunt.

3. Superintendat non solùm iis, quæ à Procuratore, & Solicitatore externo, curantur; sed etiam Sociis, qui illi dabuntur adjutores, quod ad negotia attinet: &, si qui Romæ fuerint

rint Procuratores Societatis rerum particularium, vel etiam Provinciarum, ab ipso dirigentur; prout Generali videbitur.

4. Nihil, quod ad expeditiones, lites, aut graviora negotia, pertineat, incipiet agere: nisi à Præposito Generali, per se, vel per alium, approbatum sit, & ei commissum, ut exsequatur. Quòd-si Generalis rem consultatione indigere judicabit: solicitet, ut maturè de eâ statuatur; præcipuè si res festinatione egere videatur. si quid autem ex iis, quæ statuuntur, ipsi videretur non convenire: proponat suam sententiam, & rationes, quibus movetur.

5. Illud verò præcipuè ante oculos habeat; ut, antequàm litem ullam intendat, res cõtroversa (si fieri possit) concordiâ, aut compromissione, componatur. si quando tamen ad litem descendendum erit: memor sit, ut magnam pacem interiùs exteriusq; custodiat; & semper, ad istam concordiam se paratum esse, contrariæ parti innotescat.

6. Curet diligenter, ut rectè & solidè fiant, quæ expedienda, vel aliâ ratione agenda erunt. Quòd-si periti juris, aut Curiales, consulendi sint; maximè idonei eligantur. Idem de Officialibus, per quos res est transigenda, intelligatur.

7. Conferat cum Præposito Generali: eiq; reddat rationem eorum, quæ facit, & quo in statu sint negotia; aut illi, qui à Præposito designabitur. Quòd-si rerum difficultas extraordinarium favorem, aut diligentiam, exigere videatur: eidem significet; & auxilia, quæ opportuna visa erunt, petat.

8. Rationem quoque reddet statûs negotiorum, eorumq; prosecutionis, vel expeditionis, iis, qui de negotiis scribunt: suas verò literas legendas dabit illi Assistenti, ad cujus Provinciam negotia pertinebunt.

9. Rationum libros conficiat; in quibus sigillatim omnia, quæ recepit, scribantur, & quas pecunias quibus in rebus expenderit: ut tam clara & distincta ratio dati & accepti sit; ut ipso etiam absente supputari possit, quid singulæ Provinciæ, Domus, Collegium, aut particulares personæ, dederint, aut debeant Procuratori; aut quid eis à Procuratore debeatur. Quod ut commodiùs observetur; singulis saltèm annis, ad Nativitatis dominicæ festum, rationum omnium summam colliget, & scribet; atque ad eos, quorum intererit, mittet: si quid autem pecuniæ superer it, eisdem significabit; ut pro ipsorum arbitrio de eâ disponatur.

10. Librum habeat, in quo scribat beneficia omnia ecclesiastica, quæ singularum Provinciarum Collegiis sunt unita: & horum etiam catalogum; ubi tempus, in quo fuit facta unaquæq; unio, & valor etiam, annotetur: animadvertatq; ut, antequàm adveniat dies præscriptus solvendi quindennia, Rectores Collegiorum, ad quæ hujusmodi uniones pertinent, diligenter admoneat; ut opportuno tempore pecunias Romam mittant.

11. Curet, ut à Provinciis mittantur pecuniæ, quas contribuere debent, ad sumtus necessarios, in Procuratores; &, cùm opus fuerit, in Advocatos, latores literarum, & alios similes faciendos: utq; Romæ sint eo tempore, quo illis sunt solvendæ. Eademq; diligentiâ, quæ sibi deberi ex libro rationum colliget, ut reddantur, curabit.

12. Cùm pecunia Procuratori, ad negotia conficienda, transmittetur: si tantùm literæ bancbariæ, quæ de credito dicuntur, mittantur: nihil capiat, nisi quantum & quando, pro negotio conficiendo, opus erit. Si verò bancbaria litera, ad certam aliquam summam,

quæ jam alibi soluta est, capiendam, missæ fuerint; & ea ipsa jam-jam, ad negotia expedienda, erit necessaria: ne tùm quidem à mercatore, præsertim locuplete, & spectatæ fidei, educatur; donec numeranda sit. si verò non tam citò erit necessaria; vel de fide mercatoris non tam certò constaret: primo quôque tempore ab eo acceptâ pecuniâ, eam, si alicujus momenti fuerit, reponat in arcâ, sub duplici clavi; quarum alteram ipse, & alteram diversam socius habeat.

13. Scripturas, Bullas, & Brevia authentica, quæ in Archivio conservantur, non nisi exigente necessitate, accipiat: acceptas verò, quàm-primùm commodè poterit, reddat. cæteras autem scripturas, Procuratoris instrumenta, literas negotia continentes, quamdiu necessaria fuerint, & demum quæcunq; ad officium ejus pertinent, & quæ nec perpetuò necessaria sunt, nec semper servanda erunt; ipse custodiat ordinatè, & distinctè, facto eorum omnium inventario: cubiculumq; sit clavi obseratum.

14. Informationes ad se missas, in omnibus expeditionibus, habeat præ oculis; ut ad eas omninò supplicationes conformentur: deinde animadvertat, ut Bullæ, & Brevia, quæ expediuntur, cum Supplicationibus concordent.

15. In librum referat summam omnium negotiorum, quæ ei commendantur: resq; majoris momenti, quæ in eorum progressu peragentur, ibidem brevi ac dilucido ordine conscribat.

16. Exempla literarũ, quas ad varias provincias & loca scribit, de negotiis, in librum peculiarem referat: & cùm memoralia, informationes, supplicationes, vel alia scripta alicujus momenti, aliis dabit; exemplum eorum apud se servet.

17. Regulas Cancellariæ habeat; Bullasq; & Brevia, quæ à summo Pontifice fiunt, emat: in eisq; animadvertat, quid novi contineatur. Quòd-si in Cœna Domini Bullâ aliquid adderetur, aut mutaretur: eam statim ad omnes Provincias transmittat. Motus etiam proprios universales, conscio tamen Præposito Generali, Provincialibus mittet.

18. Cùm Præpositus Generalis adire voluerit creatum novum Pontificem; ut, juxta Constitutiones, suæ Sanctitati obedientiam, votumq; Societatis, declaret: redigat illi Procurator in memoriam; ut videat, an expediat ab eo impetrare confirmationem gratiarum, & privilegiorum Societatis.

19. Subditus sit Superioribus Collegii; præterquàm in iis, quæ ad sui officii exsecutionem spectant.

REGULÆ PROCURATORIS DOMUS PROFESSÆ.

1. In omnium negotiorum tractatione, perpetuò memor sit instituti Societatis; quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipse, verbo & exemplo, præsertim humilitatis & patientiæ, eos omnes ædificare, quibus-cum conversatur, atq; eos sibi benevolos conservare, quorum operâ, ad negotia peragenda, indiget: &, cùm oportuerit, de instituti nostri ratione illos informet.

2. Quærat diligenter eleemosynas; easq; simpliciter, & amore Domini, petat: necnon & eas augere ac conservare studeat; opportunéque eos visitet, à quibus petendæ erunt.

3. Hæ

3. Habeat catalogum eorum, qui ordinariè & extraordinariè eleemosynas faciunt; & de his certiorem faciat Superiorem: ac videat, ne suâ negligentiâ aliquos prætermittat, quorum beneficio Domus juvari possit.

4. Animadvertat, quid à quibus petere debeat, juxta id, quod unusquisq; faciliùs, & commodiùs, suo tempore dare possit: & caveat, ne in petendis eleemosynis gravis, vel molestus externis sit: ità ut ad eos, cùm oportuerit, gratus semper pateat aditus nostrorum.

5. Habeat socium, à Superiore designatum; cujus operâ utatur in his, quæ ad suum officium pertinent: præter alium, (ubi opus erit) qui in virtute, & conversatione, probatus, possit eleemosynas ordinarias per Domos colligere.

6. Procuratoris erit, quascunque eleemosynas recipere; & quæcunque afferuntur domum, in libro quodam, ad id designato, quotidie scribere.

7. Videat, in quærendis, vel admittendis eleemosynis, ne præjudicium fiat puritati nostri instituti; quod attinet ad ejus ministeria, gratìs omninò exercenda.

8. Pecunia undecunq; provenerit, si alicujus momenti fuerit, judicio Superioris in arcâ reponatur, ad id designatâ. Hujus Præpositus clavem unam, & ipse Procurator alteram diversam, custodiat. In eâdem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniæ summa, tam ejus quæ infertur, quàm ejus quæ effertur. si quando autem, cogente aliquâ necessitate, pecunia in arcam non inferretur: nihilominùs accepti & expensi summa, semel in hebdomadâ, in eodem libro scribatur; ac si in eâ reponeretur.

9. Quoties ex arcâ pecuniam accipiet; ejus summam, & diem, in libro suarum rationum adscribat: in alterâ verò parte libri, expensi ratio constet.

10. Procurator in libro, ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia, quæ unusquisque Novitiorum domum attulerit, cum ejusdem subscriptione; & ea Custodi vestium asservanda tradat: nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arcâ, ubi pecuniæ Domûs reponuntur; donec, biennio expleto, Novitius consueta vota Societatis emittat.

11. Singulis mensibus, dati & accepti rationem Superiori reddet; & debita etiam indicabit: quò ipse Domûs statum prorsus intelligat.

12. Diligenti curâ asservabit in archivio, ad hoc designato, instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de jure eorum, quæ Domus ad usum, & propriam habitationem, possidet, suis locis reposita: ut facilè inveniri possint. Archivii autem duæ claves diversæ erunt: quarum alteram Præpositus; alteram ipse habebit Procurator.

13. Itèm seorsum habebit hæc eadem instrumenta, & titulos, manu Notarii publici subscriptos: ut fidem faciant, si aliquando in judicio præsentari necesse sit.

14. Præter hæc, Procurator librum habebit; in quo summa quædam horum instrumentorum, & titulorum, contineatur. Cùm autem contractus majoris momenti, præsertim rerum perpetuarum, fient: redigat in memoriam Præposito, ad archivium, quod est in Urbe penes Præpositum Generalem, eorum exempla authentica mittenda esse.

15. Cubiculum clavi obseratum habeat: & asservabit scripturas, quibus ad procuratorium munus indigebit. cumq; aliquas ex archivio accipiet; earum in libro, qui in eodem archivio erit, annotato die, mense, & anno, memoriam relinquet: quas, cùm suo tempore restituet, ex eodem libro expunget.

16. Cùm toti Domui necessaria providere ipse debeat, juxta Superioris ordinem: curet, ut res omnes, præcipuè diu duraturæ, quàm opportunè emantur: ne aut non-perinde bonas, aut non æquo pretio, cogatur comparare. Caveat etiam, ne, dum nimiùm pecuniæ parcit, non-bonas, aut insalubres res, emat.

17. Emtori pecunias, ad quotidianos sumtus, subministrabit: à quo singulis diebus expensarum exigit rationem, ex codice; summam verò, in librum suum ipse referet.

18. Videat, num ea, quæ emta sunt, illæsa conserventur: atq; animadvertens, aliqua non, ut oportet, conservari, aut expendi; Superiorem, vel Ministrum, admoneat.

REGULÆ PROCURATORIS COLLEGII, ET DOMUS PROBATIONIS.

1. In omnium negotiorum tractatione, perpetuò memor sit instituti Societatis; quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipse, verbo & exemplo, eos omnes ædificare, quibus-cum conversatur; atq; eos sibi benevolos conservare, quorum operâ ad negotia peragenda indiget.

2. Procuratoris erit, conservare res temporales, suæ curæ commissas; & eas curare, tanquam bona propria Domini nostri Jesu Christi. Cùm autem toti Collegio necessaria providere ipse debeat, juxta Superioris ordinem: ad eum pertinebit, proventus quoscunq; Collegii, vel Domûs probationis, & eleemosynas, ubi petendas à Rectore intellexerit, exigere ac recipere: syngraphas verò solutionis, quando opus erit, ipse dabit, subscriptas à Rectore, aut à se, illius commissione.

3. Omnes Collegii proventus, & tempora, quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribet; & seorsum summam contractuum & locationum, quæ ad breve tempus fiunt: seorsum etiam, quascunq; res, aut pecunias, ex fructibus Collegii perceperit; addito, à quibus, & quando ea provenerint: eleemosynæ autem, alio in loco scribantur.

4. Singulis mensibus, dati & accepti rationem Rectori reddet; debitaq; & credita Collegii indicabit: quò ipse Domûs statum prorsus intelligat.

5. Pecunia, undecunq; ea provenerit, si alicujus momenti fuerit, judicio Superioris, in arcâ reponetur, ad id designatâ: hujus Rector clavem unam, & ipse Procurator alteram diversam, custodiat. In eâdem liber asservabitur; in quo scribetur pecuniæ summa, tàm ejus quæ infertur, quàm ejus quæ effertur. si quando autem, cogente aliquâ necessitate, pecunia in arcam non inferretur: nihilominus accepti & expensi summa, in eodem libro, statim scribatur; ac si in eâ reponeretur.

6. Quoties ex arcâ pecuniam accipiet; ejus summam, & diem, in libro suarum rationum adscribat: in aliâ verò parte libri, expensi ratio constet.

7. Procurator in libro, ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia, quæ unusquisque Novitiorum Domum attulerit, cum ejusdem subscriptione; & ea Custodi vestium asservanda tradat: nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arcâ, ubi pecuniæ Collegii reponuntur; donec, biennio expleto, Novitius consueta vota Societatis emittat.

8. Em-

8. *Emtori pecunias, ad quotidianos sumtus, subministrabit; à quo, singulis diebus, expensarum exiget rationem, ex codice: summam verò, in librum suum ipse referet.*

9. *Curet, ut res omnes, præcipuè diu duraturæ, quàm opportunè emantur: ne has non perinde bonas, aut non æquo pretio, cogatur comparare. Caveat etiam, ne, dum nimiùm pecuniæ parcit, non-bonas, aut insalubres res, emat.*

10. *Videat, num ea, quæ emta sunt, illæsa conserventur: atq; animadvertens, aliqua non, ut oportet, conservari, aut expendi; Superiorem, vel Ministrum, admoneat.*

11. *Advertat, num ea, quæ à Collegio possidentur, reparatione indigeant; seu domus, seu prædia, seu quidvis aliud: ut ad Superiorem referat. si quid autem vendendum videretur; eodem inconsulto, ne faciat.*

12. *Omnia, quæ speciem habent secularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & similibus, intelligat prohibita esse nostris.*

13. *Nihil, quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicujus momenti negotia, pertineat, faciat; nisi ipsi à Superiore commissum sit. si quid autem ex iis, quæ jubentur, ipsi videretur non expedire: eidem proponat modestè suam sententiam; & rationes, quibus moveatur.*

14. *Excipiet in codicem lites, si quæ fortè erunt: & quæ gravioris momenti circa eas fient, continenter & summatim annotabit.*

15. *In tribunalibus judicum non compareat; nisi quando aliqua necessitas plurimùm urgere Superiori videretur: sed per externos Procuratores, nostra negotia in publicis judiciis peragantur.*

16. *Illud verò præcipuè ante oculos habeat; ut, antequàm litem ullam intendat, res controversa (si fieri possit) concordiâ, aut compromissione, consulto Superiore, componatur. si quando tamen ad litem descendendum erit: memor sit, ut magnam pacem interiùs exteriusq; custodiat; & semper, ad justam concordiam ipsum paratum esse, contrariæ parti innotescat.*

17. *Curet diligenter, ut rectè & solidè fiant, quæ expedienda erunt. Quòd-si periti juris consulendi sint; maximè idoneos eligat. Idem de cæteris Officialibus dictum intelligatur.*

18. *Conferat cum Superiore, eiq; reddat rationem eorum, quæ fecit, & quo in statu sint negotia; aut ei, quem ille designabit. Quòd-si rerum difficultas extraordinarium favorem, aut diligentiam, exigere videatur; eidem significet: ut auxilia, quæ opportuna visa erunt, petantur.*

19. *Diligenti curâ asservabit in archivio, ad hoc designato, instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de jure eorum, quæ à Collegio possidentur, suis locis reposita; ut facilè inveniri possint. Archivii autem duæ claves diversæ erunt: quarum alteram Rector, alteram ipse habebit Procurator.*

20. *Seorsum habebit hæc eadem instrumenta, & titulos, manu Notarii publici subscriptos: ut fidem faciant, si aliquando in judicio præsentari necesse sit.*

21. *Præter hæc, Procurator librum habebit; in quo summa quædam horum instrumentorum, & titulorum, contineatur. cùm autem contractus majoris momenti, præsertim rerum perpetuarum, fient: redigat in memoriam Rectori, ad archivium, quod est in Urbe, penes Præpositum Generalem, eorum exempla authentica mittenda esse.*

22. *Cubi-*

22. Cubiculum clavi obseratum habeat: & asservabit scripturas; quibus ad procuratorium munus indigebit.cumq; aliquas ex archivio accipiet; earum in libro, qui in eodem archivio erit, notato die, mense, & anno, memoriam relinquet: quas, cùm suo tempore restituet, ex eodem libro expunget.

23. In libellum referet, quæcunq; à Superiore ipsi facienda injungentur: ne memoria excidant, & effectu frustrentur.

24. Intelligat, qui sint illi potissimùm, qui beneficia magni momenti in Collegium contulerunt; & eorum catalogum habeat; & Superiorem certiorem faciat: ut, juxta modum professionis nostræ, grati in illos esse possimus.

REGULÆ PRÆFECTI LECTORUM AD MENSAM.

1. Curet, ut idonei in Lectores mensæ à Superiore destinentur: & eos instruat, ut altâ, clarâ, & distinctâ voce legant.

2. Det operam, ut Lector prævideat diligenter lectionem: ut benè & emendatè proferat, & in dubiis ad se recurrat.

3. Admoneat Lectorem, ut, si quid perperam pronuntiaverit, correctius repetat; & emendatè iterum proferat.

4. Habeat à Superiore assignatos sibi socios; ut in neutrâ mensâ desit, qui Lectorem corrigat: eosq; juxta has Regulas instruat.

5. Initio lectionis in primâ, atq; etiam (nisi nostrorum paucitas aliud suaserit) in secundâ mensæ, in prandio & cœnâ, legatur caput de Scripturâ sacrâ, novi vel veteris Testamenti: cui succedat semper aliquis liber pius ac facilis, juxta indicem inferiùs præscriptum. & habeatur peculiaris ratio Coadjutorum: ut, pro arbitrio Superiorum, aliquid vernaculâ linguâ, ad illorum etiam consolationem, legatur.

6. In celebrioribus festis legatur aliquid, omisso capitulo Scripturæ, ex Patrum homiliis, & tractatibus; quod ad historiam, & celebritatem festi, pertineat: & à Dominicâ in Passione, usq; ad Pascha, post lectionem Scripturæ de passione Domini, tractatus aliquot de eâdem legantur.

7. Cùm afferuntur literæ annuæ, & Indicæ, quàm-primùm legantur.

8. Initio cujuscunq; mensis, Summarium Constitutionum, Regulæ communes, & Epistola P.N. Ignatii de Obedientiâ, legantur.

9. Vesperi, absolutâ lectione, seu prædicatione, legatur Martyrologiũ vulgare sequentis diei: quo verò die fit abstinentia, caput aliquod ex libro de Imitatione Christi, cum Martyrologio: cùm verò jejunatur, nihil legatur vesperi; sed Martyrologiũ legatur ad prandium.

LIBRI DIVINÆ SCRIPTURÆ, QUÆ IN REFECTORIO LEGUNTUR.

Ex novo Testamento, omnia integrè legentur.

Ex veteri, Pentateuchus; præter Leviticum.

Historiales omnes, & Sapientiales; præter Cantica.

Prophetales; præter capita aliquot obscuriora.

LI-

LIBRI, QUI POST LECTIONEM SCRIPTURÆ LEGI POSSUNT.

Historia Ecclesiastica Eusebii Cæsariensis.
Historia Ecclesiastica Nicephori Calisti.
D. Gregorii Dialogi.
Historia Ecclesiastica Bedæ.
Vitæ Sanctorum Aloysii Lipomani.
Vitæ Sanctorum Surii.
Severus Sulpitius de Beato Martino.
Gregorius Turonensis de Gloriâ Confessorum.
Selectæ Epistolæ D. Hieronymi.
Chrysostomus de Orando Deum, de Providentiâ, & de Sacerdotio.
Ambrosius de Fugâ seculi, de Bono Mortis.
Augustini Sermones, Meditationes, Confessiones, & alia ejusdē opuscula & tractatus.
D. Bernhardi de Interiori domo, & aliquot Sermones & tractatus.
Homiliæ Patrum selectæ.
D. Bonaventuræ Stimulus divini amoris.
Thomas de Kempis de Imitatione Christi, & aliquot ex ejusdem auctoris opusculis.
Catechismus Romanus.
Literæ Indicæ.

10. Præter hos libros, poterunt quidem alii legi, tum vulgares, tum Latini; sed examinati, & approbati à Provinciali: atq; illi esse debent, qui & pietatem promoveant; & vocationis propriæ propositum confirmare possint.

11. De singulis libris, suo tempore prælegendis in mensâ, juxta indicem præscriptum, priùs conferet cum Superiore: ut ille constituat quid legendum sit.

12. Catalogum à Superiore habeat eorum, qui in Refectorio commodè concionari poterunt: ex quibus Superior ipse eligat, qui statis diebus concionentur; & eos præscripto tempore admonebit, quâ de re sint concionaturi.

REGULÆ PRÆFECTI SANITATIS.

1. Præfecti sanitatis munus erit, superintendere iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent, conservandam in sanis; (in iis præsertim, qui ex ætate, aut aliis de causis, sunt debiliores) tum restituendam in ægrotantibus.

2. Præsit Infirmario, & cæteris, quibus cura ægrotorum commissa erit: detq; operam, ne desit Medicus; adsitq; eo veniente, præsertim ubi morbi qualitas id postulaverit: &, quicquid ab eo præscriptum fuerit, studeat, ut exsecutioni mandetur: & ubi videret, ægrotorum cubicula salubria non esse; ad Superiorem referat.

3. Observet, num quis ex nimiâ fatigatione corporis, aut spiritûs, plùs æquo laboret, vel aliâ de causâ morbi periculo se exponat; & Superiori significet.

4. Si in cibis, aëre, frigore, aut aliâ quapiam in re, aliquid probabili ratione animad-

vertat, quod communi omnium, vel alicujus, saluti prodesse, vel obesse possit: Superiorem admoneat.

5. Curet, ut Infirmarius Regulas suas observet: quas apud se etiam habebit.

REGULÆ PRÆFECTI BIBLIOTHECÆ.

1. Indicem librorum prohibitorum in Bibliothecâ habeat: & videat, ne fortè ullus sit inter eos ex prohibitis, aut aliis, quorum usus communis esse non debet.

2. Bibliotheca clausa sit: cujus claves ipse habeat; & illis tradat, qui eas, juxta Superioris judicium, habere debebunt.

3. Libri omnes eo ordine in Bibliothecâ collocentur: ut singulis Facultatibus suus certus sit locus, proprio titulo inscriptus.

4. Singuli libri titulis exteriùs inscribantur: ut facilè cognosci possint.

5. Omnium librorum, qui domi sunt, catalogum habeat; diversarum Facultatum auctoribus, ordine alphabetico, in diversas classes distributis.

6. In alio catalogo, diversis etiam per classes Facultatibus, ii libri scribantur; qui in nostrorum usum, extra Bibliothecam, concessi sunt. qui verò intra dies octo restituendi extrahuntur, in tabulâ, in hunc usum parieti appensâ, notentur: quibus redditis, quod fuerat scriptum, deleatur.

7. Nullum librum ex Bibliothecâ cuipiam dabit, sine Superioris licentiâ speciali, aut generali: & advertat, ne quis librum, etiam cum licentiâ, se inscio, accipiat.

8. Curet, ut Bibliotheca valdè munda & composita sit: quam in hebdomadâ bis verret; & semel ex libris pulverem excutiet. Cavere etiã debet, ne libri humiditate, aut aliâ re, lædantur.

9. Quando intellexerit, domi deesse aliquos libros necessarios, aut aliquos valdè utiles in lucem editos esse: certiorem faciat Superiorem; ut, si illi visum fuerit, emantur. si verò domi libri inutiles fuerint: eundem admoneat, an cum aliis melioribus commutandi sint.

10. In loco publico, præsertim in magnis Collegiis, sint quidam communiores libri: quibus unusquisque, pro ratione suorum studiorum, uti possit.

11. Habeat librum, in quo ea omnia, judicio Superioris selecta, diligenter scribantur, quæ in suo Collegio publicè exhibentur; ut Comœdiæ, Dialogi, Orationes, & id genus alia. Conclusiones verò singulorum annorum, quæ publicè defendentur, simul consutas in Bibliothecâ asservet.

12. Si aliqui libri extra Domum accomodatò darentur; adhibeat diligentiam, ut recuperentur suo tempore: & in aliquo interim libro notabit, quinam illi libri sint, & quibus eos accomodaverit.

REGULÆ SUBMINISTRI.

1. Subminister est instrumentum Ministri, & aliorum Superiorum, ad res particulares obeundas, & executioni mandandas.

2. Nihil

2. *Nihil ordinat; sed tantùm est exsecutor, & exactor actionum domesticarum, juxta modum & ordinem, sibi à Superioribus præscriptum.*

3. *Est ejus præcipua cura, ut omnia, quæ attinent ad culinam, refectorium, penum, cellam vinariam & aquariam, benè, & ordine, & tempore suo, parata sint, & ministrentur: videatq; ut cubicula sint decenter composita; quæ alternis saltèm diebus visitabit.*

4. *Curet, ne nostri per Domum vel Collegium vagentur; vel intempestivè colloquantur: ac deniq; ut unusquisq; in suo officio versetur, & contineatur.*

5. *Referet de omnibus rebus quotidie ad Ministrum: ad Præpositum verò, vel Rectorem, quoties eis visum fuerit.*

6. *Nullam injunget pœnitentiam; sed de defectibus domesticis admoneat Ministrum, vel alium Superiorem: poterit tamen impositas pœnitentias, nomine alicujus Superioris, aliis denunciare.*

7. *Erit Superior nostrorum, qui Sacerdotes non sunt: Sacerdotibus tamen aliquid injungere poterit, nomine alicujus Superioris.*

REGULÆ ÆDITUI.

1. *Præfecto Ecclesiæ obediat in omnibus, quæ ad templi ministerium pertinent.*

2. *Servet modestiam in incessu, vultu, sermoneq; tàm in templo, quàm in sacristiâ: iis verò, qui aliquid exigunt, satisfacere cum ædificatione studeat per se; vel ad Præfectum recurrendo; aut ipsos ad eum remittendo. si quando verò necesse erit cum mulieribus loqui: id oculis demissis, & quàm brevissimè, faciat.*

3. *Dum sacris inservit, attentus ad suum ministerium, cum devotione, & ædificatione, sit. Nec ante eum, qui celebrat, aut ad latus ex æquo; sed aliquanto posteriùs maneat: utatur verò tono, qui congruat cum eo, quo Sacerdos utitur: omnia rectè proferat; nec celeriter nimiùm, nec nimis lentè. Deniq; in iis sit benè instructus: & cæteros, qui Sacerdotibus ministrabunt, eadem doceat.*

4. *Curet, ut vestimenta, quæ sacrum facturus induitur, sint rectè aptata; ipsumq; circumquaq; intueatur, antequam è sacristiâ exeat.*

5. *Diligenter det operam, ut Sacerdotes, qui Sacrum facere volunt, quàm-primùm ministros habeant, juxta ordinem sibi à Superiore præscriptum: & quotidie unumquemque eorum, qui ordine in summo Altari Missas dicturi sunt, opportuno tempore admoneat.*

6. *Tot habebit appensa sudariola in Sacristiâ, quot fuerint domi Sacerdotes; inscriptis singulorum nominibus: & addito uno, vel pluribus, pro extraordinariis.*

7. *Dum Sacra fiunt, accendat, ut minimùm, candelas duas; & cùm sanctissimum Sacramentum elevatur, facem aut cereum: quo tempore etiam tintinnabulum pulset. Accendet etiam facem, cùm aliis sanctissimum Sacramentum ministrabitur: ipseq; confessionem generalem, eorum vice, recitabit.*

8. *Curet, ut vinum, quod in sacrificium paratur, sit bonum, & merum, ac mundum, eoq; ipso die haustum: similiter & aqua, & ampulla sint munda, & decenter cooperta.*

9. *Hostias faciat, quàm fieri poterit, pulcras, eo numero; ut & Missis, & communionibus, sufficiant.*

10. Ante Missas, & conciones, ac lectiones, pulset campanam; prout sibi præscriptum erit: det etiam signum Salutationis B. Mariæ, in aurorâ, in meridie, & vesperi. det etiam signum, cùm primùm quis ex nostris vitâ functus fuerit: ut omnes, pro cujusque devotione, illius animam Deo commendent.

11. Si quando, propter universalem aliquam causam, in reliquis Ecclesiis campanæ pulsentur: ipse etiam, juxta Superioris præscriptum pulsabit.

12. Pridie, quàm sit habenda concio, disponat scamna in templo, juxta solitum morem.

13. Det operam, ut nullo modo lumen desit ante sanctissimum Sacramentum; neque interdiu, neque noctu.

14. Ex iis Sacerdotibus, quos habet à Superiore designatos, vocet diligenter ad templum, qui nominatim petuntur ad confessiones audiendas. quòd-si nominatim non petuntur, ad confessiones audiendas, eos juxta ordinem sibi præscriptum accersat: &, quantum in ipso est, det operam, ut omnibus, qui confiteri volunt, satisfiat.

15. Si qui Missas aut orationes petãt: ad Præfectũ recurrat; vel ad eum illos remittat.

16. Si quis aliquid quæreret, in quo ei à Janitore meliùs satisfieret: eum ad portam Domûs remittat; & eos etiam, qui per portam, quâ à templo in Domum patet aditus, ingredi vellent: nisi viri essent ejusmodi, ut eorum peculiaris esset habenda ratio; prout à Superiore fuerit instructus. nunquam autem porta ea aperta relinquatur.

17. Curet, ut nunquam illic aqua desit, ubi lavantur manus: & sint lintea convenienter munda, pro Sacerdotibus, ad manus solas, ante & post Sacrum, extergendas.

18. Provideat, ut aqua benedicta in pilâ non desit.

19. Si quando eleemosynæ Missarum, vel Confessionum gratiâ, offeruntur; eas non admittat. si quid tamen alioqui in Altaribus, aut aliis templi locis, repererit; aut in usum templi oblatum fuerit: id Præfecto tradet.

20. Templi portas manè; sed non ante auroram, aperiat: easdemq; vesperi, circa Solis occasum, diligenter obseret. quod etiã faciet circa meridiem; nisi Superior, in casu aliquo, secùs faciendum judicaret: & quotidie noctu claves Ecclesiæ ad Superiorem deferat.

21. Quamdiu templum erit apertum; diligenter curet, ne unquam sinè custode relinquatur: sed semper, aut ipse, aut alius, in eo sit, vel in sacristiâ; itâ ut & videre templum, & custodire possit.

22. Advertat, ne quis in templo deambulet; néve strepitus in eo audiatur: eos verò, qui loquentur altiùs, modestè, ut decet, admonebit.

23. Det operam diligenter, ut altaria sint munda, & benè præparata, & pro ratione temporum ornata; atq; ut vasa sacra, ornamenta, & cætera omnia, quæ ad divinum cultum pertinent, in suis locis aptè & decenter reponantur, & conserventur.

24. Videat, ut templum sit mundum; & bis singulis hebdomadis, ac sæpiùs, si necesse sit, præsertim in Festorum solemnium vigiliis, scopis mundetur. Canes etiam ex templo abigat.

REGULÆ INFIRMARII.

1. Curam habeat infirmorum: quorum ægritudo simul-atq; ei indicata fuerit, si censeret rem esse alicujus momenti, Præfectum & Superiorem admoneat.

2. Cùm

2. Cùm quis in morbum incidit; à Superiore intelligat, num statim Medicus vocandus sit: qui unus ordinariè esse debet; nisi ingravescente morbo, aut in quibusdam aliis casibus, alio Medico opus esse, Superior judicaverit. & quoties Medicus ægrotos inviset, adsit ipse.

3. Studeat, ut, quæ ægrotanti danda sunt, & opportunè emantur, & bona sint; & benè præparata administrentur.

4. Curet, ut ægrotorum cubicula sint valdè munda: lecti concinnè sternantur: & ramusculis, & hujusmodi aliis, decumbentes oblectet.

5. Aegrotum consolari, & exhilarare studeat, non solùm rebus à Medico probatis; sed verbis etiam spiritualibus, & latis. Habeat etiam libros, quorum lectione ægroti recreari, & juvari in spiritu, possint.

6. Intelligat à Superiore, quos ex nostris, ad ægrotos invisendos, ac recreandos, accersere debeat: caveat autem, ne, dum infirmis placere studet, aliquid fiat, quod eis nocere ullâ ratione possit.

7. Medicinalia, & cuncta, quæ ægrotantium usui necessaria sunt, habere ipse debet; nisi Pharmacopola domi sit: & in loco convenienti ea custodire, & sæpiùs revisere; ut incorrupta conserventur: & quando opus fuerit, ut de novo suo tempore conficiantur, curare re, juxta ordinem Superioris.

8. Nihil omninò eorum, quæ à Medico præscribentur, prætermittat, aut mutet: ordinem etiam observet temporum præfixorum, quibus prandium, cœnam, syrupum, cæteraq; medicamenta det; omnia scripto excipiens, quæ Medicus præscripserit.

9. Advertat, quo diē quis cœperit ægrotare; & quâ horâ febres ægrotum, & corripiant, & deserant: tum ut Medicum & Superiorē admoneat; tum ut cibum tempestivè præbeat.

10. Si morbus sit contagiosus; supellex separari debet: ne cuiquam noceat.

11. Convalescentes è lecto surgere non permittat, priusquàm id Medicus concesserit: & operam det, ut ea convalescentibus præbeantur, quæ Medicus præscripserit; quoad Superiori satìs visum fuerit.

12. Patienter & cum charitate, tum ipse, tum socii ejus, ferant molestias, & difficultates, quæ interdum in curandis infirmis accidere solent. Quemadmodum autem diligenter curare debet, ne debita ministeria ægrotis desint: ità etiā animadvertere, ne nimiæ vigiliæ, immoderatiq; labores, aut morbi contagio, vel propriæ ipsius, vel sociorum saluti, noceant.

13. Cùm gravitas morbi id postulaverit; Superiorem certiorem reddat: ut ægrotus, antequàm judicii usu privetur, omnia Sacramenta accipiat. Quòd-si ægrotus, diu licèt, sinè periculo decumbat: curet, ut octavo quôq; die, pro more Societatis, communicet: ne hujusmodi spirituali fructu, & consolatione privetur; nisi aliqua ratio, judicio Superioris, impediat.

14. Ingravescente morbo, Superiorem admoneat: ut orationibus omnium domesticorum, valdè peculiaribus, infirmum juvari faciat; atq; eò magis, quò morti propinquiorem videret: & ut morienti, quò plures poterunt ex nostris, adsint; qui eum animosiorem reddant, iisq; auxiliis juvent, quæ eo tempore convenient: ac, cùm primùm vitâ functus fuerit, Aedituum admoneat.

15. Provideat, ut eorum corpora, qui ad meliorem vitam migrarint, ad sepulturam,

consueto regionis more, præparentur; & ut spatio diei naturalis decenter teneantur: nisi, ratione mali odoris, anteverti hoc tempus, Superiori videretur.

16. Præfecto sanitatis obediat in omnibus, quæ ad hoc officium pertinent: qui si nullus fuerit constitutus; Præfecti munere ipse fungatur.

REGULÆ JANITORIS.

1. Nomina omnium domesticorum, prope ostium Domûs, in tabulâ scripta sint: ubi notis quibusdam illi designabuntur, qui egredientur. neminem verò forás exire permittat, qui facultatem à Superiore, generalem aut particularem, non habeat: & ab iis, qui egrediuntur, quò eant, intelligat.

2. Nihil cuiquam nuntiabit intempestivè; ut cùm in mensâ sedetur: nisi aut res esset necessaria, aut personæ mittentis conditio aliud exigeret.

3. Literas omnes, & schedulas, quæ domesticis mittuntur, Superiori tradat: ii verò, ad quos dabuntur, eas esse acceptas, ne intelligant. Caveat etiam, ne alicujus domestici literas, aut quid simile, externis det, injussu Superioris.

4. Cùm aliqui ex Societate peregrè veniunt: januam ingressis dicat, ut illic exspectent; dum Superior de adventu eorum fit certior.

5. Festinet ad januam, cùm tintinnabulum pulsari audit: &, cùm res patietur, per fenestellam venientes expediat, portâ non apertâ.

6. Si quis ab externis quæratur, qui domi non sit: modestè intelligat, quis sit ille, qui petit, & quin velit: ut id redeunti si opus sit, cum facultate Superioris, significare possit.

7. Talem cum omnibus conversandi modum teneat; ut discretione, modestiâ, & spiritualibus verbis, singulos ædificatos, & contentos, à se dimittere studeat.

8. Cùm externi aliquẽ è nostris alloqui volent; Superiorẽ adibit. qui si ad id facultatem dederit: diligenter eum, qui petitur, quæret; & ad locum colloquiis destinatũ eos remittet.

9. De eleemosynis, quæ ad januam mittentur, Superioris mentem intelligat; illiusq́; ordinem sequatur: &, si alicujus momenti sint, Procuratorem certiorem faciat.

10. Si quando Prælati, aut Magnates, Domum intrârint: curet, si commodè possit, ut Sacerdos aliquis eos comitetur; dum Superiorem ipse accersit.

11. Cùm pauperes, eleemosynæ causâ, ad januam accedunt; benignè respondeat: & sedulò quærat, quídnam eis erogari possit, juxta Superioris arbitrium; idq́; illis cum charitate distribuat.

12. Mulieres, si quando ad ostium accedunt, paucis verbis dimittat; aut, si pluribus opus esse videretur, in ecclesiam eas mittat, ad Æædituum: ubi responderi ipsis poterit.

13. Obserata semper janua sit: clavisq́; in portâ ne relinquantur: loca etiam portæ vicina munda servet; & ut juxta januam omnes submissâ voce loquantur, curet.

14. Portas Domûs ante noctem claudat: exinde verò eas nullius causâ aperiat; nisi de Præpositi, vel Rectoris, expressâ licentiâ: & antequàm cubitum eat, claves eidem tradens, si quis foris maneat, illi renuntiabit.

15. Nihil custodiendum à quôquam externo recipiat, absq́; Superioris jussu.

16. Quoties Medicus Domum ingredietur; signum dabit campanâ: ut Minister, & cæteri, qui debent, adesse possint.

17. In Collegiis,in quibus Scholæ externis aperiuntur,signum campanâ dabit, pro initio lectionum,ac fine: & Gymnasia statis temporibus aperiet,atque claudet; nisi horum cura aliis demandetur.

REGULÆ CUSTODIS VESTIUM.

1. Servare debet omnem supellectilem,sive lineam,sive laneam; & quicquid ad indumenta,&,ubi opus fuerit,etiam ad calceamenta,attinet: quæ diligenti curâ,ut rem pauperum Christi,custodiet.

2. Inventarium rerum,quas ipse custodit,si alicujus momenti sint, in libro habeat; & seorsum scribat,quæ de novo fiant,addito die,mense,& anno: ut,cùm à Superiore jubebitur,possit sui muneris rationem reddere.

3. Vestes ordine dispositas servet; & novas, & integras,à vetustioribus sejungat; &, ne corrumpantur,videat: eas etiam aptandas,& resarciendas curet; ut decet religiosam paupertatem. quas verò non ampliùs usui nostrorum futuras judicabit; eas Superiori ostendat: ut ille,quid de eis faciendum sit,statuat.

4. Quæ singuli Novitii Domum attulerunt,ea alicubi separatim asservabit; inscripto nomine ejus,qui attulit: donec,biennio expleto,consueta vota Societatis emittat.

5. Singulis mensibus, omnia Domûs visitabit cubicula: ut ex Superioris arbitrio,si quid eis desit,suppleri possit. si quid etiam superfluum invenerit,in vestiariâ officinâ custodiatur.

*6. Inspiciat etiam,quínam vestibus indigeant: ut Superiori dicat,ejusq; ordinem exsequatur: eo verò inconsulto,nihil cuiquam dabit. Coadjutores autem temporales,*Sottanis,*dimidio palmo brevioribus,quàm Sacerdotes,& pallio* Sottanis *breviori,utantur.*

7. Linei panni lotori,sive externus ille sit,sive domesticus,scripto numero dentur,& accipiantur.

8. Subuculæ singulorum,quæ staturæ induentium convenire debent,signis particularibus internoscantur: ne permisceri contingat.

9. Pannos lineos omnes,quos utendos Refectorii Præfecto,Coquo,aliisq; ministris dividet,numeratò det,& recipiat.

10. Sabbati vespere, linea munda per omnia cubicula distribuat: dominicâ verò die manè,ex iisdem cubiculis immunda colligat; &,an omnia,quæ dederat,recipiat,animadvertat.

11. Aestivo tempore,linteamina munda pro lectis, decimoquinto quôque die; hyberno verò post tres hebdomadas,distribuat,ubi id fieri poterit.

12. Hæc omnia Custos vestium præstabit: nisi ejus officium,in magno aliquo Collegio, aut Domo,in plures personas distribuere necesse sit.

REGULÆ EMTORIS.

1. Diligens sit in emendis iis,quæ ad quotidianum usum,Superioris arbitrio,domum comportanda sunt; eaq; tempestivè Dispensatori tradat: emat autem res bonas,& quàm commodissimo precio poterit; licet longiùs sint petendæ.

2. Ad-

2. Adnotet pecuniæ summam, quam à Procuratore in-dies accipiet; & quas in res eam expendet: & rationem ei quotidie reddat dati, & accepti. quid autem sequenti die emturus sit, à Ministro intelliget.

3. Curet, quantum poterit, eos, quibus-cum aget, discretione ac modestiâ ædificare; &, quatenus ejus officium decet, religiosis verbis in spiritu juvare.

REGULÆ DISPENSATORIS.

1. In rebus distribuendis, ordinem Superioris sequatur: & quámvis communiter æqualitatem inter omnes servare debet; habeat tamen infirmorum & convalescentium rationem, prout ei fuerit præscriptum.

2. Vinum in mensâ ponendum aquâ temperabit, ubi, & quantum Superiori videbitur.

3. Quæ ex mensis supersunt, diligenter conservabit, memor paupertatis: ut & domesticis, & externis pauperibus, juxta ordinem Superioris, usui esse possint.

4. Curam habeat conservãdi res ad victum necessarias, quæ ipsi committentur; clausasq; custodiat, advertens ne corrumpantur. Quòd-si corruptionis sit periculum; Superiorem admoneat. Ut autem hæc meliùs observet: visitet sæpè penum, & alia loca, ubi illa reconduntur.

5. Tam penum, quàm reliqua omnia, quæ in eo sunt, munda habeat.

6. Antequàm penitus absumantur cibi, qui domi reconduntur; Superiorem admoneat, ut alii coëmi tempestivè possint.

7. Curet concinnanda dolia, & purganda, cùm opus est, ad novum vinum infundendum: cujus rei, cùm tempus impendet, Superiorem admonebit.

REGULÆ PRÆFECTI REFECTORII.

1. Curet Refectorium, & quæ ejus usibus serviunt, omnia esse quàm mundissima.

2. Ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis, desint, advertat: horum autem (quæ bis in hebdomadâ saltèm mutabuntur) alia Sacerdotibus, alia non-Sacerdotibus, destinata erunt.

3. Mantilia singulis saltèm hebdomadis semel; mappæ verò, quæ singulis singulæ servient, bis mundæ ponentur: omnia autem lintea numeratò, & accipiat, & reddat.

4. Curet, ne vasa, & cætera in Refectorio necessaria, desint; & ut quàm-maximè munda sint: cultellos autem frequenter acuere faciat.

5. Parvam mensam paratam habeat.

6. Signum campanâ temporibus suis dabit, conveniendi ad primam & secũdam mensam: sed ante primum pulsum (qui quartâ parte horæ secundum præcedat) à Coquo intelligat, an sint omnia parata.

7. Mensæ rebus necessariis paratæ esse debent, cùm campanâ signum primò dabitur. quæ autem ad potum pertinent, circa secundum signum apponantur: & aquæ ac vini vasa supra orbes collocentur.

8. Sit certus locus iis, qui curæ Infirmarii subsunt; quibus nihil, nisi quod ab eo præscriptum erit, apponat: servet autem cum omnibus æqualitatem; nisi secùs necessitatis causâ esset

esset à Superiore monitus: sinè cujus arbitrio, neq; jentaculum, neq; aliud quicquam, ulli concedet.

9. Priusquàm è mensâ surgatur, inferantur orbes aliquot in mensam; ut quisque locum suum mundet: quàm-primùm verò pro secundâ præparata omnia habuerit, signum campanâ dabit; providebitq;, ne desint, qui ministrare debent.

10. Quæ ex mensis supersunt, colliget; atq; illi tradet, ad quem id ex officio pertinet: sive Coquus is, sive Dispensator sit.

11. Nomina eorum, qui domi, tàm in Refectorio, quàm extrà, vescuntur, in quâdam tabulâ habeat: & eos, qui cibum cepêre, notabit; ut intelligat, quínam supersint: & Coquum, qui portiones distribuit, commonefaciet.

12. Mensis expeditis, mantilia plicentur; verraturq; Refectorium: &, si quis inter commedendum silentium non servaverit, aut aliquid minùs modestum fecerit; ipse Superiori significabit.

13. Habeat à Ministro catalogum; in quo scriptum sit, quínam & quibus diebus, in primâ & secundâ mensâ, ministraturi sint: eumq; ordinem servet. Intelligat etiam Sabbato, quinam per hebdomadam sequentem in Refectorio legere debeant; eosq; faciat certiores.

14. Catalogum habeat rerum, quæ in Refectorio serviunt; ut, cùm ratio ab eo requiritur, in promtu sit: & in loco ad id designato eas custodiat.

15. Ad finem recreationis, quæ una horâ post primam mensam; alterâ post secundam, à prandio & cœnâ, durare debet, distincta signa campanâ dabit.

REGULÆ COQUI.

1. In iis omnibus, quæ ad suum munus pertinent, munditiam servet ipse; & ab aliis servandam curet: detq; operam, ut omnia rectè & opportunè parentur; ea præsertim, quæ ad ægrotos pertinent.

2. Carnes, pisces, & alia, quæ ad mensam portanda sunt, dum secat & distribuit, digitis minimè contrectet; sed fuscinula, aut cultello, ad eam remutatur.

3. Semihorâ, aut saltèm quartâ horæ parte, antequàm in mensâ sit sedendum, præparati cibi omnes esse debent.

4. Circa qualitatem, & quantitatem portionũ, ordinem à Superiore datum sequetur.

5. Coquere, aut aliud quidpiam pro aliquo particulari parare, Infirmarió tantùm excepto, neminem sinet; neq; ipse faciet, sinè Superioris facultate.

6. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum est usus in coquinâ; quas ipse servare debet.

7. Diligenter advertat, ne plura, quàm necessaria sint, ligna comburantur. Hanc similiter diligentiam in rebus, quas consumit, adhibebit; ne quid non-necessarium insumatur: ut religiosam paupertatem decet.

8. Quæ ex mensâ supersunt, eiq; traduntur, conservabit, memor paupertatis: ut & domesticis, & externis pauperibus, usui esse poßint, juxta ordinem Superioris.

9. Si quem haberet adjutorem: curet, ut eum verbo, & exemplo suo, ædificet; præsertim Novitios.

REGULÆ EXCITATORIS.

1. Mediâ saltem horæ parte ante cæteros cubitum eat; eodemq; temporis spatio ante alios manè surgat; & horâ constitutâ campanam pulset; statimq; ad omnia cubicula lumen deferens, cunctos excitet. quod ut certiùs & meliùs præstare possit; horologium excitatorium à Superiore habeat.

2. Quartâ horæ parte ab excitatione elapsâ, cubicula rursus invisat: ac, si quos nondum surrexisse comperiat, Superiori nuntiet.

3. Post aliam quartam horæ partem, ad orationem pulsabit; ità ut ab excitatione, ad orationis usq; initium, semihora intercedat: absoluto verò tempore orationi deputato, finis signum dabit.

4. Si quorum operâ indigebit, propter multitudinem eorum, quos excitare aut visitare debet; eos à Superiore petet: quos servare easdem regulas curabit. si qui autem debiles aut valetudinarii erunt; eos juxta ordinem Superioris excitabit.

5. Si quem videret communem illam regulam minùs observantem, quâ omnes decenter cooperti dormire jubentur; Superiorem monebit.

REGULÆ NOCTU CUBICULA VISITANTIS.

1. Horâ à Superiore præscriptâ, ad nocturnum conscientiæ examen pulsabit: transactoq; quadrante, signum dabit ad cubandum.

2. Elapsâ quartâ horæ parte à cubandi signo, singula cubicula adibit; &, an omnes ad lectum se receperint, ac lucernas extinxerint, videbit. si quos invenerit extra lectum, aut qui lucernas non extinxerint; Superiori renuntiabit.

DE OBEDIENTIÆ VIRTUTE, EPISTOLA N.P. IGNATII.

IGNATIUS LOJOLA, FRATRIBUS SOCIETATIS JESU, QUI SUNT IN LUSITANIA, GRATIAM & amorem Christi Domini sempiternum.

I. *Magnam animi voluptatem capio, Fratres in Christo charissimi, cùm affertur ad me, quàm acri studio conatuq;, ad summam virtutis ac divini obsequii perfectionem, enitamini, beneficio illius, qui vos, ut ad hoc vitæ institutum vocavit; sic in eodem pro suâ clementiâ retinet, dirigitq; ad beatum finem: ad quem, qui sunt ab ipso electi, perveniunt.*

II. *Atq; ego sanè, cùm vos omnibus donis ornamentisq; spiritualibus perfectos, tum verò (quod aliàs ex me cognovistis) in-primis Obedientiæ virtute præstantissimos, esse cupio. idq; non solùm ob eximia quædam, ac singularia ejus bona, quæ tot tamq; illustribus sacrarum literarum testimoniis, atq; exemplis, in Testamento æquè novo, ac veteri, comprobantur: sed etiam, quòd (ut est apud S. Gregorium) Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit. Hæc dum floruerit; florebunt procul-*

dubio

dubio reliqua: edentq; fructus, quales & ego in animis vestris exopto; & suo jure postulat is, qui humanum genus, neglectæ Obedientiæ scelere afflictum ac perditum, salutari ipsemet Obedientiâ reparavit, factus obediens usq; ad mortem; mortem autem Crucis.

III. *Ab aliis religiosis ordinibus, faciliùs patiamur superare nos jejuniis, vigiliis, & cæterâ victûs cultûsq; asperitate; quam suo quiq; ritu, ac disciplinâ, sanctè suscipiunt: verâ quidem, ac perfectâ Obedientiâ, abdicationeq; voluntatis atq; judicii, maximè velim, Fratres charissimi, esse conspicuos, quicunq; in hac Societate Deo Domino nostro deserviunt; ejusdemq; Societatis veram, germanamq; sobolem, hac quasi notâ distingui: qui nunquam intueantur personam ipsam, cui obediunt; sed in eâ Christum Dominum, cujus causâ obediunt. Siquidem Superiori, nec si prudentiâ, bonitate, cæterísve quibuslibet divinis donis ornatus, instructusq; sit, propterea obtemperandum est: sed ob id solùm, quòd vices gerat Dei, ejusdemq; auctoritate fungatur, qui dicit;* Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. *nec contra, sive consilio, aut prudentiâ minùs valeat, quidquam idcirco de Obedientiâ remittendum, quatenus ille Superior est: quando illius personam refert, cujus sapientia falli non potest; supplebitq; ipse, quidquid ministro defuerit, sive probitate, aliisq; ornamentis careat. siquidem disertis verbis Christus Dominus, cùm dixisset;* Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: *protinus addidit;* Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.

IV. *Quocirca sedulò vos in eam curam, atque exercitationem, incumbere cupio: ut Christum Dominum, in Superiore quolibet, agnoscere studeatis; in eoq; divinæ Majestati reverentiam, atque obedientiam, summâ cum religione præstare. Quod vobis minùs mirum videbitur; si animadverteritis, præceptum esse ab Apostolo, ut Superioribus etiam secularibus ethnicisq; pareamus, ut Christo, ex quo omnis potestas benè instituta descendit. sic enim ille ad Ephesios:* Obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri; sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo: cum bonâ voluntate servientes, sicut Domino; & non hominibus. *Atque hinc existimare poteritis ipsi, cùm se religiosus quispiam regendum, ac moderandum, alteri tradidit, non solùm ut Superiori; sed etiam nominatim, ut Christi partes agenti: quo illum loco apud animum suum habere; utrùm ut hominem, an ut Christi vicarium, debeat intueri.*

V. *Jam verò illud etiam vobis clarè compertum esse, ac in animis vestris penitus insidere, vehementer cupio; infirmam & valdè imperfectam esse, primam illam Obedientiæ formam, quæ mandata duntaxat opere exsequitur: nec virtutis nomine dignam; nisi ad alterum gradum ascendat, qui voluntatem Superioris suam efficit, & cum eâ ità concordet: ut non solùm in effectu executio appareat; verùm etiam in affectu consensio: sicq; idem velit uterq;; idem nolit. Atq; propterea in sacris literis legimus:* Melior est obedientia, quàm victimæ. *siquidem (ut S. Gregorius docet) per victimas aliena caro; per obedientiam verò, voluntas propria mactatur: quæ quidem pars animi, quoniam est adeò præstans; sic fit, ut ejus oblatio Domino, ac Creatori nostro, per Obedientiam facta, magni sit æstimanda.*

VI. *Quanto in errore, quamq; periculoso, versantur, non dico solùm ii, qui in iis, quæ ad carnem & sanguinem pertinent; sed illi etiam, qui in rebus alioquin admodum sanctis, ac spiritualibus, (ut jejuniis, precationibus, aliisve quibusvis pietatis operibus) fas putant, à præscripto Superioris, ac voluntate, discedere. Audiant, quod sapienter adnotat Cassianus, in Collatione Danielis Abbatis.* Unum sanè, *inquit*, atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium, senioris violare mandatum: tamque dispendiosum est, pro somno, quàm pro vigilantiâ, Monasterii statuta convellere: tantùm denique est, Abbatis transire præceptum, ut legas: quantum, si contemnas, ut dormias. Sancta fuit actio Marthæ; sancta contemplatio Magdalenæ; sancta pœnitentia & lacrymæ, quibus pedes Christi Domini rigabantur: sed hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethaniâ; quam vocem domum Obedientiæ interpretantur: ut eâ re, (quemadmodum ait S. Bernhardus) nobis significare voluisse Dominus videatur; nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymam pœnitentis, extra Bethaniam illi accepta esse potuisse.

VII. *Quocirca voluntates vestras, Fratres charissimi, quoad ejus fieri potest, omninò deponite: libertatem conditori vestro, quam vobis ipsemet elargitus est, in ejus ministris liberè tradite, ac dicate. Nolite exiguum vestri liberi arbitrii fructum putare; quòd liceat vobis illud, à quo id accepistis, eidem per Obedientiam plenè reddere. Quod cùm facitis, non modò non perditis ipsum; verùm etiam augetis, atque perficitis: quippè qui vestras omnes voluntates, certissimâ rectitudinis regulâ, moderamini voluntate divinâ; quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine præsidet.*

IIX. *Itaque diligenter illud etiam cavendum est; ne Superioris, ullo umquam tempore, voluntatem (quam ducere pro divinâ debetis) ad vestram detorquere nitamini. id enim esset, non vestram divinæ conformare; sed divinam vestræ voluntatis normâ regere velle, ejusdem divinæ sapientiæ ordinem invertentes. Sanè quàm magnus est error, & quidem eorum, quos amor sui obcæcavit, obedientes existimare se-se, cùm Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliquâ ratione pertraxerint. Sanctum Bernhardum, in hac re præclarè exercitatum, audite.* Quisquis, *inquit*, vel apertè, vel occultè satagit; ut, quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat: ipse se seducit, si fortè sibi, quasi de Obedientiâ, blandiatur. neque enim in eâ re ipse Prælato; sed magìs ei Prælatus obedit. *Quæ cùm ità sint: quisquis ad Obedientiæ virtutem velit pervenire; oportet ad hunc secundum Obedientiæ gradum ascendat: ut Superioris non solum jussa exsequatur; sed etiam ejus voluntatem suam faciat: seu potiùs suam exsuat; ut divinam, à Superiore expositam, induat.*

IX. *Qui verò se totum penitus immolare vult Deo; præter voluntatem, intelligentiam quoque (qui tertius & summus est gradus Obedientiæ) offerat necesse est: ut non solùm idem velit; sed etiam ut idem sentiat, quod Superior; ejusq; judicio subjiciat suum, quoad potest de vota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animi, tametsi non eâ, quâ voluntas pollet, libertate prædita est; atque ipsâ naturâ fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet: tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis*

tis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem, inclinari. Quæ res cùm incidunt; debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare se-se in sententiam Superioris. Etenim, cùm Obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo, sinè ullâ prorsus imminutione, Conditori suo ac Domino, per manus ministrorum, in charitatis igne immolatur: cumq; sit eadem renuntiatio quædam integra, per quam omni suo jure sponte decedit religiosus; ut divinæ providentiæ Superioris ductu gubernandum, ac possidendum, ultrò se-se addicat, ac mancipet: negari non potest, quin obedientia comprehendat, non solùm exsecutionem, ut imperata quis faciat; & voluntatem, ut libenter faciat: sed etiam judicium, ut, quæcunque Superior mandat ac sentit, eadem inferiori & recta & vera esse videantur: quatenus (ut dixi) vi suâ potest voluntas intelligentiam flectere.

X. *Utinam hanc mentis & judicii Obedientiam, ità & intelligerent homines, & exercerent; ut grata Deo est, ac omnibus, qui in religione vivunt, necessaria! Nam, ut in corporibus, globisq; cœlestibus, ut alius alium afficiat moveatq;, requiritur; ut certâ quâdam convenientiâ, & ordine, inferior orbis Superiori subjiciatur: sic in hominibus, cùm alter alterius auctoritate movetur, (quod per Obedientiam fit) oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, subserviat & obsecundet; ut virtus ab imperante ad eum derivetur, & influat. Hæc autem obtemperandi, obsecundandiq; ratio, constare non potest: nisi voluntas ac judicium inferioris, cum Superioris voluntate ac judicio, congruat.*

XI. *Jam verò, si finis & causa Obedientiæ spectatur, quemadmodum voluntas; ità & judicium, in eo, quod nobis convenit, decipi potest. Ergo sicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate conjungitur: sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est.* Ne innitaris prudentiæ tuæ; *sacræ literæ monent. atq; in rebus etiam humanis, censent Sapientes; verè prudentis esse, suâ ipsius prudentiâ minimè fidere: præsertim in rebus suis; quarum homines, animo perturbato, ferè boni judices esse non possunt. Quòd-si in rebus nostris, alterius etiam non-Superioris judicium, atque consilium, nostro anteponendum est: quantò magis ipsius Superioris, cui nos, ut Dei vicem gerenti, ac divinæ voluntatis interpreti, moderandos tradidimus? In causis verò, personisq; spiritualibus, eò major etiam cautio procul-dubio est necessaria: quò gravius spiritualis viæ periculum, dum sinè frænis consilii discretionísve in eâ decurritur. Quâ de re commodè Cassianus, in Collatione Abbatis Moysi, ait:* Nullo alio vitio, tàm præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem; quàm cùm eum, neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuaserit definitionique confidere.

XII. *Præterea, nisi hæc Obedientia judicii exsistat; fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel exsecutio, talis sit, qualem esse oportet. naturâ enim ita comparatum est; ut animi nostri vires, quæ appetitivæ dicuntur, sequantur apprehensivas: &, nisi adhibitâ vi, voluntas, judicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd-si fortè quis aliquo temporis spatio obediat, per communem illam apprehensionem; quâ censetur, perperam etiam præcipienti parendum esse: certè id stabile ac fixum esse non potest. atq; ità perseverantia deficit; vel saltèm Obedientiæ perfectio, quæ in promtè & alacriter obediendo consistit. Non enim ibi potest esse alacritas, ac diligentia; ubi est animorum sententiarumq; dissensio. Perit etiam exsequendi studium, & celeritas; cùm ambigitur, expediat*

nécne, facere, quod jubemur. perit celebris illa Obedientiæ cæca simplicitas; cùm apud nos ipsos in quæstionem vocamus, recténe præcipiatur, an secùs; atque etiam fortasse damnamus Superiorem, quòd ea mandet, quæ nobis non ità jucunda sunt. perit humilitas: quoniam, etsi ex alterá parte paremus; ex alterâ tamen nosmet-ipsos Superiori præferimus. perit in rebus arduis fortitudo. perit denique (ut summatim complectar) virtutis hujus vis omnis ac dignitas: succedunt autem in eorum locum, dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliaque vitia non sanè levia; quibus Obedientiæ pretium, ac meritum, prorsus extinguitur. Itaque sanctus Bernhardus, de iis, qui graviter ferunt imperata minùs sibi suavia, sic ait: Hæc si molestè cœperis sustinere; si dijudicare Prælatum; si murmurare in corde: etiamsi exteriùs impleas, quod jubetur: non est hæc virtus patientiæ; sed velamentum malitiæ. *Quòd-si pax & tranquillitas animi quæritur: certè hac non fruetur is, qui habet intra se-se causam perturbationis, atque tumultûs; dissensionem videlicet judicii proprii, ab Obedientiæ lege.*

XIII. *Atque idcirco, tuendæ concordiæ causâ, quæ Societatis omnis est vinculum; tantopere hortatur Apostolus;* ut id ipsum omnes sapiant, & dicant: *nimirum ut, consentientibus & judiciis, & voluntatibus, mutuò foveantur, & conserventur. Jam si unum eundemque oportet esse membrorum sensum, & capitis: facilè cernitur, utrum sit æquius, caput membris, an membra capiti, consentire. Atque ex his quidem, quæ dicta sunt hactenus, satis apparet, Obedientia judicii quàm sit necessaria.*

XIV. *Quàm verò sit eadem ipsa perfecta, grataque Domino; inde primùm ostenditur: quòd per eam præstantissima pars hominis, ac preciosissima, Domino consecratur. deinde, quòd obediens ità sit holocaustum vivum, gratumque Majestati divinæ: cùm nihil sui met omnino retineat. postremò, quòd magna est hujus certaminis difficultas: frangit enim se-se, Dei causâ, Obediens ipsemet; resistitque naturali propensioni, quæ omnibus hominibus insita est, ad suam complectendam sequendamque sententiam. Ex his igitur rebus efficitur, ut Obedientia, tametsi propriè voluntatem perficere videatur; quippe quam reddit, ad nutum Superioris, promtam ac paratam: nihilominùs ad intelligentiam quoque ipsam (ut diximus) pertinere debeat, eamque inducere, ad sentiendum id-ipsum, quod sentit Superior. sic enim fiet, ut omnibus connixi viribus, & voluntatis, & intelligentiæ, ad exsecutionem celerem atque integram veniamus.*

XV. *Videor mihi vos, Fratres charissimi, audire dicentes, de virtutis quidem hujusce necessitate jam non ambigere; illud verò ut cognoscatis, vehementer optare, quo pacto ad ejus perfectionem pervenire possitis? Huic ego quæstioni, cum sancto Leone, ita respondeo:* Nihil arduum est humilibus; & nihil asperum mitibus. *Modò non desit vobis humilitas; non desit mansuetudo: non utique deerit Deo benignitas, ad vos adjuvandos; ut, quæ sibi promisistis, ea præstare possitis, animo non solùm æquo, sed etiam libenti.*

XVI. *Præterea, vobis tria nominatim propono, quæ ad Obedientiam judicii comparandam multum juvant. Primum illud est, ut (quemadmodum initio dixi) non intueamini, in personâ Superioris, hominem obnoxium erroribus, atque miseriis; sed Christum ipsum: qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita; qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere. Et quoniam conscii vobismet estis, vos Dei amore jugum Obedientiæ subiisse; ut, in Superioris voluntate sequendâ, voluntatem divinam certiùs sequeremi-*

remini: nolite dubitare, quin pergat fidelißima Domini charitas, eorum ministerio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, & rectis itineribus ducere. Itaq; Superioris vocem ac jussa, non secùs ac Christi vocem, excipite. siquidem Apostolus etiam, in hanc sententiam scribens ad Colossenses, cùm ad obtemperandum Præpositis subditos adhortatur, ait: Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino; & non hominibus: scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. *Sanctus verò Bernhardus*; Sive Deus, *(inquit)* sive homo vicarius Dei, mandatum quodcunq; tradiderit: pari profectò obsequendum est curâ; pari reverentiâ deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. *Atq; ità, si non hominem externis oculis; sed Deum inspexeritis internis: haud sanè grave fuerit vobis, voluntates vestras, atq; judicia, conformare ad eam regulam actionum vestrarum, quam ipsimet elegistis.*

XVII. *Altera est ratio: ut, quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiosè nitamini; improbare autem nequaquam. Atq; ad eam ipsam rem proderit, benè animatos affectosq; esse ad id omne, quod ipse jusserit. sic enim fiet, non solùm ut sinè molestiâ; sed etiam ut cum voluptate lætitiaq; pareatis. Nam (ut est apud sanctum Leonem)* non durâ ibi necessitate servitur; ubi diligitur, quod jubetur.

XIIX. *Postrema subjiciendi judicii ratio est, cùm facilior tutiorq;; tùm etiam apud sanctos Patres in more posita: ut statuatis vobiscum ipsi, quicquid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse & voluntatem. atq; ut, ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo assensuq; vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quæcunq; Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis, parendi cupidæ, sinè ullâ prorsus disquisitione, feramini. Sic egisse credendus est Abraham, filium Isaac immolare jussus. sic Novi Testamenti tempore, aliqui è sanctis Patribus iis, quos commemorat Cassianus. ut Johannes Abbas: qui, quod erat ei imperatum, non reputabat, utiléne esset, an inutile; ut cùm aridum lignum tanto, ac tam diuturno labore, per annum irrigavit: nec, utrùm fieri posset, néc ne; ut cùm conatus est, tam ex animo, ingens saxum solus dimovere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent. Quod Obedientiæ genus, ipsis interdum miraculis, divinitùs comprobatum videmus. Nam (ut alios taceam, quos ipsi non ignoratis) Maurus, sancti Benedicti discipulus, mandato Superioris lacum ingressus, nec mersus est: alius quidam à Superiore jussus leænam ad se ducere, illam cepit, atq; perduxit. Est igitur hæc ratio, subjiciendi proprii judicii, ac sinè ullâ quæstione sanciendi, & collaudandi apud se, quodcunq; Superior jusserit, non solùm sanctis viris usitata; sed etiam perfectæ Obedientiæ studiosis imitanda, omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjunctæ non sunt.*

XIX. *Nec tamen idcirco vetamini, si quid fortè vobis occurrat, à Superioris sententiâ diversum; idq; vobis (consulto suppliciter Domino) exponendum videatur: quò minùs id ad Superiorem referre poßitis. Verùm in hac re, ne vos amor vestri judiciumq; decipiat, illa cautio est adhibenda: ut animo sitis, & ante, & post relationem, æquissimo: non solùm quod pertinet ad eam rem, de quâ agitur, vel suscipiendam, vel deponendam; sed etiam ad approbandum, rectiusq; putandum, quicquid Superiori placuerit.*

XX. *Atq; hæc, quæ de Obedientiâ diximus, æquè privatis erga proximos Superiores;*

atq;

atq; Rectoribus Præpositisq; localibus erga Provinciales, Provincialibus erga Generalem; Generali deniq; erga illum, quem Deus ipse præfecit, nempè suum in terris Vicarium, observanda sunt: sic, ut & ordinum perfecta distinctio, ac proinde pax, retineatur, & charitas; sinè qua nec Societatis nostræ, nec alterius cujuslibet sodalitii, posset recta gubernatio conservari. Nimirum hoc modo, providentia illa divina disponit omnia suaviter: infima per media; media per summa; suos ad fines cuncta perducens. Hinc illa videlicet, in Angelis unius Hierarchiæ ad aliam subordinata series: hinc & cœlestium, & aliorum omnium, quæ cientur, corporum, certis locis, sedibus inter se-se apta connexio; quorum conversiones ac motus, ab uno movente supremo, gradatim omnes, usq; ad infimos, ritè proveniunt. Idem in terris, cùm in omni civitate, bonis institutâ legibus; tum verò in Hierarchiâ ecclesiasticâ, cernitur: cujus omnia membra, & functiones, ab uno generali CHRISTI Domini nostri Vicario derivantur. & quò accuratiùs hæc dispositio & collatio custoditur eò rectior est gubernatio, & melior. contrà verò, hujus ordinis negligentiâ, quàm gravia incommoda multis hominum Societatibus importentur, nemo non videt: atq; idcirco in hac, cujus mihi nonnullam procurationem ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri vigereq; percupio; quasi in ea Societatis nostræ bonum, ac salus universa, consistat.

XXI. *Quæ cùm ita sint; ut, unde exorsa est, ibidem terminetur epistola: vos ego per Christum Dominum nostrum obtestor, qui se-se nobis non modò Præceptorem, sed etiam exemplar præbuit Obedientiæ; ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis: & gloriosæ victoriæ appetentes atq; avidi, vosmet-ipsos superare, i.e. excelsiorem & difficiliorem animi partem, voluntatem dico atq; judicium, expugnare & subjicere studeatis. quò Dei, Domini nostri, solida veraq; cognitio atq; amor, vestros ad se animos penitus trahat: totoq; vitæ hujus, & quasi peregrinationis curriculo usq; eò gubernet ac regat: dum nos demum, aliosq; complures, vestrâ operâ oxemploq; adjutos, ad ultimum & felicissimum finem, nimirum ad beatitudinem sempiternam, perducat. Vestris ad Deum precibus me valdè commendo. Româ, VII. Calend. Aprilis, MDLIII.*

Atque hæ sunt adhuc Jesuitarum Constitutiones ac Regulæ, tàm ad propagationem religionis, seu potiùs superstitionis illorum; quàm ad regimen Ordinis & Oeconomiæ ipsorum, pertinentes; omnesq; ad Institutum suum (cujus toties in Regulis hisce mentio fit) directæ, quod est: *Sub nomine & prætextu religionis Catholicæ, præsidioq; & authoritate Papæ, & Hispaniarum Regis, ubiq; locorum se-se insinuare; omnia de novo, pro arbitrio suo, constituere, & ad Jesuiticum fusorium conformare; sicq; se-ipsos dominos ac magistros totius Mundi efficere.* Id quod nemini rationis compoti dubium esse poterit; qui Regulas istas, juxtà cum Dogmatibus, (de quibus in secundâ Historiæ hujus parte) cum practicis ipsorum consiliis, actionibus & facinoribus, (de quibus in reliquâ historiâ tractatur) non in diligenter comparabit. Nec quicquam contrà facit, quòd passim etiam nonnunquam, divini Nominis & Gloriæ, ad verbis tantùm, mentionem injiciunt. Mera namque ista hypocrisis & simulatio est, ad simplicium & imperitorum oculos, fumo pietatis aliquo, præstringendos. quo ipso reverâ

Jesuiticarũ Regularũ scopus & institutum.

etiam

etiam Jesuitæ id præstant, de quo jam ante complures annos, sub Papatu, de Monachis & Sacrificis, communi dicterio latum fuit; *quòd in nomine Domini omne malum veniat in Mundum.* Ut proinde adhuc meritò in Euangelicorum templis decantetur:

Ah mi Deus, nomen tuum
Nequitiæ est operculum!
Tu tandem vindicato.

Quocirca etiam Jesuitæ, Constitutiones ac Regulas istas Patris sui Ignatii Lojolæ, Dei verbo, Christique Euangelio, longissimè præferunt. Si quis enim ipsorum in Dei legem peccat, vel Conciones sacras negligit; nihil is ipsis delinquere videtur, aut saltèm ejus veniale peccatum est. Sin verò in Regulas ipsorum peccat; grande nefas, & mortale crimen, ex illorum sententiâ, committit. Quo sensu Jesuita Sacerdos, nomine Heinricus, aliquando in septimanâ sanctâ Paschatis, die Veneris, Discipulis suis Ingolstadii dixit: *Per hoc sacrum Jejunii tempus, libenter audivistis historiam Passionis Christi, ex quatuor Euangelistis: fecistis multas pœnitentias, vigiliis, jejuniis, orationibus, peregrinationibus, ciliciis, ferulis & flagellis; quibus vos Christo conformâstis, ejus passionem adimplevistis, & pro peccatis vestris satisfecistis. Sed dico vobis; nihil ista omnia vobis proderunt: si non, juxta præceptum nostri Superioris, cras omnes & singuli peccata vestra confessi fueritis; & Sacramentum, more catholico, sub unâ specie sumseritis. Quia hæc sancta mandat Ecclesia Romana; quam in omnibus audire debemus. Libenter audire Conciones multas, & libenter ac sæpiùs legere sacram Scripturam; id profectò non est signum boni Catholici; sed potiùs Hæretici: qui se istis rebus, ceu simia nuce, delectant. Verus autem Catholicus, non multum delectatur concionibus, quæ citò ceu ventus transeunt. neque lectione capitur Scripturæ: siquidem ea mortua est litera, quam non intelligit: sed unica ejus voluptas est, multas audire Missas, & sæpiùs confiteri. Hæc qui negligit & contemnit, graviùs peccat; quàm qui, in omni vitâ suâ, nullam unquam concionem audivit, nec Biblia vidit.*

Regulas suas Jesuitæ majoris faciunt, arctiusq; tenent, quàm Dei mandata.

Ad prædictum suum Institutum consequendum, Jesuitæ cum-primis tria hæc media pertentant: Confessionem auricularem, præsertim erga exteros, & qui non ex Ordine ipsorum sunt; Correspondentiam (quam vocant) universalem, consensionemq; mutuam inter semet-ipsos; Cæcam denique obedientiam suorum Inferiorum.

Tria præcipua media, Instituti Jesuitici cōsequēdi.

Confessionem auricularem quod attinet: Quod olim Philippus Macedonum Rex censebat, hodieque Philippus Hispaniæ Rex egregiè adhuc præstat; nullam videlicet arcem inexpugnabilem videri debere, in quam asinus onustus auro introduci possit: id-ipsum hoc loco consimiliter verè affirmari potest; nullam itidem conscientiæ humanæ arcem tam firmam ac tutam esse, quam Jesuitæ occupare non valeant, dummodò ad eam Confessionis suæ auricularis machinam admovere possint. Jesuitæ, inquam, veterani, qui soli ejus Confessionis tractandæ rationem nôrunt; deque modis ejus, ad Institutum suum applicandæ, bis in hebdomadâ disputare solent: etiam de talibus nonnunquam rebus quæstiones moventes, quæ nulli honesto animo unquam

1. Auricularis Confessio.

in cogitationes aſcenderent,& ad quarum ſolùm auditum comæ ſtarent. cujusmodi nefanda ac diabolica in publicum edere,ipſos minimè pudet: utì ex libris eorum,quos de Caſibus conſcientiæ conſcribunt,apparet. Quò autem arcana omnia ex animis confitentium eruant: mirum,quàm aſtutè machinum ſuam admoliantur. Negant in-primis,arcana Confeſsionis à ſe revelari poſſe: quæ enim ſibi clanculùm aperiuntur; ea non homini,ſed Deo aperiri: nec,ſi revelarentur,ſibi fidem ullam,utpote indignis omni fide teſtibus,adhibitum iri: à Deo quinetiam id gratiæ ſibi donatum eſſe,ut omnium,quę per Confeſsionem ſibi credita fuerint,ſtatim à finitâ Confeſsione obliviſcantur, neque unquam poſthac recordentur. Et tamen,ſi quicquam Sociis revelare cupiunt eorum,quæ clanculùm audita ſunt; rogant confitentem,ut eaſdem ipſas res etiam extra Confeſsionem ſibi enarrare velit. Quod cùm ingenuè confitens negare non poſsit: locum & horam ab illis accipit,quâ ipſos adeat: quò ſic adeò eas omni animæ ſcrupulo liberent,ſi quid earum rerum deinceps aperire cupiat. Quò etiam dilucidam & reſupinam Confeſsionem eliciant; non-inſcitis interdum fabulis ad eam rem utuntur. Exempli gratiâ: Quendam,cùm peccata confiteretur, totidem ex ore Serpentes ejectare viſum eſſe, narrant: ad extremum, cùm grave quoddam flagitium fateri erubeſceret, majorem quendam Serpentem , identidem caput exſerentem , apparuiſſe; eumque,cùm forâs prorumpere non potuiſſet,reliquos minores ad ſe intrò revocâſſe. Atque his ſimilibusque fictis miraculis,meticuloſas mentes percellunt: ut,quicquid intùs latet,totum in Jeſuitarum ſinum effundant. Sicque iſti omnium illorum,ſive majoris,ſive minoris ſortis homines fuerint,arcana perquirunt: quibus poſtmodum,ad inſtitutum & commodum ſuum, præclarè & artificioſè uti nôrunt.

2. Correſpondentia & communicatio mutua.

De Jeſuitarum porrò exactiſsimâ illâ,per univerſum orbem,correſpondentiâ, & communione mutuâ; (cujus utilitas & forma, ſub titulo de Formulâ ſcribendi,in Regulis repræſentatur) manifeſtè apparet,eam non ad Domorũ, & Collegiorum ſuorum, ſtatum cognoſcendum,tantùm pertinere; ſed ad ipſius Statûs politici potiùs,ac Rerumpublicarum,arcana ſcrutanda: ut nimirum totius alicujus Provinciæ ſtatum ſibi invicem benè explicent; & ſuppleant, ſi quid intellexerint, quod Superiores Domorum, aut Collegiorum, minùs declaraverint: & in univerſum ità ſcribant; quò Generalis omnium rerum,omniumque perſonarum ac provinciarum ſtatum,quoad ejus fieri poſſit,quaſi ante oculos habeat. Quis,quæſo,nunc Jeſuitas,exactiſsimos omniũ rerum exploratores,& perrimatores eſſe,negaverit: eoſque,ſub ſpecie & prætextu Religionis,omnia regna & imperia ſcrutari ac petere?

3. Cæca obedientia.

Quantum denique,& quidem præcipuè,in cæcâ ſuorum Obedientiâ,Jeſuitis poſitum ſit; abundè teſtatur Ignatii Epiſtola, pro colophone ipſorum Regulis adjecta: in quâ non puduit eum,etiam dicta nonnulla Scripturæ ſacræ,de Servatoris noſtri Chriſti,deque Fidelium erga Deum & Servatorem ſuum,obedientiâ, ad impiiſsimam ſuam, de cæcâ Jeſuitarum obedientiâ,ac

reali

reali imaginis Dei abnegatione, in Hominis intellectu & voluntate, doctrinam, blasphemè detorsisse; atque ità, ex hominibus ratione-præditis, irrationales sensuque omni destitutos baculos & truncos, imò cadavera fœtida, efformâsse. Quo de, suo loco, partim suprà jam dictum est; ac deinceps etiam dicetur ampliùs.

DE OFFICIALIBUS JESUITICÆ SOCIETATIS.

CAPUT IV.

1. DE GENERALI PRÆPOSITO.

CUM ab initio primi Patres, & Socii Jesuitarum, sinè certis & propriis legibus, ac magistratibus, vixissent: necesse esse judicârunt, ut, de optimè constituendâ, & stabiliendâ quàm-maximè Societate, primo quôque tempore inter se consulerent. Ubi igitur eam ob causam convenissent: in secundo & tertio consessu, de religione ipsorum relatum est in-primis: Placerétne, ad vota duo, Paupertatis & Castitatis, jam suscepta, tertium quoque, perpetuæ Obedientiæ, adjungere; & è suo corpore unum eligere, qui cæteris amplissimâ cum potestate præesset? Omnium igitur in unum congruerunt sententiæ: quandoquidem Christum magistrum sibi imitandum proposuissent; prorsus oportere, ut ipsi quoque Christum inter se effingerent. Hoc sic constituto, Ignatius suasit: talem deligendum sibi videri, cui omnes in terris, tanquam Christo, subjecti essent ac parérent; cujus in verba etiam jurarent; ejusque sibi nutum ac voluntatem, instar divini cujusdam oraculi, ducerent. Quæsitum est etiam de hujus ipsius potestate: utrùm certo temporis spacio definitam, an verò perpetuam esse oporteret? Perpetuam esse, placuit Ignatio, ac cæteris omnibus: idque cùm alias ob causas; tùm verò, ut negotia graviora, quæ, ad conficiendum, non modò plenæ libertatis, verùm etiam longi temporis indigent, ex animi sui sentētiâ, ad exitum, sinè ullâ trepidatione, perducere possit.

Cùm igitur Generalis Præpositi (sic enim, qui cunctis præesset, appellare placuerat) tempus eligendi adesset: Ignatii Socii, qui quidem in Italiâ erant, per literas moniti, creandi Præpositi causâ ad Urbem accederent, sub initium Quadragesimæ, anni 1541. convenêre omnes; uno Bobadillâ excepto: ac omnium suffragiis, Præpositus Generalis Ignatius declaratur. Quo munere etiam functus est, ad annum usque 1556. quo obiit Romæ, pridie Calendas Augusti, ætatis anno 65.

Ignatius Lojola, primus Generalis Jesuitarum.

In Ignatii locum eligitur *Jacobus Laynez*, natione Hispanus; & Lojolæ, in constituendâ Societate, inter primos socius & adjutor. Societatem octo annos cum dimidio rexit: mortuus die 19. Januarii, anno Domini 1565. ætatis suæ 53.

Jacobus Laynez, secundus.

Succesit Laynezio *Franciscus Borgia* Hispanus, patriâ Valentinus. Is Societatis in Hispaniâ Commissarius generalis fuit; Romæ bis Vicarius; ac demùm Præpositus ordine tertius Generalis: in quo munere, septem annos, &

Franciscus Borgia, tertius.

tres menſes, verſatus eſt. Mortuus anno Chriſti 1572. ætatis 62. pridie Calendas Octobris.

Everardus Mercurian⁹, quartus.

In ejus locum eligitur *Everardus Mercurianus*, quartus Jeſuitarum Generalis, Leodius patriâ.

Claudius Aquaviva, quintus.

Huic ſuffectus eſt *Claudius Aquaviva*, natione Italus, patriâ Neapolitanus; Ducis Atrii filius; & Pii V. cubicularius. Ducatum ſuum filio, ſive fratri, tradidit, & Jeſuitis ſe-ſe mancipavit: quorum Ordini maximas opes, & (ut aliqui referunt) ultra quinquaginta Ducatorum millia, contulit. Eâ de causâ, Provincia Neapolitana primùm ei gubernanda demandatur; ac poſtea etiam Romana. Demùm, in Comitiis, quæ habita ſunt Romæ, anno Domini 1581. die 19 Februarii, Præpoſitus Generalis creatur. Eo die, quo electus erat, cubiculum aſſcendens, ſalutanti turbæ omnis generis hominum, exoſculandas manus, inſtar Papæ, præbuit. mortuus Romæ, ultimâ die Januarii, anno 1615.

Mutius Vitelleſcus, ſextus.

Huic ſuccesſit *Mutius Vitelleſcus*. Paulò enim antè, quàm exſpiràſſet, Aquaviva miſit ad Papam nuntium; qui ei ſignificaret, in electione ſucceſſoris ſui grave datum iri ſcandalum, propter duas contrarias in Societate factiones: quarum una, Juſtinianum quendam; altera Mutium iſtum eligere, omni ſtudio tentatura ſit: rogare igitur ſe vehementer Papam; ut authoritatem ſuam interponere dignetur. Papa, ut voto ejus ſatisfaceret, Cardinalem Borgeſium deſtinavit; qui electioni intereſſet, eamque authoritate ſuâ moderaretur. ac ità, ut diximus, *Vitelleſcus* eligitur.

Poteſtas Generalis Jeſuitici perpetua eſt.

Cùm anno Domini 1558. poſt mortem Ignatii, primum ſuum Conventum generalem Jeſuitæ celebrarent: Paulus IV. Papa Cardinalem Pacochum ad eos miſit; qui ſuo nomine ſignificaret, placere ſibi, ut Generalis Præpoſiti poteſtas certo annorum numero definita, non perpetua ſit: ne videlicet in tyrannidem illa verteretur; aut ſe-ſe ſupra Papam efferret. Nihil tamen apud eos obtinere potuit: licèt, per Cardinalem Tranenſem, de eodem rurſus eos moneret. Evenit igitur, quod Papa metuebat. Nam Romæ ſemper habitat Jeſuitarum Generalis; &, per hanc fixam ſedem, Romanæ ſedi & Conſiſtorio quaſi affigitur & implantatur; ibique ſuam juxta Papæ ſellam collocat; ſemper etiam à latere & ſecretis Pontificis ſedet: ut inter ſe-ſe conſilia communicent; nec alter ſinè altero quicquam in Hæreticos machinetur. Poteſtatem igitur ſuam perpetuò retinet, inſtar Papæ: cùm Provincialium, Rectorum, & aliorum, plerumque triennis tantùm ſit; ab eodem tamen Generali interdum prorogari poſsit. Licèt Paulus III. anno 1549. in Bullâ ſuâ decreverit: poſſe & debere Præpoſitum, per perſonas à Societate facultatem habentes, & ad id deputatas, in certis caſibus amoveri; & alium ipſius loco, per eaſdem perſonas, ſubſtitui.

Officium Generalis.

Ad hunc Generalem ſuum, quicquid Jeſuitæ per totum terrarum orbem faciunt, explorant, & reſciſcunt, ipſi diligenter ſingulis menſibus referri curant. Is deinde omnia, ac ſingula, Papæ refert. & tunc ab utroque, qui ſuam operam ſeduló & gnaviter impenderunt, honoribus augentur, & opibus ditantur.

Officium quoq; Generalis est, Jesuitarum potestatem, secun dùm Ignatii Constitutiones, in omnibus dirigere. Licet tamen illi etiam, ut Papæ, novas interdum condere Leges; vel etiam veteres, pro circumstantiarum varietate, mutare & abrogare: imò etiam Bona ordinis sui vendere, oppignorare, & abalienare; & nulli de eo rationem reddere. In Constitutionibus Jesuitarum, Generalis ipsorum vocatur *Dei Legatus*; itemque *Vicarius Christi.* Bullæ quoq; Pauli III. anno 1540. & Julii III. anno 1550. Jesuitis datæ, hortantur eos, *ut in Generali Christum velut præsentem agnoscant.* Hinc etiam solent hodie Generalem eligere, qui in seculo Principem virum ageret: ut sic etiam in Mundo potentes ad suam Societatem pertrahant; sibique, apud supremos & infimos, tantò majorem authoritatem & potentiam comparent. Encomia.

Ex quibus omnibus intelligitur; Generalem Jesuitarum, Papæ corrivalem, adeoque tanquam ad Pontificiam dignitatem evectum, alterum Ecclesiæ Romanæ caput esse. Generalis Jesuita, est alter Papa.

2. DE PROVINCIALI.

Quod Romæ est & præstat Generalis; id est & præstat in singulis regnis Provincialis. Provincialis potestas.

Primum Provincialem Ignatius Lojola Lusitaniæ præposuit, Simonem Roderigium; Hispaniæ, Antonium Araozium Cantabrum; Italiæ, Jacobum Laynem; Indiæ, Franciscum Xaverium; Germaniæ, Petrum Canisium; Galliæ, Paschasium Broëtium; aliisque deinde alios. Ac diligenter cavent Jesuitarum Patres; ne in Nationibus Provinciales unquam ex indigenis eligant; sed vel Hispanis, vel Italis, dignitates has conferant; aut saltèm iis, qui ex Angliâ, Galliâ, &c. propter facinora aliqua, profugerunt; aut, propter nimium Hispaniæ studium, ex prædictis Nationibus proscripti sunt. Primi Provinciales Jesuitarum.

Unusquisque Provincialis, ab eâ Provinciâ, vel Regno potiùs, quod inspectioni vel curæ suæ commissum habet, denominatur. Ejus officium est: invisere Collegia, eorumque supputare reditus & census; insuper annotare diligenter, quinam ex Magnatibus Liberos in Collegiis erudiri curent, & quot illorum sint numero? num quotannis fiat accessio discipulorum; & amplificatio fortunarum & opum? num qui sint, & quot, ex Lutheranismo conversi? Si nulli; aut etiam aliqua facta Pontificiæ religionis imminutio, aut jactura bonorum: exprobat suis negligentiam & socordiam; mandatq; severiter, ut acceptum damnum resarciant. Quòd-si gesserunt se egregiè; multos converterunt; multum comparserunt & corraserunt: omni laude cumulat, & cœlo effert. Insuper sciscitatur, quæ'nam sit vicinorum Hæreticorum de ipsis opinio? quæ'nam consilia Magnatum? quales habeant conventus? & quot? & ubi? quid decernant? quid volutent? Itèm, an Hæreticorum Principes crebriùs sint domi, an alibi? ad quósnam proficiscantur frequentiùs? quali quisque sit ingenio? quibus rebus ut-plurimùm delectetur? an curam aliquam suscipiat Reipublicæ? an studio & amore aliquo teneatur Religio- Officium Provincialis.

nis? an potiùs vino, Veneri, & venatui, indulgeat? an etiam habeat in aulâ suâ Catholicos? Quínam sint populares rumores de suis Principibus? Num Ecclesiæ Adversariorum ferveant? num pastores Ecclesiarum sint viri docti & diligentes; an verò somnolenti & illiterati? num Theologica facultas in vicinâ Academiâ Hæreticorum floreat? num crebriores habeant Theologi disputationes; & contra quos maximè? quos libros, & de quâ materiâ, in lucem ediderint nuperrimè?

Ad hæc, & alia, si respondeant Regens & reliqui Patres apposítè: mirificè prædicat industriam ipsorum, & vigilantiam. Sin minùs, eosque adeò rerum istarum nescios deprehẽdit: acerbè vituperat. *Quid agitis,* inquit, *vos somnolenti & desides? cur perditum itis Romanam Ecclesiam? quomodo summo Pontifici hanc inertiam vestrã probabitis? cur non insinuatis vos agendis rebus? cur non intrepidè rem aggredimini? Dudum hæc gesta, dudum perfecta oportuit. Videte vigilantiam Hæreticorum incredibilem: & vos stertitis!* His, & similibus verbis, ipsos increpat, & exacuit.

Tandem quærit de discipulis, convictoribus, novitiis, & reliquis: quot eorum sint numero? quanti cujusque profectus? ad quod quisque studium inclinet? num quis inter eos spinosior, & scrupulosior? Talem enim à Theologico studio prorsus removendum existimat; nisi scholasticis disputationibus probè exercitatum, & opinione religionis imbutum. Quærit præterea: num quem habeant in grege, qui, pro amplificandâ Romanâ Ecclesiâ, laudabili aliquo facinore se obstringere, & vitam deniq; profundere non dubitet; siquidem necessitas aliquando flagitare videatur?

Ad extremum, omnia isthæc consignata Generali transmittit Romam: per quem immediatè significantur Pontifici. Atque sic per totum Orbem Christianum nihil geritur, aut consultatur; quod non per hos Imperii proditores Papæ innotescat.

Per Provincialem etiam, Jesuitæ ab uno Collegio in aliud transferuntur; idq; ferè triennio quolibet.

3. DE JESUITARUM ASSISTENTIBUS, SEU INTIMIS PAPÆ ET GENERALIS CONSILIARIIS.

Assistentiũ quatuor Romæ.

Generalem proximè sequuntur primi *Assistentes*, quatuor numero. Hos oportet Romæ residere; secretioribus Papæ, & Generalis Societatis Jesuiticæ, deliberationibus assidere; ipsis assistere; & in rebus Romanam Ecclesiam concernentibus, atque in perniciem Orthodoxorum facientibus, consiliis ac scriptis adesse: hos propulsare; illos totis viribus propugnare. Et, ut Generalem Papæ in omnibus; sic hos vicissim Generali ad amussim, obedire oportet.

Illorum officium.

Ut autem quatuor illorum sunt: ità etiam officium eorum est, in quatuor Mundi plagis res Pontificias curare, & promovere. & ad eos, Provinciales, Visitatores, Rectores, Regentes, ac Spirituales Præfecti, quæcunq; in Mundo

Jesuitæ reliqui agunt, omnia ac singula scribunt. Oportet etiam illos non minùs, quam reliquos, quarto voto, absolutæ obedientiæ, Papæ obligatos esse: ne quid, vel contra Papæ, vel sui Generalis, voluntatem, decernere audeant. Si res magni momenti ipsis aliùnde significantur; illas confestim Generali, vel Secretario illius, indicant: qui eas deinde ad Papam referunt: quò sic, ipsorum operâ ac studio, consilia iniri possint, de coërcendis, impediendis, vel etiam opprimendis, Hæreticorum conatibus; ipsorum autem res magis magisque promoveantur, augeanturque.

Summa verò literarum, quas ex diversis Mundi regnis & provinciis accipiunt, hæc plerunq; est: Quis sit Regum ac Principum, erga Papam & Ecclesiam Romanam, atq; etiam Societatem eorum, affectus? & quinam illos clementer excipiant? Hos mirificè commendant: qui autem Jesuitarum conatibus resistunt; tanquam capitales hostes Romanæ Ecclesiæ, accusant.

Ut autem de his Assistentes diligentiùs certiores facere queant: in omnia, Germanorum præcipuè Principum, consilia & acta accuratè inquirunt; cunctaque, licèt ex vanis falsisque rumoribus multa sæpè cognoscant, Romam perscribunt. Utque faciliùs in rerum Germanicarum notitiam perveniant: sæpè mutato habitu, vel pedites, vel equites, Germaniæ aliarumq; Nationum provincias peragrant, & proditorum more cuncta explorant.

His cognitis, Assistentes eos in proposito suo confirmant; eosq; ut strenuè sic pergant, hortantur: Papæ clementiam in illos prædicant, & eis plaustra indulgentiarum remittunt; quas illi Germanis, aliisque nimis stupidis & credulis, auro vendunt.

Assistentium quoque officium est; in totâ Societate Visitatores, Inspectores, Rectores, Regentes, Concionatores, Spirituales Præfectos, & Inquisitores, ordinare: non tamen nisi cum consensu Generalis. Ad hæc munera autem non promovent alios; quàm quos nôrunt in Papatûs idolomaniâ induratos, & Orthodoxorum capitales hostes esse.

4. DE JESUITARUM PROFESSIS.

Quartum Jesuitarum genus *Professi* sunt: qui, præter tria vota, se insuper speciali quodam, quod *votum Professionis* vocant, Pontifici Romano obligant; eoq; promittunt ac profitentur, se Papæ in omnibus absolutam obedientiam præstituros; neque unquam commissuros, quin in obedientiâ ei præstandâ, in rebus fidem & mores concernentibus, primi inveniantur: sic, ut etiam non petito viatico, licèt ad ipsos Turcas occidendi mitterentur, sinè ullâ tamen intellectûs judiciique repugnantiâ, obedire velint. Hoc Ignatius omninò fieri voluit: & Paulus III. quoque, in suâ Bullâ, approbavit & confirmavit. Sic enim verba Lojolæ habent: *Et quámvis Euangelio doceamur, & fide orthodoxâ cognoscamus, ac firmiter profiteamur; omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam capiti, ac JESU CHRISTI Vicario, subesse: ad majorem tamen nostræ Societatis humilitatem, ac perfectam uniuscujusq; mortificationem, & voluntatum nostrarum*

Professi Jesuitici qui sint.

rum

rum abnegationum, summoperè conducere judicavimus; singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto adstringi: ità ut, quicquid modernus, & alii Romani Pontifices, pro tempore exsistentes, jusserint, ad profectum animarum & fidei propagationem pertinens, ad quascunque Provincias nos mittere voluerint, sinè ullâ tergiversatione aut excusatione, illicò, quantum in nobis fuerit, exsequi teneamur: sive miserit nos ad Turcas, sive ad quoscunque alios Infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exsistentes; sive ad quoscunque Hæreticos, sive Schismaticos; seu etiam ad quosvis Fideles.

Quales esse debeant. Ad hoc votum Professorum, non nisi suâ opinione beatissimos, & quorum industria, in zizaniis Pontificiis disseminandis, cognita & explorata est, admittunt. Antequam autem ad hoc votum accedant: totum triduum tenentur ostiatim victum quærere; prima exercitia repetere; vota renovare; & omnia humilitatis officia, quæcunque excogitari possunt, subire. Hujus generis sunt; loca secreta expurgare, calceos lavare, aliorum pedes osculari, domum verrere, vasa eluere, coquo ministrare, humi cubare, nudipedes incedere, sub mensâ edere, cilicia induere, se-ipsos flagellare, peregrinari, se-seque omnibus subjicere. Post hæc, abjurare coguntur omnes hæreses: & jurare, se operam omnem daturos, ut Romana religio floreat; Euangelica autem exstirpetur.

Professorũ numerus & sustentatio Romæ. Horum Professorum Romæ ultra ducentos aluntur; qui proprium, & quidem amplissimum, habent Collegium: in eoque lautè splendideque, sumtibus Papæ, Cardinalium, & Episcoporum, qui illorum utuntur consiliis & scriptis, sustentantur. Nihil hi proprii, nullos reditus, ut reliqui Jesuitæ, possident.

Ad quid illi promoveãtur. Distinguuntur etiam à reliquis Jesuitis in eo: quòd sunt illorum quasi Episcopi; qui in cæteros inquirunt, iisque præficiuntur. Ex horum numero enim, in-primis qui sunt Hispani vel Itali, Visitatores, Inquisitores, Rectores, Regentes, & Spirituales Præfecti, eliguntur: qui, quòd sint rerum Jesuiticarum & Papisticarum peritissimi, sibi subjectos egregiè in palæstrâ Pontificiâ exercere noverunt. Germanis non Germanum præficiunt Rectorem; sed vel Italum, vel Hispanum: aut, si nobilior ex Germanis constituitur; habet tamen Hispanum, qui eum observet, ne quid præter morem Hispanicum agat.

Eorum obligatio erga Generalem. Generali quoque se totos devovent & obstringunt, abnegatione honorum; quòd nimirum extra Societatem, vel Cardinales, vel Episcopi, fieri nolint. Ea tamen, hoc-ipso nomine, fiunt Cardinales in Societate; ex quibus Generales, ipsorum Papæ, eligantur: quibus, tanquam cardinibus, tota Societas vertatur; ut qui habeant existimationem doctrinæ & sanctitatis.

Articuli Professionis illorum. Eos in hos sequentes articulos, quos *Canones Professionis, cum ratione credendos*, vocant, jurare oportet.

1. Ego N. N. credo & recipio, quæcunque sacrum generale Concilium Tridentinum credit & recipit; etiamsi ea in Cõcilio non fuissent definita. Conveniunt enim illa cum iis, quæ in Euangelicis & Apostolicis literis continentur: verbi gratiâ, Purgatorium esse, &c.

3. Pra-

2. Prædictis verò Evangelicis & Apostolicis literis, atque aliis, quæ prædictum Concilium credi jubet, etiamsi ea in Evangelicis & Apostolicis literis non invenirentur, credo, propter auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ; quæ, in usu Ecclesiastico, prædicta scripta, & non-scripta, recipit.

3. Catholicam Ecclesiam credo esse eorum universitatem, qui Romanam Ecclesiam, ut omnium Ecclesiarum magistram ac matrem, sequuntur; & Romanum Pontificem, Petri Apostolorum Principis successorem, & Jesu Christi Domini nostri Vicarium esse, agnoscunt.

4. Hanc ego esse Catholicam Ecclesiam, ejusdemq; fidem verissimam esse, credo: quia sanctorum Patrum, Orientalium & Occidentalium, Australium & Aquilonarium, ab Apostolis usq; ad nos, consentiens & continua traditio, & ipsam esse Catholicam Ecclesiam, & eidem Ecclesiæ credendum esse, docet.

5. Prædictæ autem sanctorum Patrum traditioni credo; quia eam doctrinam tradunt, quæ à sanctis Apostolis fuit prædicata: ut ipsa doctrinæ successio demonstrat.

6. Sanctis verò Apostolis ideò credo: quia illi à Domino nostro Jesu Christo, (ut ex ipsius Domini verbis constat) ad docendas gentes, missi sunt.

7. Christo Domino nostro, & in aliis, & in eo etiam, quo se Deum esse testatus est, propterea credo: quia Deus illum misit lumen, ad revelationem gentium.

8. Missum autem fuisse Christum Dominum nostrum à Deo Opt. Max. credo: quia illi omnia conveniunt, quæ S. Prophetæ de venturo Messiâ, & a Deo mittendo, prædixerunt.

9. Prophetis prædictis, & aliis etiam, & in eo etiam, quòd Deum ipsis locutum perhibent, ideò credo: quia, quæ de Christo Domino prædixerunt, & non nisi per divinam revelationem prædici potuerunt, impleta jam esse video. quale illud est; Gentes fuisse in Christum credituras.

10. Prophetas prædixisse illa, quæ de Christo Domino, sub eorum nomine, prædicta leguntur; ideò credo: quia non solùm Christianus orbis, sed etiam ipsi Hæretici, Mahumetani & Judæi, Christianorum inimici, eadem fatentur eos prædixisse; quæ cum Gentium & Sibyllinis oraculis conveniunt.

11. Propter prædictas rationes magis credo, quàm propter passiones Martyrū; (cùm & Diabolus suos martyres habeat) aut propter miracula; (nam & Antichristus facit miracula: falsa quidē illa; sed quæ vera esse videbuntur) aut propter quamvis aliā rationem.

12. Communis ergo ratio credendi, hodie, ad Prophetarum oracula ultimò resolvitur, i.e. ad divinam convenientiam Veteris Testamenti cum Novo: ut meritò S. Petrus dixerit; Habemus firmiorem Propheticum sermonem.

13. Profiteor septem esse verè ac propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, ad salutem generis humani; licet non omnia singulis necessaria: scilicet: Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Et horum omnium ceremonias, ritè venerandas & colendas esse.

14. Profiteor pariter, in Missâ offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium, pro vivis & defunctis.

15. Profiteor in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse verè, realiter, substantialiter & transsubstantialiter, verum corpus & sanguinem, una cum animâ & divinitate Domini nostri Jesu Christi.

16. Profiteor fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus; & totius substantiæ vini in sanguinem: quam conversionem Ecclesia Catholica Transsubstantiationẽ vocat.

17. Profiteor sub alterâ tantum specie, totum atq; integrum Christum sumi: & Laicis sub unâ tantum specie porrigendum altaris Sacramentum.

18. Constanter teneo, Sanctos una cum Christo regentes, orationes pro nobis Deo offerre, nos juvare; interdum visitare; scire quæ apud nos geruntur; opem ferre animabus Purgatorii; & has regere, visitare & illuminare.

19. Constanter teneo, Sanctorum reliquias esse venerandas.

20. Firmiter assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper-Virginis, nec-non aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atq; illis debitum honorem & venerationem impertiendam.

21. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse; illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem, affirmo: ex quâ, ceu ex spirituali Ecclesiæ thesauro possint dari indulgentiæ, ex superabundantiâ operum Christi & Sanctorum, quibus ipsi non indigent.

22. Constanter teneo, Purgatorium esse; animasq; ibi detentas, fideliũ suffragiis juvari.

23. Omnia & singula, quæ de Peccato originali, & de Justificatione, in sacro-sanctâ Tridentinâ Synodo definita & declarata sunt, complector & recipio.

5. DE TRIUM VOTORUM PROFESSIS.

Trium votorum Professorum obligatio.

Jesuitarum genus quintum, sunt *trium* tantùm vulgarium, & cum reliquis Monachis communium, *Votorum Professi.* Hi se Papæ, & suo Generali, in hanc formam obligant ac devovent. *Omnipotens sempiterne Deus; Ego, licèt undecunq; divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordiâ tuâ infinitâ, & impulsus tibi inserviendi desiderio, voveo coram sacratissimâ Virgine Mariâ, & curiâ tuâ cœlesti universâ divinæ majestati tuæ, paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate Jesu: & promitto, eandem Societatem me ingressurum, ut vitam in eâ perpetuò degam, omnia intelligendo, juxta ipsius Societatis constitutiones. À tuâ ergo immensâ bonitate & clementiâ, per Jesu Christi sanguinem, peto suppliciter; ut hoc holocaustum, in odorem suavitatis, admittere digneris: & ut largitus es ad hoc desiderandum & offerendum; sic etiam ad explendum gratiam uberiorem largiaris.*

Ad hæc autem vota facienda, studiosi ac literati, biennio probationis exacto; illiterati verò, uno, vel dimidio absoluto, admittuntur.

Doctorũ & Magistrorũ juramentũ.

Quòd-si aliqui trium votorum Professi ad altiora adspirent; & sive in Doctores, sive in Magistros, promoveri cupiant; vel si quidam ex Euangelicis, idolomaniæ papisticæ se devovere voluerint: eos, secundùm Tridentinum Concilium, in hunc modum jurare oportet; ut habetur ab initio Tridentini Concilii.

1. Ego N.N. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; ejusdem Ecclesiæ obser-

observationes & constitutiones, firmissimè admitto & complector. 2. Itèm, sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, (cujus est, judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum) admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor. 3. Profiteor quoq; septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis; licèt non omnia singulis necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre; & ex iis Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sinè sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ ritus, in suprà-dictorum omnium Sacramentorum solenni administratione, recipio & admitto. 4. Omnia & singula, quæ de Peccato originali, & Justificatione, in S.S. Tridentinâ Synodo, definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. 5. Profiteor pariter, in Missâ offerri Deo verum, proprium, ac propitiatorium sacrificium, pro vivis ac defunctis. 6. Atq; in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse verè, realiter, & substantialiter, corpus & sanguinem; unà cum animâ & divinitate Domini nostri Jesu Christi: fieriq; conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. 7. Fateor etiam, sub alterâ tantùm specie, totum atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi. 8. Constanter teneo, Purgatorium esse; animasq; ibi detentas, fidelium suffragiis juvari. 9. Similiter & Sanctos, unà cum Christo regnantes, venerandos & invocandos esse: eosq; orationes Deo pro nobis offerre: atq; eorum reliquias venerandas esse. 10. Firmiter assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper-Virginis, nec-non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse; atq; eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. 11. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem, affirmo. 12. Sanctam Catholicam & Apostolicam Rom. Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco: Romanoq; Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. 13. Cætera itèm omnia, à sacris Canonibus & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè a S.S. Tridentinâ Synodo, tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atq; profiteor: simulq; contraria omnia, atq; hæreses quascunq; ab Ecclesiâ damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. 14. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentiâ spontè profiteor, & veraciter teneo; eandem integram & immaculatam, usq; ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, Deo adjuvante, retineri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum; Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia!

Cùm igitur hi trium votorum Professi, hoc modo Ecclesiæ Romanæ se devoverunt ac obligârunt; tùm à Generali suo, in Rectores, Sacerdotes seu Patres, Confessarios, Concionatores, Præfectos spirituales, Præceptores, Coadjutores spirituales & temporales, vel formatos & formandos adjutores, in Scholasticos, & Idiotas, dividuntur: quorum novissimi dicuntur *Novitii*, h. e. qui nuper ordinem Jesuiticum ingressi sunt. Quid ex talib' Professis fiat.

6. DE JESUITARUM RECTORIBUS ET REGENTIBUS.

Rectores & Regentes ut differāt.

Hi in Collegiis, Domibus & Residentiis, primatum tenent. *Rectores* tamen propriè dicuntur, qui Jesuitis; *Regentes* verò, qui etiam exteris præsunt, eosq́; secundùm suas Regulas regunt.

Rectoris potestas & officium.

Potestas *Rectoris* in Collegio, libera & absoluta est: quicquid ille ordinat vel facit, nemo ipsi contradicere audet: nisi in pœnas, inobedientibus constitutas, incurrere velit. Hic ea, quæ Sociis præcipit, ex Generalis sententiâ, & Ignatii legibus, sumit: eam ob causam etiam rigidissimè delinquentes punit. *Regentes* verò, nonnihil in exteros mitiores & humaniores sunt: quia nullis hi votis sunt obstricti. Quicquid in Collegio desideratur & constituendum est; id à Rectore petitur & exspectatur. Si hic quid negat alicui; rationem ejus non expetat, neque ab alio postulet: sed tacens, gratiasque agens, in humilitate abeat, quasi voti compos factus esset. *Rectoris* etiam officium est; ut singulis mensibus singulorum mores, & progressus, Provinciali significet: qui deinde Generalem de iis certiorem facit.

Arcana asservantur à Rectore.

In Museo etiam Rectoris, Societatis arcana, privilegia, literæ, & thesauri, asservantur. Ad pecuniæ tamen arcam solus claves non habet: sed custodiuntur illæ à tribus, quos Generalis ad hoc ordinat; nimirum à Rectore, Ministro, & Sacerdote aliquo: quorum quilibet clavem habet.

Rectores qui eligantur.

Hos Rectores, vel Regentes, rarissimè ex Nobilibus, extra Italiam & Hispaniam; sed ex plebe tantùm, eligunt & adoptant. Quod cur fiat, conjectura non est difficilis.

7. DE JESUITARUM MINISTRIS, SEU OECONOMIS.

Oeconomi officium.

Rectori dignitate proximi sunt *Ministri*; quos nos *Oeconomos* vocamus. Hi singulis diebus sabbathi à Rectore accipiunt, quomodo, quantum, & qualiter, res pecuniarias, & ad victum spectantes, per septimanam dispensare debeant. Horum est, omnes in genere, præter Rectorem, observare, admonere; & in Regulis Societatis, ac exercitiis Collegiorum, rectè informare. Si quos deprehendunt in Regulas delinquentes; illis pœnitentiam aliquam injungunt.

Est etiam Ministri, curare supellectilem Domûs; ne quid vel intereat, vel perdatur, vel amittatur: etiam cellæ & culinæ prospicere; ne quid rerum necessariarum desit; sed ut omnia suo tempore emantur & dispensentur. Penes hunc ergo est cura, & custodia Domûs. Idem etiam cum Secularibus agit; ut Priores & Abbates in Monachorum Cœnobiis, & Oeconomi in Monasteriis.

8. DE JESUITARUM SACERDOTIBUS.

Sacerdotū officium.

Sacerdotum (seu *Patrum*) est, secundùm Lojolæ Regulas, quotidie pro vivis & mortuis, pro Pontifice Romano, pro Societatis incremento, & ad promerendam

rendam exstirpationem Hæreticorum, sacra facere & Missas celebrare: itèm Horas canonicas servare; officiumque, vel in horto, vel in templo, vel in cubili, vel in museo, vel in dormitorio, vel in circuitu, vel in alio loco, demurmurare. Conferunt se quoque interdum, ad exercitium aliquod corporale; mediocre tamen: qualia sunt, Bibliothecam curare, hortulos plantare, libros legere, scribere, pingere, aut quid simile agere; quo diei tædium levent.

Eorum etiam est, in eos, qui Sacerdotes non sunt, animadvertere, & delinquentes paternè admonere; vel Superiori ea, quæ minùs rectè fieri vident, deferre. Singulis quoque diebus Veneris, ad Juniores & Novitios, exhortationes instituere debent: quarum finis sit, Mundi contemtum, Societatis amorem, abnegationem sui, & perfectam obedientiam in omnibus, secundùm Societatis institutum, juniorum animis instillare.

9. DE JESUITARUM POENITENTIARIIS.

Pœnitentiarii Romæ dicuntur, qui ibidem, apud S. Petrum, integrum diem sedent: ut ibi confessiones audiant. His mandatur, ut diligenter in Hæreticos, quos sic vocant, inquirant. Si quos in confessionibus intelligant, Euangelicis favere, & de religione Romanâ dubitare; neque Papam pro Vicario Christi in terris agnoscere: eos non absolvant; nisi statim revocent. Si contrà illi disputent: eos ad Inquisitores remittant: qui ab illis miserrimè, non secùs quàm malefici à carnificibus, torqueantur. Diligenter etiam cavent, ne quisquam scripta Euangelicorum in suis ædibus habeat. Si quos in confessione cognoscunt, aut hospitia Euangelicis dare, aut familiaritatem cum illis contrahere: eos excommunicant, & magistratui, ceu proditorum fautores, puniendos indicant; non obstantibus decretis, quæ præcipiunt, arcana confessionis nulli revelanda esse. Tandem, peccatis omnibus cognitis, pro qualitate eorum pœnitentias injungunt; & homines in-primis ad crebras confessiones adhortantur.

Pœnitētiariorum officium Romæ.

10. DE JESUITARUM CONFESSARIIS.

Confessarii apud Jesuitas vocantur, qui in casibus reservatis satìs instructi, in Jesuiticis & Cathedralibus templis, quatuor Jejuniorum temporibus, certas occupant sedes; in quibus accedentium confessiones audiunt. Hi confitentes, secundùm regulas ipsis præscriptas, examinant; & plenariam circumstantiarum enumerationem extorquent: sinè quâ irritam absolutionem, & eum, qui peccati circumstantiam aliquam reticet, sacrilegum esse, dicunt. Examinant autem primò confitentes, de peccatis occultis, & cogitationum erratis: secundò de verbis: tertiò de factis: quartò de omissis: quintò de scriptis: sextò de venialibus actualibus: & tandem de mortalibus. Et ut hæc ritè peragant, ex Decalogo confitentem examinant; & ab hoc ad Ecclesiæ præcepta digrediuntur. & in hæc qui peccat, graviorem sustinet pœnitentiam; quàm qui in Decalogum deliquit. Ab his descendunt ad septem mortalia

Confessariorum officium, & modus cōfessiones audiendi.

peccata: hinc ad quinque ſenſus; ad peccata aliena; ad neglecta miſericordiæ opera; denique ad inquiſitionem articulorum Pontificiorum, veniunt.

Jeſuitica confeſſio aliis efficacior.

Si qui etiam apud Jeſuitas peccata ſua confitentur; ii ſingulares à Papâ conſequuntur indulgentias.

11. DE JESUITARUM CONCIONATORIBUS.

Concionatorum officiũ apud Jeſuitas, & concionãdi modus.

Concionatores Jeſuitarum ſunt, qui vices Parochorum in concionandi munere ſubeunt. In quibus enim locis Jeſuitæ Collegia, Domus, vel Reſidentias habent; ab ejus loci Epiſcopo, Decano, & Parocho, petunt, ut ſibi concionandi facultatem dent: quam ipſis, ob Papæ auctoritatem, quâ muniuntur, non audent iſti negare. Hi conciones ſuas non ad Prophetica & Apoſtolica ſcripta dirigunt; ſed ad mandatum Papæ, ſecundùm Tridentini Concilii Canones, & Scholaſticorum commenta. Optimi ex ipſis videntur, qui atroces in Euangelicos invectivas inſtituunt, populumque adversùs illos exſtimulant.

12. DE SPIRITUALIBUS JESUITARUM PRÆFECTIS.

Præfectorũ ſpiritualiũ officium.

Spirituales Præfecti Jeſuitarum dicuntur, qui in Collegiis, & Domibus Jeſuiticis, Juniores & Novitios obſervant: ne primam (uti loquuntur) charitatem, quam ad Societatem attulerunt, deſerant; ſed ſemper in Societatis ſpiritu proficiant, & ſenioribus ſimiles efficiantur. Horum igitur eſt, conſcientias ſcrutari, & in exercitiis ſpiritualibus Juniores informare. Ad hos, ſi qui Novitiis injiciuntur ſcrupuli, vel tentationes, confugiunt: à quibus tentationes bonæ malæ, & viciſsim malæ bonæ, redduntur.

Officium quoque illorum eſt, Junioribus tradere & commendare devotos libellos; illisque præſcribere, quæ ad menſam legere debeant; obſervare inſuper, ut ritè ac debitis horis ſpiritualia officia perficiantur. Non-obſequentibus pœnitentias injungunt: &, ſi his non emendantur; Rectori eos deferunt: qui jejunia, cilicia & flagella, eis admovet; quibus vel inviti, niſi mori malint, parêre coguntur.

13. DE PRÆCEPTORIBUS JESUITARUM.

Præceptores qui, & eorum diſcrimina.

Jeſuitarum *Præceptores* hi ſunt, qui in Scholis & Academiis ſuos diſcipulos, in religione, linguis & artibus, ad præſcriptum Inquiſitoris, Viſitatoris, & Provincialis, inſtituunt & docent. Horum quidam publici ſunt; quidam domeſtici. Publici ſunt, qui gradum intra vel extra Societatem ſunt conſequuti, & publicè docent. Domeſtici, qui ſolùm diſcipulos domi privatim exercent; & audita ab illis rurſus exigunt. Hi nullum pro laboribus ſuis habent ſtipendium, propter regulam ipſis præſcriptam: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Quod ſi autem à Principibus & Academiarum patronis, illis pro laboribus præſtitis aliquot Coronatorum millia ad Collegia mittuntur: ambabus manibus, non ut mercedem, ſed ut eleemoſynam, illa accipiunt.

Præter

Præter hos,aliud etiam apud Jesuitas Præceptorum genus est; quod præficitur iis,quos Papistici Principes & Nobiles suâ munificentiâ alunt, & vulgò *Beneficiarii* vocantur. Præceptores hi,non,ut reliqui Professores, intra Jesuitarum Collegia manent; sed cum Beneficiariis illis,in ipsorum ædibus,quas *Stipendiarias* nominant,vivunt: in quorum fidem & vitam inquirunt diligenter. In hujusmodi Stipendiariorum domo,singulis mensis,ad quam octo ordinantur,Inspector & Præceptor præficitur Jesuita: qui audita ab illis exigit, eosque non tantùm in Philosophicis studiis instituit; sed etiam in Pontificiis erroribus informat: &, qui sunt inter illos maximæ spei Adolescentes,variis illecebris & promissis,ad Societatis ingressum sollicitant. quo fit, ut multi, contra Parentum etiam suorum voluntatem & cogitationem, Jesuitæ fiant. Papistici Beneficiarii,eorumq; domus.

14. DE JESUITARUM SERVIS ET COADJUTORIBUS SPIRITUALIBUS.

Servi seu *Coadjutores* Jesuitarum *spirituales* dicuntur; qui consiliis & scriptis suis senatum Jesuiticum juvant. His licet quidem sua consilia Superioribus referre: sed ità,ut non curent,sive illa recipiantur,sive repudientur. Siquidem eorum sit,non imperare: sed consilia vel sententiam suam in medium proferre,aut scripto significare; liberum tamen superioribus relinquere,ut eligant, quod ipsis optimum videtur. In Synedrio ergo assident,& suam sententiam dicunt: sin autem secedere jubentur, & Generalis cum Assistentibus,quid faciendum sit,decreverit; licèt aliud ipsis videatur,contrà tamen ne hiscere quidem audent. *Spirituales* autem vocantur, quòd eorum sit,circa res spirituales Jesuitarum occupari. Quâ in re quò quisque aptior & diligentior exstiterit; eò citiùs ad professionem admissus,membrum hujus Societatis efficitur. Servi & Coadjutores spirituales; eorũq; officium.

15. DE SCHOLASTICIS ET NOVITIIS JESUITARUM.

Scholastici & *Novitii* in eum finem in Collegiis aluntur: ne Societas hæc tandem deficiat; sed ut,putrescentibus veteribus membris,in recentioribus & novis semper conservetur. Eorum autem est,cujuscunque ordinis,statûs vel conditionis,ante ingressum,fuerint,Mundum (ut ipsi loquuntur) deserere; se-ipsos abnegare; Bona sua relinquere; à Parentibus aufugere; Amicis valedicere; & ab omnibus,quæ Mundus amat,abhorrere; naturalem Parentum affectum,in spiritualem,h. e. in Jesuiticorum Sociorum amorem,convertere; omnium suorum,atque adeò sui-ipsorum quoque,oblivisci: præterea,à corporis obsequio & indulgentiâ quàm-longissimè recedere; sensibus repugnantia appetere; carnis societatem disciplinis Jesuiticis,putà flagellis, ferulis,flagris,& aliis spontaneis corporis suppliciis,ejicere. Novitii qui, & eorũ officium.

Novitiorum *Magister* in his omnibus eos exercet,ac instar stultorum vexat: donec sibi-ipsis toti emoriantur; & non sibi ampliùs,sed soli Papæ,vel Jesuitarum Novitiorũ Magister,& exercitia.

tarum Patribus, vivant. Hocque Jesuitis est Deo vivere, Christo inseri, & in mortem ejus baptizari ac sepeliri.

Novitios ut sibi obstrictos reddāt Jesuitæ.

Ad perpetuò autem occultandam, conservandam, & augendam superstitionem & idololatriam suam, Jesuitæ Novitiis suis intellectum, si quem habent, ipsumque sensum, ligant. Pater enim eorum Ignatius Lojola, in Epistolâ illâ, quæ in Collegiis Jesuitarum, singulis mensibus, ad mensam legitur, monet & mandat seriò: ut ea, quæ Superior jubet, cæcâ obedientiâ simpliciter perficiant; quæque ipse facit, cæco judicio prætereant: non considerantes, an bonum vel utile sit, nécne, quod pręcipitur: *quæq; Superior jubet, quæq; ipse facit, non solùm non judicando, multoq; minùs reprehendendo; sed etiam tanquam bona & sancta præsupponendo.*

16. DE JESUITARUM SERVIS TEMPORALIBUS, SEU COADJUTORIBUS FORMATIS.

Officium Coadjutorum temporalium.

Coadjutores temporales, totius Societatis sunt servi, & membra Societatis, non tantùm in voto simplici; sed etiam solenni. Eorum est, totum Societatis corpus fovere, curare, victum & amictum ei parare, omniaque negotia domestica tractare. In horum numerum ac ordinem referendi sunt officiales & artifices: ut sunt coqui, sutores, sartores, & similes; quorum artificiis in Societate indigent. Habent autem per se nullius rei conficiendæ licentiam: sed omnia ad jussum & nutum Rectoris facere coguntur. Si quid emendum sit; ipsis à Rectore annumeratur pecunia certa: pro quâ ea, quæ Rector jubet, semper tamen optima, emere; & cùm primùm domum reversi fuerint, rationem reddere, & reliquam pecuniam Rectori restituere, tenentur: emta deinde quoque, pro Rectoris voluntate & arbitrio, dispensare & erogare.

Temporales servi cur dicantur.

Temporales verò sive *Seculares* dicuntur, quòd tantùm temporalibus rebus occupentur, & in rerum humanarum dispensatione versentur; & ea jussu Rectoris peragant, quæ ipsis cum Secularibus efficienda incumbunt. Ne tamen nomine Temporalium offendantur: dicunt Jesuitæ, illos non minores esse merito, quàm reliquos; si eodem spiritu res mundanas, quo illi spirituales, tractent: quia non sibi-ipsis, nec hominibus; sed Sociis Christi Jesu, imò ipsi Jesu, inserviant: illosque tot recepturos coronas; quot labores subeant pro Societatis Patribus, qui in tractatione rerum spiritualium occupentur, & curent, ut Societas floreat, augeatur, & dilatetur. Denique, si qui ex his, ante Societatis ingressum, legere vel scribere nesciant: Regulâ prohibentur, ne ullam literam in Societate addiscant; sed idiotæ & fratres ignorantiæ maneant.

Laici sunt, & indocti.

17. DE CARCERIBUS JESUITARUM, ET POENIS INOBEDIENTUM.

Si quis (ut interdum evenit) etiam apud Jesuitas inobediens, & pręfractior

est; eum mox in Trophonii antrum conjiciunt: ut in exercitiorum spiritualium madore, tanquam æs ærugine contractâ, sibi-ipsi contemnendus evadat. Includunt hominem maligno quodam in gurgustio, ad respirandum quidem satis apto; ad ambulandum autem, neque spatii satis, neque lucis, habenti. Ibi totas tres hebdomadas, eo more, quantum potest, durare cogitur: nullique ad eum aditus patet, præterquam Patri spirituali: qui semel bisve in die eum ad machinam admovet; ac deinde breves chartulas, in quibus sententiæ quædam scriptæ sunt, devorandas obtrudit: quas bene necne concoxerit, ex responsis ejus ità cognoscit; ut Medici, ex excrementorum adspectu, cruditatem stomachi conjicere solent. Sunt autem illæ sententiæ scriptæ, pietatis Jesuiticæ quasi apices, quibus nil nisi cavum & eximium continetur: *Quis,* (verbi gratiâ) *Religiosorum ordo de Deo Superisq; sit optimè meritus? Utrùm majora sint Francisci chordigeri, an Lojolæ Jesuitæ, facinora? An melius sit, vigilando somniare, an somniando ea intueri, quæ vigilantes vident? In quot dies homo, ex sacrâ Hostiâ, cum nullo alterius panis & vini adminiculo, vitam producere possit? An sacrâ hostiâ receptâ, dormiendo idem operetur, atq; vigilando? An Bellerophon in somnis, vel alis, volaverit? An non mirabile sit instrumentum à Jesuitis repertum, quo quis, per inane volans, suum etiam in multos dies commeatum deferre possit? &c.*

Jesuitæ rationis compotes carceribus mandant:

De quibus omnibus, nisi aliquid satis cavum somniaverit captivus; demensum ei minuunt: ut facilius commercium cum insomniis habere possit. Sed quia non omnes eâ cum umbris & spectris familiaritate gaudent: interdum fit, ut nonnulli, post quatuor aut quinque dies, ringi secum incipiant, ac fenestram quærere, unde se præcipites dare queant. Ex inanitate enim cerebri, ex somniorum imaginibus, ex Pædotribæ monitis, varium in modum afficiuntur: ut ad delirium propè & amentiam adigantur.

Ut meri stulti indè exeant.

Exacto mysteriorum tempore, emittitur in lucem juvenis vivus, vidensque somnians: non caput, non pes, non mens, satis officium suum facit. Novos enim Mundos, novasque formas, Tragelaphos, Chimæras, Hippocentauros, loquuntur. Sanè in eorum vultu gestuque contemplando, non parum ridiculi inest. Hic se totum circumspicit, ac quócunque caput agit, corporis sui figuram in aëre suspensam intuetur. Hic se testaceum factum esse credit; metuque ne allidatur, obvios quosque vitat. Hic hominum insomnium se videre autumat: secumque dissolvere nequit, an somnians vigilet; an verò vigilans vaticinetur. Uno enim tempore fulgura, tonitrua, & non solùm Jesuitarum, sed & Cacodæmonum voces audire, sibi videtur.

Atque his modis inobedientes ac refractarios suos tractant Jesuitæ: donec eos in ordinem redigant, & ad cæcam suam & nunquam-contradicentem obedientiam reducant.

DE VOTIS JESUITARUM.

CAPUT V.

1. DE VOTO PAUPERTATIS.

Jesuitarum paupertas, multis Regibus & Principibus satis divitiarũ foret.

IN Constitutionibus & Regulis suis, multa & speciosa de Paupertate suâ gloriantur Jesuitæ: cùm tamen nulla; sed ejus loco potiùs Crœsi opes, apud eos reperiantur. Ideò rectè Constitutio 23. habet: *Paupertatem eos diligere oportere, QUANTUM divinâ gratiâ adspirante fieri poterit.* i. e. sub prætextu religiosæ Paupertatis suæ, Mundi opes corradant; interea autem ità se gerant, ut pauperes coram Mundo videantur. Et ob hanc famam comparandam, Novitii eorum sæpè ostiatim mendicare coguntur: Ipsi etiam, Patres suos ad divites mittere, & eleemosynas, sed opimas, petere solent. Quare etiam sequente Constitutione 24. Paupertatem, *tanquam matrem suam,* (quæ nimirum tot opes ipsis cumulat) *diligere* jubentur: sic tamen, *ut interim eum amorem mensurâ & conformitate sanctæ discretionis metiantur.* h. e. ne quis honestatem & gravitatem religiosam, nimio Paupertatis studio, inediâ corpus affligendo, el nimis sordidè se vestiendo, contemtam reddat; sed sanctâ discretione & conformitate sic moderetur, ut Paupertas illorum sit pura & munda: ne aliquod fastidium, vel tædium & nauseam, aliis præbeat.

Modus in paupertate Jesuitis tenendus.

Volunt etiam, *ut certis temporibus effectus aliquos Paupertatis experiantur.* Hujus, in Collegiis suis, nonnunquam tale experimentum edunt. Quando alii Socii mensæ accubuerunt, & splendidè epulantur: progreditur in medium illorum Jesuita aliquis, indutus centone, calceis perforatis, pileo dilacerato, & seminudus. Is, ut grave Paupertatis Jesuiticæ jugum experiatur; patinam & lagunculam ligneam manibus tenet; & à Patribus, reliquisque Sociis, cibum potumque emendicat: quibus acceptis, post januam sedet, & cibum capit.

Specimina paupertatis Jesuiticæ.

Extra Collegia autem interdum, primis probationis annis absolutis, aliquos, ad experiendam paupertatem, Rector, ad unius mensis spatium, cum literis commendatitiis emittit: qui ab Abbatibus, Prioribus, & Episcopis, ad quos cum ejusmodi literis perveniunt, liberaliter recipiuntur, & tractantur lautissimè.

Quomodo nihil proprii habeãt:

Additur etiam in eâdem Constitutione; *ne re aliquâ tanquam propriâ utantur.* Hinc crebræ rerum omnium mutationes: non solùm vestium; sed etiam cubilium, museorum, & similium. Præcipitur etiam; *ut omnes parati sint ad mendicandum ostiatim; quando vel obedientia, vel necessitas, id postulaverit.* Necessitas autem hæc illis tantùm incumbit, qui votum Professionis suscipere volunt. Hi enim per triduum ostiatim victum quærere coguntur: ut sic probati inventi, & in omnibus mortificati, se-se dignè postmodum gerere possint. Obedientia autem tunc illos jubet ostiatim mendicare; quando hominibus nimis divites facti videntur: ut hoc modo falsum id esse probent, & reverâ pauperes habeantur.

& ostiatim mendicẽt.

Consti-

Constitutio 25. ipsis injungit; *ut etiam victûs, vestitûs, & lecti ratio, sit tanquam pauperibus accommodata: & unusquisque sibi persuadeat; quòd, quæ vilissima sint ex iis, quæ domi habentur, sibi tribuenda sint.* Lecti indè ipsis sunt, partim *Mataraza*, ut vocant, lanâ molli & floccis subtilibus; partim mollibus plumis repleti. Quilibet proprium lectum habet; quem ipse sibi sternit: qui etiam, ne forte nudus conspiciatur, velo circumcirca cingitur. Et ne quid desit, vel situ pereat; proprium habent lectorum inspectorem: qui, si quos in illis curandis negligentiores, vel sordidos & impuros, deprehendit; eos Rectori indicat: qui deinde illis, circa prandii & cœnæ tempus, pœnitentias imponit; quales sunt, lectos non-bene adornatos circumportare, in medium refectorii deponere, & ab Inspectore vel Visitatore discere, quomodo, pro more Societatis, suum lectum rectè adornare debeat. Singulis diebus Sabbati, vesperi, ad illorum lectos, indusiorum & lodicum custos, cuilibet mundatum indusium, duo strophiola, & vittam, ponit: decimâ autem quartâ quâvis die lodices. Si autem sudavit; semper nova & pura recipit indusia, ac lodices mundas: & hæc quidem omnia quàm-mundissima, & tenerrima. Quæ paupertas Jesuitica est in cubilibus. Paupertas lectorum & vestium.

Quod ad vestitum attinet; Emtor, juxta Regulam, non vilia vel mediocria, sed optima & preciosa quæque emit: quòd hæc diutiùs, quàm illa, usui esse & durare possint. Quanquam, in dispensatione vestimentorum, & aliarum rerum, junioribus, & iis qui Sacerdotes non sunt, viliora solent distribui: ut sic etiam paupertatis quendam gustum percipiant.

Ad summam, sunt Jesuitæ pauperes; at sine omni defectu: experientiâ testante, non pauciora, in omnibus Provinciis & Regionibus, bona ab illis possideri, reditusque ex illis percipi; qàum à multis Principibus, Comitibus & Baronibus. unde etiam non rarò plùs quàm Sybaritica convivia apparare illi solent. Est quoque notorium, non adeò nuper, solos Jesuitas Pragenses, è suis fundis propriis, ad 50000. uncialium nummorum, ad bellum contra Germaniam, contribuisse. Ut jam de plùs quàm principalibus, imò regiis, palatiis & domibus ipsorum, quæ ubivis locorum cernuntur, nihil dicam: adeò ut quisque bonus socius, cum Jesuitis (si honestè fieri posset) mendicum agere, sibi non temerè exoptaret. Paupertas Jesuitica est sine defectu.

2. DE VOTO CASTITATIS.

In Constitutione 28. Ignatius à Jesuitis suis, *angelicam puritatem, & corporis, & mentis*, postulat. Unde etiam Patres Jesuitarum communiter jactitant: tametsi inter discipulos suos habeant juvenes, formâ, vultu, & robore corporis præstantes; tantæ tamen eos castitatis & continentiæ esse, ut ne igniculum quidem carnis in ipsis, per Confessionem, animadvertere possint: vocantes etiam suos, Angelos terrestres; qui Dei gratiâ, ceu cultro, omnem carnis fomitem præsciderint; ut juratam facilè possint præstare continentiam. Neque tamen propterea Jesuitæ tantùm sibi-ipsis confidere audent; ut unus solus, Angelica Jesuitarum castitas.

etiam in templo publico, fœminæ Confessionem excipiat: sed (quemadmodum Regula 18. Sacerdotum disertè habet) *quando quis à Superiore mittitur, ad Confessiones fœminarum audiendas, vel aliâ de causâ eas adit; Socius, quem Superior ipsi designaverit, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquitur, eo in loco esse debet; unde videre eos, sed non, quæ secreta esse oportet, audire possit. Quod si loci dispositio non pateretur: Sacerdos tamen omnino curare debet, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus.*

Quanquàm etiam in Regulâ 68. Rectoris mandatur; *ne permittat, ut sui curam mulierum religiosarum, aut aliarum quarumcunque, suscipiant*: & in 70. *ne sinat eos mulieres invisere, aut ad eas scribere*: & in 71. *ne permittat fœminas Collegium suum ingredi.* Huic tamen prorsus contrà faciunt Jesuitæ: dum ex laicis personis,
Sorores laicæ Jesuitarum. non Fratres duntaxat; sed etiam Sorores, in ordinem suum cooptant, votisq; suis sibi obstringunt. Neque-dum oblivioni datum est, quid Confessarius
Jesuitę Cotoni castitas: regius in Galliâ, Jesuita Cotonus, ad nobilem fœminam Nemausensem, propriâ manu exaraverit: *Se nimirum, post summam peculiaris suæ amicitiæ contestationem, sperare, quòd brevi eam sit visurus; eiq; summam capitalem, juxtà cum censibus debitis absentiæ suæ, dissoluturus: suumq; erga ipsam affectum tantum esse; ut minimè credat, gaudium suum in Paradyso perfectum futurum, ni eam quoque inibi præstò præsentem offendat.* Eidem huic Jesuitæ Cotono, ab Abbate quodam Parisiensi, publicè objectum fuit: quòd Avenione, ob imprægnatam Monialem, per sententiam judiciariam condemnatus esset.

aliorumq; Jesuitarũ, Patavii; Sed & multorum adhuc memoriâ constat, quid, ante non adeò plurimos annos, Jesuitæ Patavini, non jam dico cum mulieribus; sed cum pueris & juvenibus, patrârint: (cujuscemodi pædio Jesuita, Heinricus Mangot,
Antuerpiæ; Lugduni; etiam Antuerpiæ justum ignis supplicium luit:) uti Jesuitæ Lugdunenses, multis, etiam magni nominis, ejus loci civium conjugibus persuaserint; ut, in ipsorum gratiam & officium, prorsus discissa indusia ac interulas gestârint:
Friburgi; quid Jesuita Antonius, Friburgi in Nuitonibus, cum viri cujusdam primarii ancillâ, in Confessione egerit; ut in illius sinum, in genua coram se procumbentis, manu immissâ, & prehensis contrectatisque mamillis, periculum scilicet fecerit, utrùm ex animo peccata sua confiteretur: quid itèm Jesuita Ste-
Porrentruti; phanus, Porrentruti, cum honesti civis uxore commiserit; quod misero cuidam Diabolo, qui Jesuitæ habitum repræsentâsset, postmodum imputatum
Pragæ; fuit: ut Jesuitæ Pragenses, propriam sellam obstetriciam, in Collegio suo habuerint, ac usurpârint; quæ, post eos è regno Bohemiæ exactos, cruore adhuc sordidata, in Bibliothecâ ipsorum, deprehensa fuit: quid nuper adeò Jesuita
Heidelbergæ, &c. Christophorus, Heidelbergæ, cum juvenculâ quâdam peregerit; utque illam, priùs à se gravidatam, ad fidem suam catholicam traduxerit. Summa: de Jesuitarum castitate, passim contestantur cives & rustici, servi & ancillæ; quócunque locorum hirci isti penetrârunt. Quâ de si quis adhuc dubitet, castosq; spiritualium istorum dominorum cogitatus cognoscere aveat: in præsentem ille rem eat, suisque oculis perlustret, quas elegantes castasque diatribas, Scurra ille Jesuiticus, Thomas Sanchez Cordubensis, lib. 9. Disputationum

de

de Matrimonii Sacramento, Anno 1607. Antuerpiæ excusarum, in utramque partem verset; quasque illi etiam cum confitentibus sibi fœminis movere solent: quales quidem vix ulli lenoni ethnico unquam auditæ fuerunt; absque illarum tamen cognitione penitiore, nemo perfectum inter Jesuitas Confessarium agere potest. Verùm apage- sis in suilia Jesuiticam hanc castitatem! Jesuitæ Sanchez institutio ad castitatem.

3. DE VOTO OBEDIENTIÆ.

De hoc voto loquuntur Constitutiones 31.32.33.34.35.36. & Ignatius in totâ suâ Epistolâ. Ex quibus intelligitur, judicâsse Ignatium, imò præcepisse, sic obediendum Superiori; ut Inferiores ejus mandata ac jussa, hilariter, promtè, velociter, libenter, & integrè, exsequantur, opere & facto: hanc tamen primam Obedientiæ formam adhuc imperfectam esse. Ideò requirit, secundo loco, ab Inferiore, ut Superioris voluntatem suam faciat: seu potiùs, ut suam exsuat; & eam, quæ à Superiore ipsi exposita sit, induat. Terriò vult, ut obedientia suorum Sectatorum comprehēdat, non solùm exsecutionem, ut imperata quis faciat; & voluntatem, ut libenter id faciat: sed etiam intelligentiam, & judicium; ut, quæcunque Superior mandat ac sentit, eadem Inferiori & recta, & vera, & justa æquaque esse, videantur. Obedientia ergo, quam Ignatius à suis requirit, non solùm in externâ mandatorum exsecutione; sed etiam in propriæ voluntatis, judicii & intellectûs, abnegatione, & omnimodâ resignatione, cum omni devotione & reverentiâ, haud aliter quàm si ipsi Christo obedirent, consistit. Qualem obedientiam Jesuitæ voveât.

Ut autem Novitii Jesuitæ rectiùs, quæ'nam sit illorum obedientia, intelligere possint: iis, in museis & cubilibus, ob oculos hujusmodi imagines ponunt. Est in medio picturæ puer, qui dorsum incurvat; quo humeris impositam fert Trabem, cui inscriptum est; *Fortiter*. Portat deinde Citharam: quâ volunt, obedire debere eum *hilariter*. A' dextrâ illius, assurgit Catulus: ut obediat *velociter*. Pectus gerit apertum: ut obediat *toto corde*. Os tenet clausum: ut obediat *sinè murmure*. Bajulat res viles & abjectas: ut obediat etiam *in rebus sensibus repugnantibus*. Pedibus fert ocreas: ut obediat *constanter*. Ambabus manibus vasa tenet: ut obediat *sincerè*, seu *integrè*. Aures habet obseratas: ut obediat in iis etiam, *quæ ipsi auditu jucunda non sunt*. Caput inclinat: ut obediat *humiliter*. Novitii, ut obedire doceantur.

Si quis autem, contra has obedientiæ Jesuiticæ formulas, & conditiones, peccat: huic, pro qualitate delicti, pœna injungitur; quæ ipsis *pœnitentia* dicitur. Verbi gratiâ: Minister mandat Novitio, quem putat esse superbum; ut abeat, & locum secretum, aut caligas decrepitorum, aut matulas, aut etiam alia vasa immunda, expurget. Novitius igitur sentiens istas res sensui suo repugnare, si se excuset, murmuret, aut etiam operā suam deneget: hujus pœnitentia est, coram reliquis, prandii vel cœnæ tempore, suam profiteri culpam, & in genua projectum dicere: *Reverendi Patres, dilecti Fratres, dico vobis meam culpam. Hodiè inobediens fui; neq; cloacas, vel quid aliud, expurgavi. Quare mihi data est* Pœna delinquentiū.

pœnitentia ista: Primùm ut in Refectorio circumeam, vobisq; demonstrem; quomodo me excusaverim,& rebellem declarârim. Horrendum videns,voceq; utens stentoreâ,pedibus quatiens,ajebam: Nolo hoc facere. Quid hoc ad me? quid aliorum caligæ? expurgent illi,qui cœno eas replerunt. His dictis, in Refectorii medio considet,& secum habet caligas, aut vasa immunda; usque-dum cæteri cibum sumserint: & tunc nihilominùs tenetur abire,& jussa exsequi.

Porrò,ad perpetuò occultandam,conservandam,& augendam superstitionem & idololatriam, bestia hæc catulis suis intellectum,si quem habent, ipsumque sensum ligat: dum monet & mandat seriò,ut ea,quæ Superior jubet, cum obedientiâ perficiant, quæque ipse facit,cæco judicio pertranseant, non considerantes, an bonum vel utile sit,nécne,quod præcipitur: quandoquidem omnis ejusmodi cogitatio meritum tollat, & valorem obedientiæ. Quâ quidem in re Societas Canonistas imitatur,perniciosissimos Pontificis adulatores. Hi enim orbi Christiano quondam persuaserunt, Romanum Pontificem tantæ esse dignitatis & authoritatis; ut,etiamsi ille totum mundum perderet,nemo tamen ex ipso diabolici hujus facti vel posset,vel quærere rationem deberet. Sic prorsus, imò multò pejùs suos Societas alumnos instituit,cùm docet; quæcunque Superior jubet, quæque ipse facit,non solùm judicanda non esse,multò verò minùs reprehendenda,sed etiam tanquam bona & sancta (ut Patriarchæ Ignatii verbis utar) præsupponenda. Quò nimirum omnis tandem stultitia,idololatria & superstitio,Sanctitatis nomen obtineat. Hanc quidem obedientiam vovent ac promittunt Superioribus suis, inprimisque Romano Pontifici: Politico verò Magistratui, sibi à Deo ordinato,sunt inobedientissimi.

Excipitur quidem in Constitutione 31. *In omnibus rebus obediendum Superiori;* UBI PECCATUM NON CERNERETUR: h. e. quæ sinè peccato committi nequeunt. Ecquid autē Superiores Inferioribus suis præcipiunt, nisi quod expressis Dei mandatis adversetur? idque tàm in primâ; hypocrisin putà,idololatriam,superstitiones,blasphemias: quàm in secundâ Decalogi tabulâ; nempè inobedientiam & seditiones contra Magistratus, qui in omnibus rebus, Papæ ac Jesuitarum placitis parére recusant; desertionem & contemtum propriorum Parentum & Consanguineorum; homicidia,& mendacia: quæ propria utique Diaboli opera sunt. Deinde verò etiam nugas & scurrilitates omnigenas, quibus Novitios suos ad obedientiam suam exercent. Romæ (exempli gratiâ) Octavianus Jesuita Novitio cuidam aliquando dicebat: *Vade, & in hoc stercore te voluta; sicq; domum perge.* Novitius suita se in cœno huc-illuc versat, sicq; domum redit; cunctis eum videntibus risum exhibens. Quem ut Rector vidit,eum,quid actum esset,interrogat; &,re cognitâ, Novitio ait: Vade ad sartorem, teque novis vestibus indui cura. hoc enim promeruit obedientiæ tuæ virtus.

Quid Superiores suis Inferioribus præcipiant.

Similiter Lanspergę, Jesuita Zieglerus Novitio cuidam rapas, tenerasque arbusculas, tradens, ajebat: *Vade,& eas terræ insere, radicibus sursum erectis; ramis autem*

autem in terra profundum demersis. Novitius vadit; sed ut natura postulat, radices terræ, ramosq; aëri mandat. Hujus pœnitentia erat, dicere: Non quæ natura, vel mea ratio, jubet; sed Superioris mandata, exsequenda sunt. Sicque plantulas ac rapas, in Refectorio, ter circumportare cogebatur.

Sed neque reliquæ sequentes Constitutiones hanc exceptionem, de peccatis evidentibus, in Obedientiâ admittunt: quippe quæ Inferioribus, per expressum, omnem cognitionem & probationem mandatorum à Superioribus adimunt: dum simpliciter illi statuere coguntur, quicquid sibi præcipiatur, id justum æquumque esse: dumque apertè vovent, se, cæcâ suâ obedientiâ, judicium suum abnegare, & similes esse velle cadaveri, vel baculo Senis; qui, ubicunque, & quacunque in re eo uti velit, qui eum in manu tenet, inservit. atq; ità clausis oculis, & animis obfirmatis, quoties Superioribus ipsorũ libet, contra manifestam veritatem & justitiam luctari; sicque adversùs Deum & Proximum committere, coguntur.

Cæca obedietia, nulla peccata excipere potest.

4. DE VOTO MANCUPII PAPALIS.

Quartum Jesuitarum votum solorum Professorum est; h. e. illorum, qui jam in omnibus Jesuitarum institutis probati, perfecti inventi sunt, & Pontificiam cyclopædiam absolverunt; exindeque *Patres* vocantur. Ignatius enim, Generalis illorum factus, primos illos Socios suos, atque adeò etiam illorum sequaces, coëgit, non solùm se-se trium simplicium votorum vinculo obligare; sed etiam totos, corpore & animâ, in rebus fidei & morum, specialiter Papæ devovere, & ejus se servitio, sub sui damnatione, mancipare; si, vel in minimo religionis ac fidei articulo, à Pontificis Romani placitis & decretis deficerent; vel aliud, quàm ille, sentirent; vel diversum ab ejus canonibus statuerent. Ut igitur reliqui Jesuitæ omnes, qui non sunt Professi, ab arbitrio Generalis hærent: ità omnes eorum Professi, ac ipse quoq; Generalis, à Pontificis Romani nutu dependent; jurantque, se in omnibus ipsi obsequium præstituros, quæcunque in illos præsumat vel statuat: atque etiam, ad quascunque fidelium & infidelium terras, Papæ ipsos mittere placuisset; eò sinè ullâ tergiversatione, atq; adeò sinè ullâ, non modò mercede, sed ne viatici quidem petitione, ituros. Ideoq; etiam *Missionis* votũ hoc appellatur. Et hoc speciali voto, Jesuitę à reliquis omnibus Monachis & Clericis differunt. Quâ de causâ etiam Papa eos, ceu pupillam oculi sui, custodit; & ut corpus suum tuetur, alit, nutrit, auget & ditat; nec-non extraordinariis privilegiis liberalissimè donat, magno etiam cum totius Cleri reliqui damno ac detrimento.

Quartũ votum Jesuiticũ ad solos Professos pertinet.

Cur Jesuitę Pontifici Rom. tàm chari.

Formula autem quarti hujus voti, quam Ignatius, cum primis Sociis suis, Paulo III. Papæ obtulerunt, quamque Papa Julius III. repetivit & confirmavit, ità ad verbum habet. *Quicunq; in Societate nostrâ, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult, sub crucis vexillo, Deo militare; & soli Domino atq; Romano Pontifici, ejus in terris Vicario, servire: post solemne perpetuæ castitatis votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis, ad hoc potissimùm institutæ: ut ad profectum animarum,* *in*

Formula quarti voti Jesuitici.

in vitâ & doctrinâ Christianâ, ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & verbi Dei ministerium, spiritualia exercitia, & charitatis opera; &, nominatim per puerorum ac rudium in Christianismo institutionem, ac Christi fidelium, in confeßionibus audiendis, spiritualem consolationem, præcipuè intendat: curetq; primò Deum; deinde hujus summi instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, semper ante oculos habere; & finem hunc, sibi à Deo propositum, totis viribus assequi: unusquisq; tamen, secundùm gratiam sibi à Spiritu sancto subministratam, ut vocationis suæ proprium gradum; ne quis fortè zelo utatur, sed non secundùm scientiam. Cujus proprii cujusque gradûs judicium & officium, discretio ac distributio tota, sit in manu Præpositi seu Prælati, per nos eligendi: ut congruus ordo servetur, in omni benè-institutâ communitate necessarius. Qui quidem Præpositus, de consilio Sociorum, Constitutiones, ad constructionem hujus propositi, nostro fini conducentes, in consilio, condendi auctoritatem habeat: majori suffragiorum parte, semper statuendi jus habente. Consilium verò statuatur esse, in rebus quidem gravibus ac perpetuis, major pars totius Societatis, quæ à Præposito commodè vocari potuit: in levioribus autem & temporaneis, omnes illi, quos in loco, ubi Præpositus noster residebit, præsentes esse contigerit. Jubendi autem jus totum, penes Præpositum erit.

Sciant omnes Socii, & non solùm in primis profeßionis suæ foribus, sed quoad vixerint, quotidie animo volvant: hanc Societatem universam, & singulos, sub Sanctißimi Domini nostri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum, successorum ejus, fideli obedientiâ, Deo militare. Et quàmvis Euangelio doceamur, & fide orthodoxâ cognoscamus, ac firmiter profiteamur; omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam capiti, ac JESU CHRISTI *Vicario, subesse: ad majorem tamen nostræ Societatis humilitatem, ac perfectam uniuscujusq; mortificationem, & voluntatum nostrarum abnegationem, summoperè conducere judicavimus, singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto adstringi: ita ut, quicquid modernus, aliiq; Romani Pontifices, pro tempore exsistentes, jusserint, ad profectũ animarum & fidei propagationem pertinens, & ad quascunq; provincias nos mittere voluerit; sinè ullâ tergiversatione, aut excusatione, illicò, quantum in nobis fuerit, exsequi teneamur: sive miserit nos ad Turcas, sive ad quoscunq; alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exsistentes; sive ad quoscunq; Hæreticos, sive Schismaticos; seu etiam ad quosvis fideles.*

Quamobrem, qui ad nos accessuri sunt, antequàm huic oneri humeros supponant, diu multumq; meditentur; an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc, juxta consilium dominicum, poßint consummare: h.e. an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur; ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, se laturos sperent. Et postquam, Domino inspirante, huic JESU CHRISTI *militiæ nomen dederint; diu noctuq; succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti, esse debebunt. Ne quæ autem poßint esse inter nos, Mißionum ac Provinciarum hujusmodi, aut ambitio, vel detrectatio: profiteantur singuli, se nunquam, directè aut indirectè, de hujusmodi mißionibus, quicquam cum Romano Pontifice curaturos; sed omnem hanc curam, Deo, & Pontifici ipsi, tanquam ejus Vicario, & Societatis Præposito, dimissuros. Qui quidem Præpositus, sicut cæteri, etiam profiteatur; se nihil de*

suimet

suimet ipsius missione, in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice esse curaturum.

Voveant singuli, se in omnibus, quæ ad Regulæ hujus nostræ observationem faciunt, obedientes fore Societatis Præposito. Ille autem jubeat ea, quæ ad consecutionem propositi sibi à Deo, & à Societate, finis, cognoverit esse opportuna. In prælatione autem suâ, benignitatis ac mansuetudinis, charitatisq; Christi, Petri, Pauliq;, formulæ, semper sit memor; & tàm ipse, quàm consilium, ad normam hanc assiduè spectent: & nominatim commendatam habeant institutionem puerorum ac rudium, in Christianâ doctrinâ, decem Præceptorum, atq; aliorum similium rudimentorum; quæcunq;, secundùm circumstantias personarum, locorum ac temporum, illis congrua videbuntur. Est enim maximè necessarium, circa providentiam hujus rei, diligenter Præpositum & Consilium invigilare: cùm & in Proximis ædificium fidei, sinè fundamento, non possit consurgere; & in nostris periculum sit, ne, ut quisq; erit doctior, ita provinciam hanc, tanquàm primo aspectu minùs speciosam, forsitan detrectare conetur: cùm tamen reverâ nulla sit fructuosior, vel Proximis, ad ædificationem; vel nostris, ad charitatis & humilitatis officia simul exercenda.

Subditi verò, tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter nunquam satìs laudatum humilitatis assiduum exercitium, Præposito, in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus, parére semper teneantur; & in illo Christum veluti præsentem agnoscant, &, quantum decent, venerentur.

Cùm autem experti fuerimus; jucundiorem, puriorem, & ad Proximi ædificationem aptiorem esse vitam, ab omni avaritiæ contagione quàm-remotissimam, & Euangelicæ paupertati quàm-similimam; cumq; sciamus, Dominum nostrum Jesum Christum servis suis, regnum Dei solùm inquirentibus, necessaria ad victum & vestitum esse subministraturum: voveant singuli & universi perpetuam paupertatem; declarantes, quòd non solùm privatim, sed neq; etiam cōmuniter, possint, pro Societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia, aut ad proventus seu introitus aliquos, jus aliquod civile acquirere: sed sint contenti, usum tantùm rerum sibi donatarū, ad necessaria sibi comparanda, recipere. Possint tamen habere in Universitatibus Collegium, seu Collegia, habentia reditus, census, seu possessiones, usibus & necessariis Studentium applicandas: retentâ penes Præpositum & Societatem omnimodâ gubernatione, seu superintendentiâ super dicta Collegia, & prædictos Studentes, quoad Gubernatoris, seu Gubernatorum, ac Studentium, electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem; circa Studentium instructionem, eruditionem, ædificationem, ac correctionem; victûs vestitusq; eis administrandi modum; atq; etiam omnimodam gubernationem, regimen, & curam. Sic tamen, ut neq; Studentes dictis bonis abuti, neq; Societas in proprios usus convertere possit; sed Studentium necessitati subvenire. Qui quidem, post cognitum in spiritu & literis eorum profectum, & post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possunt.

NB. Istud verò Jesuitæ hodie perjuriosè nusquam observant.

Socii omnes, quicunq; in sacris fuerint, quámvis beneficia ecclesiastica, aut eorum reditus, non habeant; teneantur tamen singuli, privatim ac particulariter, & communiter, ad dicendum officium, & secundùm Ecclesiæ ritum.

Hæc sunt, quæ, sub præfati Domini nostri Pauli, & Sedis Apostolicæ beneplacito, de no-

strâ professione, typo quodam, explicare potuimus. Quod nunc fecimus: ut summatim scriptione hac informaremus, tum illos, qui nos de nostro vitæ instituto interrogant; tum etiam posteros nostros, si quos (Deo volente) imitatores unquam habebimus hujus vitæ. Quam cùm multas magnasq; habere difficultates fuerimus experti: opportunum judicavimus, etiam statuere, ne quis in hac Societate recipiatur, nisi diu ac diligentissimè fuerit probatus: & cùm prudens in Christo, & vel doctrinâ, seu vitæ Christianæ puritate, apparuerit conspicuus; tunc demùm admittatur ad Jesu Christi militiam: qui tenuibus cœptis nostris favere dignetur, ad gloriam Dei Patris; cui soli semper decus & honor in secula. Amen.

Hanc formulam, ceu pium, sanctum, ac spiritualem profectum, apostolicâ authoritate, ex certâ scientiâ approbavit, confirmavit, & benedixit, ac perpetuæ firmitatis munimine roboravit, ac sub sanctæ Sedis apostolicæ protectione suscepit, Paulus III. Anno Domini 1540. V. Calend. Octob. Pontificatûs sui anno 6.

DE CONFIRMATIONE ET PRIVILEGIIS ORDINIS JESUITICI, A' PONTIFICIBUS ROMANIS IMPETRATIS.

Caput VI.

Ignatius cũ Sociis Româ Venetias redit.

IGNATIUS Lojola cum Sociis suis, (ut suprà Capite I. indicavimus) datâ Romæ licentiâ à Papâ, proficiscendi in Syriam & Hierosolymam, Venetias rediêre: ibiq; cognito, ob pacem inter Turcas & Venetos per id tempus ruptam, nulli tutò Hierosolymam navigare licere; mutatâ sententiâ, septem ex illis sacris initiari, & ad sacerdotium promoveri, voluerunt. Cùm verò ecclesiasticâ lege, ex Pauli III. institutione, caveretur; ne quis sacris initietur, qui aut hæreditariis, aut ecclesiasticis bonis, unde honestè vivere posset, caruerit: hi contrà novi Apostoli, amplissimam sibi hæreditatem esse Deum ipsum, lautissimumque patrimonium, nudos nudum Christum sequi, affirmârunt; pro quo egere, extremamque penuriam pati, maximas opes ducerent. Quod copiosissimum esse, & Sacerdote Christiano dignissimum patrimonium, cùm judicaret Verallus, Archiepiscopus Rosanensis; (qui, per id temporis, Venetiis Apostolicæ sedis Legatus fuit, postea Cardinalis factus) perpetuam spontaneamque paupertatem Deo, ante ejus pedes, promiserunt: illoque patrimonio constituto, ex illis septem sunt sacerdotio inaugurati: facultas quoque illis data est; ut secretas atque occultas peccatorum confessiones liberè & ubique audire possent.

Ex illis septẽ Sacerdotes ordinantur.

In Italiâ prædicare incipiunt.

Romam redeunt.

Ab eo tempore, cœperunt, per urbes Venetæ ditionis, in Italiâ prædicare: donec postea simul omnes iterum se Romam contulerunt, anno Christi 1538. Ubi Romam venissent; gravissimis molestiis à Clero Romano exagitati sunt. In-primis autem Augustiniani Eremitani, Ignatio & Sociis ejus restiterunt. Metuebant enim Sacerdotes & Monachi, ne sua bona & monasteria ab his Sociis, si numero crevissent, aliquando occuparentur. Multi etiam Cardina-

dinalium ac Episcoporum, tùm temporis Lojolæ vehementer resistebant; maximè verò Bartholomæus Guidiccionus Cardinalis: cui, cum aliis duobus, Regulam Ignatii examinandam cùm tradidisset Paulus III. Regulæ confirmationem illi dissuaserunt vehementer; ac pristinas Religiones potiùs reformandas, quàm novas instituendas, judicârunt. Ægrè etiam tulit Pontifex ipse; quòd majorem in Regulâ promitterent Generali suo Jesuitæ, quàm sibi, obedientiam.

Sed horum prudentia, Ignatii astutiâ opprimebatur. nam is, mutato hoc capite Regulæ, Papæ eandem potestatem, quam Generali Ordinis, concessit ac tribuit: nimirum, ut summo Pontifici ad nutum præstò forent Socii; & omninò ad eam normam vitam dirigerent suam, quæ à se esset constituta: simul etiam promiserunt Pontifici, diligentem institutionem puerorum. Quod quidem Papa, Tibure tunc commorans, libentissimè audivit, & Societatem approbavit, 5. Non. Octob. Anno 1540. Atque ità, præter omnium opinionem, hæc nova Pharisæorum & hypocritarum Societas, in tutelam & patrocinium Romani Pontificis suscepta, & multis paulatim legibus, ac privilegiis 37. præ cæteris Monachorum Ordinibus, munita & confirmata est. Ordo Jesuitarũ approbatur à Papâ.

Nam Paulus III. Rom. Pontifex, in primâ Bullâ, Jesuitis potestatem concessit. I. Pro libitu & arbitrio, in suæ Societatis usum & incrementum, Regulas & Constitutiones tot, quotquot vellent, condere: quarum tamen omnium scopus & finis sit, confirmatio Pontificiæ sedis, ac Jesuiticæ Societatis ampliatio. Privilegia, à Paulo III. Jesuitis data.

II. Ignatio tribuit facultatem, *recipiendi 60. Socios.* Paulò pòst tamen Pontifex, (qui Sociorum istorum operam sibi utilem experiretur) definitum hunc numerum in indefinitum auxit: ità ut nunc Jesuitarum Generali liceat, tot suscipere Socios; quot idoneos nancisci potest.

III. Omnibus anathemata & maledictionem minatur Papa, qui hanc Societatem juvare renuant, vel impedire conentur.

In secundâ Bullâ, Anno 1543. his Sociis egregia tribuit encomia; quibus illorum officium depingit. Primò enim affirmat, *quòd per eos religionis succrescat incrementum.* Secundò, *tribuit illis fidei orthodoxæ dilatationem.* Tertiò, *divini nominis laudem: quòd sint in Theologiâ exercitati; Lutetiæ Parisiorum graduati; & à Spiritu sancto afflati.* Quartò, *quòd animarum sint zelantes.* Jesuiticæ Societatis encomia.

In tertiâ Bullâ, eodem anno 1543. pridiè Idus Martias datâ, numerum sexaginta Sociorum abrogavit; liberumque Ignatio & successoribus reliquit, *quemlibet petentem in Societatem recipere.* Concessit insuper illis facultatem, *ubiq; locorum pro lubitu concionandi; quorumcunq; utriusque sexûs, ad eos undecunque accedentium, confessiones audiendi; & confessionibus eorum diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcunq; gravibus & enormibus, etiam Sedi apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex iis casibus resultantibus sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, (exceptis in Bullâ contentis, quæ in die Cœnæ dominicæ solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœni-* Jesuitis licẽtia fit, ordinẽ suum augendi: concionandi, Confessiones audiendi, & absolvendi.

Vota & rit' ecclesiasticos pro tēpore observandi: Assistentes ex Cardinalibus assumendi: *tentiam injungendi.* Concessit etiam potestatem, *vota, peregrinationes, &c. pro tempore commutandi: Missam ante diei exortum, & post meridiem, celebrandi: Eucharistica Sacramenta administrandi: Officium Romanum novum, non ex præcepto, sed ex libertate, dicendi.* Itèm, *ut Assistentes sint & Cardinales, qui resistentes Jesuitis compescant, & rebelles in eos tollant.*

Coadjutores, etiam seculares, in Ordinē suum recipiendi. In quartâ Bullâ, anno 1546. ad instantiam Jesuitarum, potestatem illis fecit, *ut Socios suos in certas distinguant species: admittant scilicet & suscipiant Coadjutores, spirituales & temporales, Sacerdotes, & Seculares.* Horum officium est, in omnibus, ad nutum tamen Rectoris, Societatem adjuvare. Et hi sunt reliquorum ministri & servi: quales sunt ementes-vendentes, coqui, sutores, sartores, pistores, cellarii, &c. Hi, quòd tantùm circa res occupentur externas, nec ut reliqui missificent, vel horas canonicas celebrent, *Temporales* vocantur, vel *Seculares.* Reliquos verò, qui Missas peragunt, vocant *Patres spirituales.* Ne autem seculares hi Coadjutores putent, se non tot habere merita, quot consequuntur illi, qui etiam Professionis summæ votum, quo se-se corporibus & animabus Papæ in mancipia tradunt, susceperunt: ideò facit Papa cæteris Patribus potestatem, etiam *hos Coadjutores ad sacros ordines promovendi, & participes reddendi meritorum, quibus gaudent Jesuitæ Professi*; illi nempe, qui peculiari voto se Papæ devoverunt.

Jesuitarum laudes repetitæ. In quintâ Bullâ, Cal. Novemb. Anno 1549. Jesuitas mirificè commendat Papa Paulus III. nempe, *quòd sint ager fertilis in Domino; quòd uberes animarum fructus pariant; quòd verbo & exemplis prosint; quòd sint pii Patres, & oculi mentis Papæ.* Vult etiam, *Generalem ipsorum, plenariam & omnimodam, eamq; liberam potestatem habere, omnes Jesuitas, secundùm suas institutiones gubernandi: nec sit ille ulli Cardinalium vel Episcoporum; verùm soli & uni Pontifici, subjectus: cum quo etiam solo, res Societatis, & Sedis apostolicæ conservandæ, consilia & rationes tractet.* Ne autem Generalis ille Pontificatum fortè affectet, vel quid cum suis, vel aliis, contra Ecclesiæ Rom. authoritatem præsumat: concedit Sociis, has & alias ob causas, *Generalem suum (qui aliâs, dum per suos primatum Papæ tuetur, perpetuus esse debet) amovendi; aliumq;, secundùm suas regulas, substituendi. Sin autem Papæ tantùm primatum, Apostolicæ Sedis authoritatem, & Societatis suæ dignitatem, quærat: posse illum, etiam inconsulto Papâ,* suos, *quòcunq; velit, emittere, & revocare; nullâ temporis limitatione adhibitâ.* Hinc est crebra illa Jesuitarum mutatio.

Generalis Jesuitici potestas & libertas.

Concedit præterea Generali, *quòd possit absolvere omnes Hæreticos confitentes; cum irregularibus dispensare: absolutos, nisi Societatem ingredi, vel vota emittere velint, retrahere; cogere suos, ut vel ipsi, vel ei quem ordinaverit, confiteantur: suos devotorios nullum, nisi Carthusiensem ordinem, ingredi posse.* Generali datur etiam potestas, *Jesuitas, alium Ordinem sinè veniâ ingressos, maximè apostatas* (ut loquuntur) *factos, aut in Societate insolentes, vel contradicentes, vel illorum Regulas in apertum producentes, vel illorum vota revelantes, in quocunq; habitu contigerit inveniri, excommunicare; & si opus sit, auxilio brachii secularis invocato, liberè & licitè invadere, captivos ducere, & pro arbitrio tractare.*

Dein-

Deindè, Jesuitarum etiam maximas opes vult esse omninò liberas: Socios vult esse nulli tributarios; nullius exactioni, vectigali, censui, vel usuris subjectos, unà cum totâ Societate. Sic enim verba Bullæ habent: *Ipsa verò Societas, & illorum bona, ab omni superioritate, jurisdictione, & correctione omnium, sunt exemta, liberata, & sub protectione Papæ.* Tribuit etiam eis *Oratoria, & usum Altaris portabilis.* Dum enim per Christianorum loca exploratores & proditores agunt; neq; ubiq; altaria consecrata, in quibus Missam celebrent, habere possunt: secum altare, vel mappulam in illum usum deputatam, portant.

Jesuiticorũ bonorum immunitas.

Oratoria & altaria portabilia.

Adhæc, non solùm Jesuitas, aut illorum bona; sed etiam ipsorum Regulas, ab omnium Prælatorum censurâ exemtas esse, vult. Sic enim habent verba Bullæ: *Nulli Prælatorum, excepto Papâ, licere, vel concessum esse, Constitutiones Jesuitarum sub censuram sumere: aut sumentem nihil efficere, illiusq; conatum nullius esse roboris.* Mandat etiam aliis hominibus, ut Jesuitas, illorumque substantias, defendant. Permittit etiam in hac Bullâ, *ut, quicunq; velint, neglecto suo Parocho, Jesuitarum Missas audire, & ab ipsis Sacramentum percipere; id impunè facere possint.* Concedit itèm, *ut tot Sacerdotes curent ab Episcopis Romanis radi, chrismari, ungi & consecrari, quot voluerint.* Permittit etiam, *ut ad Hæreticos ire, & in illorum regionibus liberè commorari, cumq; iisdem versari possint; de licentiâ tamen Generalis vel Præpositi: à quibus, in iis locis, necessaria petunt & recipiunt.* Hinc Jesuitarum multi, nunc habitu Studiosorum, nunc Nobilium, modò alio atque alio, circumvagantur: qui etiam se mirificè apud homines insinuare noverunt. indeque fit, ut sæpè Principum, Theologorum, Ecclesiarum, Scholarum, & Rerumpubl. res & statum meliùs, quàm illi ipsi, norint. Et has suas proditorias artes, deprehensi, hoc sophismate excusant; quòd Papa id mandârit ac jusserit. Ne autem, in his expediendis, aliis fortè negotiis impediantur: ideò vult, *ut ab omni visitatione & curâ Monialium, vel aliarum religiosarum personarum, liberi & immunes sint.* Ab omni contributione itèm Jesuitarum bona eximit. *Non tenentur Jesuitæ,* inquit Bulla, *solvere decimam bonorum, vel aliam dare contributionem, seu procurationem; nec Papalem, nec Canonicalem portionem.* Etiamsi priùs fuerint illa bona sub censu: nisi sit illud specificè & expressè in literis Apostolicis. *Ab omni quoq; Episcoporum jure, interpellatione, & impedimento. Imò Episcopis mandat, ut illorum domos & templa consecrent: impedientes verò illorum vel Scholas, vel templa, reprehendit; & desistere-nolentes excommunicat; illorumq; bona Jesuitis tribuit.*

Nullius alterius Prælati censuræ subjecti sunt Jesuitæ.

Liberè hinc inde vagari possunt.

A' monialium & aliarum religiosarum cõmercio abstinere debent.

A' decimis & censibus aliis liberi sunt.

Ne quoque desint homines, qui Jesuitas in Papatu fulciendo adjuvent: *dat illis facultatem, quoscunque volunt, irregulares etiam & seculares, recipere, & ad sua ministeria promovere.* Hinc dixit Lanspergensium Jesuitarum Rector: *Sunt in Romanâ Ecclesiâ ordines, quorum aliqui non nisi doctos; alii non nisi nobiles; alii non nisi ex legitimo conjugio natos, recipiunt. at nobis authoritate Pontificia permissum est, bonos & malos, fures & latrones, & quoscunq; volumus, recipere: modò se Papæ & nobis subjiciant; nosq; secundùm Societatis institutum juvent.* Ut etiam Jesuitarum ædes, collegia, templa, & scholæ, frequententur, & pro sacrosanctis colantur, homi-

Omnis generis homines ad se admittunt.

nesque in illis offerant; addit Bulla: *Eum, qui Jesuitarum Ecclesiam aliquam, vel alium pium eorum locum, à Præposito signatum, semel in anno visitaverit, indulgentiam plenariam omnium peccatorum consequi.*

Facere possunt, quæ Papa sibi-ipsi reservavit.

Tandem in hac Bullâ datur illis *potestas absolvendi, etiam ab iis, quæ Papa sibi in Bullâ Cœnæ reservavit; & omnia, quæ sunt Episcoporum, peragere*: qualia sunt, ordinare, ungere, chrismare, adjurare, exorcizare, confirmare, reformare, indulgentias distribuere, divortia facere, cũ consanguineis dispensare, templa consecrare, campanas baptizare, statuta nova facere; & similia, quæ in Papatu Episcoporum sunt propria. Vult etiam, *ne quis his Jesuitarum ausis se opponat, aut super ea appellet.* Præcipit quoque, *Principes, Prælatos, & alios in regno suo potentes, jurare; ne quis Jesuiticam Societatem inquietet, vel privilegiis spoliet, vel impediat: inobedientes anathemate ferit; & secularis brachii gladio punire jubet.*

A' nemine impediri debent.

Hanc Bullã Jesuitæ *Mare magnum* vocant: quòd in eâ omnis generis privilegia ipsis, non aliter, quàm in Oceano navibus onerariis merces, advehantur.

Quòd-si verò cuipiam minùs cognitum foret, quàm Papa iste Paulus III. (Alexander Farnesius priùs dictus) indè à puero, profanus & impurus homo, adeoque incestuosus & veneficus, fuerit; ei mirum fortean videri posset, cur novo hoc Jesuitarum ordine tantoperè delectatus esset: ut illum non primus modò confirmârit; sed etiam subindè, in tot Bullis, tantis tamque multis privilegiis donârit? Verùm etiam hîc Proverbio locus factus est; *similes similibus gaudere*: &. *similes habere labra lactucas.*

Privilegia, à Julio III. Jesuitis data.

Julius III. (Pauli istius, tàm in officio, quàm virtutibus, successor; quique, juxta blasphemum ipsius dicterium, omnia in despectum Dei faciebat) ad instantiam Jesuitarum, præcedentis Bullæ privilegia omnia confirmavit: & addidit insuper; *omnes Episcopi curent, ut priora perpetuæ sint facultatis, eaq; inviolabiliter observent: nisi in omnipotentis Dei iram incurrere velint.* Actum 12. Calendas Aug. anno 1550.

Episcopi Jesuitarum curatores esse cogũtur.

Jesuitæ ubivis Collegia ædificare;

Cumque in Bullâ anni 1540. à Paulo III. prohibitum esset; ne aliis in locis ullis Collegia erigerent Jesuitæ, quàm apud approbatas Universitates: Julius in hac Bullâ concessit eis, *ut, ubicunq; vellent, Collegia ædificarent, & instituerent.* Idem etiam, 22. die Octobris, Anno 1552. nova illis, præter superiora, tribuit privilegia: videlicet, *licere Professis, circa jejunia & cibos prohibitos, dispensare; Hæreticos absolvere; Horas vel officium Missæ postponere; intra Domorum & Collegiorum suorum privatos parietes, suos, ad quoscunq; volunt gradus, promovere.* Præcipitque, *ut tales graduati, qualificati & formati, quasi in publico id factum esset, in honore habeantur: omnibusq; illis privilegiis fruantur, quæ habent ii, qui legitimè promoti sunt.*

& in illis licitè promovere possunt.

Privilegia, quæ Pius 4. Jesuitis dedit.

Pius IV. Aprilis 13. Anno 1561. concedit Jesuitis *potestatem ædificandi Collegia, ubicunq; velint.* Et mandat, ut, in hujusmodi conatibus, Parochi omnes, Antistites, & Episcopi, Jesuitas adjuvent; inobedientes autem coërceant.

Jesuitæ ab omnibus oneribus, ecclesiasti-

Augusti 19. die, eodem anno, Jesuitas *ab omnibus oneribus & gravaminibus, tùm Ecclesiæ, tùm Reipublicæ, eximit.* Nam præcipit primò, *ut & ipsi, & Collegia, & bona*

na ipsorum, in perpetuâ libertate, sinè ullo juramento, (excepto, quo Papæ devincti sunt) sinè omni usurâ, fœnore, censurâ, decimis, & exactionibus, liberi relinquantur: tàm iis, quæ jam possident; quàm quæ in illorum usum futuris temporibus ventura sunt: tàm in Domibus & Collegiis, quàm in Civitatibus, & Universitatibus. Nullum tributum, nullum censum, nullas decimas, de Domibus, Collegiis, & feudis, solvant: sed sua ab omni solutione exemta & libera possideant. Secundò, *non vult, ut Jesuitæ, sicut reliqui Monachi, intra latibula sua se contineant; sed liberè ad omnes exeant: Præceptores & Professores agant: & ubiq; etiam, ubicunq; sperant se commoditatem habituros, homines ad Ecclesiam Romanam adducendi, Collegia & Scholas erigant. Contradicentes vult graviter puniri.* Tertiò, *tribuit illis facultatem, ad gradus promovendi eos, præsertim pauperiores; quos publici Academiarum Professores admittere & promovere noluerint: vel etiam ditiores, quos interdum non eruditio, sed vita minùs probata excludit: ità tamen, ut sumtus cedant in usum Doctorum publicorum, vel juribus Universitatum. Et tali ratione promotos, iisdem privilegiis gaudere vult; quibus fruuntur, qui publicè sunt promoti.* cis & civilibus, liberi sunt.

Pius V. cùm ex Jesuitarum relatione intelligeret, nonnullos, cognitâ hac novâ Sodalitate, studiisque perspectis, pœnitentiâ ductos, Societatem hanc reliquisse, & vitam politicam sectari: ut his metum incuteret, & reliquos intra Societatis limites coarctaret; decrevit anno 1565. VI. Cal. Februarii, ut *egredientes ex Societate, licentiâ Generalis vel Papæ, si alium Ordinem ingredi velint, in nullum alium, quàm in Carthusianorum, recipiantur. Egredientes verò sinè permissu Papæ vel Generalis, si in Romanâ Ecclesiâ permaneant, excommunicentur: si transeant ad Ecclesiæ Romanæ hostes; quibuscunq; possunt artibus & insidiis capiantur, incarcerentur, & secundùm jus Pontificium cum ipsis procedatur:* h. e. ut vel ad vomitum redeant; vel comburantur. Privilegia, à Pio V. Jesuitis data. Ex Jesuitis Carthusiani fieri possunt. Pœna desertorum ordinis Jesuitici.

Anno 1568. III. Calend. Septembr. idem Papa, omnia priora Jesuitarum privilegia repetendo confirmat; omnes eorum Constitutiones probat; contractus concedit; & ab aliorum capitulis, pœnâ & censurâ, immunes reddit.

Die 10. Martii, Anno 1571. aliâ Bullâ, concedit Jesuitis *facultatem liberè & publicè legendi, docendiq; Linguas, Artes liberales, Philosophiam ac Theologiam; etiam ubi Universitates sunt.* Permittit etiam Studiosis quibusque, *ut ejusmodi Professores adventitios audiant, reclamantibus Ordinariis: qui etiam Discipulos Jesuitarum non minùs, quàm si in Universitatibus studuissent, ad gradus Baccalaureatûs, Licentiaturæ, & Doctoratûs, admittere coguntur.* Et ne Universitatum Rectores, pro jure suorum privilegiorum, in Jesuitas, & illorum discipulos, procedant, & ceu illegitimos arceant: *vult eos òmnes excommunicari, qui vel impedire, vel molestare illos præsumunt.* Jesuitæ in Universitatibus liberè profiteri possunt.

Paulò pòst, die 7. Julii, concedit illis *omnia privilegia, Ordinibus mendicantibus priùs concessa.* Alii namque Monachi, peregrinantes Jesuitas hospitio excipere nolebant, illisque occurrentibus dicebant: *Nobis estis ditiores: Collegia habetis & ædes: ad eas divertite.* At Jesuitæ impetrârunt à Pio V. ut alii Monachi ipsos, diversari & pernoctare in suis cœnobiis petentes, recipere cogantur. Etiã Mendicantium privilegiis gaudent.

Gregorius XIII. sub initium Pontificatûs sui, Jesuitis dedit *facultatem, Con-* Gregorii XIII. pri-

vilegia Jesuitis data.

Jesuitæ sub Ecclesiasticorum & Politicorũ tutelâ latẽt:

servatores, Judices & Advocatos, assumendi, in quibusvis causis. Illos autem juvare renuentes, excommunicari jubet: *sic, ut & sub Ecclesiæ Romanæ custodiâ, & Politicorum tutelâ, liberè, absq; omni impedimento, res Papæ exsequi poßint.* Vult etiam, *ut Archiepiscopi, & reliqui Clerici, Jesuitas laborantes vel periclitantes, cùm potentiâ, tùm opibus, juvent: neq; permittant, ut Jesuitæ vel impediantur, vel molestentur, vel expellantur, vel bonis suis cedere cogantur.*

Horas suas canonicas etiam extra templa recitant:

Idem Papa, Anno 1573. prid. Calend. Mart. concedit Jesuitis, præ Clericis reliquis; *ut suas horas canonicas extra chorum, & ubi voluerint, recitare poßint.* Permittit etiam illis, ut, *quandocunq; voluerint, vel ante, vel post vota suscepta, Sacerdotales ordines suscipiant; modò sint idonei.*

Sacerdotes fiunt, quando volunt:

Libros adversarios prohibent, adulterant, cremant.

Anno 1575. Januarii 8. die, prorsus novum illis concedit privilegium: quo *eos Bibliothecarios Pontificios creat; varias facultates illis tribuens, circa librorum prohibitorum lectionem, emendationem, mutationem, interpretationem, abolitionem, expunctionem, & concremationem.* Hinc fit, quòd Jesuitæ, terras mariaque peragrantes, & Bibliothecas perlustrantes, non Hæreticorum solùm, (quos ipsi vocant) sed etiam Patrum & Historicorum, cùm veterum, cùm recentiorum, scripta, eis repugnantia, interpolant; voces, sentẽtias, quin paginas integras, addunt, assuunt, detrahunt, mutant, mutilant, corrumpunt, & ad Pontificium sensum interpretantur ac detorquent: adeoque ne sacris quidem Bibliis parcunt; sed, ubi illa apud Laicos deprehenduntur, auferunt, & Vulcano tradunt. Atque hoc illi *Libros repurgare* vocant: non experientiâ modò passim adhuc; sed & Indicibus illorum expurgatoriis, palàm id contestantibus.

Medicos etiam, Chirurgos, & Apothecarios agunt.

Anno 1576. die 16. Februarii, concedit Gregorius Papa Jesuitis *etiam medendi facultatem: quâ liceat ipsis inter se, Apothecarios, Medicos, & (ustione exceptâ) Chirurgos agere; nemine aliorum, vel Medicorum, vel Chirurgorum, eos impediente.*

Processionibus cum aliis Monachis interesse nõ tenentur.

Eodem anno, Julii die 16. eximit illos hic ipse Papa, *neceßitate intereßendi publicis precibus, proceßionibus, & funeratis aßociationibus, ad instar aliorum Religiosorũ:* procul dubio, ne, ob nuperum suum ortum, in illis postremi esse, & alios Monachos insequi cogantur. Ideoque procesſiones & circuitiones suas pro se soli exercent.

Cur Papa Jesuitas tantoperè exaltârit.

Hæc verò exposita, & alia similia privilegia, Jesuitis à dictis Pontificibus Romanis data, & à sequentibus præterea impetrata, nihil aliud sunt; quàm exaltatio Jesuiticæ sectæ, supra omnes alios Ecclesiasticorum & Monachorum ordines, & quidlibet audendi potestas: idq; propter fidam operam, quam Societas ista, præ aliis, nutanti jam sedi pontificiæ sustentandæ, præstiterunt. Unde Gregorius XIII. Papa, Jesuitarum Annales legens, ac opera considerans, quæ hinc-indè Jesuitarum artibus efficiuntur, dixisse fertur: *Tot sunt mihi millia Clericorum; sed soli Jesuitæ omnes superant, in stabiliendo regno nostro. Digni ergo sunt, qui præ cæteris etiam foveantur.* Vicissim etiam Jesuitæ, ut his privilegiis à Pontificibus Romanis ornati, & ad summum authoritatis gradum in Ecclesiâ Romanâ, adeoque (contra proprias Regulas ac Vota sua) ad Cardinalitiam dignitatem, evecti, gratos se-se aliquo modo præbeant; ipsi Pontificibus se-se

in

in omnibus subjiciunt; ab eorum nutu pendent; omnia ipsorum dicta & facta pro oraculis habent; eosque tantùm non pro Deo colunt ac venerantur. Hinc Jesuita Andreas Romæ dixit: *Impossibile est, eos à Deo in cœlis non diligi, quos summus ejus in terris Vicarius, Pontifex Romanus, diligit; per quem, quasi scalâ quâdam, ad cœlorum gaudia ascenditur. Quamobrem, dilecti fratres,* (ajebat Jesuita Petrus Lanspergæ) *Pontificis amorem, Parentum, Amicorum, Opum & Patriæ dilectioni, præferatis. Hoc enim facientes, & hujus vitæ præmia, & æternæ lætitiæ gloriam, consequemini.* Et Jesuita Gregorius Augustæ dicebat: *Quamdiu inter Societatem nostram, & Pontificem Romanum, pax atq; concordia fuerit conservata, tamdiu cathedra Petri, & sedes apostolica, erecta; nostræ verò sodalitates salvæ, manebunt. Dissensione autem obortâ, utraq; concident; nosq; omnes toti Mundo ludibrio futuri sumus. Agnoscamus ergo, filii, Pontificem Romanum patrem; & huic soli in omnibus, quæ vult, obediamus. Ejus enim est, nobis imperare, & facienda præscribere: nostrum verò est, non petitâ ratione, absq; ullâ tergiversatione, ut filios obedientes & Papæ dilectos docet, obedire.* Jesuitarum gratitudo mutua erga Papam.

CATALOGUS OMNIUM PROVINCIARUM MUNDI, IN QUIBUS JESUITÆ HABITANT; ITEM COLLEGIORUM AC DOMORUM, QUÆ IN QUAQUE PROVINCIA SUNT.

CAPUT VII.

ANNO 1608. Jesuita Petrus Ribadeneira primum; deinde verò etiam anno 1620. Aubertus Miræus Bruxellensis, iteratum catalogum in lucem edidit, Regnorum, Provinciarum, & Urbium, in quibus habitant ac dominantur Jesuitæ; Collegiorum itèm ac Domorum, quæ in unâ-quâque Provinciâ sunt: ex quo colligere est, quanta incrementa jam-tùm, spatio 80. annorum, Jesuiticus ordo ceperit; præter accessionem, hisce sequentibus annis, interim ab istis Mundi prædonibus factam. Unde non mirum accidit, totum propè jam Orbem, ipso sibi non conscio, (id quod, ante 1300. annos, cum Arianâ hæresi quoque factum est) fusione Jesuiticâ novam formam accepisse; adeoque Magistratus ipsos politicos Jesuitas effectos esse. Catalogus autem ille sic habet.

IN ITALIA, PROVINCIÆ QUINQUE SUNT.

I. PROVINCIA ROMANA.

Romæ, { Domus Professa. / Collegium Romanum. / Domus Probationis. / Collegium Pœnitentiariæ. / Collegium Germanicum. }

Romæ, { Collegium Anglicanum. / Seminarium Romanum. / Collegium Maronitarum. / Collegium Scotorum. }
Residentia Tusculana.

Collegium: Tiburtinum. Lauretanum. Perusinum. Florentinum. Senense. Maceratense. Recinetense. Setinum. Anconitanum. Montis Sancti. Montis Politiani. Firmanum. Soranum. Asculanum. Tifernatense.

Sunt in hac Provinciâ Socii 747.

2. PROVINCIA SICULA.

Panormi: Domus Professa. Collegiũ Panormitanũ. Domus Probationis.

Messanæ: Domus Professa. Collegium Messanense. Domus Probationis.

Collegium: Syracusanum. Catanense. Montis Regalis. Caltajeronense. Rheginum. Drepanitanum. Minæense. Marsalenense. Calataneſſettense. Melitense. Platiense. Netinum. Saccense. Bivonense.

Residentia Chia.

Sunt in hac Provinciâ Socii 638.

3. PROVINCIA NEAPOLITANA.

Neapoli: Domus Professa. Collegium Neapolitanũ. Domus Probationis.

Collegium: Catacense. Nolanum. Aletinum. Bariense. Salernitanum. Consentinum. Barolitanum. Teatinum. Aquilanum. Beneventanum. Bovinense. Tropeense. Massense. Stabiense. Capuanum. Molfettanum. Monopolitanum.

Domus Probationis Adriensis.

Residentia: Tarentina. Paulæ.

Sunt in hac Provinciâ Socii 594.

4. PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

Mediolani: Domus Professa. Collegium Breidanum.

Genuæ: Domus Professa. Collegium Genuense. Domus Probationis.

Collegium: Taurinense. Comense. Vercellense. Montis regalis. Cremonense.

Bastien-

Collegium Baſtienſe.
Collegium Nicienſe.
Collegium Alexandrinum.

Domus Probationis Aronenſis.

Reſidentia Papienſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 411.

5. PROVINCIA VENETA.

Domus Profeſſa Veneta.

Collegium:
- Patavinum.
- Ferrarienſe.
- Bononienſe.
- Brixienſe.
- Forolivienſe.
- Mutinenſe.
- Parmenſe.
- Nobil. Parnienſ.
- Placentinum.
- Veronenſe.
- Mantuanum.
- Mirandolanum.
- Regienſe.
- Faventinum.
- Caſtilionenſe.

Domus Probationis:
- Novellariæ.
- Imolæ.
- Buxetana.

Reſidentia:
- Cretenſis.
- Vicentina.

Sunt in hac Provinciâ Socii 373.

IN HISPANIA, PROVINCIÆ QUINQUE.

1. IN LUSITANIA, PROVINCIA UNA.

Oliſipone,
- Domus Profeſſa.
- Collegium S. Antonii.
- Domus Probationis.

Collegium:
- Conimbricenſe.
- Eborenſe.
- Portuenſe.
- Bracarenſe.
- Brigantinum.
- Pharenſe.
- Portalegrenſe.
- Funchalenſe.
- Angrenſe.
- S. Michaëlis.

Domus Profeſſa Villavicoſæ.

Reſidentia:
- S. Felicis.
- Canalenſis.

Domus in regno Angolæ.

Reſidentia in Inſulis Heſperidum.

Sunt in hac Provinciâ Socii 680.

2. PROVINCIA TOLETANA.

Toleti,
- Domus Profeſſa.
- Collegium Toletanum.

Madriti,
- Collegium Madritanum.
- Domus Probationis.

Collegium:
- Complutenſe.
- Ocanienſe.
- Placentinum.
- Conchenſe.
- Belmontenſe.
- Murcianum.
- Caravacenſe.

Seguritanum.
Huetenſe.
Talabricenſe.
Oropeſanum.
Almagrenſe.
S.Clementis.
Almonozilenſe.

Domus Probationis Villaregienſis.

Reſidentia { Navalcarnenſis. Jeſu Montani.

Sunt in hac Provinciâ Socii 570.

3. PROVINCIA CASTELLANA.

Vallisoleti, { Domus Profeſſa. Collegium { Valliſolitanum. Anglicanum.

Collegium { Salmanticenſe. Hibernorum Salmant. Burgenſe. Metinenſe. Segobienſe. Abulenſe. Palentinum. Compoſtellanum. Hibernorũ Cópoſtell. Pampilonenſe. Legionenſe. Lucronienſe. Ovetenſe. Numantinum. Santanderenſe. Montis regalis. Montfortenſe. Arevalenſe. Vergarenſe. Tudelanum. Bilbaenſe. Bellimarenſe. Villa-Francenſe Gall.

Domus Probationis Villagarcienſis.
Reſidentia Azcoitana.

Sunt in hac Provinciâ Socii 613.

4. PROVINCIA ARAGONENSIS.

Valentiæ, { Domus Profeſſa. Collegium Valentinum.

Collegium { Barcinonenſe. Cæſaraugustanum. Majoricenſe. Gerundenſe. Gandienſe. Bilbilitanum. Turiaſonenſe. Urgellenſe. Oſcanum. Ilerdenſe. Perpinianenſe.

Domus Probationis Tarraconenſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 399.

5. PROVINCIA BÆTICA.

Hiſpali, { Domus Profeſſa. Collegium Hiſpalenſe. Domus Probationis.

Anglicanum.
Stud.Rep.
Triguerenſe.

Colle-

Collegium
- Gaditanum.
- Marcenenſe.
- Cordubenſe.
- Granatenſe.
- Vaëzanum.
- Malacenſe.
- Xerenſe.
- Cazorlanum.
- Ubedanum.
- Aſtigitanum.
- Guadixenſe.
- Fregenalenſe.
- Montellanum.
- Antiqueranum.
- Oſſunenſe.
- Andaxarenſe.

Reſidentia Giennenſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 600.

IN INDIA ORIENTALI, PROVINCIÆ DUÆ.

1. PROVINCIA GOANA.

Goæ,
- Domus Profeſſa.
- Collegium Goanum.
- Domus Probationis.

Collegium
- Salſetanum, cum XI. Reſidentiis.
- Bazainenſe.
- Tanaenſe, cum V. Reſidentiis.
- Damanenſe.
- Chaulenſe.
- Dienſe.
- Mozambiquenſe.

Reſidentia
- Æthiopica.
- Mogorenſis.
- Senenſis.
- Tetenſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 280.

2. PROVINCIA MALABARICA.

Cochini,
- Collegium Cochinenſe, cum V. Reſidentiis.
- Domus Probationis.

Seminarium Vaipicotanum.

Collegium
- Coulanenſe.
- Tutucorinenſe, cum Reſidentiâ.
- Nagapatanum.
- S. Thomæ.
- Peguanum.
- Bengalenſe.
- Malacenſe.
- Columbenſe, cum VII. Reſidentiis.

Reſidentia
- Madurenſis.
- Tennatenſis.
- Molucenſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 150.

IN JAPONIA, PROVINCIA UNA.

Nangaſachii,
- Collegium Nangaſachienſe.
- Domus Probationis.

Collegiũ
- Arimenſe, cũ Seminario.
- Meacenſe.
- Macaenſe.

Reſidentia
- Facatenſis.
- Uracamenſis.
- Tonenſis.
- Fudoyanenſis.
- Iſafayenſis.
- Cocurenſis.

Firoximensis.
Notoviensis.
Xiquensis.
Conzurana.

Ozacensis.
Fuximensis.
Focacunensis.
Xinquensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 130.

IN REGNO SINARUM.

Collegium { Paquinense. Nancianense.

Residentia { Xauchensis. II.

Sunt in hoc Regno Socii 30.

IN BRASILIA, PROVINCIA UNA.

Pernambuci, { Collegiũ Pernambucense. Residẽtia { S.Andreæ. B.Virg.Conc. S.Michaëlis. S.Joan.Bapt. Maranhaẽsis.

Bayæ, { Collegium Bayense. Residentia { S.Spiritus. S.Joannis. S.Antonii. B.Virginis. Domus Ilhæorum.

Fluminis Januarii, { Collegium Fluminis Januarii. Domus Spiritus Sancti. Residentia { S.Barnabæ. S.Ignatii. B.Virginis Assum.

Domus { Piratiningæ. Sanctorum.

Sunt in hac Provinciâ Socii 180.

IN SARDINIA, PROVINCIA UNA.

Sassari, { Domus Professa. Collegium Sassaritanum.
Seminarium S.Antonii.
Domus Probationis.

Calari, { Collegium Calaritanum. Domus Probationis.
Collegium { Ecclesiense. Alguerense.

Sunt in hac Provinciâ Socii 190.

IN

IN INDIA OCCIDENTALI, PROVINCIÆ QUINQUE.

1. PROVINCIA PERUANA.

Limæ,
- Collegium Limense.
- Domus Probationis.
- Seminarium Limense.
- Residentia S.Jacobi.

Collegium
- Cuchense.
- Potosinum.
- Platense.
- Pacense.
- Guamanganum.
- Quitense.

Residentia
- Julensis.
- S.Crucis de la Sierra.
- Orruriensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 370.

2. PROVINCIA PARAQUARIA.

Collegium
- Chilense.
- Assumtionis.
- Cordubense.
- S.Michaëlis Tucum.
- Conceptionis.
- Mendozanum.
- S.Fidei.

Residentia
- S.Jacobi del Estero.
- Boni aëris.

Sunt in hac Provinciâ Socii 116.

3. PROVINCIA GRANATENSIS.

Collegium
- Carthaginense.
- S.Fidei.

Seminarium S.Bartholomæi.

Residentia
- Panamana.
- Caxicana.

Domus Probationis Tungensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 100.

4. PROVINCIA MEXICANA.

Mexici,
- Domus Professa.
- Collegium Mexicanum.

Collegium
- Guazacanum.
- Guadalaxarense.
- Angelop.
- Vallisoletanum.
- Pasquarense.
- Tepozotlanum.
- Guatilamense.
- Zacatequanum.
- Meridanum.

Residentia
- Veræ Crucis.
- Cinaloënsis.
- Guadianæ.

Sunt in hac Provinciâ Socii 340.

5. IN

5. IN INSULIS PHILIPPINIS, PROVINCIA UNA.

Collegium { Manilanum. / Zebuenſe.

Domus Probationis S.Petri.

{ Antipolana. / Taytayenſis.

Reſidentia { Boolana. / Dulacenſis. / Carigarenſis. / Tinagonenſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 100.

IN GALLIA, PROVINCIÆ QUINQUE.

1. PROVINCIA FRANCIÆ.

Pariſiis, { Domus Profeſſa. / Collegium Claramont. / Domus Probationis. / Reſidentia Pontiſarenſis.

Rothomagi, { Collegium Rothomagenſe. / Domus Probationis.

{ Flexienſe. / Bituricenſe.

Collegium { Nivernenſe. / Augenſe. / Redonenſe. / Molinenſe. / Ambianenſe. / Rhemenſe. / Cadomenſe.

Reſidentia Conſtantinop.

Sunt in hac Provinciâ Socii 358.

2. PROVINCIA AQUITANIÆ.

Burdigalæ, { Collegium Burdigalenſe. / Domus Probationis.

Collegium { Aginnenſe. / Petrocoricenſe. / Lemovicenſe. / Pictavienſe. / Xantonenſe. / Redonenſe.

Reſidentia { S.Macarii. / Bearnenſis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 280.

3. PROVINCIA LUGDUNENSIS.

Lugduni, { Collegium Lugdunenſe. / Domus Probationis.

Avenione, { Collegium Avenionēſe. / Domus Probationis.

{ Turnonenſe. / Camberienſe.

Collegium { Dolanum. / Biſuntinum. / Viennenſe. / Ebredunenſe. / Carpentoractenſe. / Roannenſe. / Veſulanum. / Siſteronenſe.

Sunt in hac Provinciâ Socii 470.

4. PROVINCIA TOLOSANA.

Tolosæ, { Collegium Tolosanum. Domus Probationis.

Collegium { Billomense. Mauriacense. Ruthenense. Auscitanum. Aniciense. Biterrense. Cadurcense. Albenacense. Carcassonense.

Sunt in hac Provinciâ Socii 310.

5. PROVINCIA CAMPANIÆ.

Collegium { Mussipontanum. Rhemense. Divionense. Virdunense. Nancejanum. Carolopolitanum. Augustodunense. Cataulanense.

Domus Probationis Nancejana.

Residentia Barrensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 226.

IN GERMANIA, PROVINCIÆ III.

1. PROVINCIA GERMANIÆ SUPERIORIS.

Collegium { Ingolstadiense. Monachiense. Augustanum. Dilinganum. Ratisponense. Oenipontanum. Hallense. Lucernense. Friburgẽse in Nuithonibus. Bruntrutanum. Constantiense. Eystadianum. Ensisheimense. Friburgẽse in Brisgojâ.

Domus Probationis Lanspergensis.

Residentia { Eperspergensis. Biburgensis. Vallesiana.

Domus Oetingana.

Sunt in hac Provinciâ Socii 546.

2. PROVINCIA RHENI.

Collegium Coloniense.

Treviris, { Collegium Trevirense. Domus Probationis.

Collegium { Moguntinum. Spirense. Herbipolense. Fuldense. Heiligenstadiense. Molshemiense. Confluentinum. Paderbornense. Monasteriense. Hildesiense. Embricense. Aquisgranense. Bambergense. Wormatiense. Hagenoënse.

Erfordianum.
Selestadiense.
Novesianum.
Düsseldorpiense.
Osnabrugense.

Residentia: Bonnensis. Aschaffenburgensis. Marchio-Badensis. Heidelbergensis. Salicetiensis. Fritzlariensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 601.

3. PROVINCIA AUSTRIÆ.

Collegium: Viennense. Græcense. Pragense. Olomucense. Crumloviense. Commotoviense. Novodomense. Labacense. Glacense. Clagenfurtense. Zagrabiense. Linciense. Passaviense. Homonense. Tyrnaviense. Crembsense.

Domus Probationis: Brunensis. Leobiensis.

Residentia: S.Bernhardi. Millestadiensis. Eberndorffensis. Plettriensis. Gorisiensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 553.

IN TRANSILVANIA.

Collegium: Claudiopolitanum. Albæ Juliæ.

Sunt in hac Vice-Provinciâ Socii duo.

IN BELGIO, PROVINCIÆ DUÆ.

1. PROVINCIA FLANDRICA.

Antuerpiæ: Domus Professa. Collegiũ Antuerpiense.

Lovanii: Collegium Lovaniense. Collegium Anglorum.

Collegium: Brugense. Bruxellense. Cortracense. Gandense. Iprense. Ruræmundanum. Silvæducense.

Traje-

Trajectense.
Winoci-bergense.

Domus Probationis: Lirana. Mechliniensis.

Residentia: Cassetana. Hollandica.

Sunt in hac Provinciâ Socii 617.

2. PROVINCIA GALLO-BELGICA.

Duaci, Collegium Duacense. Seminarium Scotorum.

Audomari, Collegium Audomarense. Collegium Anglorum.

Tornaci, Collegium Tornacense. Domus Probationis.

Leodii, Collegium Leodiense. Domus Probationis.

Collegium: Insulense. Montense. Valencenense. Atrebatense. Cameracense. Luxenburgense. Namurcense. Dionantense. Hesdiniense. Ariense.

Residentia Watenensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 652.

IN POLONIA, PROVINCIÆ DUÆ.

1. PROVINCIA POLONIÆ.

Cracoviæ, Domus Professa. Domus Probationis.

Collegium: Posnaniense. Calissiense. Lublinense. Jaroslaviense. Leopolitanum. Toruniense. Sendomiriense. Luceoriense. Camenecense.

Residentia: Gedanensis. Præmisliensis. Ravensis. Crosnensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 459.

2. PROVINCIA LITVANIÆ.

Domus Professa Warsaviensis.

Vilnæ, Domus Professa. Collegium Vilnense. Domus Probationis.

Collegium { Brunsbergense. Pultoviense. Niesvisiense. Polocense. Rigense. Derpatense. Orszense. Lumzense. Prozense.

Residentia { Plocensis. Smolensis.

Sunt in hac Provinciâ Socii 336.

Sunt omnes Provinciæ, in universâ Societate, 32. cùm duabus Vice-provinciis.

Domus Professæ, 21.
Collegia, 371.
Domus Probationis separatæ, 43.
Domus & Residentiæ, 103.
Socii denique seu Patres, 13010.

In tantum videlicet numerum, paucis adeò annis, locustæ istæ & vermiculi inguinales excreverunt: ut Claudius Aquaviva, Jesuitarum Generalis, jactârit, plures se, brevioriq́ue spatio, milites in castra cogere posse, quàm quilibet Rex Christianus. Et tempore interdicti Veneti, cùm jam undique certum Papæ immineret periculum, spopondisse idem Pontifici Paulo V. dicitur, quadraginta hominum millia in subsidium: eâ lege tamen, ut, quicunque in prælio obirent, in Martyrum numerum referrentur.

Jesuitæ multa millia militum educere possunt.

Quod autem ad Collegia Jesuitarum attinet; illa Regum ac Principum arces ac palatia, si non superare, certè æquare videntur. Ità Gregorius XIII. Romæ, Jesuitis totam attribuit insulam: in quâ illi domos destruxerunt; viduas ac orphanos expulerunt; (quod etiam in Germaniâ Augustæ, Ingolstadii, & multis aliis in locis, fecerunt) ibiq́ue amplissimum magnificentissimumq́ue Collegium exstruxerunt: ad cujus ædificationem, auri tonnas 25. prædictus Papa donavit; in eoq́ue Collegio 500. Jesuitas, ex omnibus totius Mundi partibus collectos, ali voluit: qui in Pontificiâ idolomaniâ instructi, tandem adversùs Euangelicos in Germaniâ, aliisq́ue Regnis & Provinciis, emitti possent. Nec facilè quis ædificium monstraverit, quod splendidissimo Collegio, à Wilhelmo Bavariæ Duce, in urbe Monachio, pro Jesuitis exstructo, æquiparari queat: cujus apex sumtuosissimis imaginibus, ex ære & marmore, decoratus visitur; intùs verò, auro & argento, ebore, crystallo, & gemmis, sic cuncta radiant: ut omnibus palatiis regiis per Europam jure anteferri debeat. De aliis consimilibus nunc dicendi non est locus.

Collegia Jesuitarũ, sunt palatia Principum;

Ad structuram quod attinet, Collegia Jesuitarum, non tàm domus sunt, pro docentibus & discentibus; quàm arces ac munitiones, pro belli ducibus ac militibus, in opportunissimis celebrium Urbium locis exædificatæ, omniq́; armaturæ genere probè instructæ. Ut non immeritò Jesuita Costerus gloria-

Arces munitæ, & armamentaria;

riatus sit, ac literis ex Belgio Romam missis scripserit: *Quotquot nos* (Jesuitæ) *in Germaniâ Collegia habemus; tot nunc Rex noster* (Hispanus) *inibi Castella habet.* Idemque Petrus Ribadeneira, Jesuita Hispanus, testatur; cùm apertis verbis, *Collegia & Seminaria Jesuitarum*, esse ait *Hæreticorum exitia, & Apostolicæ Sedis propugnacula.* Hinc factum, ut anno 1611. in direptione Pragensis urbis in Bohemiâ, repertæ dicantur, in Jesuitarum Collegio, quingentæ bombardæ, thoraces ferrei pro centenis aliquot militibus, & hastæ, aliaque arma quàm-plurima; tormentarii etiam pulveris magna vis, multaque alia ad militiam promovendam idonea: quo fine ibi reposita, ipse quivis secum sanus reputet.

Denique, pauperibus Jesuitis, Collegia sua, loco magnorum abacorum sunt, & mensarum nummulariarum; è quibus ad vigesies centies aureorum millia quotannis, pro vectigalibus ac reditibus certissimis, citra ullũ versuræ metum, percipere solent: præter illa, quæ indies, cùm ex Magnatum ærariis, tùm ex ipsis etiam Discipulorum suorum bonis, artificiosè sibi acquirunt. Novitios siquidem suos quàm-primùm obligant, ut omnia bona sua temporalia in alios distribuant; ac de his etiam disponant, quæ ipsis obvenire possint: idque juxta propriam devotionem, neglectis parentibus, fratribus, & consanguineis. Quo astu omnia illorum bona ad se rapiunt ac pertrahunt Jesuitæ, & in Collegiis suis retinent atque servant. Abaci & mensæ nummulariæ.

DE ORDINIS JESUITICI PERFECTIONE, ET MYSTERIIS.

CAPUT IIX.

PRO conclusione hujus primæ partis Historiæ, duo Jesuitica scripta huc apponemus: è quibus appareat, quantoperè illi-ipsi Ordinem hunc suum supra alios omnes extollant; quidque privatim ac singulariter in eo fieri & tractari soleat.

Anno 1609. in lucem editum est exemplar literarum Barisonii Jesuitæ, ad Venetum Nobilem adolescentem, qui relictâ Societate hac ad suos redierat, 21. Aprilis, anno 1608. Bononiæ datarum: in quibus Regimen & Respublica Jesuitarum, cum Ordinis illorum excellentiâ & perfectione, exactè depinguntur, & oculis contemplanda subiiciuntur, in hunc modum.

Per-quam illustris, & filii instar dilectissime in Domino. Si pia devotissimi quondam Patris tui anima renuntiaretur, de relictis abs te studiis, & spretâ gubernatione meâ: certè tui instituti rationem, ubicunq; etiam locorum degeret, quàm maximè esset improbatura. Siquidem ultra modum amans te Pater, & salutis tuæ cupidus, cùm neq; meliori præsidio, neq; tutelæ magìs securæ, quàm nostræ, committi te posse intelligeret: ab ipsis mox incunabulis, & vix-dum etiam pedibus rectà incedentem, ad Ecclesiam & Collegium nostrum adduxit; ubi te omnibus Patribus cognoscendum exhibens, singulatim commendavit. Et quia tunc ego, præter reliquos omnes, indolis tuæ vivacitate, & formâ huic conveniente, captus, me illi obtuli; ut tui curam haberem, teq; erudiendo instituerem: ille,

cum-primis se fortunatum indè prædicans, palàm confessus est, sibi in hac vitâ nihil isto jucundius accidisse. Ac quoniam, adversâ aliquando utens valetudine, Beato Ignatio, fundatori nostro, te devoverat: sæpiùs affirmavit, nolle se, ut unquam à me separareris; sed potiùs, ut in Societate hac nostrâ, mecum vivendo, vitam tuam finires. Neq; verò ego promißioni huic meæ, ullâ nunquam ex parte, defui; sed sincero animi affectu operam dedi, atq; effeci: ut (quod manifestum est omnibus) brevi temporis spatio, plus morum atq; eruditionis apprehenderis; quàm, pro annorum numero, in hac juventute tuâ, potuit desiderari: idq; tanto cum honore Domûs nostræ, & tantâ meâ cum gloriâ; quantam nemo præterea Scholarium, ullo unquam tempore, nobis attulit. Quæ etiam in-dies magis magisq; augebatur, exspectatione illâ omnium; quâ brevi futurum sperabatur, ut (quod Patri tuo unicè erat propositum) in Fratrum & Novitiorum nostrorum numerum reciperes: egoq; annos meos, cum amabilißimâ hac conversatione tuâ, essem finiturus. Sed tu econtrà, paternorum præceptorum parùm memor, & cùm saluti tuæ, tum voluntati ipsius planè contrarius, dum tantoperè à me vituperatæ cucullatorum illorum Religiosorum conversationi (à quorum tamen vitiis, falsisq; institutis, semper te dehortatus fueram) te adjunxisti, & tanto tempore ab hisce scholis subduxisti; omnem fidem & spem nostram in dubium vocâsti; meq; in-primis omni solatio privâsti. Scio equidem, te multis illorum captiosis syllogismis illectum, persuadere tibi, quasi manibus cœlum tangas. Sed tandem, peccatis & pessimæ doctrinæ implicitus & involutus, animadvertes, novæ istius amicitiæ fructum non esse alium; quàm quòd perniciosæ cuidam libertati te commiseris, certißimâ cum jacturâ magni illius meriti, quod, mediante singulari obedientiâ, quâ nobis obstringebaris, jam acquirere cœperas. Quo nomine graviter doleo, & magis etiam affligor; quòd ætatis tuæ florem in otio conteras; & pulcritudinem illam, atq; spiritûs vivacitatem, quam largitus tibi est Deus, ut ad religionis suæ cultum atq; usum impénderes, inaniter consumas. Etsi enim florentes hi ætatis tuæ anni, dignum te excusatione aliquâ, apud me quidem, reddunt: non est tamen, quin, si toties mihi factæ promißiones tuæ, & juramenta, in conspectu Dei atq; ipsius Ecclesiæ præstita, aliquando innotuerint, apud notos & familiares, atq; adeò civitatem universam, maximam id tibi reprehensionem, & perfidiæ notam, sit allaturum. Sed quid Civitatem & Amicos dico? Ipsemet Deus, perjuris offensus, poterit aliquando severum adversùs te exercere judicium: & nec flagella in cœlo præparata evitantur; neq; illis vel juventute, vel corporis robore, obsistitur; (sicuti ex multis historiis, typo commißis, certior hujus esse potes) sed seriùs aut citiùs, nisi à peccato destiteris, suum ea sortientur effectum. Excute igitur improbum illum angelum ab humeris tuis, recedendo à præcipitio, ad quod te ille stimulat: & ad bonam mentem reversus, considera, de quantâ virtutum & morum sublimitate cecideris, infernali barathro & æternæ damnationi approximando. Considera etiam, quòd, etsi Pater tuus, è vivis decedens, tantas tibi opes reliquerit, quantas vix alius nobilißimus quisque; ità tamen comparatum sit, ut exiguis cum facultatibus, in tanto fratrum numero, nequeas hoc seculo vivere, atq; eum splendorem tueri, quæ natales tui, & familiæ vestræ amplitudo, requirunt. Quámvis enim jam quidem, & humanitate & liberalitate adjutus, vitam non absq; honoris aliqua specie agas: tamen invidum tempus, juvenilem hunc vigorem, & cordis hilaritatem, (quæ omnia & jucunda facit, & suavia) mox tibi eripiet;

Quid Jesuitæ de aliis Monachorũ Ordinibus sentiant.

eripiet; & mille infirmitatibus te gravatum, (quum pœnitere jam amplius non licuerit) in angustum miseriarum carcerem, ubi Fortuna somnolentos, & nihil certi apud se constitutum habentes, vanæ spei fumo pascit, aget præcipitem. Scito, juventutis indigentiam, & pueriles affectus, qui primis nos annis habent solicitos, facilè posse sedari. quandoquidem Natura, multiplicationis sive augmentationis cupida, providerit, ut quovis in loco ea nascantur & reperiantur, quæ juventuti & pueritiæ sint commoda. At in adultâ ætate, & viâ ad senium nos ducente, quando instar avium, è nido avolare valentium, à patre & matre deserimur, atq; ipsimet nobis necessarium procurare victum cogimur: tunc & passiones & necessitates se-se produnt; & nec ea, quæ ad supplendos defectus nostros ordinata erant, ampliùs suppetunt; imò cibi, & alia, quæ juventuti, ad annorum maturitatem tendenti, usui esse solent, noxia cum-primis & lethalia exsistunt. siquidē Natura, novis intenta operibus, & parùm de nobis solicita, permittit, ut prius illud totum consumatur & devastetur. Unde, priùs-quàm anni tibi immutentur, & ejusmodi perturbationes superveniant, prudenter feceris; si certam vitæ rationem inieris: & si multis incommodis atq; infortuniis, tibi impendentibus, te volueris subtrahere; rectiùs agere non poteris, quàm si, de consilio meo, subitò ad nos fueris reversus, atq; Societatis hujus habitum receperis. Ubi, cum animæ tuæ trãquillitate, in promtu & parato reperies ea, quæ in hac vitâ animo generoso, & homini nobili, qualem te esse scimus, necessaria esse queunt; & ut summatim dicam, quæ vel in seculari & mundanâ vitâ, vel etiam apud ullam aliam Religionem sive Ordinem, nunquam consequêris. Nec verò austerum illud Religiosi nomen, aut vanum Clausuræ præsuppositum, te deterreat. Tantum enim abest, ut quidquam indè damni metuendum sit: ut plus etiam lucri, quàm ulli hominum è qualibet civitate, aut etiam aliâ congregatione civili, possit contingere, hinc sperare liceat. Religiosus enim, si universim consideres, præter-quàm quòd sacrorum ministrorum exercitio, re profectò quovis preciosissimo thesauro venerabiliori, occupatur; absq; labore vivit, cultus & honoratus ab omnibus, tàm in ceremoniis publicis, quàm privatis; sublevatus in necessitatibus; à personalibus factionibus & militiâ exemtus; à quovis onere & exactione immunis; ad duellum, sive singulare certamen, non adstrictus; & multis deniq; falsis ac popularibus opinionibus minimè obnoxius. Similiter & Clausuræ illæ non ita se habent, ut ipsimet Religiosi sub his veluti conclusi teneantur: sed ut aliorum bona in iis adserventur; atq; ut ipsi, haud magnâ cum molestiâ, Dei laudes commemorando, vitâ magis liberâ & securâ fruamur. Deinde, si ad particularia perveneris; tùm verò longè meliorem conditionem hanc nostram invenies. Quandoquidem Societates nostræ clausuris istiusmodi, uti & alio extraordinario vinculo disciplinæ, vigiliarum, & jejuniorum, (quæ certè homines & stupidos faciunt; & conversationi, tum negotiis ad Proximi salutem necessariis, minùs reddunt idoneos) nequaquam sunt obligatæ; sicuti antiquæ illæ Religiones, sive Ordines omnes, nulli Romanæ Ecclesiæ usui exsistentes, ejus generis apparentibus, & in oculos incurrentibus operibus, necessum habent. At nos à Choro, à Processionibus, ab Exsequiis, liberi & immunes, veluti simplices Sacerdotes, seculari quâdam libertate gaudentes, omnes operationes nostras ad ea studia dirigimus; quæ homines circumspectos & admirandos reddere, atq; insuper etiam sanctam Sedem Romanam valdè exaltare, & magis magisq; illustrare queant. Quamobrem etiam digni ab eâ sumus judicati: ut, quemadmodum veteribus

Jesuitarum Ordo omnium est perfectissimus, otiosissimus, spectatissimus, liberrimus.

Clausurarũ Jesuiticarũ conditio, & commoditas.

ribus

ribus illis Religionum Ordinibus, propter exiguam, quam habent, Sedis ipsius evehendæ aptitudinem, quotidie privilegia & indulta auferuntur; ità nobis econtrà, veluti utilissimis ejus ministris, singulis ferè horis ea dilatentur, & augeantur.

Jesuitæ omnes alios ordines antecellunt.

Quæ sigillatim ita considerata, præterquam quòd certum aliquem reddere possunt facilitatis institutorum nostrorum; præcipuè etiam cognoscendam exhibère queunt superioritatem illam, quâ Congregatio nostra omnibus aliis Ordinibus praeminet: idq; non absque gravissimâ ratione. Quoniam isti, in extremis fundati, domi apud se non admodum sunt durabiles; foris autem etiam animis periculosi. Monachi namque majorum Ordinum, solis divitiis cumulandis operam dantes, servi evaserunt peccati & Mundi: & ob id etiam exosi redditi, quotidie epicediis precationibusq; incumbunt; officium hoc suum eâ tantùm in parte impendentes, quæ reditibus ex alieno statu hauriendis, ad sublevandam Prælatorum & Curiæ Romanæ necessitatem, commoda esse queat & utilis. Mendicantes deinde, propter affectatam paupertatem suam contemti, quamcunq; etiam minutissimam eleemosynam collectum circumeunt, vel ad pagos usque mendicando; &, ad postulationem cujusq; etiam abjectissimæ mulierculæ, in ipsis ædium epistyliis, & privatorum casis, sanctissima Missarum sacrificia vilissimo precio celebrant, divinaq; mysteria communicando distribuunt: seculo se-se immiscentes, atq; iis se-se inquinantes erroribus; unde urgens nata est occasio, de reformatione, & si illa non successerit, de universali Ordinis illius destructione, cogitandi.

Societas Jesuitica media quędam est inter alias.

At nostra Societas, quæ benè-instituta Respub. est, prudentiâ & sagacitate Patrum nostrorum, in mediocritate collocata, super monachicam opulentiam se-se non effert; & nec tamen ideò ad infimam mendicitatem deflectit: sed tantum ab unâ atq; alterâ, quantum ad Dei cultum opus est, participans, cum certâ animæ salute, hunc sibi finem semper habet propositum; quomodo Romanæ Catholicæ fidei graviora, & maximi momenti beneficia, possit promereri. Unde Pontificibus grata, à Principibus observata, & à Populo culta; atque circuli solaris æmula, cum filiis suis, in omnibus terrarum partibus gloriosa erit; in cœlo beata. Hinc nascuntur invidæ illæ voces, à depressis æmulis nostris, contra mores & exemplarem doctrinam nostram efficta: quæ auribus tuis insusurratæ, haud-dubiè in causâ sunt, quòd oculis meis subductus, & à Domo istâ fueris distractus. Criminationes Jesuitarum, ob superbiam; *Incusant nos primùm Superbiæ: quòd* SOCIORUM *titulum usurpemus; & aliorum hominum Ordines vix Servorum nomine dignemur. Quasi quisquam sit, qui sincero animo judicans non intelligat, nos divinâ providentiâ in normam & correctionem aliorum electos esse: ideoq; justum, dilectam hanc congregationem ejus, insigni & specioso aliquo vocabulo, à tot Monachorum & Fraternitatum inutilibus sectis distingui.*

ob lautitiã in vestitu, victu, & habitatione;

Præterea & hoc reprehendunt, quòd recusemus ciliciis vestiri, aut cibis pasci rusticis: sed illudentes, dicunt, nos vestibus uti ex lanâ tenuissimâ, & cutem tegere candidissimo linteo; nutritos optimis & delicatissimis cibis, qui vel in urbe, vel territoriis vicinis, reperiantur. Insuper, nolle nos in pagis habitare, aut sub tectis humilibus: sed cùm à Patribus nostris, varias Mundi partes peragrantibus, omnis commoditas & venustas excogitata sit; possidere nos dicunt, in omnibus regnis & provinciis Christianismi, meliores & præstantiores situs atq; palatia, quam alibi haberi queant: non quidem in villis aut castellis casus fundantes; sed in urbibus primariis, & iis rebus abundantibus, quæ generi humano possint

suffice-

sufficere. sed neque sic ædes illas acceptari, nisi priùs & redditus, & habitationes, pro Patrum & Coadjutorum temporalium numero, ibi fuerint præparata. Non animadvertunt autem affectibus corrupti obtrectatores, id, quod de vestimentis, cibis, & habitationibus, dicunt, ad summam laudem Societatis totius, & Patris Ignatii, primi Institutoris nostri, vergere: qui, ut omnium hominum sapientissimus, vestes incultas, cilicia, & cibos agrestes, (quæ mira corporis afflictiones sunt) ipsum etiam spiritum affligere & debilitare intelligens, usu illarum rerum nobis interdixit; & voluit de iis vestibus & alimentis nobis esse prospectum, quæ ei conveniant, qui, ad exaltationem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, mentem in studiis, linguam verò, ad sanctorum Apostolorum exemplum, in persuasionibus publicis & privatis, exercet. Habitationes verò quod attinet; quis non videt, ad decus & ornamentum sanctæ Religionis, sive Ordinis, hoc fieri? idq; ita ut fiat, necessum esse: siquidem in his fovenda sunt seminaria eorum hominum, quibus Ecclesia & tota Christianitas regatur.

Quantum postea ad doctrinam: cùm maledici isti ad vera dogmata sustinenda inhabiles sint, ne impotentes dicam, ad operas & labores Societatis nostræ exæquandos; eò fatigantur: ut, in Dei gratiam & voluntatem omnia reponentes, vanum esse demonstrent grande illud meritum nostrum. Ideoq; Pelagianos nos vocant, & Epicuri discipulos: propterea quòd, ex assertione nunquam satis laudatâ Molinæ, dicamus, Deum nolle physicè moveri animos hominum; sed in æternâ quiete suâ exspectare, ut suâ gratiâ ad hoc destinati, cum merito bonorum operum, ipsimet per se paradysum acquirant. Cæci non vident, Deum in divinitate suâ immobilem, & immediatè, & variis modis, gloriam suam amplificare: & nobis in hunc finem deorsum à Majestate illâ concessum esse, Regnũ ipsius propagare; & mediantibus Regulis nostris, librisq; spiritualibus, hominum animos persuasionis vi, quam nobis largitur, movere; & facilem ad cœlum viam reddere cunctis fidelibus, qui, exsuti omni politicâ curiositate, nostris duntaxat præceptis salutiferis obedierint. Et, quod majus aut certius bonitatis & integritatis doctrinæ nostræ Mundus signum desiderare potest; si publici errores maximarum Universitatum, singulariter verò regiæ urbis Parisiorum, per nos fuerunt correcti? Ibi enim, paucis quibusdam seniorum literatorum exceptis, reliqui omnes moderni & juniores Doctores, facilè doctrinæ nostræ accesserunt: non ampliùs scribentes, Romanorum Pontificum errores, quantúmvis exorbitantes, à Conciliis posse corrigi; aut verò defendentes, licitum esse Gallorum Regi, liberam administrationem rerum ecclesiasticarum impedire: & si quæ alia ejus regni Maximæ sunt, sive Regulæ, alicujus momenti aut ponderis. Etsi enim, ob multas rationes, & Scripturarum allegationes, ab antiquissimis & celeberrimis Doctoribus approbatas, itemq; varios multorum labores, inexpugnabile id existimabatur: constat tamen, à nostris id-ipsum Patribus jam esse evictum. dico illam tantoperè decantatam Gallicanæ Ecclesiæ libertatem: quâ expugnatâ, & veluti monstro à novis illis (ut ità dicam) Theologiæ Herculibus sepulto, liberum omninò à quovis impedimento, in omnibus Principatibus rursum evasit absolutum S. Sedis Romanæ dominium. Nónne ejus rei indubitatam quoq; fidem facit; cum videtur, quomodo apud nos, contra hæreticam pravitatem, omnes scientiæ divinæ & humanæ floreant? & quòd hîc viri insignes, & magistri in omni disciplinâ celeberrimi, reperiantur? à quibus absq; avidâ illâ pecuniæ spe, (quem sibi finem alii ha-

ob falsam doctrinam.

bent propositum) major & melior pars juventutis Christianæ instituitur: & quidem in dedecus & confusionem malè-affectorum, & suum saltem commodum inde quærentium Pædagogulorum; qui, cessantibus commoditatibus & emolumentis illis, quibus, quam-primùm Patres nostri apparuerunt, destituti fuêre, variis imposturis curârunt laudabiles operationes nostras inquinare: in vulgus spargentes, ad Scholarum eruditionem nos utilitate & voluptate moveri; non verò charitate, aut Proximi amore: Idq; indè liquere, quòd ad divites & formosos duntaxat animum applicemus; de aliis verò parùm simus soliciti, utrùm majores progressus faciant, quàm qui, ad apparentiam illam conservandam, quâ cognatos & parentes eorum perpetuò nobis veluti mancipatos habeamus, sint necessarii.

ob seductionem Juventutis. *Hoc ampliùs subjungunt obtrectatores; Nos, sub religionis sanctissimæ prætextu, in teneros animos subditorum aut civium, Scholas nostras frequentantium, contemtûs & inobedientiæ semina adversùs naturales eorum Principes spargere; persuadentes eis, quòd illi solummodò Principi, quem nos veluti Monarcham omnium constituimus, credendum & obediendum sit. Et cum ejusmodi quidem diabolicis inventionibus ausi fuerunt hoc agere, ut Scholæ nostræ prohiberentur. Sicuti in nobili quâdam Italiæ civitate hoc illis successit, extremo cum damno, tùm illius, tùm aliarum civitatum, liberorum nobilium & primariorum, qui studiorum causâ ad eam concurrerant. Quibus calumniis, a linguis lucripetis, sive suum spectantibus commodum, profectis, prolixe quidem responderi posset: sed præstat eas, secundùm regulas nostras logicales, silentio præterire. Hoc tantùm dico; fortunæ bona necessaria esse ei, qui literis animum est applicaturus: & pulcritudinem, verum vivacitatis spiritûs, & ingenii bonitatis, signum esse atque indicium. Unde si iis, qui ejusmodi dotibus sunt præditi, incumbimus: facimus hoc, tanquam in subjectis aptis ad disciplinam natis; non autem voluptatis ergò, aut facultatum comparandarum gratiâ. Denique, cùm videre licet, Scholas nostras undique, vel ab ipsis etiam Principum filiis, tanto cum concursu, (solitis illis Præceptoribus repudiatis) appeti: hinc infallibilis sequitur conclusio, quemadmodum Nos & existentiâ, & reputatione omnes alios Ordines superamus; ita etiam doctrinas, è Domibus & Collegiis nostris prodeuntes, reliquas itidem omnes, sive D. Thomæ, sive Scoti sint, & pietate, & dogmatum soliditate, excedere. Quo etiam fit, ut, quod aliis prohibitum est, nobis liceat; libros nempe & scripta tenere atque perlegere: ex quibus quandoque ob publicum bonum, impiorum nomine sublato, & celebris cujusdam Patris nostri in vicem ejus substituto, in publicum ea rursus emittamus. Tuq; hac ætate tuâ non jam audies ampliùs Aristotelem & Ciceronem, mõstruosa gentilitatis monumenta: sed cathedras auctoribus longè illustrioribus ornatas cernes; & in universum, solos ibi Alvaros, Toletos, Molinas, atque alios Societatis nostræ Doctores graves legi audies. Ut ita hæ, atque aliæ detractiones, à malevolis, ad conspurcandam doctrinam, & inculpabiles mores nostros, excogitatæ, non seciùs æstimandæ sint, quàm aurum & margaritæ: quæ, uti per rationem liquere potest, quò magis affrictæ fuerint, eò lucidiores semper & splendidiores indè reddantur. Quòd-si fortè ullum, ab assentatoribus istis, dubium antea fuit motum: non solùm clarum tibi illud, si de eo mecum contuleris, & perspicuum reddam; sed &, participem te factum veritatis, in hoc magis magisq; confirmatum iri spero, ut optima mea consilia amplexeris.*

Certus

Certus etiam sis, te apud nos, quovis genere commoditatis & gustûs, facile inventurum esse viam & modum; quo ad honores & gradus summos, generosæ stirpi tuæ convenientes, evehariis. Ac poteris, scientiarum nostrarum facilitate, & mediante vivacitate ingenii tui, aut prædicando, aut docendo, celebris evadere: ex quorum uno atque altero, maximam utilitatem, & non exiguam existimationem, referes. quandoquidem à viris, à mulieribus, à populo, & Magnatibus ipsis, colêris atque sublevaberis: nec quicquam tibi in mentem veniet, quod non illicò, quam-primùm fuerit rescitum, promissuri tibi sint & donaturi. Tibi privatorum ædes apertæ erunt; tecum de maximis rebus civitatis consultabitur: te secretorum suorum quilibet faciet participem: & quando animum ad hoc, prout decet, applicueris, extrinsecâ illâ pietatis umbrâ simplicis multitudinis opinionem attrahendo; pro arbitrio tuo ex Magistro aut Prædicatore, nō quidem specie-tenus, sed re-ipsâ, Imperator & Monarcha fies: & non solùm tibi-ipsi commodum & honores conciliabis; verùm etiam gloriâ ità auctus, Societates nostras illustriores & ditiores reddere poteris: sicut multis Patribus in Poloniâ, Transylvaniâ, Austriâ, Bavariâ, Hispaniâ, atque aliis in locis, usu-venit: quin-imò in ipsis etiam Indiis, ubi nova vinea Christi, maxima Societati nostræ Monarchia, erecta est & plantata. Quocirca perquàm mihi gratum foret, si exactam informationem illius, quod scribo, curiosiùs apprehenderes; sic enim deprehensurus esses, Provincias Ferdinando Archiduci subjectas, supremâ inspectione Societatis nostræ regi, & vel inde felices esse, quòd omnia Patrum consiliis gerantur, sive de dignitate & magistratibus conferendis, sive de belli etiam apparatu, tractetur. In Bavariâ quoque, omnia Patrum nostrorum prudentiâ gubernātur. Ipsaq; Transylvania à solo administrata fuit Patre Carigliâ: qui Deo inserviendo curavit, ut Imperatoris manui & potestati ea subjiceretur. Nónne Galliam, & Regem ipsum, Pater Cotto in-præsentiarum gubernat? Et in Poloniâ, non obstante paucorum satis Christianorum tergiversatione, Rex sanctitatis nostræ spiritu atq; instinctu vivit? In Hispaniâ Lusitania, Belgio, Italia, & Siciliâ, cui ignotæ sunt divitiæ, & authoritas, quâ pollemus? Sed quid de Patre Personio dicam? qui Romæ agens, plus authoritatis habet in Angliâ, quàm Rex ipse: nec Comes ibi est, Marchio, aut Prælatus Catholicus, quin pro Superintendente, aut gubernatore conscientiæ suæ, aliquem ex Societate nostra habeat. Ac, ut summatim concludam, Generalis noster, sicuti manifestum est omnibus, Romam regit, & Pontificatum.

Jesuitæ modum ac viam nôrūt emergendi;

re-ipsâ Imperatores & Monarchæ sunt, ubi locum obtinent.

Quamobrem nescium te esse nolo, nos certo obedientiæ voto sanctæ Sedi obstrictos teneri: ut scilicet, non petito viatico, eò nos conferamus quòcunque etiam locorum ab ea fuerimus destinati. Inde nos ipsius Sedis ministri facti confidentissimi, & gravissimorum secretorum ejus conscii, id, quod in commodum nostrum cedit, Pontificibus persuademus; omnes, qui ad functiones aut prælaturas adspirant, necessitate obstringentes, ut ad intercessionem nostram confugiant. Atque hoc Pontificio ministerio insigniti, & excitatâ in nos totius Mundi opinione, in civitates, regna, & ipsorum Principum corda, penetramus. Ita fit, ut, cùm hi dominium super vitam & bona subditorum teneant, Nos, ex permissione divinâ, possessionem voluntatis, cùm Principum, tùm Subditorum, occupemus. Et quemadmodum sancta fides, ubi-ubi innotuerat, maximos faciebat progressus. ita & nos, ubicunq; agimus, sub nomine JESU, insensibiliter tale obsequium acquirimus, ut posteà in Principum potestate non sit, inde nos depellere. Cui rei fidem facere potest am-

Jesuitarum obligatio erga sedem Pontificiā.

Jesuitæ difficulter repellūtur, ubi semel nidificârint.

plißimum & potentißimum Galliæ Regnum, suis illis turbis novißimis. Quapropter arbitri sæpenumerò contentionum, non tantùm inter Principem & Principem, verùm etiam inter Dominos & Vasallos, constituti, pro lubitu nostro, & bellū & pacem Mundo apportamus: non absq; evidenti prætensione, quòd sanctæ illius Sedis possesßio, in Patribus aliquando nostris casura, successivè postea perpetuari queat. Quod cùm evenerit; tàm insigne capiet incrementum Romana Religio: ut spes sit, brevi videri posse, ex Principatibus Christianis, & Mundo universo, factum esse unum ovile, & unum pastorem. Nec verò, propter votum illud, veluti ligati tenemur; aut quidquam imminuitur libertas, aut præeminentia nostra: quin-imò, ob concitatum in nos omnium timorem & existimationem, non dubitamus quandoq;, pro majori securitate, etiam adversùs ipsos Pontifices, ex religionis zelo, calamos & linguam stringere: singulariter verò, si interesse vel emolumentum Magnatum quorundam, quorum in nos beneficia constant, interveniat. Econtrà nemo est, qui adversùs nos, authoritatem Pontificiam regentes, quidquam proferre ausit. À nostris enim oppugnatus, pro hæretico & schismatico ab omnibus habebitur: sic, ut cœlesti hac gratiâ, etiam sacrosanctos & inviolabiles nos conservemus.

Pro lubitu, belli & pacis authores sunt.

Etiam Papæ dominantur Jesuitæ.

Quòd-si forsan animus tibi non fuerit, gravioribus Mundi negotiis te immiscere; aut, Principum sectando familiaritatem, incertam subire fortunam: arbitrii tui erit, in quâ Domo aut Collegio tibi quàm-maximè placuerit, felicißimâ frui quiete, & in Ecclesiis sermocinando, pietatem in hominum timidorum, & muliercularum devotarum pectoribus, fovere: quod ipsum majorem quoque honorem & commodum tibi comparabit. Nam si eos, qui peccata sua tibi confitentur, recensione rerum terribilium, & miraculorum à Patribus nostris ad hoc collectorum, in officio, ut à peccatis abstineant, continueris: tùm de facultatibus & personis eorum dispones, in honorem Dei, quomodocunq; tibi placuerit.

Sibi-ipsis quietem dare possunt.

Ac tametsi sanctus hic zelus, ex malitiosâ interpretatione, sinistrè accipiatur; & passim spargatur, nos eandem rem diversimodè huic atque illi referentes, discordiam & lites disseminare, inter maritum & uxorem, patrem & liberos, fratres & cognatos; atque hac ratione, ad trutinam consiliorum nostrorum suspectos habentes privatos, civitates, & integra regna, dominium nos & absolutam tyrannidem in quoslibet usurpare: omninò tamen actiones illæ reprehendi nequaquam possunt: cùm omne id ad animarum salutem sit directum; nosq; in hoc conformes reddamur Verbo euangelico, quod habet: Non veni mittere pacem; sed gladium. Veni enim separare hominem adversùs patrem suum; & filiam adversùs matrem suam. *Unde pro errore habendum non est, loqui aut tractare contradictoria; & cognatorum ac civium animos disjungere: dummodò id totum ad utilitatem cedat Ecclesiæ, & sanctæ Sedis; in cujus servitio & magnitudine, vera pietas summaq; Religio consistit.*

Jesuitis omnia licent.

Et ut scrupulos aliquot, qui, ex vulgi obmurmurationibus, menti tuæ potuerunt esse injecti, tibi eximam: advertere te volo, quòd, cùm primarii domini, & nobilißimæ civitatum matronæ, ex devotione suâ, ad Ecclesias nostras concurrant; tùm invidi, bonum in malum detorquentes, id singulari artificio nostro fieri dicant, & hac-illàc disseminent: quòd, in confeßionibus audiendis, difficiles quidem plebejis atque pauperibus nos exhibeamus, eosq; à nobis fugemus; in absolutionibus rigidi, in reprehensionibus asperi, & in pœniten-

Jesuitæ in confessio-

tentiâ injungendâ intolerabiles: adversùs divites autem, & mulieres viduas, aut conjugatas, aliter procedentes, parvulâ aut nullâ indictâ pœnitentiâ; sæpè etiã absq; auriculari confessione, solâ schedulâ consignatorum errorum inspectâ, gravißima eis peccata remittamus: exigendo à quolibet pœnitente confeßionem generalem, licèt à Deo non mandatam; haud minùs tamen animarum saluti necessariam: ut, naturalibus pœnitentium inclinationibus detectis, peccata eorum conformiter justificare, atque his rebus uti eis ac frui permittere liceat; quas alii Religiosi nunquam concesserint. nibus respectum personarũ habent.

Magnam verò illam patientiam, quam imbecillis mulierum animis, à scrupulis & superstitionibus, quibus naturaliter subjectæ sunt, expurgandis, sustinemus, malevoli malitiosè interpretantes, nos cum illis, ajunt, longis & frequentibus solere uti alloquiis: quibus ità mediantibus, quicquid desideraverimus modò, ab ipsis obtineamus; & silentio earum sanctißimis sacramentis confirmato, illis nos spirituali matrimonio devinciamus: in id incumbentes, ut ubiq; velut examina Ursularum, Clericatarum, Diaconissarum, appareant: quibus etiam, in casu magnæ cujusdam neceßitatis, ut sanctißima sacramenta administrare poßint, concedamus, idoneâ ad hoc inventâ a nobis repræsentatione, per quam licitum illis sit, loco Hostiæ apprehendendæ, toreuma quoddam consecratum, & ad formam Agni Dei effigiatum, Sororibus in conventiculis suis osculandum porrigere. quo ipso eas vinculis hisce nostris invicem conjunctas teneamus, & sanctæ Sedi, in casu politicæ resistentiæ, strictißimè obligatas, in tantum; ut hæc earum devotio in secreto habeatur, atq; ipsos etiam maritos, parentes, liberos, & alios conjunctos, lateat. Id quod summâ utilitate, emergente non ità pridem occasione, usurpatum quidem fuit: tandem tamen aliquâ ex parte in lucem prorupit, ob penetrantem æmulorum nostrorum sagacitatem, & simplicem devotarum istarum animularum confidentiam, ab oraculis consiliorum nostrorum longè dißitarum, & necessario fragilitatis suæ fulcro privatarum. Magnâ patientiâ erga imbecilles mulieres utuntur.

Cæteroquin, ubicunq; etiam commoremur, non est, quòd metuamus, ne actiones nostræ unquam propalentur. siquidem cum Magnatibus duntaxat commercium habeamus; à quibus, præter quotidiana honoraria, omne publicum secretum cognoscimus. Ità fit, ut vel proprius honor ipsis os occludat; contrario planè modo, quàm aliis Religiosis usu-venire soleat: qui sinè discrimine cum quolibet conversantes, absq; sanctis hisce artificiis, difficulter poßint fragilitatem suam occultare. Verùm etiam hæ nebulæ facilè dißipari queunt: quoniam & has, & omnes alias operationes nostras, cum mysterio peragimus. Quandoquidem in pauperem plebeculam non ea cadit peccatorum qualitas, aut gravitas casuum; ad quorum resolutionem opus sit singulari & exacto intellectu, aut discursûs profunditate: sed delicta illa, vulgares quidam errores sunt & consueti: quibus cùm à quovis Fraterculo satisfieri poßit; ingratum sanè divinæ Majestati fuerit, si elaboratæ operæ nostræ in his inutiliter consumerentur. Et quàmvis confitentibus nobis asperos nos atq; severos exhibeamus: tamen hoc non ad repellendos eos fit; sed ut, ordinariorum sive consuetorum peccatorum pertæsi, à gravioribus abstineant. Id quod divitibus non usu-venit; qui ob facultatum, & negotiorum publicorum, in quibus versantur, tractationem, multis scrupulis & dubitationibus periculosis sunt suppositi. ideoq; in magnam animarum ipsorum utilitatem vergit; si à viris doctis & sapientibus, prout sunt Patres nostri, examinentur & corrigantur. Quâ de causâ libenter eos ad Ecclesias nostras recipimus, &

Quomodo Magnates in officio retineant; & simplicioribus indulgeãt. Cur cum divitibus mitiùs agant.

leniter tractamus: ne ad desperationem adigantur; sed potiùs, ut ex opibus illis, quæ ipsis peccandi causam præbuerunt, largas eleemosynas Domibus & Ecclesiis nostris facientes, & cœlum lucrantes, à via, quæ eos ad infernum ductura erat, declinent. Sic & adversùs fœminas, propter sexûs fragilitatem, mirè & absq; rigore procedimus: & , quò faciliùs eas ad divinorum præceptorum obedientiam perducamus; res quædam parvi momenti iis permitti solent: dummodò id, quod res est, cognoscentes, tanquam creaturæ Dei, debitas ei gratias reddant. Sed neque ab his aut illis confeßionem generalem exigimus, ut appetitui eorum obsecundemus; sed potiùs, ut pravi illi affectus, & malæ inclinationes naturæ, detegantur: quibus posteà cum discretione, & quidem suam cuilibet singulatim, medicinam applicamus; non verò, ut veteres illi Religiosi, omnibus confusim peccatoribus idem remedium adhibemus. Modus profectò salutaris, & à DEO, *ad exaltationem fidei suæ, nobis revelatus: cum quo, detectis etiam animis resolutis & fortibus, multoties eos, mediante Camerâ meditationum nostrarum, (quarum secreta revelare non est licitum) ad internecionem Hæreticorum, & inobedientium inimicorum sanctæ Sedis Romanæ, consultò exstimulavimus: & quidem non privatorum tantùm; verùm etiam magnorum Principum & Regum: heroicis istis factis boni illius Abodi, de quo in sacra Scripturâ legitur, figuram repræsentantes; & immortali cum laude congregationis nostræ, sedes Paradysi Sanctis atque Martyribus complentes. Cui rei testimonio esse queunt multæ effigies, quæ variis typis æneis paßim videntur impressæ.*

& mollibus fœminis multa condonent? Quomodo suos animent ad homicidia patranda.

Et sanè quilibet commemoratorum virorum atq; mulierum, de sanctißimis Sacramentis non alibi, quàm in nostris Ecclesiis, debebat participare, & confeßionem exercere: ubi, præter facultatem & privilegia, quibus à quâvis culpâ quilibet expiari potest, à summis Pontificibus concessa, facilem habituri essent modum, animas suas salvandi: modum, inquam, à nobis inventum, qui in propriæ solummodò voluntatis privatione, & in hoc consistit; ut, absq; laboriosâ requisitione alterius, sequaris ejus præcepta, qui propter te studiis insudat & defatigatur. id quod Patres hi spirituales faciunt. Et quidem omne peccandi periculum hoc modo tollitur, non viso aut cognito ab aliis Religiosis; qui in veteri illâ simplicitate educati, dum pœnitentes suos in libertate relinquunt, parùm semper profecerunt, atq; etiámnum proficient.

Jesuitarum confessio & absolutio melior & facilior est, quàm aliorum Ordinum.

Ac licèt à Politicis, atq; aliis Mundi hujus sapientibus, hæc nostra doctrina, hæresis dicatur: non tamen hoc illorum dicterium in ullam considerationem trahendum est; cùm videamus, illam ab Episcopis, Cardinalibus, & omnibus Pontificibus, approbatam esse. Et ut concludam; quod plùs, quàm ulla res alia, eos relevat, qui Ecclesias nostras frequentantes, sanctam istam obedientiam amplectuntur: id verò est, quòd participes fiunt innumerabilium meritorum, quæ divina Majestas sufficientia esse judicat, non solùm ad tollendum delicta jam præterita; sed & ad cancellandum, vel annihilandum ea, quæ in-posterum committi possent; & ad redimendum quamcunq; animam, quæ ad Purgatorium fuerat condemnata.

Magna Jesuitarum merita.

Nolim verò te vereri, ne, commemorata commoda & honores sectaturus, in difficultatem aliquam offendas. Quandoquidem viæ, quæ in Societate nostrâ ad eos ducunt, itâ tritæ & tantâ cum prudentiâ accommodatæ sunt: ut quilibet, absq; vacillatione ullâ,

eorum

eorum obtinendorum atq; fruendorum spem habere poßit. Ibi enim aßiduè de Verbis & Rebus tractatur: &, quicquid vel publicum, vel privatum, ad aures nostras pervenerit, de eo consultatur: nec quisquam ulli rei unquam adhibetur, nisi examinatâ priùs naturâ ejus, & perpenso talento ejusdem à Patre Generali (qui, omnibus exploratis, signa & notas exquisitè distinctas habet) aptus ad eam perficiendam deprehendatur. Admonito posteà illius, quod hoc vel illo die dignum consideratione occurrit, detegitur id ei familiaribus colloquiis nostris, aut per confeßionem nobis devotorum. De eo namq; conferentes inter nos, & literis à Collegio ad Collegium scriptis, ei, quod sequuturum est, aut sequi poterit, anticipando semper obviamus, in quemcunq; casum præparati. Ejusmodi considerationibus aut collationibus, quibus nullum dubium remanet indecisum, Seniores & sapientißimi, quos habemus, Rectores aßistunt: qui in quâvis materiâ quàm maximè versati definiunt, quomodo viris & mulieribus, viduis aut maritatis, obsequium & beneficentia erga Collegia, & particulatim etiam erga nos-ipsos debeat persuaderi; quomodo iisdem paradysi iter ingrediendum sit; ac quâ ratione Principum gratiæ quis insinuetur; quibus mediis voluntas eorum captetur; & quibus in poßeßionem animi & opinionis populorum perveniatur. Jesuitæ ad omnia promti paratiq; sunt.

Laborent sanè in hoc inimici nostri, cœlestis voluntatis ignari, & obloquantur; Nos, hisce regulis & rationibus, damnum privatorum Domibus, & Principatibus hujus Mundi, adferre. Alii quidem, dum asserunt, Nos, rerum horribilium commemoratione, quas simplicioribus, pro concione in templis, & domi animam jam exhalaturis, ingerimus, nosmet-ipsos & Collegia nostra ditantes, debitâ hæreditate liberos, & parentes eorum, spoliare. Alii verò, quòd simulatâ quâdam servitute, Principes Christiani, ad instantiam ecclesiasticæ majestatis, fidei nostræ se committentes, imprudentibus consiliis quandoq; eò redigantur; ut & statum & vitam perdant. Singularem verò pietatem illam, quæ pro authoritate sanctæ Sedis dilatanda exercetur, improbi illi Policiti, traditionum & rebellionum à nobis perpetratarum nomine denigrantes, Mundo exosam reddere, fatigentur sanè: affirmantes scilicet, prædicationes, & divitiarum atq; laudum præmia, ad hæreticos exstirpandos à nobis inventa, proditorios esse modos adversùs Principes, & voces adulatrices, quibus, velutì sanctitatis & Martyriorum involucro quodam, parricidia obtegamus. Exclament, sed falsò, Nos, per has-ipsas destructionum vias, contra veram Jesu fidem, Jesuitarum nomen mereri; per quas Scipio, Carthaginensium imperium evertens, Africani nomen consecutus sit. Cæterùm, re totâ, prout decet, consideratâ, liquet, pro peccato istud nequaquam haberi posse; sed veram demùm pietatem esse: quæ in Catholicæ Romanæ Ecclesiæ commodum, animarumq; ei devotarum servitium, resultat. In-primis enim non inconveniens est, ut pater, propriæ salutis gratiâ, filium, & cognatus cognatum, hæreditate privet: eò quòd, ex Euangelicâ doctrinâ, quilibet animæ suæ magis, quàm patri, matri, aut liberis, sit obligatus. Atq; ità opus quoq; erit meritorium, si subditi ejus Principis, qui de jurisdictione suâ, & commodo subditorum magìs, quàm animæ salute solicitus, Pontificiis præceptis obedire recusat, fidelitatis juramento exsolvantur; iisdemq; significetur, quandoquidem ipsimet se regere nequeant, ut alii Principi Catholico, qui quidem obsequens sit, aut Romano Pontifici confœderatus, adhæreant. Ac, si propter inobedientis illius Principis potentiam & robur, ad ejusmodi apertas declarationes, perveniri non

Homines noxii.

Quibus rebus nomen Jesuitarum mereantur.

Legitimos hæredes defraudare, Jesuitarum vera pietas est.

Subditos à fide suorũ Principum abstrahere, Jesuitis meritoriũ opus est.

Reges & Principes è vitâ tollere, apud Jesuitas remissionē peccatorum meretur.

Politici Jesuitis sudes in oculis sunt.

non poterit: tùm legibus Canonicis & sanctißimis Decretalibus minimè erit contrarium, occultè eum, peccatorum absolutione aut præmio interfectoribus proposito, è vitâ tollere: asserente id-ipsum etiam doctißimo Historico nostro, Johanne Marianâ, in quodam tractatu suo ad magnum Hispaniæ Regem: ubi venena, & horum compositiones, tanquam tutißima media, proponens, concludit; in eum finem ipsa venena ità præparata, cuilibet bono Catholico semper in promtu esse debere. Atq; in sacrosanctis Bibliis, exemplo Jeroboami & aliorum, legitur, quàm graviter Reges & Populi, dilecti à Sacerdotibus & Prophetis, propter inobedientiam fuerint castigati. Quin-imò maximam in populi utilitatem cessurum esset; si, pestifero semine Policitorum sublato, & temporali dominio cum spirituali conjuncto, solummodò a nobis Ecclesiasticis regerentur & gubernarentur: sic enim majori cum pietate forent tractati. Atq; hic mentis conceptus, a Patribus nostris ubiq; locorum prædicatus, non minùs, quàm articulus fidei, debuerat observari: quandoquidem alii quidem stertunt; nos autem pro salute eorum semper vigilamus.

Ac quoniā animo tuo jam maximâ ex parte constare opinor, de prudentißimo Regimine aut Republicâ nostrâ, nunquā a Philosopho aliquo tam perfectè descripta; sed a celebri illo Ignatio Lojolâ miraculosè fundatâ: qui anno 1521. caput exercitûs Castilionæi in Pampelonâ constitutus, cùm excōmunicationis Julii II. vim, contra Reges Galliæ, & Navarræ, sustentâsset; virtute illâ suâ exsertâ, & corporis toleratis plagis, dignus à Deo fuit æstimatus, ut etiam caput & institutor esset Societatis hujus erigendæ: quæ, ad ipsius exemplum, & nunc, & in perpetuum, defensionem & exaltationem authoritatis ecclesiasticæ, & Romanorum Pontificum, debeat continuare: Igitur hoc quoq; scire te volo, quemadmodum multæ Bonis viæ hîc apud nos patent, ad laudabilium actionum suarum præmium adipiscendum; ita etiam, in puniendis delictis, multâ nos circumspectione uti: &, cùm alii, pœnis illis conspicuis, & corporis afflictivis, proprios defectus Mundo prodant; Nos, juxta euangelicum præceptum, à scandalis nobis temperantes, subitis & secretis ostracismis, aut verò honestis & longinquis relegationibus, quosvis errores expurgare: de quibus posteà, sub gravißimi peccati pœnâ, adversùs neminem, & nullo omninò tempore, licet mentionem facere; sed æqualiter & perpetuò de omnibus benè loquendum. Ac, ut summatim dicam, nihil omninò est, quod te remorari debeat. siquidem omnia, quæ primo quidem adspectu difficilia & infesta videri possunt; tamen ponderando, & cogitando tecum, quam apta ea sint, ad honorem & commodum, patribus & filiis Collegii nostri, conciliandum, talia ea deprehendes: ut quemlibet invitent, ad cogitationes suas eò dirigendum, quomodo particeps horum fieri queat. Optarem saltèm, tanto te tempore nobis videndum præberes; quantum sufficiat ad detegendum, quæ commoda, & quæ suavitas, sub rigido, sed sancto illo Religionis zelo, reperiatur; singulariter verò honores & voluptates, quas in humilitate ista, & vitæ exterioris abjectione, filii Domuum & Collegiorum nostrorum percipiunt. Certus enim sum, te, mutato consilio, quàm-primùm tibi propositurum esse, subitò ad nos redire. Et, nisi vererer aliqua scriptis committere, atq; id, quod verum est, pro hyperbole accipi; demonstraturus tibi essem, quomodo Ecclesiæ nostræ veri nidi sint spiritualium oblectationum; & Domus atq; Collegia nihil aliud, quàm tabernæ sanctißimæ cujusdam usuræ; in quibus is, cui intrandi facta fuerit potestas, modum inveniat, omnem affectum absq; scandalis evomendi, &, sine sorte ullâ, maximas commoditates,

Quomodo Jesuitæ nequitias suas astutè occultent.

Honorū & voluptatū apud Jesuitas abunde est.

tes,

tes, non mediocribus cum divitiis, acquirendi; quas invicem possidere, iisq; uti-frui queamus. sicuti ipsemet quoq;, cùm solenniter professus, à turbâ aliorum, qui simplici tantùm voto adstricti sunt, te subtraxeris, & absoluti illius imperii, atq; authoritatis Primatum nostrorum, & exindè etiam cultûs atq; obsequii, particeps fueris factus, re-ipsâ cognosces. Quánvis autem hæc, quæ ad te nunc scribo, (maximam enim eorum partem consultò jam taceo) verè ità se habeant: quia tamen ex ipsâ praxi ea desumta sunt; commodius sanè fuerit, si coràm, & te præsente, pluribus hoc fuero prosecutus, loca tibi digitis ostendendo, & in rem præsentem te ducendo.

Tu itaq;, animo tecum evolvens ea, quæ tibi à me narrata sunt, intelliges, quantò sincerior sit amor hic meus illo adulatorio, quo miserè es inescatus. quanquam illum, etiam ex aliis humanissimis officiis meis, tibi perspectum credo: maximè verò, cùm in teneriore ætate tuâ, protectione meâ oblectatus, Domum hanc nostram frequentares; egoq;, juventutis tuæ custos constitutus omniũ cupidissimus, ipsis Patribus & Fratribus capitalis factus sum hostis; neq; unquam permisi, ut vel obtutu, ne-dum manibus illis immorigeris, (utì nunc fit) juvenilis illa ætas tua tangeretur, aut contaminaretur. Quòd-si licentiùs quandoq; tecum, quàm par erat, fui jocatus: permissum id fuit artificium in Collegiis nostris, eo quasi dulcore discipulos assuefacere; ut & promtiùs Præceptoribus obediant, & studiis diligentiùs incumbant. Impulsus prætereà ad hoc fui nimio illo amore, quo, salutis tuæ causâ, erga te ducebar, atq; etiámnum ducor: non autem eo fine, ut te offenderem, aut contumeliâ afficerem. Sit itaq; jam finis tantæ tuæ absentiæ: &, instar filii illius prodigi, ad patrem tuum spiritualem & magistrum revertere. Recordare, te mortalem esse; & extra hunc Societatis nostræ numerum, paucos, aut fortè neminem, salvari posse. Imple vota & promissa; &, peccatum tuum cognoscens, Dei vindictam effuge. Jesuitæ solos se salvos prædicant.

DE REBUS JESUITARUM ABSTRUSIORIBUS, ET RATIONE DOMORUM ATQUE COLLEGIORUM IPSORUM.

Anno 1608. Johannes Cambilhonus, Exjesuita Græcensis in Styria, breve scriptum edidit, sub titulo *Relationis de abstrusioribus Jesuitarum artibus & studiis*: in quo ille, Collegiorum Jesuiticorum conditionem, Ordinis statum, & Regularum ipsorum praxin, vivis quasi coloribus depinxit, oculisque cernendam subjecit. Quanquàm autem bonus ille Cambilhonus, pessimam proptereà mercedem à Sociis suis reportârit: dignus nihilominùs est tractatulus ille, tanquam synopsis quædam Historiæ Jesuiticæ, qui, pro conclusione primæ hujus Partis, verbotim etiam huc apponatur. Ità verò ille habet.

Quod Marcus Cato olim dixit; Mirum, si aruspex aruspicem videns non rideat: *idem non incommode de Jesuitis pronuntiet*; Mirum, si Jesuita Jesuitam intuens risum cohibeat. *Loquor autem, non de simplicibus Jesuitis; quibus vel ob ingenii debilitatẽ, vel religionis opinionem, vel temporis brevitatem, abstrusiores Jesuitarum technæ ignotæ sunt. Hi namq; tantâ disciplinæ severitate coërcentur; ut nemo illorum, nisi sagacissimus, subodorari possit, quid monstri subsit. Sermo mihi est de ipsis Jesuitarchis, Regentibus, Patribus, Provincialibus, Generalibus: quorum tanta est, cùm omnium fla-*

Jesuitæ ridiculi socii sunt.
Simplices Jesuitę imperiti sunt mysteriorũ reliquorũ.
Qui & quales sint Jesuitarchæ.

gitiorum, tùm maximè scortationum, proditionum, & magicarum artium communio atq; societas: ut omninò mirum videri debeat, si quis alicui repentè fiat obviàm, statimq; quasi quoddam exemplar intueatur sui, non extemplò rideat effusissimè. Placet ergo hoc loco nonnulla recensere, quæ maximam partem ipsemet vidi; partim à Jesuitis audivi, quos nominare possum: & certè nominabo, si contra hæc vel hiscere ausint. Omnia autem nunc breviter, & rudi quâdam delineatione: at suo tempore (Deo volente) fusiùs & prolixiùs, assignatis omnibus circumstantiis.

Omnia Jesuitarum Collegia locis illustribus exstructa sunt.

Principiò, si ingrederis Collegium aliquod Jesuiticum, præcipuè in urbe aliquâ amplâ & populosâ constructum: (at quid dico, præcipuè? cùm nullum sit Collegium in loco humili atq; obscuro:) si, inquam, tale aliquod Collegium ingrederis; jam-primùm ab initio intuere diligenter Janitorem, alterum Charontem: aut potiùs Cerberum. Is est plerumq; senio confectus: aut si junior, certè exploratissimæ fidei & taciturnitatis. Hic (si quisquam alius) omnia mysteria Jesuiticæ Cabalæ novit: apud hunc reposita sunt,

Janitor Jesuita.

omnis generis & statûs, virilia & muliebria vestimenta. Hisce variis modis, quam quisq; personam agere se posse confidit, induti Jesuitæ, mirabiles exercent imposturas. Nunc enim militari habitu conspicui, per plateas & compita vagantur, & in publicis lupanaribus scortantur, & helluantur. Nunc civicam vestem induti, seq; Lutheranos aut Calvinistas professi, explorant in diversoriis, in foro, in tribubus, quid vulgò de se-se dicatur; quæ consilia volvantur & ineantur. Nunc Doctorio habitu clari, & annulis radiantes, & ex professo se Pontificios asserentes, ubi sciunt locupletiores è plebe, quibus sunt filii: eos, tanquam aliud quid sciscitaturi, adeunt, & in eorum familiaritatem se insinuant; miris

Jesuitæ omnis generis personas agunt.

Quomodo filios parẽtibus suffurentur.

modis: hortantur ad extremum, ut filios suos Jesuitarum disciplinæ committant. Nam & se ajunt ipsis magistris usos, & non-pœnitendos fecisse progressus. Nunc nobilem induti, conducto foris veredo, Principum aulas frequentant, caussâ officii. Nunc exsulem præ se ferunt, sibiq; subveniri petunt præsertim à Theologis Protestantibus & Calvinianis: ut explorent, quid contra se scriptitent. Et tales omninò puto fuisse eos, qui vos hactenus, Viri Reverendi, tàm miserè deceperunt. Sed quò magis hujusmodi exploratores in posterum caveatis; dicam vobis postea, quid consilii modò, modò inquam ceperint Jesuitæ.

Aulicos agunt.

Exsules simulant.

Ad quid illis vestes muliebres?

Jam verò quorsum muliebres illæ vestes? Audite. Nullus Terentianus leno tàm subductâ ratione, ad conciliandos meretricios amores, fuit, quàm sunt hodie Jesuitæ; ac præsertim is, quem dixi, Janitor. Nam, quod alii in penetralibus, & adytis templorum, per auricularem confessionem, consequi nequeunt, hic blanditiis & miris allectamentis facilè impetrat: maximè apud pauperiores viduas & mulierculas, quæ filias eò mittunt, acquirendæ causâ eleemosynæ. Et adde nomina in X.; ut Lotrix, Netrix. Has ubi in nassam attraxit impurissimus Janitor: etsi illæ laceris & detritis squalent vestibus; tamen aliis, quas habet in promtu, splendidè ipsas exornat; easq;, per varios anfractus & meatus, ad venerabiles dominos Patres deducit. Isthæc autem non fiunt interdiu; sed sub serum crepusculum. Inde totam noctem helluationibus & tripudiis exigunt; junioribus hæc non animadvertentibus. Habent enim ad hanc rem reducta, & concamerata, aut etiam subterranea loca, & laquearia; ut illi, qui olim Romæ Veneri initiabantur. Quorum tàm belluina fuit ad carnis lasciviam projectio: ut, iram Deorum veritus Senatus, lupanar illud funditùs everterit; sicut Livius testatur.

Hæc

Hæc de Janitore Jesuitico. Quibus & hoc addo: si qui fortè talem & tantum apparatum vestimentorum conspiciunt, miranturq; quid sibi velit; his respondetur, isthæc omnia comparari agendarum Comœdiarum gratiâ. Sed hic est finis minùs-principalis.

Jam porrò Templum ubi es ingressus; ne dubita, quin sub ferreo cœlo ambules. Mars tibi imminet cruentus; non Princeps ille pacis. Subter te, luridum inferni barathrum, & officina carnificum. Referam hîc bonâ fide, quæ ipse vidi. Pragæ, supra templi laquearia, aliquot millia ferreorum castuum & flagellorum invenies, ut Bohemis ferre mos est. Ad latera, disposita sunt tormenta bellica, & musquettæ quàm-plurimæ; interpositis lanceis & bipennibus. In medio, ubi coëunt arcus laquearium, prægrandium missilium lapidum aggeres conspicies quàm-plurimos. Similem apparatum deprehendes etiam Cracoviæ. De reliquis Collegiis non dubito. At in quem finem, (quæritis) obsecro? Fateor, & mihi rem ab initio mirabilem & prodigiosam visam. Sed res sic habet. Sciunt Jesuitæ se in omnium propè hominum, etiam sanctorum Papistarum, odio versari, propter res turbulenter & nefariè à se gestas. Neminem enim curant; ne consortes quidem Religionis: dummodò Pontifici gratificentur, etiam cum totius Orbis confusione, & Patriæ proditione. Quia ergo in perpetuis animi consternationibus hærent: maturè cautum sibi volunt, ejusmodi apparatu bellico. Metuunt enim, (ut egomet ab ipsis aliquoties audivi) ne sibi accidat idem, quod Templariis: qui licèt impensè Pontificii essent; tamen, propter nimiam ambitionem & avaritiam, intolerabiles effecti; de consensu omnium Christianorum Principum, & ipsius quoq; Pontificis approbatione, uno propè momento, per universum Mundum, è medio sublati atq; extincti fuerunt. Idem accidit & Pythagoricis, Ethnicorum Jesuitis in Italiâ. Verùm in Templis potissimùm reposita sua volunt præsidia & arcana: idq; propterea. Sive enim, exorto tumultu, concursus fiat à Papistis, auxiliandi gratiâ; ut subitò armari possint: sive diripiendi & prædandi caussâ confluant alienæ religionis asseclæ; ut supernè telis & lapidibus obrui queant. An verò non hoc est, ex domo orationis, facere speluncam latronum?

Templum Jesuiticū.

Jesuitæ in perpetuo sunt metu.

Cur in tēplis arma sua disposita habeant.

Sed audite, quæ magis miremini, & detestemini. Nam hæc sunt aurea & eburnea, præ illis, quæ sequuntur. Subter pavimentum Templi, Græcii, & alibi, sunt cavernæ & carceres subterranei; ad quos supernè descenditur per cochleas. Huc conferunt (ut Virgilianus ille Cacus) rapinas & thesauros suos; stipantq; cavernis ingens argentum. Et sic non modò summo cum voluntatis consensu, sed etiam incredibili cum voluptate, sunt pauperes, istamq; paupertatem admirabili patientiâ sufferunt: involuntarios autem pauperes, ut indignos tam beatâ cruce, diris devoventes. Divitias autem suas ità plerunq; condunt; ut directè & perpendiculariter subjaceant Altari majori & eminentiori. Atq; sic, cùm Missam cudunt, supra Marti, & infra Mammonæ, sacra faciunt. In carceribus verò subterraneis, miram videas Bibliothecam; funes, fidiculas, gladios, secures, forcipes, cippos, numellas, scalas; quibus illigati miseri, artuatim distrahuntur; si qui deveniunt in istorum Mezentiorum & Phalaridum manus. Non desunt tragicæ vestes carnificum: pileus pyramidalis, atris plumis ornatus; thorax fimbriatus & dissectus; caligæ hydropicæ & follicantes, ad talos usq; demissæ, ut vel intuenti horrorem incutiant. In quem finem (malùm) hæc officina parata est à viris religiosis, & mitissimi Salvatoris nostri æmulis? Audi. Istiusmodi instrumentis, intellectum discipulorum suorum capti-

Cavernæ & carceres subterranei in templis.

Ubi thesauros suos recondant.

Carcerum ratio.

vum ducunt, sub obsequium Jesuiticum. Si quem enim non duraturum suspicantur in proposito; aut erupturum, & arcana Jesuitica proditurum, metuunt: hunc cippo inclusum, diùq; fame & mediâ maceratum, tandem exquisitissimis tormentis enecant. Nihil ipsis affingo: scribo, quod res est.

Exempla tyrannidis Jesuiticæ. *Fuit Gracii, ante biennium, (h. e. anno 1606.) Jacobus quidam Clussæus, Nobilis Coriolanus, præstantis ingenii adolescens. hunc virgis & loris, ob rem leviculam, miserrimè concisum, (cùm se profugiturum, &, quæ prætereà in se flagitiosè commisissent, palàm conquesturum, affirmaret) ejusmodi carceri mancipârunt; ex quo posteà nunquam emersisse visus. Nulli juniorum dubitabamus, quin diris cruciatibus exspirâsset. Hoc inauditæ tyrannidis exemplum, suo tempore, consignatis omnibus circumstantiis, (quod ipse miser Clussæus facturus erat) ego divulgabo. Quin & aliud huic non dissimile facinus, in Martinum quendam, (cujus parentes opinor, adhuc vivunt Miltenbergæ) scelerato latrocinio à Fuldensibus Jesuitis admissum, omnium hominum oculis subjiciam. Et quot existimatis istiusmodi barathro devoratas & absumtas fœminas? quot interemtos infantulos? quot luculenti & ampli patrimonii sublatos adolescentes? Ego quidem non existimo; sed hoc ipsum firmissimè statuo. Quoties sub noctem audiri Novitiis nobis ejulatus, vagitus, suspiria & lamenta longè miserrima? gelidissimum exigente metu per corpus sudorem, & pilis horrore rigentibus. Crediderunt simpliciores, esse animas recens defunctorum. Ego credidi recèns natorum, & occisorum.*

Jesuitarum tragœdiæ. *Cæterùm, ne quid Jesuitis ad extremam diabolicam malitiam desit; solent illi nonnunquam, in ejusmodi subterraneis locis, Diabolo jucundum præbere spectaculum; dum, terrificas induti larvas, Novitiis ad hanc tragœdiam evocatis, horrendo cum boatu occurrunt; exploraturi eorum constantiam, & præsentiam animi. Nam, qui fracto & dejecto sunt corde: eos, ceu degeneres, ad magicarum artium penetralia non admittunt; sed ad inferiorum artium vestibula abjiciunt. Audaciores diligenter notant, & seriis studiis reservant. sed res sæpe-numerò cadit infeliciter: ut Anno 1602. mense Septembri, Pragæ contigit; dum quinque Jesuitis primariis, sub diabolicis larvis, juventuti obludentibus, immiscuit se sextus; & is quidē haud-dubiè verus Diabolus: qui unum ex quinq; fictis Diabolis, medium complexus, sic pressit; ut triduo pòst moreretur. Factum id lippis & tonsoribus notum est Pragæ. Nec tamen tragico illo exitu deterriti, in sacrilego Magiæ studio obstinate pergunt. Inter omnes autem Jesuitas, magicarum artium peritiâ*

Jesuita Cotonus archimagus. *eminet Pater Coton Gallus: quem Rex ipse tanti facit; ut regiæ mensæ adhibeat, & familiares cum eo misceat sermones. De quo ipsi jactant Jesuitæ, quòd speculum habeat constellatum; quo, quicquid Rex scire aveat, perspicue ipsi repræsentet: nec esse quid tàm abstrusum, aut geri & consultari in reliquorum Monarcharum intimis conclavibus; quod illius constellati, vel potiùs condiabolati, speculi beneficio, non in lucem proferre possit. Et quidem hujus Jesuitæ Magi operâ, confisi sunt Jesuitæ, potentissimum quendam Imperii Principem, eumq; Euangelicum, in partes suas pertrahere: quandoquidem is magico studio mirifice delectatus fuisse dicebatur.*

Jesuitarum Scholę magicæ: *Quos verò inter se-se Novitios huic artificio perdiscendo deputârunt; iis explicant nongentas illas Propositiones, quas Mirandulanus ille Comes Romæ affixit: itèm Johannis*

nis Trithemii librum de Secundis: itèm Cornelii Agrippæ tractatum, de occultâ Philosophiâ: itèm Theophrastum, de Constellatione, & sigillis Planetarum: itèm nescio cujus Abbatis Steganographiam: itèm artem Pauli, ad conciliandas revelationes. Ubi Divum illum Paulum intelligunt; quem dicunt, arte quâdam Magicâ instructum, tantas percepisse divinitùs revelationes. Eandemq; calluisse dicunt & Johannem: imò, Christum ipsum omnibus numeris absolutissimum fuisse Magum, non dubitant: ut egomet ab ipsis non semel audivi; & nominare possum, à quibus. Et hactenus de Templo Jesuitico: quibus addo, subterraneas illas latebras, & Circea antra, subesse plerumq; choro, aut peristylio; non ubi populus consistit.

Nunc, ubi te contuleris ex Templo in Museum, (de triclinio enim, cubiculis, & areâ recreatoriâ; itèm de disciplinâ Novitiorum, qui jam se votis adstrinxerunt; & de convictu cæterorum discipulorum, qui Jesuitarum curæ sunt commissi; itèm de methodo & ordine studiorum, nihil nunc quidem dicam: sed in aliud tempus differam; & sunt pleraque aliundè nota) ubi, inquam, in Museum te contuleris, ad dextrum latus te converte: videbis ibi lectissimam & conquisitissimam Bibliothecam, omnis generis auctorum. Libri omnes, in pelles aut membranas nitidissimas compacti, auro & argento radiant. Quorum usus est quotidianus; illi pulpitis dispositi, in prælongâ tabulâ, & catenulis sunt alligati. Ad interiorem Bibliothecam solis ingredi licet Patribus, & libros indè mutuari, quos volunt. Junioribus prostant illi quotidiani: nec sinè veniâ Regentis, è reliquis vel apicem excerpere licet. Cæterùm, in hac Bibliothecâ nulli sunt libri Hæreticorum; sed probatissimorum auctorum, & Catholici omnes. Indignos enim illos judicant, ut inter reliquos locum aliquem obtineant: & fortè metuunt, ne pestiferâ contagione cæteros inficiant. Quare ad sinistram tu respice: ibi cernes miseros Hæreticorum libros, in luctu & squalore constitutos; & quidem atris pellibus, atris membranis ligatos, & atro colore desuper tinctos omnes. Ex his ne Patribus quidem eximere fas est, quos desiderant, sinè præscitu Regentis. Junioribus autem ne petere quidem licet; nisi carmine priùs, aut alio scripto hunc-ipsum auctorem, cujus scripta cognoscere cupiunt, omni genere convitiorum proscinderint.

Bibliotheca:

Inter hasce Bibliothecas, medium occupat Museum, multis cellulis, cæruleo velo ab invicem separatis, distinctum. Dextrum latus obsident Patres: sinistrum Juniores, qui jam ordines aliquot susceperunt. Reliqui Novitii communibus convictoribus sunt immixti: ut ipsos observent, eisq; Jesuitici ordinis suavitatem & excellentiam continuis vicibus deprædicent; maximè locupletioribus, & hæredibus patrimoniorum suorum unicis.

Museum.

De studiis Jesuitarum hìc nihil subjiciam: sed describam breviter Examen Provincialis; quod nusquam exstare arbitror. Unusquisque Provincialis, ab eâ Provinciâ, aut Regno potiùs, quod inspectioni & curæ suæ commissum habet, denominatur. Ejus officium est, invisere Collegia, eorumq; supputare redditus & census: insuper annotare diligenter, quinam ex Magnatibus liberos in Collegiis erudiri curent, & quot illorum sint numero? Num quotannis aliqua fiat accessio discipulorum, & amplificatio fortunarum & opum? Num qui sint, & quot, ex Lutheranismo conversi? Si nulli; aut etiam facta aliqua Pontificiæ Religionis imminutio, & jactura bonorum: exprobrat negligentiam & socor-

Examen Provincialis.

diam; mandatq; severiter, ut acceptum damnum resarciant. Quòd-si gesserunt se egregiè; multos converterunt; multum comparserunt & corraserunt: omni laude cumulat, & cœlo effert. Insuper sciscitatur, quæ nam sit vicinorum Hæreticorum de ipsis opinio? quæ nam consilia Magnatum? quales habeant conventus, & quot, & ubi? quid decernant; quid volutent? Itèm, an Hæreticorum Principes crebriùs sint domi, an alibi? ad quósnam proficiscantur frequentiús? quali quisq; sit ingenio? quibus rebus ut-plurimùm delectetur? an curam aliquam suscipiat Reipublicæ? an amore & studio aliquo teneatur Religionis? an potiùs vino, Veneri, & venatui indulgeat? an quos habeat in aulâ Catholicos? Quínam sint populares rumores de suis Principibus? Num Ecclesiæ Adversariorum ferveant? Num pastores Ecclesiarum sint viri docti, & diligentes; an verò somnolenti, & illiterati? Num Theologica facultas in vicinâ Academiâ Hæreticorum floreat? Num crebriores habeant Theologi disputationes? & contra quos maximè? quos libros, & de quâ materiâ, in lucem ediderint nuperrimé?

Ad hæc, & alia, si respondeat Regens, & reliqui Patres, appositè: mirificè prædicat industriam, & vigilantiam. Sin minùs; eosq; adeò rerum istarum nescios deprehendit: acerbè vituperat. Quid agitis, inquit, vos somnolenti & desides? cur perditum itis Romanam Ecclesiam? quomodo summo Pontifici hanc inertiam vestram probabitis? Cur non insinuatis vos agendis rebus? cur metuitis? cur non intrepidè rem aggredimini? Dudum hæc gesta, dudum perfecta oportuit. Videte vigilantiam Hæreticorum incredibilem. Et vos stertitis? His & similibus verbis ipsos increpat, & exacuit.

Tandem quærit de discipulis, convictoribus, novitiis, & reliquis: quot eorum sint numero? quantus cujusq; profectus? ad quod quisq; studium inclinet? num quis inter eos spinosior & scrupulosior? Talem enim a Theologico studio prorsus removendum existimant; nisi scholasticis disputationibus probè exercitatum, & opinione Religionis imbutum. Quærit præterea, num quem habeant in grege, qui pro amplificandâ Romanâ Ecclesiâ, laudabili aliquo facinore se obstringere & vitam denique profundere, non dubitet; siquidem necessitas aliquando flagitare videatur? Ad extremum, omnia isthæc consignata Generali transmittit Romam: per quem immediatè significantur Pontifici. Atque hîc per totum Christianum orbem nihil geritur, aut consultatur; quod non per hos Imperii proditores Papæ innotescat. Per Provincialem etiam, Jesuitæ ab uno Collegio in aliud transferuntur; idq; fere triennio quolibet.

Practicæ Jesuitarũ, ad perturbandam Germaniã.

Addam postremò, corollarii loco, miras Jesuitarum technas; quas nuper admodùm communi consilio fabricatas, ad subvertendum Ecclesiæ & Reipublicæ statum in Imperio Romano, in effectum traducere conati sunt; & conantur etiam-num hodie. Etenim hic eorum finis unicus; quo pacto, commissis inter se Imperii Principibus, & sublatis è medio præcipuis Ecclesiæ doctoribus, Hispanicam tyrannidem, & primatum Pontificis, in Germaniam subinferant. De quâ re ipsum Provincialem Del-Rio verba facientem commemini. Consilia & machinæ ferè sunt ejusmodi, ut sequitur.

Quomodo Status Imperii invicẽ sint committendi.

Principiò videndum & elaborandum, quomodo potentissimi Imperii Principes à se invicem abalienentur. Hic finis est. Medium, ut abalienentur, est ipsa Religionis inter ipsos diversitas. Cæsar ita declaret: Religionis libertatem locum non habere; nisi priùs ablata restituantur, post Pataviensem transactionem. Hoc illi certò renuent, & excutient.

tient. Mittat ergo Principes; & idem flagitet à Civitatibus Imperii. Illæ aut obedient; aut non obedient. Si prius: salva res est. si posterius: proscribat eas; & vicinis Principibus, & semper uni Calviniano, alteri Luthérano, diripiendas tradat. Non enim putârunt Pontificii, tàm prudentes fore Principes Protestantes, in causâ Donavverdensi; quin se vel ad minimum Palatinus, aut Wirtenbergicus, oppositurus esset Bavaro. Quo facto, proscripti fuissent & ipsi; & omnis conscissa pacificandi ratio: non modò ex Pontificiis; sed etiam Calvinianis. Quia verò consideranttus egerunt, quàm existimatum fuit: ad has se converterunt fraudes Jesuitæ. Nam, proscriptis unâ atq; altera Civitatibus Imperii, nullus sibi temperaturus est Principum; quin malit sibi potiùs, quàm alteri æmulo, ex communi prædâ consultum. Hoc in genere.

In specie autem adnitendum esse, ut, commißis inter se-se Saxonicis Principibus, potentia eorum frangatur. Id autem fieri posse commodißimè: primò, si Primatus Magdeburgicus, qui nunc vacat, Electori Coloniensi Bavaro decernatur administrandus. id neque Brandeburgicus, neque Saxo, facilè concesserint. Secundò, id si non succedat pro votis: aliquid causæ obtendendum, quare videatur, aut videri saltèm debeat, ab Electorali dignitate removendus Saxo. Si enim Imperii Proceres Wenceslaum à Cæsareo culmine dejecerunt, quia ipsis videbatur ignavior: habere etiam posse Cæsarem justam causam, quare Saxonem istum, quotidie ebrium, ab Electorali dignitate removeat. Tradat igitur & restituat hanc dignitatem familiæ Vinariensi: & quia Principes illi adhuc minorennes, administrationem Electuræ committat Henrico Brunsvicensi, Principi literato & vigilanti. Hæc res, sinè dubio, incredibiles excitabit turbas per totam Saxoniam. Ità mutuis se conficient & atterent viribus: ut communi mox superventuro hosti resistere nequeant. Principes Euangelici per se invicem destruendi.

Brandenburgicum & Pomeranos quod attinet; dandam operam, ut Affinis Cæsaris, Rex Poloniæ, cum patruo suo, Rege Sueciæ Carolo, sic paciscatur: ut Prußiam communi sectioni subjiciant, & in capita dividant. Contra quod se Brandeburgicus totis viribus opponet.

Haßiæ verò Landgravium adurgendum, ut cum patruo Ludovico dividat æquabiliter hæreditatem; & Hersfeldensem administrationem resignet Episcopo Herbipolensi. Sin minùs: ut proscribatur; & Ludovico ditiones ejus aßignentur.

Wirtenbergicum porrò Ducem, & Electorem Palatinum, facilè committi posse inter se-se: si ad restitutionem Cœnobiorum aliquot Dux adigatur; &, si nolit, proscribatur: aßignatis Electori vicinis aliquot monasteriis; & inter ea cumprimis uno, quod pridem desiderâsse dicitur.


Hæc sunt funesta consilia Jesuitarum; quæ ex ore ipsorum audivi, summo cum stupore & admiratione. Suntq; quàm-plurima alia, quæ non omnia mihi occurrunt: & in hunc finem spectat pax Belgica, & Turcica. Sed DEUM credo sic rem direxisse, in Ecclesiæ salutem: ut, quas illi inimicitias inter Germaniæ Proceres serere nituntur, eas jam conspiciant flagrare inter Cæsarem, & fratrem ejus Matthiam, Pontifici addictißimos & charißimos filios.

Quin & hoc deliberatum & consultatum est à Jesuitis: ut, emißis aliquot audacißimis sicariis, præcipuos Euangelicæ & Calvinianæ Ecclesiæ doctores veneno tollant, tantâ into- Sicarii Jesuitici.


toxicandi peritiâ instructis; ut patinas, salina, malluvia, lebetes, & quæ reliqua ad usum quotidianum destinata sunt, sic inficere valeant: ut, licèt decies extergantur, tamen atrocißimi & præsentißimi veneni vim retineant. Quapropter omnes pios & sinceros Ecclesiæ antistites hortor; ut in-posterum sibi cavere velint: nec cuiquam facilè fidem adjungant; nisi priùs probè exploraverint.

Hæc in mentem mihi nunquam venire potuissent; nunquam etiam venissent: nisi à primariis Jesuiticæ colluviei sociis hæc singula, & multò alia plura, accepissem. Quæ, in Patriæ & Ecclesiæ salutem, in apricum producere debui: nunc quidem solùm delineando; at suo tempore, Deo volente, omnibus coloribus & circumstantiis, loci, temporis, & personarum, exprimendo.

FINIS LIBRI I. HISTORIÆ JESUITICÆ.



HISTO-



HISTORIÆ JESVITICÆ
LIBER SECUNDUS.
DE DOCTRINA JESUITARUM.

IN ſecundo hoc libro Hiſtoriæ Jeſuiticæ, illam eorum doctrinam referam; quam Jeſuitæ non ſolùm cum aliis nonnullis Papiſtis communem, ſed etiam pro ſe privatam tenent; omnibusque viribus, tàm opere ipſo, quàm verbis atque ſcriptis, propugnant; certum quippe medium, ad toties decantatum ipſorum inſtitutum, finemque architectonicum Ordinis ipſorum, pertingendi; qui eſt, ſub colore & prætextu Religionis catholicæ, mediante Papali authoritate, ac potentiâ Hiſpanicâ, univerſum ſibi terrarum orbem ſubjugare; eumque, tàm in politicis, quàm eccleſiaſticis, ad Jeſuiticam normam confundere, Atq; hanc quidem ipſorum doctrinam, melioris intelligentiæ gratiâ, ſequentibus quatuor capitibus diſtinguemus: quorum primum, *de Superioritate & authoritate Romani Papæ, & Cleri illius*, fuerit; alterum, *de Actionibus & tractationibus cum Hæreticis*; tertium, *de Artibus ipſorum tumultuoſis ac parricidialibus*; quartum denique, *de Aequivocatione, & mentiendi artificio.* Jeſuitarum inſtitutum & finis.

DE PAPÆ ROMANI, ET CLERI IPSIUS, SUPERIORITATE ET AUTHORITATE.

CAPUT I.

ARTICULUS I.

PONTIFICEM Romanum omnimodam habere, & ſpiritualem, & temporalem poteſtatem; jus mandandi, prohibendi; banni ſive excommunicationis; jus itèm pœnarum; electionis & vicariatûs Imperii; Magiſtratus quosvis inſtituendi, & deponendi, ipſos etiam Imperatores, Reges, Principes; ſic & in alios quosvis Ordines, illorumque ſubditos. Et hæc pro articulis fidei habenda: qui verò iſta non probat, Papa eſt ſupra omnes homines & magiſtratus.

aut non credit; eum pro Hæretico deteſtando cenſendum eſſe.

Ità ſcribit ac ſtatuit BONIFACIUS IIX. in c.1. Unam ſanctam. Extravag. lib.1.tit.8.de Majoritate & Obedientiâ: *Uterq; ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ; ſpiritalis ſcilicet gladius,& materialis. Sed is quidem pro Eccleſiâ; ille verò ab Eccleſiâ, exercendus; ille Sacerdotis: is manu Regum & Militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis.* Quódque *ſpiritalis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habeat,& judicare, ſi bona non fuerit. Sic enim de Eccleſiâ,& eccleſiaſticâ poteſtate, verificari vaticinium Hieremiæ; Ecce, conſtitui te hodie ſuper gentes & regna,&c. Ergo, ſi deviat terrena poteſtas, judicandam eſſe à poteſtate ſpiritali. Sed, ſi deviat ſpiritalis minor; à ſuo ſuperiori: ſi verò ſuprema; à ſolo Deo, non ab homine, poſſe judicari: teſtante Apoſtolo; Spiritalis homo judicat omnia; ipſe autem à nemine judicatur.* Et concludit ibidem Bonifacius: *Subeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus, omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.*

Cum Bonifacio concordant, & præmiſſa tenent, INNOCENTIUS III. & IV. *lib.1.Decretal.tit.6.de Electione & Electi poteſtate,c.34.Venerabilem.* & *tit.33. de Majorit. & Obed.c.6.Solicitæ.* & *lib.6.Decretal.tit.14. de Sententiâ & re judicatâ. c.2. Ad apoſtolicæ.*

Sic PLATINA, in vitâ GREGORII VII. hæc illius verba refert: *Agite Apoſtolorum Principes,& veſtrâ authoritate, quod dixi, confirmate: ut omnes nunc demùm intelligant, Nos imperia, regna, principatus,& quicquid habere mortales poſſunt, auferre & dare poſſe.*

SYLVESTER PRIERIAS, vetus ille Papæ adulator, in Epitome reſponſ.ad Lutherum, cap.9.ſcribit: *Romanus Præſul eſt Legum conditor, quæ ex neceſſitate ſalutis omnes afficiunt.* Quod conſentit cum eo, quod DECRETI parte 1. diſtinct.c.2.ſtatuitur: *Sic omnes Apoſtolicæ ſedis ſanctiones accipiendas eſſe, tanquam ipſius divini Petri voce firmatæ ſint.*

Ità quoque ſentiunt ac ſcribunt JESUITÆ: BELLARMINUS, *lib.5.de Rom.Pontifice, cap.1.6.& ſeqq.* ISIDORUS MOSCONIUS, *de Majeſtate militantis Eccleſiæ.* FRANCISCUS BOZIUS, *de temporali Eccleſ.Monarchiâ.* ALEXANDER PESANTIUS, *de Immunit.Eccleſ.& Poteſt.Rom.Pontif.*

In libro Jeſuitico, cui titulus, CONCERTATIO Eccleſiæ Catholicæ, Treviris anno 1583. excuſo, expreſſa hæc verba exſtant: *Pontificis authoritatem eſſe articulum fidei.* Itèm: *Papam habere poteſtatem, quemcunque Principem de principatu dejiciendi; ejusq; ſententiæ, ſi promulgetur, ſubditos Principum obedire debere.*

FRANCISCUS SUAREZ, lib.6.Defenſionis fidei catholicæ, adversùs Anglicanæ ſectæ errores, c.5.n.8. *Propoſitio hæc,* inquit, *Papa poteſtatem habet ad deponendos Reges hæreticos & pertinaces, ſuóve regno, in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, pernicioſos; inter dogmata fidei tenenda & credenda eſt. Nam continetur in verbis Chriſti, Petro ſingulariter & peculiari ratione dictis; Quodcunq; ligaveris, & quodcunq; ſolveris: &, Paſce oves meas. prout Catholica Eccleſia, quæ eſt columna & fir-*

ma-

mamentũ veritatis, illa intellexit; & apertißimè declaravit Bonifacius IIX. in Extravag. Unam sanctam. de Majorit. & Obed. concludens, esse veritatem hanc de necessitate salutis.

Cùm etiam BELLARMINUS Jesuita, integrum tractatum, *de Potestate summi Pontificis in temporalibus*, conscripsisset; is verò pro seditioso & impio agnitus fuisset: Curia regia Parisiis, tractatum quidem illum condemnavit; nec tamen exempla illius, in Cardinalis honorem, publicè concremari voluit; uti verò Marianæ & Suarezii libris factum est; de quo, capite tertio, posteà dicetur. Excerptum sententiæ illius, ex Actis judicialibus Parlamenti Parisini, verbotim ita habet:

Viso in Curiâ, convocatis tribus Claßibus, libro, cui titulus; Tractatus de Potestate summi Pontificis in temporalibus, adversùs Gulielmum Barclajum, authore Roberto, S. R. E. Cardinali Bellarmino; impressus Romæ, per Bartholomæũ Zannetti, anno 1610. *cùm à Procuratore Regis generali desuper conclusum esset, & consideratis omnibus: dicta Curia edicit omnibus, cujuscunq; ordinis & conditionis sint, ac vetat, sub pœnâ criminis læsæ Majestatis; ne quisquam recipiat, apud se retineat, alterive communicet, typis excudat, aut venum exponat librum istum; qui falsum & planè detestandum continet pronuntiatum; quod tendit ad eversionem supremæ Potestatis à Deo constitutæ; seditiosos reddit subditos adversùs suos Principes, eorumq; imperio subducit; &, ut contra vitam ac dignitatem ipsorum nefaria tentare, ac tranquillitatem publicam turbare audeant, animat atque inducit. Mandat verò illis, qui exempla perniciosi istius libri habuerint, aut resciverint alios, qui habeant: ut continuò indicent Judicibus ordinariis; qui de eâ re inquirant, ad instantiam Substitutorum dicti Procuratoris generalis; & in reos ita, ut jus & æquum est, statuant. Similiter prohibet, sub eâdem pœnâ; ne quisquam Doctorum Professorúmve in Scholis, Collegiis, aliisve locis, de illo pronuntiato tractet, disputet, scribat, aut quocunque modo illud alios docere audeat. Jubet eadem Curia, ut Arrestum hoc mittatur in omnes Præfecturas, huic jurisdictioni subjectas: ut ibi publicè legatur, in monumenta referatur, & omnibus suis partibus diligenter observetur. Mandatq; Substitutis Procuratoris regii; dent operam, ut exsecutioni mandetur: &, de adhibitâ suâ diligentiâ, intra mensem, Curiam certiorem reddant. Pronuntiatum in Parlamento, die Veneris, 26. Novemb. Anno 1610.*

ARTICULUS II.

Omnes ecclesiasticas personas, Episcopos, Prælatos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, &c. illorumq; temporalia bona, jura, & redditus, à temporalium Dominorum obedientiâ, mandatis, contributionibus, & jurisdictionibus, in personalibus & realibus, civilibus & criminalibus, prorsus exemtos & privilegiatos esse; nec vel Imperatori & Regibus, aliisque laicis Magi-

Papa & Clerici ipsius, per omnia & in omnibus liberi sunt; omnis verò Mundus illis subjectus est.

ſtratibus, parére teneri. Cęſarem autem, Reges & Principes, præcipua ſua fortalitia, Eccleſiaſticis potiùs, quàm Laicis perſonis, cuſtodiēda concredere debere.

Ità ſcriptum exſtat in JURIS PONTIFICII parte 2. cauſ. 11. de Foro competenti, c. 2. *Nullus Judicum [ſecularium,] neque Presbyterum, neq; Diaconum, aut Clericum ullum, aut juniores Eccleſiæ, ſinè licentiâ Pontificis, per ſe diſtringat, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit: ab Eccleſiâ, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tamdiù ſit ſequeſtratus; quouſq; reatum ſuum agnoſcat, & emendet.* Sic lib. 2. Decretal. tit. 2. de Foro competenti, c. 12. Si diligenti. *Tam Epiſcopi, quàm Diaconi, ſeu quilibet Clerici, in criminali, ſeu in civili negotio, ſi, derelicto eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis ſe purgare voluerint; etiamſi pro eis ſit lata ſententia; locum ſuum amittant, & hoc in criminali actione: in civili verò perdant quod evicerint, ſi locum ſuum maluerint obtinere. Et non ſolùm inviti, ſed etiam voluntarii, paciſci non poſſunt; ut ſecularia judicia ſubeant: cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renuntiari valeat; ſed potiùs toti Collegio eccleſiaſtico ſit publicè indultum: cui privatorum pacto, derogari non poteſt. Nec juramentum licitè ſervari poterit; quod contra Canonica ſtatuta, illicitis pactionibus, informatur.* Et lib. 3. Decretal. tit. 49. de Immunit Eccleſiar. c. 4. Non minùs. *Sub anathematis diſtrictione, Magiſtratus ſeculares prohibentur, onera foſſata, expeditionis, ſeu alia qualibet, Eccleſiis imponere: niſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatē, adſpexerint; ut abſq; ullâ exactione, ad relevandas cōmunes utilitates, vel neceſſitates, ubi Laicorū non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferēda.* Et lib. 6. Decretal. tit. 23. de Immun. Eccleſ. c 3. Clericis. ſtatuitur: *Quòd quicunq; Prælati eccleſiaſticæq; perſonæ, religioſæ vel ſeculares, quorumcunq; ordinum, conditionis ſeu ſtatûs, collectas, vel tallias, decimam, viceſimam, ſeu centeſimam ſuorum & Eccleſiarū proventuum vel bonorum, Laicis ſolverint, vel promiſerint, vel ſe ſoluturos conſenſerint; aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam, ipſorum proventuum vel bonorum æſtimationis, vel valoris ipſorum; ſub adjutorii, mutui, ſubventionis, ſubſidii, vel doni nomine, ſeu quovis alio titulo, modo, vel quæſito colore, abſq; authoritate Sedis apoſtolicæ: nec-non Imperatores, Reges, ſeu Principes, Duces, Comites, vel Barones, Poteſtates, Capitanei, vel Rectores, quocunque nomine cenſeantur, civitatum, caſtrorum, ſeu quorumcunq; locorum, conſtitutorum ubilibet; & quivis alii, cujuscunq; præeminentiæ, conditionis & ſtatûs, qui talia impoſuerint, exegerint, vel receperint; aut apud ædes ſacras depoſita Eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum, ubilibet arreſtaverint, ſaiſiverint, ſeu occupare præſumſerint; vel arreſtari, ſaiſiri, aut occupari mandaverint; aut occupata, ſaiſita, ſeu arreſtata receperint: nec-non omnes, qui ſcienter dederint in prædictis auxilium, conſilium, vel favorem, publicè vel occultè: eo-ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Univerſitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, eccleſiaſtico ſupponuntur interdicto. Prælatis, & perſonis eccleſiaſticis ſupradictis, in virtute obedientiæ, & ſub depoſitionis pœnâ, diſtrictè mandatur; ut talibus, abſq; expreſſâ licentiâ dictæ Sedis, nullatenus acquieſcant: quódque, prætextu cujuscunq; obligationis, promiſſionis, & conceſſionis,*

ſionis,factarum hactenus,vel faciendarum in antea,prius-quàm hujusmodi conſtitutio, prohibitio,ſeu praceptum, ad notitiam ipſorum pervenerit, nihil ſolvant; nec ſupradicti ſeculares quoquo modo recipiant: &, ſi ſolverint,vel prædicti receperint, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto.

INNOCENTIUS III.lib.1.Decretal.tit.33.de Majorit.& Obed.c.6.Solicitę. ità ſcribit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum: *Potuiſſes autem prærogativam Sacerdotii ex eo potiùs intelligere; quod dictum eſt,non à quolibet; ſed à Deo: non Regi; ſed Sacerdoti: non de regiâ ſtirpe; ſed de ſacerdotali proſapiâ deſcendenti,de Sacerdotibus videlicet,qui erant in Anathot: Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna; ut evellas & diſſipes,ædifices & plantes. Prætereà nôſſe debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli; luminare majus,ut praeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti: utrumq; magnum; ſed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, h.e. univerſalis Eccleſiæ,fecit Deus duo magna luminaria; i. e. duas inſtituit dignitates: quæ ſunt,Pontificalis authoritas,& Regalis poteſtas. Sed illa,quæ præeſt diebus, i.e. ſpiritualibus,major eſt; quæ verò carnalibus,minor: ut,quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur. Hæc autem ſi prudenter attenderet Imperatoria Celſitudo: non faceret, aut permitteret, Conſtantinopolitanum Patriarcham,magnum quidem & honorabile membrum Eccleſiæ, juxta ſcabellum pedum ſuorum,in ſiniſtrâ parte ſedere: cùm alii Reges & Principes,Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuis, ſicut debent, reverenter aſſurgant, & eis juxta ſe venerabilem ſedem aſſignent.* Et CLEMENS III.Papa,ibidem paulò antè, c.4.ait: *Omnes Principes terræ, & cæteros homines,Epiſcopis obedire,beatum Petrum præcepiſſe.*

BARONIUS Cardinalis, in Parænesi ad Rempub.Venetam, in hunc modum ſcribit: *Audi compellantem te,quiſquis es transgrediens terminos tuos, Apoſtolum Paulum,& dominium tuum juſtis limitibus adeò coarctantem; ut extra eos,qui ſunt tibi ſubditi,nullam in reliquis te habere ſentias poteſtatem,ut eos judices: Tu, quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat,aut cadit. Si alieni ſervi abripitur tibi,apoſtolicâ denuntiatione,judicium: quomodo præſumere poteris,alterius fori, non tibi ſubjectum ſaltèm judicare Clericulum? quomodo Diaconum, vel Sacerdotem? quomodo Epiſcopum? Et (quod horrendum dictu) quomodo tuâ ſententiâ condemnabis; & non horreſces, Archiepiſcoporum vel Patriarcharum ſententias judicare? ac denique (quod & monſtrum atq; portentum Luciferi eſt) dices; In cœlum conſcendam; ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: judicabo judicia Chriſti Vicarii; latas ab ipſo ſententias nullas eſſe,propriâ denuntians authoritate, definiam. Quod & feciſti. Sed ſic elevatus certum caſum expaveſce,qui ſubditur: Veruntamen ad infernum detrahêris in profundum laci. Adeò ut magno te ſcias periculo, ſicut magno piaculo, divina tentâſſe; tribunalq; illud divinitùs conſtitutum,ſuper cœlum exaltatum,ejus retractando ſententiam, pervaſiſſe. Sed audi abſterrentem Apoſtolum: Neſcitis, quia Angelos judicabimus? quantò magìs ſecularia? Venerandum quod eſt Angelis, quomodo Principibus non reverendum, quod contemſiſti tribunal, & contumeliis affeciſti? Danielis thronum circumſtabant Angeli vindices: Petri cathedram deſeret cuſtodia Angelorum, ulciſcentium, quicquid peccatur in eam.*

JOHANNES MARIANA, Jesuita Hispanus, lib. 1. de Rege & Regis institutione, cap. 10. scribit: *Princeps neminem ex sacrato ordine supplicio afficiat. Illius immunitates & jura intacta ut sint, curare debet. Præstat enim, scelera impunita relinqui; quàm hujusmodi immunitates refigi.* Itèm: *Vellem, Episcopis firmissimas Principum arces in fidem tradi.* Et paulò antè: *Respublica commodius à viris sacratis, quàm à profanis, quales sunt Urbium procuratores, remedium exspectabit.*

FRANCISCUS BOZIUS quoque, lib. 2. de temporali Eccles. monarch. cap. 1. vult; *Seculares rerum temporalium judicia, ad normam & imperium Ecclesiasticorum, exercere debere.* Itèm: *Rerum etiam temporalium judiciis præficiendos magìs dignos in Ecclesiâ; velutì sunt Sacerdotes & Episcopi. Sacerdotibus etiam regni gubernacula tradenda.*

ARTICULUS III.

Papa Deus est; neque errare potest.

Quantúmvis Papa homo sit: attamen, quia Vicarius Dei in terris, (ob quam causam illi etiam divini honores competant) errare ipsum non posse, in negotiis fidem Christianam concernentibus; etiamsi omnes alii Ecclesiastici, atque adeò ipsa etiam Concilia, errarent. Ideoque à Conciliis ad Papam; non contrà, à Papâ ad Concilium, appellari posse.

Ità scribit NICOLAUS Papa, parte 1. Decreti, distinct. 96. c. 7. *Satìs evidenter ostenditur, à seculari Potestate, nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem; quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum: nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est.*

BLONDUS, lib. 3. Roman. instaur. *Omnes Principes orbis terrarum, Pontificem honorant & colunt, ut summum Deum.*

BELLARMINUS Cardinalis, lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. post alios allegatos Doctores, dicit; *Deum non permittere, ut Papa quicquam temerè definiat. Qui enim promisit finem, hunc etiam media promisisse.*

MOSCONIUS, lib. 1. de Majest. militantis Eccl. cap. 1. scribit: *Si totus Mundus sententiaret contra Papam in aliquo negotio; standum tamen esset sententiæ Papæ.* Quod etiam exstat in GLOSSA Juris Canonici, caus. 9. quæst. 3. c. 13. Nemo judicabit. in verbo, Neque ab omni clero.

A' Concilio ad Papam rectè appellari, docet JOHANNES DE SELVA, *tractatu de Beneficiis, par. 4. n. 28.* Non contrà à Papâ ad Concilium; JACOBATIUS, *de Conciliis, lib. 1. art. 1. n. 36. & art. 16. n. 26.* utì nec à Papâ ad Cardinales: MANFREDUS, de Cardinalib. decis. 391. cum JACOBATIO, contra Bartolum.

ARTI-

ARTICULUS IV.

In Romani Pontificis arbitrio ſtare S. Scripturæ authoritatem, interpretationem, & mutandi jus. Contrà, Pontificis placita, tanquam ad fidem & ſalutem præcisè neceſſaria, ſemper firma, valida, & obligatoria eſſe.

Papa eſt ſupra Scripturam S.

In CONCILIO TRIDENTINO, Seſs. V. cap. 1. ità concluſum eſt: *Etſi Chriſtus Dominus, in ultimâ Cœnâ, venerabile hoc Sacramentum, in Panis & Vini ſpeciebus, inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio & traditio eò tendunt; ut omnes Chriſti-fideles, ſtatuto Domini, ad utramq; ſpeciem adſtringantur.* Et cap. 2. ratio ſubjicitur: *Hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſiâ fuiſſe; ut, in Sacramentorũ diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret vel mutaret: quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Et cap. 3. Can. 1. definitum eſt ità: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceßitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti-fideles, utramq; ſpeciem ſanctißimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere; anathema ſit.* Can. 2. *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam, non juſtis cauſsis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atq; etiam Clericos non-conficientes, ſub Panis tantummodò ſpecie communicarent; aut in eo errâſſe; anathema ſit.*

SYLVESTER PRIERIAS, in Epitome reſponſ. ad Lutherum, ſcribit; *Doctrinam Pontificiæ Eccleſiæ, & Pontificis Romani, eſſe regulam fidei infallibilem: à quo Pontifice etiam robur trahat, aut traxerit S. Scriptura: &, qui hoc non credit, Hæreticum eſſe.*

CAROLUS RUINUS, conſil. 109. n. 1. volum. 5. tenet; *Quòd Papa ſtatuere poßit contra Epiſtolas Pauli.* Et ANTONIUS DE ROSELLIS, in tract. de Conciliis, tradit; *Papam eſſe majorem Paulo.* Et ROTA, deciſ. 1. n. 3. cum ANTONIO MARIA, Addit. ad deciſ. Rotæ novas, de Bigamis, n. 9. *Quòd Papæ poteſtas ſit major Apoſtolo; & quòd poßit dictis apoſtolicis derogare.*

HOSIUS Cardinalis Polonus, lib. de expreſſo Dei verbo, ſcribit: *S. Scripturam, niſi juxta ſenſum Eccleſiæ Romanæ exponatur, non eſſe Dei expreſſum verbum; ſed expreſſiam verbum Diaboli: Satanæ verba eſſe per membra ſua loquentis.*

Traditiones quin-etiam Papales, & Eccleſiæ Romanæ, eâdem authoritate præditas eſſe, atque ſcripta canonica Veteris & Novi Teſtamenti, pariq; pietatis affectu & reverentiâ ſuſcipiendas & venerandas; decrevit CONCILIUM TRIDENTINUM, Seſs. IV. ac defendunt, PETRUS à SOTO, in Defenſ. de uno Præſ. Judice Eccleſ. c. 33. & COSTERUS Jeſuita, in Apologiâ pro parte 1. Enchirid. contra Franciſcum Gomarum.

DE

DE ACTIONIBUS ET TRACTATIONIBUS PAPISTARUM CUM HÆRETICIS.

CAPUT II.

ARTICULUS I.

Jesuitæ perfidiã & fœdifragia docent.

PRo invalidis, & planè nullis, haberi debere Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque Ordinum, constitutiones, pacta-conventa, capitulationes, fraternitates, concessiones; quibus alia religio, quàm moderna Romano-Catholica indulgetur: etiamsi juramento confirmata; non tamen à Romano Pontifice approbata sint.

JACOBUS SIMANCHA, Episcopus Pacensis, de Cathol. Institut. c. 46. n. 52. docet: *Ad Hæreticorum istorum (quorum nomine omnes eos censet, qui cum Pontifice Rom. non faciunt) pœnam & odium etiam pertinere; quòd fides illis data servanda non sit*, (ut Husso in Concilio Constantiensi factum) *non obstante juramento.* Itèm: *Cum Hæreticis nullum commercium, nec pacem ullam esse posse; ideoq́; fidem illis datam, etiam juramento firmatam, nullo modo servandam esse. Sæpè* (addit) *id à nobis dictum: necesse est tamen incessabiliter iterari, & tamdiù non tacere; quamdiù Pacis illud nomen obtenditur.*

CUNRADUS BRUNUS, de Hæreticis, lib. 3. c. 15. ponit quæstionem, de tali pace religionis, qualis est in Imperio, ex cōventionibus Anni 1552. & 1555. *An rata sint & valeant pacta, conventiones, leges & rescripta, quibus Hæretici pacem & securitatem impetrant; ut, qui eos offenderit, fractæ pacis teneatur?* Itèm: *Quibus permittitur, ut Ecclesias, Episcopos, Sacerdotes & Clericos, habeant; Ecclesias reformare, Ecclesiarum bona poßidere, administrare, & dispensare poßint; utrùm Ecclesiastica jurisdictio contra ipsos suspendatur?* Et respondet; *non valere: cum Hæreticis Catholico nullam pacem esse posse: & esse conditionem iniquam & blasphemam, quâ Hæreticis permittitur, ut dogmata sua doceant.* Et in fine ejusdem capitis: *Hodie nulla pax rata esse potest, quæ cum Hæreticis eâ lege contrahitur, ut offendi non poßint: Horrendam & abominandam esse pacem, eâ conditione initam; ut, qui eos offenderint, fractæ pacis condemnentur. Econtrà, omnia divina & humana jura illos exstinctos velle.*

PETRUS RIBADENEIRA Jesuita, de Principe, libro 1. postquàm capite 16. Protestantes Principes injuriosè *rebelles* & *summè-impios* appellavit, (ut & socius illius, JACOBUS SYLVANUS, aliâs JACOBUS KELLER, Jesuita Ratisbonensis, in Philippicâ suâ, eosdem Principes, PERDUELLIUM appellatione, diffamare non erubuit) subjicit capite 17. & 18. *Pacem hanc religionis,*

nis, quam Politici nostri (sic Jesuitæ Consiliarios Principum Pontificiorum pacis-studiosos cognominant) *invexerunt, quamq; Germani, Lutheranæ factionis asseclæ, sunt amplexati, & in Belgio nonnulli sibi concedi postulant, non indulgendam, neq; ferendam.* Idem asserit etiam ANDREAS ERSTENBERGER, sive FRANCISCUS BURCKHARDUS, Cancellarius Coloniensis, in Autonomiâ, (laudatâ multùm à Ribadeneirâ) parte 3. cap. 13.

MARTINUS BECANUS, Jesuita Moguntinus, in Disputat. de Fide Hæreticis servandâ, c. 10. asserit; *Libertatem, sive pactionem illam religionis, quâ liberum permittitur, esse Catholicum, vel Lutheranum, vel Calvinistam, omninò esse illicitam, & divino præcepto repugnantem: nec aliter, quàm aliquo tempore, majoris damni vitandi caussâ, tolerari posse. Imò hæc libertas potiùs* (ait) *à Catholicis, omnibus modis, quantum commodè fieri potest, impediri & profligari debet. Nullus sit istis ministeriorum locus. Sciant omnes, etiamsi quid speciali rescripto vel pacto, ab hujusmodi hominum genere, impetratum sit, non valere.*

Hinc est, quòd HOSIUS Cardinalis, Epistolâ 193. 202. 220. Henricum Poloniæ Regem hortatur, nullo modo fidem datam Euangelicis Polonis servare. *Nunquam*, ait, *patiaris ullâ te ratione ad ea, quæ promisisti, servanda teneri: quia juramentũ non debet esse vinculum iniquitatis.* Et hanc admonitionem posteà, ad Regem Poloniæ Stephanum, ANTONIUS POSSEVINUS Jesuita repetiit.

Sententia ergo Jesuitarum hæc est: Hujusmodi pacificationes ex ipsorum parte non esse obligatorias; nisi cum authoritate & consensu Pontificis Rom. initæ sint; sed nullas & irritas esse. Quin, etsi validæ essent; tamen ad Papæ nutum rescindi ac cassari & juramentum interpositum, Pontificiis relaxari; imò &, post perjurium admissum, absolutionem facilè impetrari posse.

In eandem igitur sententiam docent porrò etiam Jesuitæ: *Pacem religionis,* ,, *inter Ordines Germanici Imperii conventam, uti per vim Imperatori extortam, non esse* ,, *obligatoriam; imò & ad tempus tantùm concessam, dilationem, moratorium, & toleran-* ,, *tiam fuisse:* nempe usque ad Concilii Tridentini publicationem, quæ An- ,, no 1564. secuta est. Pax religiosa in Germaniâ nõ est obligatoria, & jamdudũ evanida.

SIC JOHANNES-PAULUS WINDECK, in Deliberat. de Hæresibus exstirpandis, Antid. 3. Respons. ad 4. object. scribit: *Quòd hac pacis formulâ Cæsar Protestantibus cavit; summâ necessitate adactus fecit: nam, irruente tum in Austriam Turcâ, necesse erat, omnes undecunque vires contrahere.* Ibidem: *Constat ex eo edicto, Cæsarem pacem Protestantibus tantùm ad-usq; Concilii tempus, quo dissidium hoc sanari posset, concessisse.* Itèm: *Protestantibus tantùm moratorium, dilationem, & tolerantiam concessisse, usq; ad judicium Concilii Tridentini. Quamobrem mirari animum subit vecordiam Sectariorum; qui, pro religione tuenda, toties Comitiorum decreta contra nos stultissimè detonare & deblaterare solent.* Idem inquit: *Quòd nonnunquam Catholici cum Sectariis transegerunt, eo fine fecerunt, ut, interea reliquis negotiis expediti, postea unum hoc bellum contra Sectarios administrarent, omnemq; ejus molem in ipsos convertêrent.* Eadem docet etiam ANDREAS ERSTEN-

BERGER, de Autonomiâ, lib.3.c.13. Et liber Excitatorius Clericorum, cap.3.

MELCHIOR CLESELIUS quoque, Episcopus Viennensis, ejusdem farinæ Censuram conscripsit, anno 1606. ad Matthiam, tunc Archiducem Austriæ, directam.

ARTICULUS II.

Jesuitæ classicum belli canunt contra Euangelicos.

Jam-nunc adlaborandum Pontificiis ubique esse, ut omnes Hæreticos, illorumque fautores, Politicos illos Catholicos, (qui potiùs pacem servare, quàm auxilia ad Hæreticorum oppressionem cōferre malunt) igne, ferro, veneno, pulvere tormentario, bellis, & aliis machinationibus, opprimant. Nisi fortè Pontificii metuant, ne conatus ipsorum irritus futurus, & Romano-catholicæ religioni detrimentum aliquod oboriturum esset. Hoc enim casu, ad tempus aliquid indulgendum, & commodiorem opportunitatem exspectandam esse.

De hoc prolixè scribunt, sæpè-dictus Jesuita RIBADENEIRA, lib.1. de Principe, cap.18.& 26. PAULUS CHIRLANDUS, de Hæreticis, quæst.3.n.2. SIMANCHA, Instit. Cathol. c.46.num.45.& seq. Idem Actio HENRICI GARNETI, Jesuitæ, Provincialis in Angliâ, per totum, confirmat.

Cardinalis REGINALDUS POLUS, in Orat. ad Carolum V. Imp. suadet; *Relicto bello Turcico, contra Hæreticos bellum movendum. His enim compositis,* (ait) *minori negotio reliqua aggredi ac perficere poteris. A' Turcâ minus periculi imminet.* In eandem sententiam, Jesuita quidam, in Oratione, tempore Comitiorum Augustanorum, anno 1566. sparsâ, Maximilianum II. Imp. affatur: *Quamdiù non equum tuum in Lutheranorum sanguine ventre-tenus natare feceris; cogitare minimè debes, te fortunâ bonâ aut victoriâ contra Turcam potiturum esse.*

Consimilia habet etiam CUNRADUS BRUNUS, lib.3. de Hæret. c.ult. Et WINDECK, de exstirp. Hæres. Antidoto 10.& 11. *Lutheranos mortis supplicio exterminandos, interficiendos, propulsandos, reprimendos, delendos, ustionibus & sectionibus exscindendos, tollendos, explodendos, viriliter exstirpandos, trucidandos, internecione delendos,* scribit.

PETRUS STEVARTIUS, contra Hasenmüllerum: *Quum mitiores pœnæ apud Hæreticos nihil proficiunt, sed venenum latiùs serpit; tùm verò urendum & secandum esse,* ait. Atq; hanc sententiam animitùs se amplecti, CHRISTOPHORUS ROSENBUSCH, in Replicâ suâ profitetur. Et MATTHIAS MEYER-

MEYERHOFER, in Speculo Prædicantium, *Se, suiq; similes, in hac sententiâ tàm concordes esse*, scribit; *ut etiam pro articulo fidei illam teneant.*

STAPLETONUS Jesuita, in Oratione contra Politicos, Duaci habitâ, *tales Politicos* (qui pacē suadent, & cruentas persecutiones impediunt) *Hæreticis & Turcis deteriores esse*, dicit: *quia armis & bellis Catholicismum propagare recusent. Eos etiam, ut novos Diagoras & Protagoras, ex omnibus civitatibus pelli debere: ut veteres illos expulerunt Athenienses; propositâ etiam mercede ei, qui illos interficeret.*

BARONIUS Cardinalis, in Epistolâ ad Papam contra Venetos, *Duplex est*, ait, *Beate Pater, ministerium Petri; Pascere, & Occidere. juxta illud, Pasce oves meas: & juxta illud, Occide & manduca. Quando enim Pontifici negotium est cum refractariis & adversantibus: tùm jubetur Petrus eos mactare & occidere, atque in viscera sua recondere.*

Iterum prædictus JOHAN-PAULUS WINDECK, loco antè citato, scribit: *Ad Sectarios profligandos, Catholicorum Principum Liga & consociatio requiritur. Dein, nec negligenda est occasio: quando videlicet Protestantes pecuniis exhausti sunt. Utq; faciliùs Catholici Sectarios opprimere possint; variis obductis causis & artibus, alios ab aliis ut divellant, occasiones captandæ. Idq; à Carolo V. Imp. observatum, magno suo emolumento. Sed & externa auxilia Catholici sibi adjungant, ad subjugandos Sectarios. Econtra, ne hi exterorum suppetias sibi adsciscant, cavebunt.* Quinimò sanguinarius iste Jesuita classicum suum, contra omnes in universum Euangelicos, phaleratis hisce verbis decantat: *Sciant, sciant Hæretici, nobis non deesse modos Sectas exstirpandi.* Quomodo etiam EDMUNDUS CAMPIANUS, popularibus suis Anglis, in Epistolâ ad Consiliarios Reginæ Angliæ, minatus est: *Quod ad Societatem nostram attinet, velim sciatis, omnes nos, qui per totum Orbem longè latéq; diffusi sumus, quorum est continua successio & magnus numerus, sanctum fœdus inisse; nec, quamdiù vel unus nostrûm supererit, studium & consilia nostra, de salute vestrâ*, (h. e. religionis & regni vestri eversione, aut sub Papæ jugum reductione) *intermissuros. Jampridem inita ratio est; & inchoatum certamen nulla vis, nullus Anglorum impetus, superabit.*

Quòd-si tamen Pontificii metuere cogerentur, ne conatus ipsorum irriti, aut sibimet-ipsis plus detrimentosi forent: eo casu ad tempus aliquid indulgendum, & commodiorem opportunitatem exspectandam esse, manifestum evadit ex libro MEMORABILIUM Ligæ, Tom. 6. ubi *Jesuitæ Breve Apostolicum habere* dicuntur, *in quo per dispensationem ipsis permittitur, ut serviant tempori.* Itèm: *Dissimulandum, & Regi obediendum ad tempus per dissimulationem esse.* Quando, in Religionis negotio, tempori concedendum censeant Jesuitæ.

Sic PETRUS RIBADENEIRA, de Principe, lib. 1. c. 26. scribit: *Christiana prudentia docet, dissimulatione utendum, si magna pericula timentur.*

MARTINUS BECANUS, de Fide Hæret. servandâ, cap. 10. ait: *Si Lutherana religio commodè impediri & profligari non potest, nisi cum majori damno Reipublicæ; tunc aliquo tempore tolerari potest.* Et: *Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debet libertatem religionis Lutheranæ. Si tamen id facere non potest, sinè graviori incōmodo boni publici; potest eam tolerare, ad evitandum majus malum.*

WINDECK, in Delib. de Hæref. exftirp. *Nihil, nihil in Religionis negotiis oportet cönivere aut indulgere; nisi ubi libertas publica authoritate, & validis viribus, nititur.*

Sic HENRICUS GARNETUS, Jesuita Provincialis Angliæ, scripto testatus, & coram tribunali confessus est; *Pium V. & Gregorium XIV. monitos, quòd ipsorum Bullæ, contra Reginam Elisabetham, magnas calamitates Pontificiis conflarent, eosdem hac indultâ veniâ demulsisse: Licere omnibus Catholicis externam obedientiam præ se ferre, ad vexationẽ redimendam; his tamen cautelis & cancellis circumscriptam. Primò: Rebus sic stantibus. Secundò: Donec publica Bullæ exsecutio fieri potest.*

Jesuitæ moram cruentæ persecutionis vix sustinere possunt.

Nonnulli tamen etiam Jesuitarum docent, nimis tributum fuisse tempori. Nunc itaque omnes Hæreticos, Lutheranos & Calvinianos, passim exterminandos, opprimendos, funditùs & radicitùs delendos; ne ullum ejusmodi semen renascatur.

CRESVVEL Jesuita, sub nomine Andreæ Philopatris, contra Edictum Reginæ Angliæ, sic scribit: *Satìs jam cessatum est ab innocentum defensione, ad placandum hostem, si fieri potuisset: satìs datum tempori: satìs, satìs tributum spei. Quid-ni obsistamus tàm scelerata tyrannidi?* (quâ nimirum Jesuitæ Angliâ prohibentur.)

RIBADENEIRA, de Principe, lib. 1. c. 15. ubi politicam prudentiam illam Reginæ Scotiæ, & Regum Galliæ ac Consiliariorum, graviter accusat: *qui putàrunt serviendum tempori, utiliusq; esse, conniventiâ quâdam & lenitate servare; quàm severâ animadversione totum regnum evertere*: tandem addit; *Nullum Regem, nullum Principem esse, cui hac politiæ ratio potior visa est; qui non stultitiæ & temeritatis gravissimas pœnas dederit.*

Sic Jesuita HILLIUS, Ratisbonæ, in publicâ concione, anno 1607. Comitiorum tempore, in præsentiâ Commissarii Cæsareæ Majestatis habitâ, classicum hoc modo de suggestu cecinit: *Nunc tempus esse, Hæreticorum istorum* (quos priùs expresserat) *oppressionem & deletionem maturare: Catholicis nec nervum pecuniam, nec militem, nec consilia deesse.*

Sic & in Commonefactione, ab Episcopis quibusdam, Anno 1603. Ratisbonæ, exhibitâ Matthiæ tùm Archiduci Austriæ, dicitur: *Non ampliùs temporisandum; sed vitam, sanguinem, & omnes fortunas ad hoc exponendas; ut cogantur Imperii Ordines, in ipsorum territoriis sita monasteria, Abbatibus & Monachis restituere. Et in hunc finem, Catholicorum majorem conjunctionem omninò necessariam esse; extrema omnia tentanda; animos non despondendos. Cùm & parva Catholicorum manus* (ait Windeck, in Delib. de Hæres. exstirp. Antidoto 11.) *sæpè ingentes Hæreticorum copias trucidaverint, & internecione deleverint.*

Ex eodem scrinio pectoris Jesuitici, sub initium Comitiorum Ratisbonensium Anni 1607. prodiit Epistola sive Exhortatio Episcopalis, ad aliquot Pontificiæ religionis Prælatos, quæ inter alia sic habet: *Maximoperè dolendum est quòd inter Politicos nostros reperiantur, qui Cæsarea Majestati, Electoribus & Principibus, persuadere conantur; ob horum temporum difficultatem, aliquid connivendum & temporisandum esse. Id enim dum à Politicis istis fit; Protestantes commoda sua, in Romanæ religionis detrimentum, promovent.*

DE

DE ARTIBUS ET DOCTRINIS JESUITARUM SEDITIOSIS AC PARRICIDIALIBUS.

CAPUT III.

ARTICULUS I.

QUANDO Subditi Romano-Catholici, Imperatorem, Regem, ſive Principem ſuum, pro tyranno habendum, in Conciliis vel Conventibus ſuis ſtatuerunt: tùm illum abdicare, & ſe-ipſos omni obligationis nexu ſolvere poſſe. Si verò Comitia habere prohibeantur: tùm cuivis Subdito, modò Jeſuitarum, aut aliorum hujusmodi Theologorum, uſus ſit conſilio, permiſſum; imò laude dignum & meritorium futurum, hujusmodi Regem vel Principem occidere.

Quâ ratione Subditi Principes ac Magiſtratus abdicare, quin etiam occidere debeant.

JOH. MARIANA, Jeſuita Toletanus, de Rege, lib. 1. cap. 6. ſcribit: *A' populis ſive ſubditis volentibus, Regem Principatu ſpoliari poſſe. Et ab omni memoriâ in magnâ laude fuiſſe, quicunq; tyrannos opprimere aggreſſi ſunt.* Oſtendit etiam rationem abdicandi ejusmodi Principem. *Expedita & maximè-tuta via eſt,* inquit, *ſi publici Conventûs facultas detur: ut communi conſenſu ſtatuatur, quid fixum ratumq; eſſe debeat. Et, ſi monitus Princeps non obediat: conſilia explicanda, arma expedienda, pecunias in belli ſumtus Subditis imperandas; Principem etiam privatâ auctoritate ferro perimendum. Sin publici Conventûs facultas ſublata erit: tùm etiam, qui, votis publicis favens, Regem ſive Principem perimere tentârit, haudquaquam iniquè eum feciſſe exiſtimabo. Ac, niſi publica vox populi adſit, quæ Regem pro tyranno habeat; adhibendos eſſe in conſilium viros eruditos & graves:* (h. e. Theologos ex ordine Jeſuitico.) Et ſubjicit Mariana: *Præclarè, præclarè cum rebus humanis ageretur; ſi multi homines forti pectore invenirentur, pro libertate patriæ, vitæ contemtores & ſalutis.* & doler, *quòd pleroſq; incolumitatis cupiditas retineat, magnis ſæpè conatibus adverſa:* ad id etiam Ehudi exemplum, qui Moabitarum Regem Eglonem in cubiculo ſuo confodit, allegans.

Jeſuita CRESWEL, aliâs PHILOPATER, adversùs Edictum Reginæ Angliæ, ſcribit: *Poteſtatem regiam eſſe juris civilis. Ergo in arbitrio populi eſſe, Rex quis ſit, an non.*

Totus Jeſuitarum liber, de Abdicatione Henrici III. Regis Galliæ, editus durante adhuc Jeſuitarum rebellione, anno 1591. Lugduni, apud Johannem Pillehot, S. Ligæ ſeu Unionis Gallicanæ Bibliopolam, ex præcepto Superiorum, & cum inſignibus Jeſuitarum, hoc-ipſum quoque docet. Accuſatur in eo

Henricus III. *quòd sit impius & impurus Tyrannus: & præclarè actum iri, si is, cum sui similibus Regibus & Principibus, interficeretur, ab uno vel pluribus vasallis aut subditis; non exspectatâ speciali aliquâ excommunicatione vel mandato: &, qui tale facinus patrent, eo-ipso magnam gloriam & vitam æternam consequuturos, atq; etiam Reipublicæ commodum & utilitatem promoturos esse. Non desinemus etiam*, inquiunt Jesuitæ, *auxilia & media quærere, quibus Rex iste, cum omnibus ei adhærentibus, opprimi & interfici possit.* Cúmque editio libri ad finem ferè perducta, & simul Rex à Jacobo Clemente interfectus, Henricus IV. autem in ejus locum Rex creatus esset; in præfatione & fine libelli additum fuit: *Ut, nullâ parricidii Henrici III. ratione habitâ, hujusmodi libelli, & doctrina hæc, in vulgus spargantur: quò sciatur, jure & meritò Henricum III. abdicatum & interfectum esse; indéq; intelligatur, ejus successorem quoque, Henricum IV. eodem modo justè abdicari & opprimi posse: utq; ei adhærentes, exemplo Henrici III. moniti, sapere discant; ne in exitium præcipitentur, quod post necem Henrici IV. ipsis paratum sit. Tempus enim jam adesse, quo Regnum Galliæ de gente in gentem* (à Gallis ad Hispanos) *transferendum sit.*

Tales etiam libri, à Jesuitâ GUIGNARDO scripti, Lutetiæ, in Collegio Jesuitarum, inventi sunt: in quibus parricidium, in Henrico III. patratum, magnoperè commendat; Subditosque exhortatur, ne Henricum IV. etiam ferant, sed pari ratione occidant. Dolet quoque, in laniena Parisiensi, anno 1572. à Regiis in eo erratum fuisse; quòd non, cum aliis, Regem etiam Henricum Navarræum simul exstinxerint.

Ejusdem argumenti est Jesuitę REINALDI liber, de justâ Reipub. Christianæ in Reges impios & hęreticos authoritate, justissimâque Catholicorum confœderatione, ad repellendum Henricum Navarræum à Regno; editus sub Guilelmi Rossæi nomine.

Idem etiam docet liber, sub nomine Francisci Veronæi Constantini in lucem editus, hoc titulo; *Apologia pro Johanne Castellio & Jesuitis.* Hunc librum Jesuitæ, post ejectionem suam ex Galliâ, scripserunt, & ediderunt in Belgio: inque eo, à principio ad finem usque, discipuli sui Johannis Castellii propositum, quo Henricum IV. perimere conatus est, tanquam heroicum & justum, laudant & approbant; ut etiam Henrici III. parricidium: & Castellium meritò in numerum Martyrum relatum fuisse, affirmant.

Post tentatum etiam à Castellio Henrici IV. parricidium, cùm, ex decreto Parlamenti Parisiensis, omnia in Collegio Jesuitarum diligenter investigarentur; cognoverunt Inquisitores, Castellii præceptorem, JOHANNEM GUERET Jesuitam, hoc-ipsum discipulos suos publicè ac privatim docuisse: ob eamque causam ille perpetuo exsilio mulctatus est. Eâdemque pœnâ tùm etiam affectus est Jesuita ALEXANDER HAJUS, ob similem culpam.

Similis tenoris est etiam consilium PELVÆI Cardinalis, interceptum à Vivonæo, Marchione Pisano, Regis Galliæ Legato in Hispaniâ: *Monendos Guisianarum partium Sacerdotes; ut, dum peccata confitentes, & ad se accedentes consultores audirent, monerent illos, favendum Lotharingis & Guisianis, à Carolo Magno o-*

riun-

riundis, à quibus sperandam Romanæ religionis labascentis restaurationem: Henricum verò Tertium regno dejiciendum esse.

ARTICULUS II.

Si Subditi Lutheranum, sive alium hæreticum, habeant Regem aut Principem, qui ipsos in hæresin inducere conetur: tùm illos Subditos ab omni homagio & obligatione solutos esse; ipsisque liberum ac permissum, hujusmodi Regem vel Principem abdicare, exterminare, & opprimere. Sed & veneno tales Principes, à Subditis vel Ministris suis, necari posse: ità tamen, ut is, qui perimendus est, nihil adjuvet; nec sibi-ipsi mortem consciscat.

Subditos non teneri Magistratibus hæreticis parére; sed illos abdicare & perimere.

Sic in Actis HENRICI GARNETI Jesuitæ exstat: *Anno 26. Regni Elisabethæ, venisse in Angliam Parrium, à Cardinali de Como persuasum, Reginam, ut ex Ecclesiâ ejectam, occidere; & hoc jure optimo licere.*

Ob eandem causam dictus *Henricus Garnet, Osvvaldus Tesmond, & Johannes Gerard*, Jesuitæ, cum aliis complicibus, Anno 1605. in Angliâ, Regem, & Ordines regni, in Comitiis, pulvere tormentario displodere & perdere conspirârunt: ut ex Actis Henrici Garneti, Londini à Regio Typographo editis, apparet.

ALANUS Jesuita, in Apologiâ Stanlejanæ proditionis, hoc defendit: *Quandoquidem Elizabetha, Angliæ Regina, & hæretica, & excommunicata esset: quòd non modò liceret jam ejus Subditis, verùm etiam conscientiæ nexu tenerentur, nudare eam omni, quo possent, præsidio; & sive exercitus, sive oppida, sive arces & propugnacula ejus obtinerent, Regi Hispano tradere: ut Regina nihil ampliùs haberet proprium aut suum.*

FRANCISCUS SUAREZ, in Defensione Fidei Catholicæ, adversùs Anglicanæ sectæ errores, lib. 6. cap. 4. scribit: *Rex hæreticus, statim per hæresim, ipso facto, privatur aliquo modo dominio, & proprietate sui Regni: quia vel confiscatum manet; vel ad legitimum successorem Catholicum ipso jure transit. Et nihilominùs non potest statim regno privari; sed justè illud possidet & administrat; donec, per sententiam saltèm declaratoriam, criminis condemnetur. juxta c. Cùm sec. leges. de Hær. in 6. At verò, post sententiam latam, omninò privatur regno; ità ut non possit justo titulo illud possidere. Ergo ex-tunc poterit, tanquam omninò Tyrannus, tractari; & consequenter, à quocunque privato, poterit occidi.*

JACOBUS SIMANCHA, de Excommunicatione, tit. 27. sect. 1. sic habet: *Si Reges, aut alii Principes, facti sunt hæretici; protinùs subjecti & vasalli ab eorum dominio*

minio liberantur: nec jus hoc recuperabunt quámvis posteà reconcilientur Ecclesiæ. Et: *Concedatur autem, ejusmodi abdicatum Principem relinquere filium legitimum, & certum hæredem; qui paterni criminis labe non sit inquinatus: illéne in Regiâ dignitate succedet? Neutiquam: pessundetur. Hæresis enim est lepra, & morbus hæreditarius: & ex leprosis parentibus leprosi generantur filii.*

TRESHAMUS Jesuita, in libro de Officio Principis Christiani, cap. 5. *Si Princeps*, inquit, *hæreticus sit, & obstinatè & pertinaciter intolerabilis: summi Pastoris divinâ potestate deponatur; & aliud caput constituatur, cui subditi se jungant, & legitimo ordine & authoritate tyrannidem amoveant.*

CRESWELLUS, seu PHILOPATER, ad Edictum Elizabethæ Reginæ, sect. 2. num. 157. scribit: *Quemcunq; Principem Christianum, si à religione catholicâ manifestè deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate, ex ipsâ vi juris, tùm humani, tùm divini; hocq; ante dictam sententiam supremi Pastoris ac judicis, contra ipsum prolatam: & Subditos quoscunq; liberos esse ab omni juramenti obligatione, quod de obedientiâ, tanquam Principi legitimo, præstitissent: posseq; & debere, si vires habeant, istiusmodi hominem, tanquam apostatam, hæreticum, & Christi Domini desertorem, & Reipublicæ suæ inimicum hostemq;, ex hominum Christianorum dominatu ejicere. Atque hanc esse certam, definitam, & indubitatam virorum doctissimorum sententiam.* Et num 162. *Certè*, ait, *non tantùm licet, sed summâ etiam juris divini necessitate ac præcepto; imò etiam conscientiæ arctissimo vinculo, & extremo etiam animarum suarū periculo ac discrimine, Christianis omnibus hoc solum incumbit: ob hæresis manifestum crimen, Principes deturbare, vel obsistere ne admittantur; si præstare possunt.*

MARIANA, lib. 1. de Rege, cap. 6. docet: *Cum talibus, qui sacra patria* (Romanam religionem) *abjiciunt, tanquam cum canibus rabidis agendum.* Et, *laudandum eum*, dicit, *qui vitæ suæ periculo publicam utilitatem redimat: & hujusmodi Regem omnium telis exagitandum, quasi crudele monstrum terræ incubans.* Et cap. 7. cujus titulus est, *An liceat Regem veneno occidere?* & posteà, *An facultas sit, sicut armis, sic & veneno, herbisq; lethalibus, tyrannum occidere?* inquit: *Quid interest, ferro, an veneno perimas? Veneno quod fit, minori periculo, & majori spe impunitatis fit. Hoc tamen temperamento, me auctore, veneno uti licebit: si non ipse, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo concepto pereat; sed exteriùs ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo, qui perimendus est: nimirum cùm veneni tanta vis est, ut, sellâ eo aut veste delibutâ, vim interficiendi habeat.* Et in fine ejusdem cap. concludit: *In ejus vitam grassari quâcunque arte concessum: ne cogatur tantùm sciens aut imprudens sibi mortem consciscere.*

Et ex hac Marianæ doctrinâ fluxit, quòd Jesuita RICHARDUS WALPOT, ante annos circiter 30. Anglum Eduardum Squirre veneno instruxit, quod Reginæ Angliæ, & Essexio Comiti, non edendum aut bibendum præberet; sed quo sellam tantùm ità inungeret, ut ex ejus contactu uterque moreretur. Prout etiam anteà, anno nimirum 1572. (quo, die Bartholomæi festo, durantibus adhuc Regis Heinrici Navarræi nuptiis, horribilis illa laniena Parisiis,

& multis aliis Galliæ urbibus,instituta & peracta est) senex vidua Regina Navarræ,intoxicato pari chirothecarum,subitò interierat.

Prædictam autem doctrinam suam,de Regicidio, tàm pertinaciter tenet MARIANA Jesuita ; ut etiam Concilii Constantiensis Decretum (quo illa, tanquam impia,hęretica,& omnibus modis perniciosa,rejecta & condemnata est) hisce verbis rejicere ac elevare ausit : *Hoc Decretum Romano Pontifici Martino V. probatum non invenio ; non Eugenio, aut successoribus.* Itèm : *Concilium istud,non sinè Ecclesiæ motu,tricipiti Pontificum dissidio,celebratum fuisse,scimus.*

Approbavit etiam hanc doctrinam Jesuitarum,de interficiendis Regibus, Censura libelli Marianæ, de Rege & Regis institutione, regiâ authoritate à Fr.PETRO de ONNA,Magistro Provinciali, facta ; quæ sic de verbo ad verbum habet. *Disertum planè & eruditum virum,Johannem Marianam esse,(ut alia desint) tres libri satis indicant, quos de Rege & Regis institutione confecit,elegantes & graves. Eos regiâ authoritate diligenter & attentè perlegi ; iterum & tertiò facturus,si per tempus & otium licuisset : ità semel lecti placuerunt. In simili argumento,auctores non-pauci,Regni & Reip.statum componunt. Noster Regem, à primis annis susceptum,iis præceptis instruit,quæ eo loco digna sunt. Quippe in Deum conjectis oculis, ut sapiens architectus, ad eam regulam institutæ fabricæ fundamentis molem universam imponit. Aequum proindè judico,ut hoc opus,typis mandatum, in luce & hominum manibus versetur ; eorum præsertim,qui ad Reip.gubernacula sedent. Qui si ad præscriptam in eo formam actiones & consilia retulerint ; næ magnum atq; incredibile operæ pretium exsistet. Datum in nostro, S.Mariæ de mercede redemtionis captivorum, cœnobio, Madriti,die 30.Mensis Decemb.Anno 1598.*

Facultas autem imprimendi hos libros, hæc est : *Stephanus Hojeda,Visitator Societatis Jesu in Provinciâ Toletanâ, potestate speciali factâ à N.Patre Generali,Claudio Aquâ-vivâ,do facultatem ; ut imprimantur libri tres, de Rege & Regis institutione, quos scripsit & composuit P.Johannes Mariana,ejusdem Societatis : quippe approbatos priùs à viris gravibus & doctis,ex eodem nostro Ordine. In cujus rei fidem,has literas dedi,meo nomine subscriptas,& mei officii sigillo munitas. Madriti,in Collegio nostro,quarto Non.Decemb.Anno 1599.*

E' contrario, damnavit eandem doctrinam FACULTAS THEOLOGICA PARISIENSIS, in Censurâ contra impios & exsecrabiles Regum ac Principum parricidas, post cædem Henrici IV. Galliarum Regis,à Francisco Ravaillac patratam,editâ. Ea sic de verbo ad verbum habet.

Doctrina Jesuitica de Regicidiis, à Sorbonâ Parisiensi rejicitur & cõdemnatur.

Anno Domini 1610. cùm sacra Theologiæ facultas, ob festa Pentecostes, & Comitia privata, inter viros selectos Ordinis Theologici,in præsenti negotio agitata,suos status & ordinarios conventus, primâ aut secundâ die Junii, habere non potuisset ; illos in diem quartum Junii transtulit ; atque omnes Magistros Theologiæ,in vim obedientiæ,quam emisso sacramento Facultati spoponderunt, in Collegium Sorbonicum convocavit : ubi, post Missam de sancto Spiritu,more solito celebratam,deliberârunt super exsequutione Senatus-consulti ; cujus summa hæc est.

Curia Parlamenti,de Curiis,Majore,Rerum capitalium,atq; Edicti,unà congregatis,

procedendo ad judicium, & litem capitalem ac extraordinariam Cognitoris generalis Regis postulatione instructam, adversus nefandissimum, crudelissimum & exsecratissimum parricidium, in sacratam personam Henrici IV. Regis patratum, audito Cognitore generali regio, decrevit atque decernit: ut, diligentia & procuratione Decani & Syndici Facultatis Theologicæ, eadem Facultas quam-primùm convocetur, ad deliberādum super confirmatione Decreti prædictæ Facultatis, quod die 13. Decemb. Anno 1413. à centum-quadraginta & uno Theologis ejusdem Facultatis constitutum; dehinc verò, Concilii Constantiensis auctoritate roboratum fuit: quo Decreto definitur; NEMINI licitum esse, quâcunque occasione, causâ, aut prætextu quæsito, sacrosanctis Regum, & aliorum Principum supremorum personis, vim inferre. Deinde, ut Decretum, quod in ejusdem Facultatis Comitiis statuetur, omnium Doctorum, qui Comitiis & deliberationi interfuerint, nec-non etiam omnium Baccalaureorum, qui cursum Theologicum decurrunt, syngraphis muniatur; quò tùm demùm, audito super eâ re Cognitore generali regio, Curia decernat, quod justum & rationi conforme erit. Datum in Parlamento, 27. Maji, Anno Domini 1610. Signatum, Voysin.

Itaque eadem sacra Facultas, ut mandato amplissimi Ordinis, tàm justa & necessaria præcipientis, obtemperaret; primùm privata, deinde publica habuit Comitia. Considerans autem sibi ex officio incumbere, ut suam Censuram, & Judicium doctrinale, cunctis illud poscentibus declaret; atque Parisiensem Academiam, à primis suis incunabulis, parentem & alumnam optimæ ac saluberrimæ doctrinæ perpetuò exstitisse; bonum & tranquillitatem Reipub. ab ordine, ordinem porrò & pacem, secundùm Deum Opt. Max. à Regum & Principum salute pendere; ac solius esse Principis & potestatis politicæ gladio uti, Rom. 13. Insuper, paucis ab-hinc annis, nonnulla peregrina, seditiosa, atque impia dogmata invaluisse; quibus plerique privati homines dementati sacrosanctos Reges & Principes, exsecrandâ appellatione TYRANNI *contaminare; hocq; nefario prætextu, nec-non religionis, pietatis, aut boni publici juvandi vel promovendi specie, in sacrosancta Regum & Principum capita conspirare, suasq; manus parricidas sacro illorum sanguine cruentare; ac continuò patentissimam fenestram aperire non horrent, ad perfidiam, ad fraudes, insidias, proditiones, populorum interneciones, Urbium, Provinciarum ac Regnorum florentissimorum excidia, & ad alia innumerabilia nequitiæ genera, quæ civilia aut externa bella concomitari solent. Demùm, tàm pestifera & diabolica dogmata hodiè in causâ esse, ut, qui discessionem ab Ecclesiâ Catholica & Romana fecerunt, in suo errore obdurescant, virosq; religiosos, Doctores & Prælatos Catholicos, quanquam insontes, quasi talia docerent vel auctorarent, fugiant ac detestentur: Eadem (inquam) Facultas, hæc & similia consideratè perpendens, magna animorum consensione & alacritate, ista peregrina & seditiosa dogmata, velut impia, hæretica, societati civili, paci & tranquillitati publicæ, ac religioni Catholicæ, penitus contraria, exsecratur atque condemnat. In cujus rei fidem & testimonium, Decretum antiquum sibi de integro renovandum esse duxit, quod ducentis ab-hinc annis, à centum-quadraginta & uno Theologis, sancitum fuit, in condemnatione hujus exsecrabilis Propositionis: Quilibet Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi, à quocunque suo vasallo aut subdito, & per quemcunq; modum, maximè per insidias, & per adulationes; non obstante quocunque juramento, aut con-*

confœderatione factâ apud eum; non exspectando sententiam aut mandatum Judicis cujuscunq;.

Sequitur verò Censura Facultatis.

Hæc assertio sic generaliter posita, & secundùm acceptionem hujus vocabuli TYRANNUS, *est error in nostrâ fide, & doctrinâ bonorum morum: & est contra præceptum Dei,* NON OCCIDES; *Glossa*, propriâ auctoritate: *& contra hoc quod dicit Dominus noster;* OMNES QUI GLADIUM ACCEPERINT, (*Glossa*, propriâ auctoritate) GLADIO PERIBUNT. *Item, hæc assertio vergit in subversionem totius Reipublicæ, & uniuscujusq; Regis aut Principis. Item, dat viam & licentiam ad plura alia mala, & ad fraudes, & ad violationes fidei & juramenti, & ad proditiones; & generaliter ad omnem inobedientiam subjecti ad dominum suum; & ad omnem infidelitatem & diffidentiam unius ad alterum; & consequenter ad æternam damnationem. Itèm, qui affirmat obstinatè talem errorem, & alios, qui inde sequuntur, est hæreticus; & tanquam hæreticus debet puniri, etiam post suam mortem.* Notetur in Decretis, *23.q.5.&c. Actum Ann.1413.die Mercurii,13.Decemb.*

Quæ Censura Facultatis Parisiensis, in Synodo Constantiensi, Sess.15. Anno 1415. prid. Non. Julii, his conceptis verbis comprobata fuit. *Præcipuâ sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad exstirpationem errorum & hæresium, in diversis Mundi partibus invalescentium, providere, sicut tenetur & ad hoc collecta est: nuper accepit, quòd nonnullæ assertiones, erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ totiusq; Reipub. statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatæ sunt; inter quas hæc assertio delata est:* QUILIBET *Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi, per quemcunq; vasallum suum vel subditum; etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes: non obstante quorumcunque præstito juramento, seu confœderatione, factis cum eo: non exspectatâ sententiâ Judicis cujuscunque.* ADVERSùs *hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditùs tollere, præhabitâ deliberatione maturâ, declarat, decernit, atq; diffinit; hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus: ipsamq; tanquā hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, & mendacia, proditiones, perjuria, vias dātem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & diffinit; quòd pertinaciter doctrinā hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici; &, tanquam tales, juxta canonicas sanctiones puniendi.*

Sacra igitur Facultas sancit, strictè accuratéq; exploratis omnium & singulorum Doctorum suffragiis: primò, antiquam illam Censuram Facultatis, Synodi Constantiensis sanctione firmatam, non modò iterari; verùm etiam omnium hominum animis inculcari debere. Secundò censet, seditiosum, impium, & hæreticum esse, quocunq; quæsito colore, à quocunq; subdito, vasallo, aut extraneo, sacris Regum & Principum personis vim inferre. Tertiò statuit, ut omnes Doctores & Baccalaurei Theologiæ, quo die in statuta & articulos Facultatis jurare consueverunt, in hoc similiter Decretum jurent; ac syngraphæ suæ appositione obtestentur, se illius veritatem, docendo & concionando, diligenter explicaturos. Quartò, ut hæc Acta, tùm Latinè, tùm Gallicè, typis mandentur ac evulgentur.

De mandato Domini Decani, & sacratiss. Facultatis Theologicæ.

De la Court, cum syngraphâ.

Censuram & sententiam hanc Facultatis Theologicæ Parisiensis, Parlamentum regium ibidem, die 8. Junii, approbavit & confirmavit. Decrevit insuper *primò*, ut hæc Censura inter Acta publica Parlamenti referatur & scribatur. *Secundò*, ad instantiam Procuratoris regii, præcepit, ut in Conventu Facultatis hujus, quotannis 4. Junii, & proximâ indè Dominicâ, in omnibus parochialibus templis, atque etiam suburbiis, Lutetiæ, populo publicè prælegatur. *Tertiò*, ut Johannis Marianæ liber, in quo hæc doctrina, de parricidiis Regum ac Principum, manifestè approbatur & defenditur, in areâ ante summum ac primarium templum Lutetiæ, in ignem conjiciatur & comburatur; in æternam rei memoriam, quòd doctrina hæc, in eo contenta, sit hæretica, impia, perniciosa, & erronea. *Quartò* prohibuit, ne quis, cujuscunque sit statûs, conditionis, vel ordinis, hanc doctrinam, vel vivâ voce, vel editis libris, spargat atque defendat.

Marianæ liber de Regicidio, per Parlamentũ Parisiense condemnatur, & publicè cõburitur.

Rectè autem ille & prudenter, quisquis sit, Gallos sic monuit:

Galli, si sapitis, quid librum traditis igni?
Authores vestris pellite limitibus.
In cineres abiit liber unus; mille relicti.
Horum turba loquax; mutus at ille furit.
Hortos qui cupiunt penitùs purgare veneno,
Radices properant vellere; non folia.

JESUITÆ igitur, quò Regum & Principum, omniumque adeò bonorum, odia, ex Marianæ & ejus similium libris, contra se & universum ordinem suum concitata, quadam-tenus declinarent; linguam suam variare, & prædictam doctrinam parricidialem verbis externis retractare ac rejicere, cœperunt. Atque hinc est, quòd LUDOVICUS RICHEOMUS Jesuita, in Expostulat. apolog. pro Societ. Jesu, cap. 21. *Doctrina*, inquit, *ista, de Tyranno occidendo, est exitialis; & ab universâ Ecclesiâ improbata; & in Constantiensi Concilio condemnata.* Itèm: *Illa doctrina est Anabaptistarũ; & in Oecumenico Constantiensi Concilio damnata.* Et cap. 28. *Alterum*, inquit, *illud est Tyrannorum genus, qui, more ac legibus ad Regni administrationem acciti, more tyrannico tamen imperant: quos attingere ac lædere, nemo privatus debet, aut subditus. Hinc est, quòd David Saulo Regi nunquam est ausus manum inferre.*

Jesuitæ linguam variant; non animum.

In Conventu quoq; Provinciali, quem anno 1606. Parisiis habuerunt Jesuitæ, ei, quem Procuratorem ad Præpositum generalem Societatis, Provinciæ nomine, destinârunt, id mandati dederunt: ageret cum Generali, ut compesceret eos, qui libros tales edunt, è quibus Regis, totiusque Regni Gallici, offensio & odia jure timerētur; néve eos, qui jam emisi essent, recudi pateretur.

CLAUDIUS igitur *de Aqua-viva*, Præpositus Generalis Jesuitarum, (cùm hæc Procurator ad eum retulisset; simulque intellexisset, Marianæ librum in Galliâ damnatum) sequens Decretum promulgavit; cujus verba hæc sunt.

QUANDOQUIDEM Societatis Scriptoribus, ac Theologis, qui docent, cæterisq; omnibus operariis, haud satis est, id solùm providere, quod in aliorum Scriptorum libris reperi-

peritur; sed illud etiam apprimè cõsiderandum, sint'ne opiniones validis nixæ fundamentis, tutæ, probatæ; scandalis, aut aliis incommodis, minimè obnoxiæ: Ideò sanè, justissimas ob causas, quæ ad hoc consilii nos impellunt, præsenti Decreto præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœnâ excommunicationis, & inhabilitatis ad quævis officia, suspensionis à divinis, & aliis arbitrio nostro reservatis; ne quis deinceps nostræ Societatis Religiosus, publicè aut privatim, prælegendo, seu consulendo, multò etiam minùs libros conscribendo, affirmare præsumat: Licitum esse cuicunq; personæ, quocunq; prætextu tyrannidis, Reges aut Principes occidere, seu mortem eis machinari. Ne videlicet, isto prætextu, ad perniciem Principum aperiatur via, atque ad turbandam pacem, eorumq; securitatem in dubium vocãdam; quos potiùs ex divino mandato revereri, ac observare oporteat, tanquam personas sacras, à Domino Deo, pro felici populorũ gubernatione, in eo gradu constitutas. Provinciales autem, qui aliquid horum resciverint; nec emendaverint, aut non prævenerint hujusmodi incommoda, efficiendo, ut hoc Decretum sanctè observetur: volumus, eos non modò prædictas pœnas incurrere; sed etiam officio privari. Ut sic omnes intelligant, quis sit eâ de re Societatis sensus; neq; privati unius error suspectam reddat Societatem universam. Cùm apud æquos rerum æstimatores certum sit, partis unius aut membri culpam, toti corpori reliquo attribui jure non debere. Volumus prætereà, ut Provinciales de hoc accepto Decreto certiores nos faciant; idemq; per suam quisq; Provinciam curent promulgandum, & in singulis Domibus & Collegiis referendum in libros Ordinationum, ad perpetuam ejus memoriam.

Seriò autem, an dolo, Jesuitę, aut Generalis ipsorum, cum hoc Decreto egerint: non solùm ex potestate illius speciali, librum Marianę imprimendi, Stephano Hojedę factâ; (cujus paulò anteà meminimus) sed multò etiam magis ex eo cognoscere est: quòd quadriennio pòst, anno videlicet 1614. FRANCISCUS SUAREZ Jesuita, eandem illam doctrinam parricidialem denuò interpolavit & publicavit. Cujus liber propterea, quòd Maximas contineret ac Propositiones, contrarias potestati supremæ Regum, ordinatæ ac stabilitæ à Deo, ad securitatem personarum, quietis & tranquillitatis statûs ipsorum: eâdem ratione, quâ priùs Marianæ liber à regio Parlamento Parisiis condemnatus, & per carnificem publicè est combustus; uti Extractum è Registris Parlamenti docet, quod ità habet.

Viso à Curiâ, Cameris, Majore, Turricularum & Edicti, congregatis, libro, impresso Coloniæ, anno præsente, cum hoc titulo: Francisci Suarez, Granatensis, è Societate Jesu, Doctoris Theologi, Defensio fidei Catholicæ & Apostolicæ, adversùs Anglicanæ sectę errores, &c. *continente, libro tertio, cap.23. pag.376.79.80.82. cap.29. pag.410.11.12.13.14.15.17.18.19.20. cap.6. pag.834. cap.8. pag.844. & alibi, multas Propositiones, contrarias potestati supremæ Regum, ordinatorum & stabilitorum à Deo, ad quietem & tranquillitatem Statuum ipsorum &c. quòd licitum sit Subditis ipsorum, & peregrinis, personas ipsorum invadere: factâ conclusione per Procuratorem generalem, & omnibus consideratis, Curia prædicta declaravit, & declarat, Propositiones & Maximas, in dicto libro contentas, scandalosas & seditiosas esse; tenderéq; ad subversionem Statuum, & ad permovendos Subditos Regum & Principum supremorum, & aliorum, ut violentas*

manus ſacratiſsimis ipſorum perſonis inferant: ſententias itèm, quæ mentionem faciunt Regum Ludovici & Philippi Pulchri, falſas & calumnioſas eſſe. Quapropter decrevit & decernit, ut prædictus liber Suarezii, in Curiâ Palatii, per miniſtrũ ſupremæ Juſtitiæ comburatur. Similiter interdicit Bibliopolis & Typographis, imprimere, vendere, aut mutuò ſumere; & quibuscunq; perſonis, cujuscunq; conditionis & qualitatis, habere, ſcribere, & tenere, ſive docere in Scholis, aut alibi, uti etiam diſputare prædictas Maximas & Propoſitiones. Prætereà decernit, juxta Decretum diei 8. Junii, 1610. ut Decretum Facultatis Theologicæ, diei 4. Junii, ejusdem anni, ſuper renovatione Cenſuræ doctrinalis ejusdem Facultatis, anno 1408. confirmatæ per Conciliũ Conſtantienſe, unà cum præſenti Decreto, & illorum 1578. & 95. recitentur ſingulis annis, 4. Junii, tam in prædictâ Facultate, quàm in Collegiis Sacerdotum & Scholaſticorum Collegii Claromontani, & quatuor Mendicantium: & ut, ad inſtantiam Procuratoris generalis Regis, inſtituatur informatio transgreſsionum nominati Edicti, & prohibitio de ejusmodi libris ſcribendis & ſervandis.

Actum in Parlamento, d. 26. Jun. 1614.

Prætereà decretum eſt, ut Patres, Ignatius Armandus, Rector in hac civitate, Cotton, Fronton, Sirmundus, proximâ die in Curiam vocentur; eisq; demonſtretur, quòd contra Declarationem & Decretum ipſorum Generalis anni 1610. liber iſte Suarezii & impreſſus, & in hanc civitatem illatus ſit, contra authoritatem Regis, ejusq; ſecuritatem perſonæ & ſtatûs: quibus etiam injungetur, ut Generali ſuo ſignificent, eum prædictum Decretum & renovare, & publicare debere. Cujus quidem rei actum inſtituent intra ſpatium ſemeſtre; & providebunt, ut ejusmodi libri in-poſterum nec componantur, nec mittantur in lucem à Societate ſuâ, continentes Propoſitiones tàm damnabiles & pernicioſas. Injungetur quin-etiam eis, ut exhortentur populum in concionibus ſuis, ad doctrinam ſuprà-commemoratis Propoſitionibus contrariam. Alioquin Curia procedet contra transgreſſores, ut reos læſæ Majeſtatis, & perturbatores quietis publicæ.

Decretum prædictum, & quod inſuper concluſum fuit, publicata ſunt præſentibus Patribus, Ignatio Armando, Carolo de Turre, qui loco Cottonis abſentis comparuerat, Frontone Ducæo, & Jacobo Sirmundo. Et Decretum executioni mandatum eſt, ante gradus majores Palatii, 27. Jun. 1614.

Libro Suarezii Jeſuitæ à Parlamento Pariſienſi ſic condemnato, & per carnificem publicè cremato, ſequente anno, tertii quoque in Galliâ Statûs, de doctrinâ hac, declaratio in hanc ſententiam publicata eſt. *Exortâ ſuperioribus annis, & ſeditioſis libris propagatâ doctrinâ impiâ, quæ ſupremi Magiſtratûs poteſtati inſidiatur: cùm de indubitato Regis jure ſatis omnibus conſtet; rogatum eum ſubmiſsè velit, ut, quemadmodum pro eo, qui ſupremam poteſtatem ab ipſo Deo immediatè acceperit, ab omnibus agnoſcatur & habeatur; ſic non permittat, ut ulla aliqua poteſtas, ſive eccleſiaſtica, ſive politica, tantum ſibi juris ſumat: ut prætendere aliquid in Regiam ſuam Majeſtatem, & Subditos ab obedientiâ ipſi debitâ, ob quamcunq; cauſam, abſolvere poſſit. Hanc enim memorabilem, & verbo divino congruentem, conſervandaq; ſaluti publicæ maximè convenientem regulam, ab omnibus, cujuscunq; ſtatûs & con-*

conditionis, Subditis, pro sanctâ & inviolabili lege habendam; & Officiariis Ministrisq; omnibus & singulis, antequàm vel beneficiorum participes fiant, vel ad officia sua admittantur jurejurando acceptandam, & subscriptione sigilloq; proprio confirmandam esse: Contrariam verò, eam potissimùm, quæ licere Reges vel interficere, vel exauctorare, & obedientiæ ipsorum se subtrahere, statuit, impiam, & veritati utilitatiq; publicæ contrariam: omnes, quibus id perscriptum reperiatur, libros, tanquam seditiosos, exsecrandos & damnandos: & auctores quoscunq; talia scribentes, & in publicum edentes, exteros quidem, pro juratis Regiæ Majestatis hostibus; indigenas verò, & cujuscunq; status & conditionis sint, pro seditiosis, rebellibus, legum violatoribus, & criminis læsæ Majestatis reis, habendos esse. Imperandum igitur omnibus Parentibus, ut Liberis; Præceptoribus, ut Discipulis; Professoribus, ut Studiosis; & Concionatoribus, ut Auditoribus suis, Regulam hanc diligenter inculcent. Quòd-si, edito ab exteris Ecclesiæ Ministris & Doctoribus libello, aliquid, vel directè, vel oblique, adversùs regulam hanc prolatum fuerit: necessitatem Ecclesiasticis ejusdem Ordinis, illud, sine omni personarum respectu, refutandi, ni crimen læsæ Majestatis incurrere velint, imponendam esse.

Pro conclusione capitis istius, subjiciendum videtur hoc loco mysterium Jesuitarum, quo initiare solent eum, quem ad Principis alicujus parricidium induxerunt: ubi & de Meditationum eorum Camera; & Origine doctrinæ Jesuitarum de Parricidiis.

Quomodo Jesuitæ suos parricidas animare, & in proposito confirmare soleant.

Jesuitæ cubilia habent mystica & exorcizata; in quæ ii, quos ad facinus patrandum destinaverunt, benedicendi, sanctificandi, & in Beatorum ac Cœlitum civitatem adscribendi, introducuntur. Exstat processus integer, Delphis, apud Joannem Andreæ bibliopolam, excusus; quum Jesuitæ, per hujuscemodi subornatum parricidam, Principi Auraniensi necem machinati essent. Habet autem in hunc modum.

Is, cui cædem Domini, aut Principis sui, suscipiendam Jesuitæ persuaserunt, infelix homo, in Meditatorium, seu Oratorium, secretò introduci solet. Ibi culter, linteolo involutus, & eburnâ circumq;-circa characteribus variegatâ cistulâ, cum agno Dei, inclusus, projertur. Quem, dum è vaginâ educitur, aquâ benedictâ guttis stillatim irrorant; & globulos corallinos consecratos manubrio appendunt: indulgentiâ factâ, ut, quot ictibus necandum Principem petiturus esset, totidem animas ex Purgatorio educeret. Tùm cultrum parricidæ in manum præbent, hisce verbis commendantes: Electe fili Dei, accipe gladium Jephtæ; gladium Samsonis; gladium Davidis, quo Goliatho caput præcidit; gladium Gedeonis, gladium Judithæ; gladium Maccabæorum; gladium Papæ Julii II. quo se a Principum manibus, plurimo civitatum sanguine fuso, liberavit. Vade, & esto prudenter animosus. Deus brachium tuum confortet!

Quo facto, omnes in genua procidunt; & primarius ex eis talem recitat exorcismum: Adeste Cherubim; adeste Seraphim vos Throni, vos Potestates; adeste vos sancti Angeli, & replete beatum hoc vas perpetuâ gloriâ, & quotidie illi offerte coronam B. Mariæ virginis, SS. Patriarcharum & Martyrũ. Non ampliùs nostri est, sed vestri cõsortii particeps. Et tu Deus, qui terribilis & invincibilis es, quiq; es in Meditatorio, ac Oratorio suo, ut Tyrannum ac Hæreticum exstinguere, & coronam ejus in Catholicum Regem conferre vellet,

let, revelâsti; corrobora, quæsumus, hujus, quem ad id opus consecravimus, membra: adauge ejus vires, ut voluntatem suam perficere poßit: da ei loricam divini-potentem, quâ comprehendentium manus effugiat: da ei alas, quibus sancta ejus membra Barbarorum proditorum conatus vitabunda evadant: effunde in ejus animam lætificantes tuos radios, quibus corpus, omni metu deposito, in mediis periculis & cruciatibus, gaudio & exsultatione perfusum animetur.

Hoc peracto exorcismo, ducitur parricida ante altare: in cujus pinace, depicta est Historia Jacobi Clementis, Monachi Dominicani, cum imaginibus Angelorum eum protegentium, ad cœlumq; ducentium. Hanc ei Jesuitæ ostendunt, & simul præsentant cœlestem coronam, dicentes: Domine, respice hîc brachium tuum, & exsecutorem justitiæ tuæ. Omnes Sancti assurgant & huic locum cedant.

Quibus omnibus completis, quatuor tantùm Jesuitæ deputati sunt, qui soli cum parricidâ colloquantur. Hi inter sermones sæpè dicere solent, divinam quandam in eo claritatem apparere; cujus radiis permoveantur, ad manus ejus & pedes osculandos: nec ampliùs sibi eum hominem videri; sed jam in Divis repositum. Se-se etiam aßimulant, quasi tantam ei gloriam ac beatitudinem, ad quam jam-nunc provectus sit, invideant; ingemendo dicentes: Quòd utinam Deus me tuo loco elegisset, & hac ratione confirmâsset, ut, liberatus à pœnis Purgatorii, rectâ viâ in paradysum perducerer!

Quòd-si verò is, quem idoneum esse rentur parricidio perpetrando, tergiversetur, & persuasionibus recalcitret: tùm aut terriculamentis nocturnis, monstrorumq; occursaculis, ad votum ejusmodi concipiendum, adigunt; aut per subornatas D. Mariæ virginis, vel Angelorum, vel aliorum Cœlitum, nec-non ipsius aliquando Ignatii, ac sociorum ejus, personas, ἀπὸ μηχανῆς apparentes, ad facinus animant, & inducunt. Ità scelerati isti & parricidiales magistri, nunc formidine pœnæ, nunc adumbratæ virtutis amore, incautos adolescentes miseris, & vindicandis exemplis, circumscribunt; & in animæ pariter corporisq; discrimina præcipitant.

Assassini qui. Genus hominum in Oriente fuisse memorant, quos pleriq; Historicorum *Assaßinos*; Pius Papa & Nicolaus Gillius, *Arsacidas*; Nicetas, *Chaßios* nominârunt. Hi Mahumetanæ disciplinæ addicti, novam sibi sectam instituerunt: cujus Præfecto generali sedem Muletæ, qui locus sanctus habebatur, ordinavêre. Auctor sectæ ac princeps, ALAODIM quidam fuisse perhibetur, miles veteranus; vulgò *Senex de Montanis*; à suis *Pater* & *Propheta* dictus. Iste sub se & Rectores alios habuit: qui Palatia munita, splendida, & admodùm quàm-elegantia amœna hortorum, colebant. Ratio & disciplinæ institutum, in tuendâ absolutâ Prophetæ ac Principis sui autoritate super universas gentes, vertebatur. In eam rem ipsa Palatia sive Collegia instituta: ut studiosam juventutem ad Mahumeti legem, Alcorano comprehensam, conformarent; & delectu ingeniorum habito, juvenes audaciores, ac ferociori animo præditos, observarent, secernerent, segregarentque.

Dogmata Assassinorum. Dogmata nefariæ hujus disciplinæ, hæc cum-primis referuntur.

1. Mahumetum esse Dei Prophetam; reparatorem generis humani; bonorum ac malorum retributorem.

2. *Ejus*

2. Ejus vicarium Prophetam, ac Principem Muletanum, esse in terris constitutum super omnes gentes; unicum divini & humani juris, à Mahumeto traditi, interpretem.

3. Jus fasq; esse, Principes ejus dicto non-audientes occidere, vi, fraude, dolo, pro re natâ & oblatâ occasione.

4. Nec discipulos ejus Principi alteri cuiquam obstrictos ac obnoxios esse; licèt fidem simulatam sacramento jurarint.

5. Animam esse immortalem; eiq; post hanc vitam imminere præmia aut pœnas, pro dictorum factorumq; commeritis.

6. Paradysum esse, hortum lacte & melle affluentem, & omni deliciarum ac voluptatum genere abundantem: in quo beatorum animæ præmia, quæ ad totius corporis voluptatem faciunt, pro virtute recipiant.

7. Primam ac summam virtutem, Deoq; omnium gratißimam, esse obedientiam: eamq; in eo consistere, ut Præpositos suos vereantur, ac observent, & in jußis eorum exsequendis promtos se-se, paratos & alacres, præstent; h. e. ut Paulus Venetus ait, ut animi sui (scilicet Prophetæ) detestabile exsequantur propositum.

8. Qui, pro legis Mahumetanæ æmulatione, aut bello, occumbat, aut in cæde hostis comprehensus interficiatur; animam suam rectà, & cum ipso extremo oris halitu, ad gaudia illa paradisiaca transmittere. Qui verò domi desides, & lecto immorientes, pereant; summis priùs cruciatibus, per multa annorum curricula, purgari, quàm ad Paradisum queant penetrare: ubi tamen nec solidis gaudiis, & minùs perfectis, quàm illi audaces bellatores, perfruituri sint.

9. Qui autem Principem aliquem Legis adversarium interemerit; proximum à Mahumeto locum in Paradiso, cum sanctis Prophetis, adepturum esse.

10. Deniq;, esse in potestate Prophetæ, (quem, uti dictum, Patrem sive Senem indigetabant) sibi à Mahumeto datâ atq; concessa, Paradisi gaudia distribuere; eorumq; gustum aliquem, etiam in hoc corpore constitutis, modo incomprehensibili exhibere.

Ad hæc pestifera, & horrenda dogmata, in Scholis ac Collegiis suis, adolescentum animis, ad audaciam ituris, viam faciebant: ut eos obsequentiores sibi redderent, & ad omne vitæ periculum intrepidos: quorum primarium Muletæ seminarium fuit. Heîc delecti juvenes, ad eam, quam dixi, institutionem docti & educti, potu soporifero hausto, in viridarium, Palatio seu Collegio contiguum, portabantur: ubi somno experrecti, illarum voluptatum experimentum caperent. Rivuli varii, aquâ, melle, vino, & lacte, fluentes; varia Musicæ artis instrumenta, melodiæ, choreæ, tripudia, palæstræ; vestes preciosæ, & mirus apparatus omnium delectabilium rerum: quibus pro voto fruebantur juvenes, intra viridarium positi; qui aliud nihil faciebant, quàm quòd vitam beatam vivebant, tristitiæ nullum dantes locum. Præstò erant & puellæ formosæ, variarum libidinum spintrices; & pueri calamistrati, ad nutum ministrantes. Tanto gustu voluptatis imbibito, iterum, in soporem dati, ad Collegium & habitacula sua reducebantur. *Tunc illi redeuntes,* (verba sunt Pauli Veneti) *& reminiscentes, quibus & quantis ad modicum tempus potiti fuissent gaudiis, supra modum dolebant, & tristes efficiebantur; quòd deliciis illis perpetuò*

frui non concessum sit: mortē libenter subituri, modò hac vitâ, tàm modicè degustatâ, semper vivant. Tunc Tyrannus ille, qui Dei Prophetā se esse mentiebatur, ajebat illis: Si parati estis, ut pro meâ obedientiâ mortem intrepidè, ubi illata fuerit, subeatis; participes vos pronuntio futuros illorum gaudiorum, quæ ad horam vidistis. At miseri illi, mortem lucrum putantes, nihil tam difficile ajunt injungendum; quod, pro illa beatâ vitâ consequendâ, non libenter subeant. Abutitur igitur Tyrannus ille his præfractis hominibus, ad innumera homicidia: quippè qui corporalem vitam prostituentes, contemnebant etiam mortem ipsam, &c. Hæc Paulus. Cui Nicetas Choniates consonans, *Et ad eos missi*, infit, *quos eorum Principes occisos volunt, ut hospites & amici adeunt; & aut se habere, quod eis dicant; aut Legatos venire, simulantes, sæpè Dominorū suorum adversarios pugionibus occidunt: nullâ difficultatis & explorati supplicii ratione habitâ, etiamsi alterum non occiderint.* Et pergit Paulus: *Ut omnibus hominibus essent formidini, & nemo insaniæ illorum resistere auderet. Sicq; fiebat, ut multæ regiones, & potentes viri, Tyranno illi tributarii fierent: donec tandem a Tartaris Pseudo-propheta ille oppressus, & cum omnibus Assaßinis suis exstinctus fuit, circa annum Christi nati* M CC LXII.

Ad eundem prorsus modum Jesuitæ juventutem, in Scholis & Collegiis suis, informant & erudiunt; propositâque præstantissimi gaudii cœlestis mercede & divinæ venerationis honore, ad quodvis parricidiale facinus perpetrandum, inflammant & propellunt.

DE MENTIENDI ARTIFICIO JESUITARUM, QUAM ÆQUIVOCATIONEM VOCANT.

CAPUT IV.

ARTICULUS I.

Hæreticos & verbis & factis decipere, Jesuitis licitum est.

JESUITIS, aliisq; Papistis, præsertim Clericis & Ecclesiasticis, liberū permissūmq; esse, quando ab Hæreticis magistratibus examinantur, æquivocationum deceptionibus; itemque mentitis nominibus, & vestibus uti, & veritatem supprimere: nimirum, ut commodiùs se passim insinuare, & conatus suos promovere possint.

Sic EDMUNDUS CAMPIANUS, in Epistolâ ad Generalem Societatis, anno 1583. Treviris excusâ, fatetur; *In Angliâ sæpè se commutare nomina, & habitu dementißimo esse.* Et in Epistolâ de Persecutione Anglicanâ; *Jesuitas nomina non rectè profiteri; sed mentitis nominibus, mentitâq; veste uti.*

In Actis Jesuitæ HEINRICI GARNETI, ipsiusmet Garneti, ut & sociorum ejus, Osvvaldi Tesmondi, Johannis Gerardi, & Josephi Cresvvelli, aliquot

falsa

falsa nomina recensentur. Sic Jesuita Ratisbonensis, JACOBUS KELLER, author Philippicæ contra anonymum Prædicantem, falso nomine *Jacobi Sylvani* usus est. ut & ejus interpres ac socius, CUNRADUS VETTER, falso nomine *Cunradi Andreæ, legitimi fratris Jacobi Andreæ.* CAROLUS SCRIBANIUS, Rector Jesuitarum Antuerpiæ, infami suo libro, quod Amphitheatrum honoris inscripsit, per anagrammatismum, *Clarum Bonarscium* se scripsit. ut de aliis infinitis jam taceamus.

MARTINUS NAVARRUS Azpilcueta (cujus doctrinã Gregorius XIII. inconcussam sanctamq; esse attestatur) integrum tractatum de Æquivocationibus, super c.11. Humanę aures. caus.22. qu.5. in gratiam illustrissimæ (ut ait) Societatis Jesuiticæ, scripsit: ubi etiam hanc mentiendi artem, *bonam & utilem simulandi & dissimulandi artem, prudentiam, & virtutem*, appellavit; &, *qui bonâ hac prudentia utuntur, laudandos esse*, dixit. Quin-etiam docuit, *licitè posse aliquem occultare, quòd sit Catholicus.* GREGORIUS de VALENTIA Jesuita, Tomo 3. Disput.5. qu.13 de Reo. *prudentem defensionem* vocat.

HEINRICUS GARNETUS etiam, de toto hoc argumento, & naturâ Æquivocationis, quid sentiret, explicare jussus; hoc responsum dedit. *De Aequivocatione ità censeo. In rebus moralibus, & communi usu vitæ, quando veritas inter amicos requiritur, uti æquivocatione haud licet: id enim societati hominum magno malo cederet. Quare huic remedio in istu nullus locus. Quoties verò de necessariâ defensione agitur, deq; injuriâ aliquâ evitandâ, aut damno; aut de consequendo aliquo bono non-parvi momenti, sinè ullo cujusquam periculo: tùm licita est æquivocatio.*

Idem quoq; has Jesuitarum fraudulentas Æquivocationes, quum Londini pro tribunali staret, hoc mendacio defendere & excusare conatus est. *Jesuitarum Ordo*, inquit, *mendacium quodcunq; improbat; præsertim verò in causis fidei & religionis: cùm sit illud genus mendacii omnium perniciosissimum; & à D. Augustino in Priscillianistis condemnatum. Imò verò, quâcunq; in caussa mentiri, & malum & peccatum est: utcunq; inter octo gradus, quos Augustinus facit, ille reverà gradus infimus habeatur; ità mentiri, ut uni incommodum cedat, quod sinè cujusvis sit incommodo. Illa igitur, quam nos defendimus, Aequivocatio, legitimum quarundam Propositionum usum defendit; mendaciis neutiquam patrocinatur. Fieri enim potest, ut quis ab homine, penes quem nulla sit inquirendi authoritas, interrogetur; aut de re aliquâ examinetur, cujus cognitio ad interrogantem minimè pertineat: verbi caussa, Quid aliquis cogitet? Quo tempore igitur oportet veritatem dicere; æquivocare non licet. Quòd-si secùs sit: licet, &c.* Attornatus autem, Generalis Angliæ, ad hoc sic respondit: *Verum quidem est, specie-tenus mendacium & perjurium condemnare videntur. Quòd-si secùs fecerint, ipsorum scelera essent in medio posita; omnibusq; exosi essent. Verùm, quæ condemnant, mendacia perjuriaq; aperta sunt & hiantia: mendacia autem secreta, perjuria clancularia, falsa testimonia, quæ maximè detestanda, quæq; neq; defensionem, neq; exemplum habent, approbare videntur. Quòd-si in aliis ut-plurimùm non probent, at in semet-ipsis, & sui similibus, atq; conjurationum sociis, probant & defendunt, præsertim cùm ad conatus suos perficiendos, illis usui & adminiculo esse possit.*

Hæc quoque Garneti proteſtatio *(quo tempore veritatem dicere oportet)* eſt contraria ſuo ipſius facto. Cùm enim à magiſtratu interrogatus maximè, pernegâſſet, ſe conſcium machinationis cum pulvere tormentario fuiſſe, ac pro ejus felici ſucceſſu preces habuiſſe; mendacii deinde convictus, reſpondit: *Se quidem de proſpero magnæ illius actionis eventu preces obtuliſſe; illud tamen eo animo ſenſuq́; feciſſe, quòd ſeveriores quaſdam leges tùm ſubveritus fuiſſet.* Rurſus interrogatus à Judice; *An Jeſuitam Hallum, aliàs Oldcornum, non conveniſſet?* monitusque, ut ſinè æquivocatione in veritate reſponderet; pertinaciter, & animæ ſalutem teſtatus, reſpondit; *Se cum illo non fuiſſe:* idque horrendis exſecrationibus repetiit. Poſteà verò, quum Hallus contrarium faſſus fuerat, in mendacio aperto deprehenſus Garnetus, erubuit, & miſericordiam imploravit, agnovitque ſe deliquiſſe; *Niſi ipſum Aequivocatio tueretur. Nam cùm aliquis,* inquit, *de crimine à magiſtratu interrogatur; is magiſtratui reſpondere, antequàm teſtes producti fuerint, non tenetur: quia nemo tenetur ſe-ipſum prodere.* Hinc intelligit Lector, mentitum fuiſſe Garnetum, Æquivocationum Jeſuiticarum defenſione. Nam & interrogatus à Delegatis regiis, penes quos fuit interrogandi authoritas & poteſtas; & à judice ipſo monitus fuit, ut ſinè æquivocatione & dolo aliquo reſponderet: & cognitio rei, de quâ examinatus fuit, ad interrogantes maximè pertinuit: & tamen æquivocavit, i. e. mentitus eſt.

Eâdem fraude illuſit GARNETUS Illuſtriſsimo Comiti Salisburienſi, petenti, ut ſinè æquivocatione proferret, quid de excommunicatione Regis ſentiret; dicens: *Regem Jacobum nondum excommunicatum eſſe.* Nam, Jacobum Stuardum, non Regem, excommunicatum, animo ſentiebat. Atque ità communiter Jeſuitæ, cùm ipſi, vel eorum diſcipuli, Reges & Principes occidunt; negant, ſe Reges aut Principes occidiſſe. Quia non ut Reges & Principes; ſed ut Hæreticos, Hæreticorumque fautores, & excommunicatos, atque Tyrannos, eos occidunt. *Non enim in eodem ſubjecto eſſe poſſe*, ajunt, *regnum, hæreſin, & tyrannidem.*

Hac arte RICHEOMUS Jeſuita, in ſuâ Expoſtulatione apologeticâ pro Jeſuitarum Societate, Henrico IV. Regi Galliæ illuſit; dum æquivocando impudenter affirmavit: *Se nunquam audiviſſe, poſtremò-defunctum Henricum Regem, à quoquam ſuorum hominum Tyrannum eſſe nominatum.* Non enim poſtremò-defunctum Henricum Regem; ſed benè poſtremò-occiſum Henricum Valeſiũ, Henricum Tyrannum, & quidem ſæpiſsimè, audivit nominari: cùm hoc, & pro concione ubique inter Ligiſtas, & quàm-plurimis libellis editis, factitatum ſit.

Simili æquivocãdi arte utitur tortuoſus Bellarminus; *dum negat, Sixtum V. Papam imperâſſe, eundem Henricum Regem interficere:* ut eſt videre in Reſponſione ad Apologiam pro Juramento fidelitatis. Non enim Papæ imperant occidere Reges; ſed Tyrannos tantùm, i. e. eos, qui dicto ſuo minùs ſunt audientes.

ARTICULUS II.

Licitum etiam esse, non solùm ad privatorum, sed & magistratuum catholicorum, interrogationes, æquivocare, & interrogantes decipere; idque non minùs cum juramento, quàm absque illo: quando nempè interrogatus interrogantem, non pro suo competente magistratu, sive judice, habet: aut si interrogatus opinetur, etiam competentem judicem non habere legitimam interrogandi; aut Adversarium non habere justam litigandi causam.

Jesuitæ suæ quoq; Religionis socios vafrè decipere, naloq; ducere solent.

Jesuita JACOBUS SYLVANUS, in Philippicâ contra anonymum Prædicantem, ait: *Aequivocatione uti licet, quando, qui interrogat, non est superior, aut judex. An'ne ego obligatus sum, cuique ex rure vel plaustro roganti respondere ad mentem? Quis me omnium debitorem fecit?*

MARTINUS NAVARRUS, ubi suprà, *Per hanc doctrinam*, inquit, *æquivocationis, innumera mendacia & peccata evitari possunt; si semper respondeatur cum aliquâ subintellectione. Ut, si interrogemur; Quò vadimus? Quantam pecuniam habemus? Mutuavimus? Donavimus? Quid scripsimus? Quid nobis ille vel ille dixit? & sexcenta alia. Omnibus illis absq; peccato respondere nos posse, subintelligendo aliqua. Ut, si quis petenti pecuniam, librum, &c. respondeat:* Non habeo; *licèt habeat: subintelligendo tamen ità non habeo, ut tenear præstare; vel, ut tenear tibi dicere, dare, manifestare; vel, ut dicam tibi.*

Idem Navarrus scribit: *Quòd reus, interrogatus de crimine, à judice non-procedente juridicè, non teneatur fateri veritatem; sed possit uti æquivocatione, subintelligendo aliquid aliud, quàm verba sonant. Imò & qui respondet judici, sive superiori, sinè vel sub juramento, potest uti amphibologiâ: sive illa contingat ex diversâ verbi significatione; sive ex diversâ intentione interrogantis & respondentis; & licèt falsum sit, secundùm mentem interrogantis.* Itèm: *Etiam magistratui, vel judici, injustè interroganti vel adjuranti, non tenetur quis secundùm suam intentionem respondere.* Sic & testem instruit Navarrus: *ut dicat, se nihil scire; subintelligendo intra se, Nihil, quod dicere teneatur.* Ibidem etiam instruit litigantes, qui jubentur jurare de calumniâ, veritate, &c: *Ut, si non ordinatè, vel justè, à judice jubeantur, possint negare vel affirmare, secundùm propriam mentem: nō curando de illâ, quam judex habet.* Itèm: *N.N. clàm, sive testibus absentibus, cuidam fœminæ dixit; Accipio te in uxorem meam: sed sinè animo eam ducendi. Posteà judici eum adjuranti, & interroganti, an ea verba dixisset? respondit, se illa non dixisse; subintelligendo in mente suâ, quòd illa non dixerit animo illam ducendi.* Et addit Azpilcueta: *Hoc non esse mendacium; sed æquivocationem prudentem & honestam.*

Similia docet GREGORIUS de VALENTIA, Tomo 3. Disp. 5. quæst. 13. de Reo. *Quandocunq; (ait) iniqua interrogatio fit: etiamsi juramentum accesserit; nullum tamen committetur perjurium, quámvis juramento affirmet alium aliquem sensum verum, alienum ab interrogatione. Talis non mentitur, nec vanè usurpat nomen Dei: siquidem, ad se vel sua tuendum, id facit.*

ANDREAS quoque EUDÆMONO-JOHANNES, in Anticoroni confutatione, inquit: *Cùm quis nullis justis indiciis in jus vocatur: quia nemo tenetur se-ipsum magistratui prodere; idq; lex ipsa naturæ satis docet: apertè & liberè, sine omni tergiversatione, negare potest id, cujus gratiâ accersitur. quia semper clausula illa intelligitur; itâ, ut tenear dicere.*

FRANCISCUS TOLETUS, Jesuita & Cardinalis, de Instruct. Sacerd. lib. 4. cap. 21. scribit: *Si quis à Superiore interrogetur juratus: tùm, si justè interrogetur, tenetur respondere absque æquivocatione. Si verò injustè: tùm potest uti æquivocatione, & respondere, non secundùm judicis mentem; sed secundùm propriam. Et, si crimen omninò occultum est, de quo quis interrogatur: tùm æquivocatione uti poterit, respondendo, Nescio; intelligendo tamen intra se, Ut dicam tibi: vel respondendo, Non feci; intelligendo intra se, Nunc non feci; vel quid simile. Et sic interrogatum, An ex tali civitate veniat? (de quâ nempè communis fama est, quòd peste infecta sit) ut-ut sub juramento interrogatus sit, pòsse tamen respondere, Quòd non; licèt inde veniat: quia nempè tacitū intellectum in suâ mente habet, quòd civitas illa non sit infecta; quòd ipse non sit infectus, licèt civitas infecta sit. Quia nempe non facit contra præcipuam intentionem custodum.* Itèm: *Quærenti judici, Fecistíne illud? respondeat, Non; intelligēdo intra se, Ut dicam tibi; vel hoc tempore; vel quid simile. Et, si vir uxorem petat, an sit adultera? illa potest dicere, Non sum; quámvis verum fuerit: intelligendo, Ut tibi revelem. Sic, qui cogitur jurare, alteram in sponsam accepturum: intelligendo, si posteà placuerit: & à latronibus comprehensus juraverit, se posteà daturum centum aureos, ut liberetur; & æquivocè jurans, intra se dicens, Si posteà liberetur: tunc non tenetur solvere. Sic à custode injuriosè detentus, ut dimittatur, jurans se redditurum posteà; potest uti æquivocatione, & non tenetur reddere. Interrogatus alius, & jurejurando obstrictus, ut verum dicat, talémne viderit hodiè? hac æquivocationis arte illud planè denegat; prudens licèt sciensq; illum viderit. Ille verò hunc sensum sibi reservavit: Non vidi illum, scilicet ut magistratui hoc dicerem: vel, non visione beatificâ; vel non Venetiis, &c: illum vidi.*

Jesuitæ ventū aucupari nôrunt.

Atque itâ, mediante æquivocatione & mentiendi arte, Jesuitæ ubique locorum commodissimè latére, cuncta perreptare, ac (uti verba COSTERI Jesuitæ, in Sicâ tragicâ, cap. ult. de se suisque sociis, habent) *itâ nôrunt vela obliquare in ventos, &, undecunq; se prosper aliquis flatus ostenderit, captare vel Euros, vel Zephyros.* Et RIBADENEIRA, de Principe, lib. 1. cap. 26. *Christiana,* inquit, *prudentia docet, dissimulatione utendum, quādo magna pericula timentur.* Unde ALEXANDER HAYUS Jesuita publicè sæpeq; docuit; *Ad tempus externè aliud simulandum, quàm intùs in corde sentias: & sic ad tempus simulandum, ac-si Regi obedire velis.* Ideoque Jesuitam, breviter quidem, at graphicè, descripsit, dicere solitus; quòd *Jesuita est omnis homo:* significans, ut Proteus Poëtarum in omnes figuras se

trans-

transformare potuit; sic Jesuitam, nunc sacerdotem, nunc militem agere; nunc bonum virum simulare, mox insignem nebulonem præstare posse.

Ex prædictâ Jesuitarum mentiendi disciplinâ, etiam notoria illa & impudentissima mendacia proficiscuntur; quibus Euangelicorum cùm personas, cùm doctrinam infamare, totique Mundo exosam reddere conantur. Jesuitica mendacia contra Euangelicos.

Anno Domini 1605. editæ sunt Theses à Jesuitis MONASTERIENSIBUS, hoc titulo, *Credo Calvinisequarum*, plenæ prodigiosarum calumniarum ac mendaciorum de Calvinianis.

1. Thesi octavâ, hoc corollarium planè blasphemum & abominandum afferunt: *Articulum primum Calviniani symboli hunc esse; Credo in Diabolum, Carnificem Orcipotentem, Corruptorem cœli & terræ.*

2. Ibidem asserunt, *Calvinianos simpliciter & generatim docere; Non patientiâ & permißione, sed potentiâ & operatione Dei, peccata fieri.*

3. Thesi 9. dicunt, *Calvinianos prohibere caput aperire, aut genua flectere, ad mentionem nominis JESU; adeoq; honorem etiam politicum ei derogare.*

4. Thesi 14. dicunt, *Calvinigenas in Angliâ, &c: negare, Christum verum esse Deum; sed tantùm nudum hominem, & Philosophum, datum humano generi, ut sit rectum vivendi exemplum.*

5. Thesi 15. asserunt, *Calvinianos docere, Christum natum ex Mariâ non-virgine.*

6. Thesi 17. ajunt, *Turcas de tertio articulo Fidei Christianæ multò saniùs sentire, quàm Calvinistas.*

Consimiles calumniosos, falsos, & malè-detortos doctrinæ Aphorismos, etiam Moguntinus BECANUS, anno 1608. in publicum sparsit; quorum primi quinque ità sonant.

1. Deus ab æterno prædestinavit plerosq; Homines, ad æternam mortem & damnationem, sinè ullâ ipsorum culpâ; solùm quia ipsi ità placuit.

2. Deus occultâ quâdam vi movet, impellit, & necessitat homines, ad omnia flagitiorum genera perpetranda.

3. Deus mandat, urget, & incitat Satanã; ut miseros homines ad peccandum inducat.

4. Deus simpliciter dicendus est author omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur.

5. Deus non solùm prædestinat homines ad æternam damnationem, & ad peccandum impellit: sed etiam miris modis illudit miseris, simulans se velle illos juvare; cùm tamen nihil minùs velit.

Jesuitæ COLONIENSES, in Censurâ suâ, audacter & impudenter affirmant; *Euangelicos doctores suâ doctrinâ frena ad omnem impietatem laxare, & facultatem flagitiosis hominibus facere, quævis etiam scelera (quò plures in suam sententiam pertrahant) committendi.*

Anno 1597. rumorem sparserant Jesuitæ, qui ferè per totam Europam pervasit, de *D. Theodori Bezæ*, Pastoris Genevensis Ecclesiæ, morte: & constanter affirmârunt, *quòd is, paulò ante mortem, omnem doctrinam suam recantârit; & confessus sit, se Romanæ Ecclesiæ doctrinã pro verâ agnoscere, atq; in eâ mori velle.* Auctor hujus

jus commenti ferebatur CLEMENS PETRANUS, Jesuita Parisiensis. Mendacium autem illud impudentissimum, non solum Pastores Genevenses refutârunt, edito scripto, cui *Bezæ Redivivi* nomen fecerunt: sed Beza quoq; ipse, tum adhuc superstes, Epistolâ ad Gulielmum Stuckium, Theologum Tigurinum, vanitatem illam redarguit.

THOMAS BOZIUS Eugubinus, lib. 12. de Signis Eccles. cap. 12. per calumniam, *Evangelicæ doctrinæ bonarum artium ignorantiam objicere audet*: scilicet, quia soli Jesuitæ omnem eruditionem devorârunt; ideoque simplicem juventutem, ad omnem nequitiam, tam artificiosè instituere nôrunt.

Jesuitæ parricidia sua Evangelicis transscribunt.

Quin adeò malitiosè impudentes sunt Jesuitæ; ut etiam sua suorumque facinora ac parricidia Evangelicis transscribere non vereantur.

Sic enim CRESWELLUS, in suo Philopatre, contra Edictum Elisabethæ Reginæ; *Regina, inquit, Angliæ conscia fuit illius conjurationis, quæ anno 1572. in nuptiis Regis Navarræ, contra Carolum IX. Galliæ Regem, exsecutioni mandari debebat. de qua scribit Genebrardus his verbis: Regis Navarræ nuptias excepit dies Bartholomæanus ob quandam in Catholicos Principes conjurationem.*

Et FRANCISCUS COSTERUS Jesuita, de eodem, in Sicâ tragicâ, cap. 7. sic scribit: *Anno 1572. Catholici multos in Galliâ Calvinistas, jussu Regis, (qui illos cognoverat, de suâ cæterorumq; Catholicorum cæde cogitâsse) illâ, certo die, quem præstituerat, necârunt.* Et cap. 11. *Conscivit Rex,* inquit, *anno 1572. consceleratum consilium conclusum fuisse ab Huguenotis; ut condicto die, tempore quarundam nuptiarum fit, cum totâ progenie, & omnibus Catholicis, internecione confestalis delerent. Huic Calvinianorum horrendo sceleri, & Regis Christianissimi, Patriæq; parricidio, obviam itum est: &, qui ferrum alteri acuerant, suo illud jugulo excepêre.*

Causa tamen lanienæ hujus, omnibus tàm nota est; ut omnes Pontificios talia de fidelibus Gallis, præter solos Jesuitas, scribere, hactenus puduerit. Jacobus certè Augustus Thuanus, in suâ Historiâ, Tomo 2. part. 2. aliam, & quidem veram, hujus inauditæ lanienæ causam commemorat: videlicet, *Ut, sub specie arctioris amicitiæ, & quidem nuptiarum, Huguenoti Lutetiam, tanquam aves in casses, pellicerentur, & simul omnes opprimerentur.*

Sic fulminalis quoque pulveris molitiones, contra Regem Angliæ & Regiam stirpem, Regnique totius Proceres, Jesuitæ COLONIENSES, à Calvinianis, nec ab ullo Catholico, excogitatas esse, impudentissimè sunt mentiti.

Et Cretensis ille ANDREAS EUDÆMONO-JOHANNES, in Apologiâ suâ pro Heinrico Garneto, scribere non veretur; *Conjurationi illi pulveraria nequemquam Jesuitarum immixtum vel ejus conscium & participem: quin & Garnetum, nullius sceleris convictum, odio duntaxat religionis, aut Jesuitici nominis, damnatum fuisse.* Cum ex actis judiciariis Processûs illius planè contrarium constet, & minimùm quatuor Jesuitas facinori isti intervenisse: dictum videlicet Heinricum Garnetum, in Angliæ regno ab annis novendecim Provincialem; Hallum, qui & Oldcornus est; Osvvaldum Tesmondum, sive Grenvvellium; & Johannem Gerardum: præter alios plures, tàm intra, quàm extra Angliam faci-

facinoris conscios; quorum, pro suâ quisque virili, singuli, quæ res aut tempus postulare viderentur, exsequentes, negotium illud per Patres Jesuitas curârunt.

Jesuitæ propria sua dogmata, dicta scriptaque negant.

Sæpè-dicta æquivocandi & mentiēdi doctrina, Jesuitis tantum etiam animi addit, ut multa à se & aliis Pontificiis facta, dicta, & scripta, impudenter negare ausint, quoties illa sibi obfutura animadvertunt.

Hinc RICHEOMUS Jesuita, in Expostulatione apologeticâ pro Societate Jesu, anno 1603. editâ; *Nunquam, ait, ego audivi, postremò-defunctum Heinricum, à quoquam nostrorum hominum, Tyrannum esse nominatum: & tamen cum illis familiariùs aliquantò sum, quàm iste* (Adversarius,) *versatus.*

Negat hoc quoque JACOBUS SYLVANUS, in suâ Philippicâ, contra Admonitionem ad omnes Reges ac Principes, de nefariis, & exitialibus Papæ & Jesuitarum conatibus & practicis.

Negat idem SYLVANUS ibidem, Jesuitas docere, *eodem modo reliquos etiam Principes & Reges, si à Theologis, viris eruditis & gravibus, pro Tyrannis habeantur, interfici posse: ideoq; rectè fecisse Jacobum Clementem Monachum, quòd Heinricum III. Regem Galliæ interfecerit; rectè etiam facturum, qui illius successorem Heinricum IV. oppresserit.*

Negat idem, Jesuitas docere, *Tyrannos (excommunicatos putà, & Euangelicos) veneno, à subditis vel ministris suis, necari posse.*

At verò JOHANNES MARIANA, lib. 1. de Rege & Regis institut. c. 6. hanc quæstionem tractans, *An Tyrannum opprimere fas sit?* affirmantem sententiam probat; *& inter alia meminit Heinrici III. Regis, ut Tyranni, & meritò propterea occisi.* Quod utique inconveniens fuisset, si eum non pro Tyranno habuisset. Ibidem etiam causas indicat, cur illum pro Tyranno habuerint: videlicet, *propter impios illius ausus.* Additque ibidem Mariana, Jacobum Clementem præmeditatè, & de consilio Theologorum, hoc facinus perpetrâsse: qui eum docuerint, in eoq; confirmârint, talem Regem, veluti Tyrannum, justè occidi posse. *Cognito,* inquit, *à Theologis, quos erat sciscitatus, Tyrannum jure interfici posse.*

Sed & PETRUS RIBADENEIRA, de Principe, libro 1. cap. 15. qu. 91. scribit: *Quòd Heinricus III. ex pernicioso humanæ prudentiæ consilio, & nefariâ Politicorum calliditate, Heinricum Guisiæ Ducem, & Ludovicum Cardinalem, ejus fratrem, fortißimos Principes, in Blasensibus Comitiis, crudeliter sustulerit: sed nec-dum decurso anno, æquissimus sceleris vindex, Deus, à cædis authore, meritißimas pœnas exegerit.* Quæ certè luculenta est & viva Tyranni descriptio.

In libris etiam, Parisiis in Jesuitarum Collegio repertis, & à JOHANNE GUIGNARDO Jesuitâ scriptis, inter alia quoque docetur; *Permissum esse, Reges ac Principes occidere.* Disertis etiam verbis, Heinricus III. TYRANNUS nominatur.

In libro quoque toto de justâ Heinrici III. abdicatione, *Rex ille dicitur fuisse crudelißimus Tyrannus.* Inprimis lib. 2. per aliquot capita, nominatur *perjurus, parricida, assaßinus, homicida, & quidem Ecclesiasticarum personarum; Hæreticus, & Hære-*

ticorum amicus & fautor, Schismaticus, Simoniacus, sacrilegus, nigromanticus, &c. Proindeq́ permissum fuisse subditis ejus, atq; aliis, ipsum occidere. Eant nunc Jesuitæ, & isthæc à se dicta scriptáve negent.

Sic MARTINUS BECANUS, Jesuita Moguntiensis, contra Christianum Batavum, negat apertè; *Romano-Catholicos docere, & in tribus Conciliis, Lateranensi sub Julio II. & Leone X. celebrato; Tridentino itèm, & Constantiensi, decretum esse; Hæreticis fidem non esse servandam.*

Contrà JACOBUS SIMANCHA, Episcopus Pacensis, in Institutione suâ Cathol. tit. 46. art. 52. hęc scribit: *Ad Hæreticorum pœnam & odium pertinet, QUòD FIDES ILLIS DATA SERVANDA NON SIT, (ut in Concilio Constãtiensi factum,) non obstante juramento.* Et mox rationem addit: *Si enim tyrannis, piratis, & cæteris prædonibus, fides servanda non sit, qui corpus occidunt: longe minùs Hæreticis pertinacibus, qui occidunt animas.* Rursus: *Cum Hæreticis*, ait, *nullum commercium, nulla pax, Catholicis esse debet. Quamobrem fides illis data, etiam juramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra jura divina & humana, nullo modo servanda est.* Citat etiam præter alios Thomam, secundâ Secundæ, quæst. 70. art. 1. ubi vult, *Hæreticum indocilem prodendum esse judicibus, non obstante fide & juramento.*

Simanchæ assentit etiam CRESWEL Jesuita, contra Edictum Reginæ Angliæ, parte 2. num. 157. *Quemcunq;*, inquit, *Principem Christianum, si à Religione Catholicâ manifestò deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate, ex ipsâ vi juris, tùm humani, tùm divini; hocq́; ante dictam sententiam supremi Pastoris ac Judicis, contra ipsum prolatam: & Subditos quoscunq; liberos esse ab omni juramenti obligatione, quod de obedientiâ, tanquam Principi legitimo, præstitissent; posseq́; & debere, si vires habeant, istiusmodi hominem, tanquàm apostatam, ac Christi Domini desertorem, & Reipublicæ suæ inimicum & hostem, ex hominum Christianorum dominatu ejicere: ne alios inficiat, vel suo exemplo & imperio à fide avertat. Atq; hanc certam, definitam, & indubitatam, virorum doctissimorum (Jesuitarum) esse sententiam.* Et tamen adhuc negare audent, se & alios Pontificios docere, Fidem Hæreticis servandam non esse.

Hoc etiam generale Papistarum dogma esse, M. TORTUS, sive BELLARMINUS, in Responsione ad Apologiam pro Juramento fidelitatis, his verbis testatur: *Jam supra docuimus, supremum universæ Ecclesiæ rectorem id juris habere; ut, si Princeps ab Ecclesiæ unitate, per hæresin, vel schisma, deficiat, possit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare,* ET SUBDITOS EJUS à FIDE ET OBEDIENTIA LIBERARE. *Neq; hanc esse novam doctrinam; sed in Concilio LATERANENSI, omnium maximo & celeberrimo, approbatam; atq; usu Christiani populi per multa secula receptam. Qui enim non timent occidere; numquid timebunt jurejurando religionem violare?* Et adhuc audent negare, se hoc docere.

Nec minùs MOLANUS, lib. 3. cap. 27. Object. 1. & 6. expressè docet: *Regulam Pontificiis generalem esse, Fidem Hæreticis vel non dandam, vel non esse servandam, si illis data sit, super libero Religionis suæ exercitio.* Et in specie de Fœderatis Belgis, quos

Hispa-

Hispaniæ Regi vim intulisse tradit, *Merentur*, inquit, *ut eis promissum non servetur.* Et lib.4.cap.7.addit: *Nam quotquot contra Catholicam majestatē Philippi arma in Belgio sumunt, quia potiùs rebelles, quam hostes dicēdi sunt; usitatè Pradones dicuntur: atq; si illis aliquid promissum sit, claram & indubitatā esse resolutionem, iis nihil deberi.*

Infame illud Amphitheatrum Honoris, anno 1605.excusum, CLARI BONARSCII nomine, (cujus proprium nomen *Carolus Scribanius* erat, Antuerpiani Collegii Rector) COTTON Jesuita dixit, *nequaquam à sua Societatis hominibus emanásse, sed Geneva, ad conflandum Jesuitis odium, fictum ab Hæreticis fuisse.* Qui tamen posteà longè aliter, quid sentiret, expresṡit; laudato Scribanii opere, & distributis multis exemplaribus.

Pari impudentiâ nunc demùm Jesuitæ veteres, & antehàc indubias historias negant, quas sibi & instituto suo adversari cernunt. Jesuitæ veteres etiam & indubias historias negant.

Sic BELLARMINUS, lib.4.de Pontifice Romano, c.10. Calvinum impudenter mentiri ait, quòd scribat, *Siricium, in Epistolâ ad Hispanos, conjugium Sacerdotum vocâsse immunditiem & pollutionem.* Atqui publicè, omnium oculis objecta, legi potest Epistola illa: quâ prohibet Papa ille Presbyteris matrimonium; & ad hoc sacræ Scripturæ dictis abutitur. ut quando præcipit Deus, Num.11. *Sancti estote; quia & ego sanctus sum.* & quando Paulus scribit, Rom.8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Eodem loco negat BELLARMINUS, *Liberiū Papam fuisse Arianū, & Arii doctrinæ subscripsisse:* quod affirmat *Athanasius*, in Epistolâ ad solitariam vitam agētes.

Negat etiam, *Felicem Arianum fuisse:* quod affirmat *Hieronymus* in Catal.in Acacio; ubi ait: Acacii operâ Felicem Arianum Romæ Episcopum constitutum esse.

Negat, *Cœlestinum Papam Nestorianum fuisse:* quod affirmat *Laurentius Valla*, lib.de Donat.Constantini.

Negat, *Vigilium fuisse Monophysitam*, & *Epistolam Liberati*, in quâ hoc disertè affirmatur, *ab Hæreticis vel corruptam, vel totam confictam & scriptam fuisse:* sed non probat.

Negat cap.11. *Honorium Papam hæreticum fuisse.* At sunt duæ Epistolæ Honorii, in Synodo 6.Act.12.& 13. in quibus doctrinam Sergii, principis Monothelitarum, approbavit. In eâdem Synodo, Act.13. Honorius nominatim damnatur; & ejus Epistolæ comburendæ judicantur. Et hæc damnatio reperitur in omnibus Actionibus sequentibus, plus quàm vigesies. In Synodo 7. etiam damnatur Honorius, tanquam Monothelita. In Synodo 8. generali, Act.7. asseritur, Honorium fuisse à Synodo 6. post mortem, damnatum. *Agatho* Papa, in Epistolâ ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur Act.4. Synodi 6. anathema dicit Honorio, tanquàm Monothelitæ. Idem etiam facit *Leo II.* in Epistolâ ad eundem Imperatorem, quæ habetur in Synodo 6. in fine. Sed & alii Jesuitæ ac Papistæ id confitentur; *Melchior Canus*, lib.6. Comment.c.ult. *Sanderus*, lib.7.de Visib.Monarch. *Alphonsus de Castro*, lib.4.de Hæret.pun. *Torrensis*, de 6.7.& 8.Synod. *Hardingus* contra Juellum; *Genebrardus*, in Chron.in Honorio I.

Solus Bellarminus cum paucis negat. Ut impudentissimum mendacium COSTERI Jesuitæ esse oporteat; qui in suo Enchiridio apertè asserit, *in tanto Pontificum numero, qui Beato Petro successerunt, ne unum quidem inventum esse, qui hæresin docuerit, aut in errorem lapsus sit.*

Historia de Johannâ Papissâ Rom. ejusque puerperio; de cujus tamen veritate, per 800. jam annos, in ipsomet Pontificio Regno, nunquàm dubitatum aut disputatum est; nunc demùm in dubium vocatur à Pontificum adulatoribus, inprimis BELLARMINO & BARONIO: qui hanc historiam fabulam esse contendunt; eoque plerosque, integros gravesque Scriptores, in quorum consentientium monumentis expressa & contestata illa legitur, vanitatis & mendacii, non minùs arroganter, quàm inverecundè, arguunt. idque non adserendæ veritatis caussâ; (quam, ubicunque eis adversatur, adulterant & supprimunt) sed ut probrosam hanc puerperii Papalis labem diluant, hoc cumprimis tempore plurimùm jactatam, in despectum & ignominiam Hierarchiæ Romanæ, cujus fundamentum in perpetuâ indè usque à Petro successione situm prædicant: quam catenam, ab hac muliere interruptam, dolenter ferunt; ideoque historiam omnibus modis sepultam esse cupiunt.

Ranulphus certè, Flaviacensis Monachus Benedictinus, hanc historiam Pontificalis puerperii primus commemoravit; & ab aliis, propter deformitatem facti, omissam, apertè fassus est. Vixit (juxta Trithemium) anno 930. ut Papale hoc puerperium ab iis accipere potuerit, qui illud viderunt.

Hunc sequutus est *Marianus Scotus*, qui, *Anno Domini*, inquit, *854. anno Lotharii 14. successit Leoni Johanna mulier.* Floruit Marianus anno 1050. ut hanc historiam, vel ex Seniorum relatione, vel ex superiorum Scriptorum relictis monumentis, cognitam habuerit.

Tertius est testis veritatis hujus historiæ, *Sigebertus* Gallus, Gemblacensis abbas. *Fama est*, inquit, *Johannem fœminam fuisse, & uni soli familiari cognitam, qui tunc eam complexus est. Gravida facta peperit, Papa exsistens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam.*

Supersunt alia quoque, de eodem facto ac scelere, testimonia. Ut *Martini* Poloni. Is inquit: *Johannes IIX. fœmina fuit, & in Papatu à familiari suo impregnatur. Verum tempus partûs ignorans, quum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu, inter Colossæum & S. Clementis Ecclesiam peperit: & posteà mortua ibidē, ut dicitur, sepulta fuit. Et propterea, quòd Dominus Papa semper eandē viam obliquat, creditur omninò à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc fiat. Nec ideò in catalogo sanctorum Pontificum ponitur: tàm propter muliebrem sexum; quàm propter deformitatem facti.*

Ut *Francisci Petrarchæ*, qui eadem, quę Martinus, commemorat in suo Chronico, Italicè conscripto, & Florentiæ excuso, anno 1478. *Johannes*, inquit, *Anglicus non ponitur in catalogo Paparum; quia fœmina fuit.*

Ut *Johannis Boccatii*, qui, libro de Claris mulieribus, cap. 99. graphicè probrosum illud Pontificis puerperium describit: ità ut etiam effigiem parientis, & obstetricantes Cardinales & Episcopos, exhibeat.

His

His testibus accedunt complures alii fide-dignissimi: *Richardus Monachus, Laonicus Chalcocondylas, Martinus Minorita, Antoninus Archiepiscopus, Albertus Stadensis, Otto Frisingensis, Annales Augustani antiqui, Wilhelmus Occamus* c.124. operis 90. dierū. *Raphaël Volaterranus,* in Comm. suis Julio II. dicatis. *Platina, Sabellicus* Ennead. 9. lib. 1. *Robertus Dominicanus, Matthæus Palmerius, Baptista Campofulgosus, Jacobus Philippus Bergomensis, Trithemius* in Chronicis, *Johannes Stella, Nauclerus, Lucidus, Albertus Krantzius, Fasciculus temporum, Cœlius Rhodiginus, Baptista Mantuanus, Chronicon Noribergense, Johannes Carion, Martinus Eisengrein, Johannes Pistorius,* ac plures alii. Quorum certè tot, Pontificiorum præsertim virorum, eoque minimè suspectorum, testimonio & affirmationi plus credendum est; quàm Jesuitarum negationi: qui id solùm dicunt, quod Pontificis sui majestatem & authoritatem stabiliat; contrarium simpliciter vel negant, vel saltèm eludunt.

Denique, etiam ex Jesuiticâ mentiendi officinâ, venit spiritus ille contradictionis; quo, pro re natâ, Jesuita quispiam & sibi-ipsi, & aliis Jesuitis ac Papisticis doctoribus, securè contradicit, sicque calidum & frigidum ex eodem ore efflat: dummodò Hæretici quaquâ ratione confutati videantur. Id quod ex sequentibus exemplis luce meridianâ clarius evadit. (Jesuitæ & sibi-ipsis, & aliis Papistis, contradicunt:)

FRANCISCUS COSTERUS Jesuita, in Enchiridio, pag. 44. sacram Scripturam *membraneam & chartaceam, ac literam mortuam,* vocat. At paulò pòst, pag. 47. sic eam extollit; *ut nullum jota, apicem nullum in illâ agnoscat, cui non insit suum pondus & efficacitas: unde tanquàm divina eloquia, mentem hominis admirabili dulcedine & suavitate afficiant.* (De S. Scripturâ.)

IDEM, in eodem Enchiridio, pag. 45. docet; *Non omnia, quæ ad fidem pertinent, explicitè sacris Literis expressa esse: quæ non ob id datæ sint, ut formulam exactam fidei præscribant.* At mox, pag. 49. sibi contradicit: *Præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu necessaria sint, perspicuè satis Apostolicis literis comprehensa esse.* Et STAPLETONUS, Præfat. in Euang. *Scriptura,* inquit, *sufficit ad vitam; quæ unica vitæ æternæ regula est: cætera, quibus non allucet Verbum Dei, tàm non sunt necessaria, quàm superflua.*

JACOBUS GRETSERUS, contra Simonem Stenium, *Non injuriâ,* inquit, *prohibetur & arcetur populus à lectione Scripturæ. Quid enim rudi vulgo cum Scripturâ?* Et HOSIUS, de Verbo Dei, *Laicis,* inquit, *lectionem Scripturarum permittere, est sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos projicere.* At ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in Tit. cap. 2. & 2 Tim. cap. 5. *Aliqui,* inquit, *existimant, Scripturas difficiliores esse, quàm ut debeant Laicorum manibus conteri: sed aliter visum est Patribus veteris & novi Testamenti.*

BELLARMINUS, lib. 1. de Verbo Dei, cap. 10. *Omnes,* inquit, *Protestantes, sex illos libros, quos Apocryphos vocant, ut Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Maccabæorum, negant pro Scripturis canonicis habendos esse.* Idem tamen eodem loco, & PERERIUS, lib. 16. Comm. in Danielem, *Catholici,* inquiunt, *multi, libros hos apocryphos esse, censuerunt.*

BELLARMINUS, lib.2. de Verbo Dei, cap.10. multis contendit, *Vulgatam Latinam versionem, in omnibus lectionibus & disputationibus, pro authenticâ habendam esse; ità ut nemini liceat ab eâ, quámvis sanctißimæ causæ prætextu, provocare.* MALDONATUS autem Jesuita, Comm. in Matth. *Existimo,* inquit, *Latinam nostram vulgatam esse, in hoc loco, ex Græcis corrigendam.* Cajetanus, *Est,* inquit, *vulgata multis vitiis conspurcata.* Et FRANCISCUS LUCÆ, in Annot. ad Biblia, *Ridiculum est,* ait, *hoc quorundam responsum, vulgatam Latinam authenticam esse, nec esse ex Hebræis & Græcis corrigendam.*

De Ecclesiâ. BELLARMINUS, lib.4. cap.8. de Notis Ecclesiæ, inquit: *Succeßione in Rom. Ecclesiâ, ab Apostolis deductâ usque ad nos, Veteres, tanquam argumento evidentißimo, usi sunt ad veram Ecclesiam.* STAPLETONUS contrà, lib.13. de Doct. princ. c.6. *Personalem,* inquit, *succeßionem nihil moramur; modò doctrinam nostram consentientem Scripturis ostendere poßimus.* Et Bellarminus ipse lib.2. de Eccles. milit. cap.8. *Succeßio vera non est, quam hæresis interrumpit.*

COLLEGIUM ANGLO-RHEMENSE, Annot. in Ephes.5. *Si,* inquit, *Protestantes ullum in se Theologiæ sensum haberent; nunquam dicerent, Ecclesiam posse à fide deficere, i.e. à Christo sponso divortium pati.* BELLARMINUS verò, lib.3. de Milit. Eccles. cap.3. *Notandum est*, inquit, *multos ex nostris tempus terere; dum probant absolutè, Ecclesiam non posse à fide deficere. nam Protestantes id concedunt: sed dicunt, id intelligi de Ecclesiâ invisibili.*

COSTERUS Jesuita, Apolog. part.3, cap.12. *Ut phlegma,* inquit, *pituita, sanies, saliva, sanguis abundans, viventis hominis neq; membra sunt, neque partes: & tamen non sunt extra corpus: ità impii ad superfluos humores referuntur; qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus egeruntur.* Contrà verò BELLARMINUS, lib.3. de Militante Ecclesiâ, cap.9. *Si ità est,* inquit; *sequitur, Pontificem malum non esse caput Ecclesiæ: & alios Episcopos, si mali sint, non esse capita suarum Ecclesiarum. Caput enim non est humor, aut pilus; sed membrum, & quidem præcipuum.*

De Romano Pontifice. BELLARMINUS, toto libro 1. de Rom. Pontifice, pro supremâ potestate Papæ in omnes Episcopos pugnat, ex eo; *quòd Petrus primatum ac potestatem in reliquos Apostolos habuerit.* Idem tamen, cap.9. ejusdem libri, sibi apertißimè contradicit; *Summam potestatem omnibus Apostolis, libertatemq; datam esse.*

BELLARMINUS, lib.2. de Pontifice Rom. cap.26. *Pontifex,* inquit, *Romanus non potest ab ullo Principe Christiano, sive seculari, sive ecclesiastico, judicari in terris: neq; ab omnibus simul in Concilio congregatis.* Contrà JOHANNES FERUS, in Act. cap.11. *Petrus,* inquit, *respondebat, & omnia narrabat. Potest igitur Ecclesia à Ministris non modò exigere rationem; sed etiam deponere & repudiare potest. Impii autem nostri Pontifices, quasi Domini sint, non Ministri; ab Ecclesiâ quidem argui, & in ordinem cogi nolunt.*

BELLARMINUS, lib.4. de Pontifice Rom. cap.6. scribit: *Probabile est, piéq; credi potest, summum Pontificem, non solùm ut Pontificem, errare non posse; sed etiam, ut particularem personam, hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* Et COSTERUS, in Enchiridio, asserit; *Ne unum quidem, in tanto*

Ponti-

Pontificum numero, inventum esse, qui hæresin docuerit, aut in errorem lapsus sit. Idem tamen BELLARMINUS, eodem lib.4. cap.2. in explicando statu quæstionis hujus, *Duo esse,* dicit, *in quibus non Hæretici modò, sed & Catholici omnes, conveniant. Primum: Posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare, in controversiis fidei particularibus; quæ ex informatione testimoniisq; hominum præcipuè pendent. Secundum: Papam posse, ut privatum doctorem, errare, etiam in quæstionibus juris universalibus, tàm fidei, quàm morum.* Ibidemq; fatetur; *Papam, ut Papam, hæreticum esse posse, Doctores Parisienses tenuerunt.* Et CATHARINUS, Comm. in Galat.2. *Legimus, multos Pontifices apostatâsse à fide: Honorium in Conciliis duobus, vel tribus, Papam damnatum; Cœlestinum quoq; & alios.*

BELLARMINUS, lib.5.cap.1. & 6. de Pontifice Rom. dicit, *Papam non habere summam aliquam potestatem temporalem, jure divino; nec posse ullo modo imperare Principibus secularibus; ne-dum eos regno & principatu privare, etiamsi illi privari alioqui mereantur: sed tamen habere eum hanc potestatem indirectè, in ordine ad bonum spirituale. Et hoc modo potest Reges deponere, regna transferre, & uni auferre, alteri conferre, tanquam summus Pontifex spiritualis.* Contrà ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in Titum 3. *Apostolus,* inquit, *docet, credentes omnes Mundi potestatibus debere esse subjectos. Sed turbulenti quidam, mota inter Regnum & Sacerdotium controversiâ, mirum est, quot quantasq; turbas dederint. Tot, ante hanc camerinam, annorum centuriis, Chrysostomus, nihil tale unquam futurum suspicans, ex Apostolo, (Omnis anima potestatibus subjecta sit:) Omnis, inquit; sive Apostolus, sive Propheta; sive Euangelista, sive Episcopus; subjectus sit.* Et rursus, Comm. in Epist. ad Tim. lib.2. *Gregorius VII.* inquit, *Pontifex, cui nomen erat Hildebrandus, exemplo suo* NOVO, *& omnis bibliothecæ veteris invento novello schismate, Regnum & Sacerdotium scindens, primus Sacerdotalem lancem contra Imperii diadema elevans, se, suoq; exemplo Pontifices alios contra Principes excommunicatos, gladio accinxit, belloq; quasi hæreditario insurrexit.* OTTO FRISINGENSIS quoque, in suo Chron. lib.6.cap.35. *Lego,* inquit, *ac relego Regum & Imperatorum res gestas: & nusquam invenio, quenquam eorum, ante hunc Heinricum Imperatorem, quem Hildebrandus deposuit, à summo Pontifice regno privatum.*

BELLARMINUS, lib.1.cap.4. de Conciliis dicit; *Concilium legitimum non est, in quo non præsidet Pontifex; aut alius ejus nomine.* Et cap.13. *Est proprium Pontificis munus, Concilium generale convocare: & hoc est, in Christi nomine congregari.* Capite autem 5. idem Bellarminus, *In secundo,* inquit, *Concilio generali non omninò interfuit Pontifex; nec per se, nec per alium.* Et lib.5. de Concil. cap.19. *In nullis,* ait, *Conciliis Orientalibus interfuit Papa.* Et lib.2. de Rom. Pontif. cap.17. *In Chalcedonensi ne per Legatos quidem.* Et Cardinalis TURRECREMATA, lib.3. de Eccles. cap.11. *In octo,* inquit, *Conciliis prioribus, Papa nullus præfuit.* Et CUSANUS, lib.2. de Concord. Eccles. cap.25. *Ex illo tempore,* inquit, *quo Imperatores Christiani esse cœperunt, ex illorum nutu pendére visa sunt negotia Ecclesiæ; atq; adeò maxima Concilia ex eorum sententia convocabantur: ut ex Eusebio, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, patet.* Rursus: *Octo prima Concilia generalia ab Imperatoribus erant collecta: & Pontifex*

De Conciliis.

Similia docet GREGORIUS de VALENTIA, Tomo 3. Disp. 5. quæst. 13. de Reo. *Quandocunq; (ait) iniqua interrogatio fit: etiamsi juramentum accesserit; nullum tamen committetur perjurium, quámvis juramento affirmet alium aliquem sensum verum, alienum ab interrogatione. Talis non mentitur, nec vanè usurpat nomen Dei: siquidem, ad se vel sua tuendum, id facit.*

ANDREAS quoque EUDÆMONO-JOHANNES, in Anticotoni confutatione, inquit: *Cùm quis nullis justis indiciis in jus vocatur: quia nemo tenetur se-ipsum magistratui prodere; idq; lex ipsa natura satis docet: apertè & liberè, sinè omni tergiversatione, negare potest id, cujus gratiâ accersitur. quia semper clausula illa intelligitur; ità, ut tenear dicere.*

FRANCISCUS TOLETUS, Jesuita & Cardinalis, de Instruct. Sacerd. lib. 4. cap. 21. scribit: *Si quis à Superiore interrogetur juratus: tùm, si justè interrogetur, tenetur respondere absque æquivocatione. Si verò injustè: tùm potest uti æquivocatione, & respondere, non secundùm judicis mentem; sed secundùm propriam. Et, si crimen omninò occultum est, de quo quis interrogatur: tùm æquivocatione uti poterit, respondendo, Nescio; intelligendo tamen intra se, Ut dicam tibi: vel respondendo, Non feci; intelligendo intra se, Nunc non feci; vel quid simile. Et sic interrogatum, An ex tali civitate veniat? (de quâ nempè communis fama est, quòd peste infecta sit) ut-ut sub juramento interrogatus sit, posse tamen respondere, Quòd non; licèt inde veniat: quia nempè tacitū intellectum in suâ mente habet, quòd civitas illa non sit infecta; quòd ipse non sit infectus, licèt civitas infecta sit. Quia nempe non facit contra præcipuam intentionem custodum.* Itèm: *Quærenti judici, Fecistíne illud? respondeat, Non; intelligēdo intra se, Ut dicam tibi; vel hoc tempore; vel quid simile. Et, si vir uxorem petat, an sit adultera? illa potest dicere, Non sum; quámvis verum fuerit: intelligendo, Ut tibi revelem. Sic, qui cogitur jurare, alteram in sponsam accepturum: intelligendo, si posteà placuerit: & à latronibus comprehensus juraverit, se posteà daturum centum aureos, ut liberetur; & æquivocè jurans, intra se dicens, Si posteà liberetur: tunc non tenetur solvere. Sic à custode injuriosè detentus, ut dimittatur, jurans se redditurum posteà; potest uti æquivocatione, & non tenetur reddere. Interrogatus alius, & jurejurando obstrictus, ut verum dicat, talémne viderit hodiè? hac æquivocationis arte illud planè denegat; prudens licèt sciensq; illum viderit. Ille verò hunc sensum sibi reservavit: Non vidi illum, scilicet ut magistratui hoc dicerem: vel, non visione beatificâ; vel non Venetiis, &c: illum vidi.*

Jesuitæ ventū aucupari nôrunt.

Atque ità, mediante æquivocatione & mentiendi arte, Jesuitæ ubique locorum commodissimè latére, cuncta perreptare, ac (uti verba COSTERI Jesuitæ, in Sicâ tragicâ, cap. ult. de se suisque sociis, habent) *ità nôrunt vela obliquare in ventos, &, undecunq; se prosper aliquis flatus ostenderit, captare vel Euros, vel Zephyros.* Et RIBADENEIRA, de Principe, lib. 1. cap. 26. *Christiana,* inquit, *prudentia docet, dissimulatione utendum, quādo magna pericula timentur.* Unde ALEXANDER HAYUS Jesuita publicè sæpeq; docuit; *Ad tempus externè aliud simulandum, quàm intùs in corde sentias: & sic ad tempus simulandum, ac-si Regi obedire velis.* Ideoque Jesuitam, breviter quidem, at graphicè, descripsit, dicere solitus; quòd *Jesuita est omnis homo:* significans, ut Proteus Poëtarum in omnes figuras se trans-

transformare potuit; sic Jesuitam, nunc sacerdotem, nunc militem agere; nunc bonum virum simulare, mox insignem nebulonem præstare posse.

Ex prædictâ Jesuitarum mentiendi disciplinâ, etiam notoria illa & impudentissima mendacia proficiscuntur; quibus Euangelicorum cùm personas, tùm doctrinam infamare, totique Mundo exosam reddere conantur. Jesuitica mendacia contra Euangelicos.

Anno Domini 1605. editæ sunt Theses à Jesuitis MONASTERIENSIBUS, hoc titulo, *Credo Calvinisequarum*, plenæ prodigiosarum calumniarum ac mendaciorum de Calvinianis.

1. Thesi octavâ, hoc corollarium planè blasphemum & abominandum afferunt: *Articulum primum Calviniani symboli hunc esse; Credo in Diabolum, Carnificem Orcipotentem, Corruptorem cœli & terræ.*

2. Ibidem asserunt, *Calvinianos simpliciter & generatim docere; Non patientiâ & permissione, sed potentiâ & operatione Dei, peccata fieri.*

3. Thesi 9. dicunt, *Calvinianos prohibere caput aperire, aut genua flectere, ad mentionem nominis JESU; adeoq; honorem etiam politicum ei derogare.*

4. Thesi 14. dicunt, *Calvinigenas in Angliâ, &c: negare, Christum verum esse Deum; sed tantùm nudum hominem, & Philosophum, datum humano generi, ut sit rectum vivendi exemplum.*

5. Thesi 15. asserunt, *Calvinianos docere, Christum natum ex Mariâ non-virgine.*

6. Thesi 17. ajunt, *Turcas de tertio articulo Fidei Christianæ multò saniùs sentire, quàm Calvinistas.*

Consimiles calumniosos, falsos, & malè-detortos doctrinæ Aphorismos, etiam Moguntinus BECANUS, anno 1608. in publicum sparsit; quorum primi quinque ità sonant.

1. Deus ab æterno prædestinavit plerosq; Homines, ad æternam mortem & damnationem, sinè ullâ ipsorum culpâ; solùm quia ipsi ità placuit.

2. Deus occultâ quâdam vi movet, impellit, & necessitat homines, ad omnia flagitiorum genera perpetranda.

3. Deus mandat, urget, & incitat Satanã; ut miseros homines ad peccandum inducat.

4. Deus simpliciter dicendus est author omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur.

5. Deus non solùm prædestinat homines ad æternam damnationem, & ad peccandum impellit: sed etiam miris modis illudit miseris, simulans se velle illos juvare; cùm tamen nihil minùs velit.

Jesuitæ COLONIENSES, in Censurâ suâ, audacter & impudenter affirmant; *Euangelicos doctores suâ doctrinâ frena ad omnem impietatem laxare, & facultatem flagitiosis hominibus facere, quævis etiam scelera (quò plures in suam sententiam pertrahant) committendi.*

Anno 1597. rumorem sparserant Jesuitæ, qui ferè per totam Europam pervasit, de *D. Theodori Bezæ*, Pastoris Genevensis Ecclesiæ, morte: & constanter affirmârunt, *quòd is, paulò ante mortem, omnem doctrinam suam recantârit; & confessus sit, se Romanæ Ecclesiæ doctrinã pro verâ agnoscere, atq; in eâ mori velle.* Auctor hujus

jus commenti ferebatur CLEMENS PUTEANUS, Jesuita Parisiensis. Mendacium autem illud impudentissimum, non solùm Pastores Genevenses refutârunt, edito scripto, cui *Beza Redivivus* nomen fecerunt: sed Beza quoq; ipse, tùm adhuc superstes, Epistolâ ad Guilielmum Stuckium, Theologum Tigurinum, vanitatem illam redarguit.

THOMAS BOZIUS Eugubinus, lib. 12. de Signis Eccles. cap. 12. per calumniam, *Euangelicis doctoribus bonarum artium ignorantiam objicere* audet: scilicet, quia soli Jesuitæ omnem eruditionem devorârunt; ideoque simplicem juventutem, ad omnem nequitiam, tàm artificiosè instituere nôrunt.

Jesuitę parricidia sua Euãgelicis transscribunt.

Quin adeo malitiosè impudentes sunt Jesuitæ; ut etiam sua suorumque facinora ac parricidia Euangelicis transscribere non vereantur.

Sic enim CRESWELLUS, in suo Philopatre, contra Edictum Elisabethæ Reginę; *Regina*, inquit, *Angliæ conscia fuit illius conjurationis, quæ anno 1572. in nuptiis Regis Navarræi, contra Carolum IX. Galliæ Regem, exsecutioni mandari debebat. de quâ scribit Genebrardus his verbis: Regis Navarræ nuptias excepit dies Bartholomæanus, ob quandam in Catholicos Principes conjurationem.*

Et FRANCISCUS COSTERUS Jesuita, de eodem, in Sicâ tragicâ, cap. 7. sic scribit: *Anno 1572. Catholici multos in Galliâ Calvinistas, jussu Regis, (quos ille cognoverat, de suâ cæterorumq; Catholicorum cæde cogitâsse) idq; certo die, quam præfinierat, necârunt.* Et cap. 11. *Conscivit Rex*, inquit, *anno 1572. conscelerato consilio conclusum fuisse ab Huguenotis; ut condicto die, tempore quarundam nuptiarum se, cum totâ progenie, & omnibus Catholicis, internecione confatali delerent. Huic Calvinianorum horrendo sceleri, & Regis Christianissimi, Patriæq; parricidio, obviam itum est: &, qui ferrum alteri acuerant, suis illud jugulis excepêre.*

Causa tamen lanienæ hujus, omnibus tàm nota est; ut omnes Pontificios talia de fidelibus Gallis, præter solos Jesuitas, scribere, hactenus puduerit. Jacobus certè Augustus Thuanus, in suâ Historiâ, Tomo 2. part. 2. aliam, & quidem veram, hujus inauditæ lanienæ causam commemorat: videlicet, *Ut, sub specie arctioris amicitiæ, & quidem nuptiarum, Huguenoti Lutetiam, tanquam aves in casses, pellicerentur, & simul omnes opprimerentur.*

Sic fulminalis quoque pulveris molitiones, contra Regem Angliæ & Regiam stirpem, Regnique totius Proceres, Jesuitæ COLONIENSES, à Calvinianis, nec ab ullo Catholico, excogitatas esse, impudentissimè sunt mentiti.

Et Cretensis ille ANDREAS EUDÆMONO-JOHANNES, in Apologiâ suâ pro Heinrico Garneto, scribere non veretur; *Conjurationi illi pulverariæ nequemquam Jesuitarum immixtum, vel ejus conscium & participem: quin & Garnetum, nullius sceleris convictum, odio duntaxat religionis, aut Jesuitici nominis, damnatum fuisse.* Cùm ex actis judiciariis Processûs illius planè contrarium constet, & minimùm quatuor Jesuitas facinori isti intervenisse: dictum videlicet Heinricum Garnetum, in Anglię regno ab annis novendecim Provincialem; Hallum, qui & Oldcornus est; Osvvaldum Tesmondum, sive Grenvvellium; & Johannem Gerardum: præter alios plures, tàm intra, quàm extra Angliam faci-

facinoris conscios; quorum, pro suâ quisque virili, singuli, quæ res aut tempus postulare viderentur, exsequentes, negotium illud per Patres Jesuitas curârunt.

Sæpè-dicta æquivocandi & mentiẽdi doctrina, Jesuitis tantum etiam animi addit, ut multa à se & aliis Pontificiis facta, dicta, & scripta, impudenter negare ausint, quoties illa sibi obfutura animadvertunt.

Jesuitæ propria sua dogmata, dicta scriptaque negant.

Hinc RICHEOMUS Jesuita, in Expostulatione apologeticâ pro Societate Jesu, anno 1603. editâ; *Nunquam, ait, ego audivi, postremò-defunctum Heinricum, à quoquam nostrorum hominum, Tyrannum esse nominatum: & tamen cum illis familiarius aliquantò sum, quàm iste* (Adversarius,) *versatus.*

Negat hoc quoque JACOBUS SYLVANUS, in suâ Philippicâ, contra Admonitionem ad omnes Reges ac Principes, de nefariis, & exitialibus Papæ & Jesuitarum conatibus & practicis.

Negat idem SYLVANUS ibidem, Jesuitas docere, *eodem modo reliquos etiam Principes & Reges, si à Theologis, viris eruditis & gravibus, pro Tyrannis habeantur, interfici posse: ideoq; rectè fecisse Jacobum Clementem Monachum, quòd Heinricum III. Regem Galliæ interfecerit; rectè etiam facturum, qui illius successorem Heinricum IV. oppresserit.*

Negat idem, Jesuitas docere, *Tyrannos (excommunicatos putà, & Euangelicos) veneno, à subditis vel ministris suis, necari posse.*

At verò JOHANNES MARIANA, lib. 1. de Rege & Regis institut. c. 6. hanc quæstionem tractans, *An Tyrannum opprimere fas sit?* affirmantem sententiam probat; *& inter alia meminit Heinrici III. Regis, ut Tyranni, & meritò propterea occisi.* Quod utique inconveniens fuisset, si eum non pro Tyranno habuisset. Ibidem etiam causas indicat, cur illum pro Tyranno habuerint: videlicet, *propter impios illius ausus.* Additque ibidem Mariana, Jacobum Clementem præmeditatè, & de consilio Theologorum, hoc facinus perpetrâsse: qui eum docuerint, in eoq; confirmârint, talem Regem, veluti Tyrannum, justè occidi posse. *Cognito,* inquit, *à Theologis, quos erat sciscitatus, Tyrannum jure interfici posse.*

Sed & PETRUS RIBADENEIRA, de Principe, libro 1. cap. 15. qu. 91. scribit: *Quòd Heinricus III. ex pernicioso humanæ prudentiæ consilio, & nefariâ Politicorum calliditate, Heinricum Guisiæ Ducem, & Ludovicum Cardinalem, ejus fratrem, fortissimos Principes, in Blæsensibus Comitiis, crudeliter sustulerit: sed nec-dum decurso anno, æquissimus sceleris vindex, Deus, à cædis authore, meritissimas pœnas exegerit.* Quæ certè luculenta est & viva Tyranni descriptio.

In libris etiam, Parisiis in Jesuitarum Collegio repertis, & à JOHANNE GUIGNARDO Jesuitâ scriptis, inter alia quoque docetur; *Permissum esse, Reges ac Principes occidere.* Disertis etiam verbis, Heinricus III. TYRANNUS nominatur.

In libro quoque toto de justâ Heinrici III. abdicatione, *Rex ille dicitur fuisse crudelissimus Tyrannus.* Inprimis lib. 2. per aliquot capita, nominatur *perjurus, parricida, assassinus, homicida, & quidem Ecclesiasticarum personarum; Hæreticus, & Hære-*

ticorum amicus & fautor, Schismaticus, Simoniacus, sacrilegus, nigromanticus, &c. Proindeq; permissum fuisse subditis ejus, atq; aliis, ipsum occidere. Eant nunc Jesuitæ, & isthæc à se dicta scriptáve negent.

Sic MARTINUS BECANUS, Jesuita Moguntiensis, contra Christianum Batavum, negat apertè; *Romano-Catholicos docere, & in tribus Conciliis, Lateranensi sub Julio II. & Leone X. celebrato, Tridentino itèm, & Constantiensi, decretum esse; Hæreticis fidem non esse servandam.*

Contrà JACOBUS SIMANCHA, Episcopus Pacensis, in Institutione suâ Cathol. tit. 46. art. 52. hęc scribit: *Ad Hæreticorum pœnam & odium pertinet, QUÒD FIDES ILLIS DATA SERVANDA NON SIT, (ut in Concilio Constātiensi factum,) non obstante juramento.* Et mox rationem addit: *Si enim tyrannis, piratis, & cæteris prædonibus, fides servanda non sit, qui corpus occidunt: longè minùs Hæreticis pertinacibus, qui occidunt animas.* Rursus: *Cum Hæreticis*, ait, *nullum commercium, nulla pax, Catholicis esse debet. Quamobrem fides illis data, etiam juramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra jura divina & humana, nullo modo servanda est.* Citat etiam præter alios Thomam, secundâ Secundæ, quæst. 70. art. 1. ubi vult, *Hæreticum indocilem prodendum esse judicibus, non obstante fide & juramento.*

Simanchæ assentit etiam CRESWEL Jesuita, contra Edictum Reginæ Angliæ, parte 2. num. 157. *Quemcunq;*, inquit, *Principem Christianum, si à Religione Catholicâ manifestò deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate, ex ipsâ vi juris, tùm humani, tùm divini; hocq; ante dictam sententiam supremi Pastoris ac Judicis, contra ipsum prolatam: & Subditos quoscunq; liberos esse ab omni juramenti obligatione, quod de obedientiâ, tanquam Principi legitimo, præstitissent; posseq; & debere, si vires habeant, istiusmodi hominem, tanquàm apostatam, ac Christi Domini desertorem, & Reipublicæ suæ inimicum & hostem, ex hominum Christianorum dominatu ejicere: ne alios inficiat, vel suo exemplo & imperio à fide avertat. Atq; hanc certam, definitam, & indubitatam, virorum doctissimorum (Jesuitarum) esse sententiam.* Et tamen adhuc negare audent, se & alios Pontificios docere, Fidem Hæreticis servandam non esse.

Hoc etiam generale Papistarum dogma esse, M. TORTUS, sive BELLARMINUS, in Responsione ad Apologiam pro Juramento fidelitatis, his verbis testatur: *Jam suprà docuimus, supremum universæ Ecclesiæ rectorem id juris habere, ut, si Princeps ab Ecclesiæ unitate, per hæresin, vel schisma, deficiat, possit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare, ET SUBDITOS EJUS À FIDE ET OBEDIENTIA LIBERARE. Neq; hanc esse novam doctrinam, sed in Concilio LATERANENSI, omnium maximo & celeberrimo, approbatam; atq; usu Christiani populi per multa secula receptam. Qui enim non timent occidere; numquid timebunt jurejurando religionem violare?* Et adhuc audent negare, se hoc docere.

Nec minùs MOLANUS, lib. 3. cap. 27. Object. 1. & 6. expresse docet: *Regulam Pontificiis generalem esse, Fidem Hæreticis vel non dandam, vel non esse servandam, si illis data sit, super libero Religionis suæ exercitio.* Et in specie de Fœderatis Belgis, quos Hispa-

Hispaniæ Regi vim intulisse tradit, *Merentur*, inquit, *ut eis promissum non servetur.* Et lib.4.cap.7.addit: *Nam quotquot contra Catholicam majestatẽ Philippi arma in Belgio sumunt, quia potiùs rebelles, quam hostes dicẽdi sunt; usitatè Prædones dicuntur: atq; si illis aliquid promissum sit, claram & indubitatã esse resolutionem, iis nihil deberi.*

Infame illud Amphitheatrum Honoris, anno 1605.excusum, CLARI BONARSCII nomine, (cujus proprium nomen *Carolus Scribanius* erat, Antuerpiani Collegii Rector) COTTON Jesuita dixit, *nequaquam à sua Societatis hominibus emanâsse; sed Genevæ, ad conflandum Jesuitis odium, fictum ab Hæreticis fuisse.* Qui tamen posteà longè aliter, quid sentiret, expressit; laudato Scribanii opere, & distributis multis exemplaribus.

Pari impudentiâ nunc demùm Jesuitæ veteres, & antehàc indubias historias negant, quas sibi & instituto suo adversari cernunt. Jesuitæ veteres etiam & indubias historias negant.

Sic BELLARMINUS, lib.4.de Pontifice Romano, c.10. Calvinum impudenter mentiri ait, quòd scribat, *Siricium, in Epistolâ ad Hispanos, conjugium Sacerdotum vocâsse immunditiem & pollutionem.* Atqui publicè, omnium oculis objecta, legi potest Epistola illa: quâ prohibet Papa ille Presbyteris matrimonium; & ad hoc sacræ Scripturæ dictis abutitur. ut quando præcipit Deus, Num.11. *Sancti estote; quia & ego sanctus sum.* & quando Paulus scribit, Rom.8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Eodem loco negat BELLARMINUS, *Liberiũ Papam fuisse Arianũ, & Arii doctrinæ subscripsisse:* quod affirmat *Athanasius*, in Epistolâ ad solitariam vitam agẽtes.

Negat etiam, *Felicem Arianum fuisse:* quod affirmat *Hieronymus* in Catal. in Acacio; ubi ait: Acacii operâ Felicem Arianum Romæ Episcopum constitutum esse.

Negat, *Cœlestinum Papam Nestorianum fuisse:* quod affirmat *Laurentius Valla*, lib. de Donat. Constantini.

Negat, *Vigilium fuisse Monophysitam*, & *Epistolam Liberati*, in quâ hoc disertè affirmatur, *ab Hæreticis vel corruptam, vel totam confictam & scriptam fuisse:* sed non probat.

Negat cap.11. *Honorium Papam hæreticum fuisse.* At sunt duæ Epistolæ Honorii, in Synodo 6. Act.12.& 13. in quibus doctrinam Sergii, principis Monothelitarum, approbavit. In eâdem Synodo, Act.13. Honorius nominatim damnatur; & ejus Epistolæ comburendæ judicantur. Et hæc damnatio reperitur in omnibus Actionibus sequentibus, plus quàm vigesies. In Synodo 7. etiam damnatur Honorius, tanquam Monothelita. In Synodo 8. generali, Act.7. asseritur, Honorium fuisse à Synodo 6. post mortem, damnatum. *Agatho* Papa, in Epistolâ ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur Act.4. Synodi 6. anathema dicit Honorio, tanquàm Monothelitæ. Idem etiam facit *Leo II.* in Epistolâ ad eundem Imperatorem, quæ habetur in Synodo 6. in fine. Sed & alii Jesuitæ ac Papistæ id confitentur; *Melchior Canus*, lib.6. Comment. c.ult. *Sanderus*, lib.7. de Visib. Monarch. *Alphonsus de Castro*, lib.4. de Hæret. pun. *Torrensis*, de 6.7.& 8. Synod. *Hardingus* contra Juellum; *Genebrardus*, in Chron. in Honorio I.

Solus Bellarminus cum paucis negat. Ut impudentissimum mendacium COSTERI Jesuitæ esse oporteat; qui in suo Enchiridio apertè asserit, *in tanto Pontificum numero, qui Beato Petro successerunt, ne unum quidem inventum esse, qui hæresin docuerit, aut in errorem lapsus sit.*

Historia de Johannâ Papissâ Rom. ejusque puerperio; de cujus tamen veritate, per 800. jam annos, in ipsomet Pontificio Regno, nunquàm dubitatum aut disputatum est; nunc demùm in dubium vocatur à Pontificum adulatoribus, inprimis BELLARMINO & BARONIO: qui hanc historiam fabulam esse contendunt; eoque plerosque, integros gravesque Scriptores, in quorum consentientium monumentis expressa & contestata illa legitur, vanitatis & mendacii, non minùs arroganter, quàm inverecundè, arguunt. idque non adserendæ veritatis caussâ; (quam, ubicunque eis adversatur, adulterant & supprimunt) sed ut probrosam hanc puerperii Papalis labem diluant, hoc cumprimis tempore plurimùm jactatam, in despectum & ignominiam Hierarchiæ Romanæ, cujus fundamentum in perpetuâ indè usque à Petro successione situm prædicant: quam catenam, ab hac muliere interruptam, dolenter ferunt; ideoque historiam omnibus modis sepultam esse cupiunt.

Ranulphus certè, Flaviacensis Monachus Benedictinus, hanc historiam Pontificalis puerperii primus commemoravit; & ab aliis, propter deformitatem facti, omissam, apertè fassus est. Vixit (juxta Trithemium) anno 930. ut Papale hoc puerperium ab iis accipere potuerit, qui illud viderunt.

Hunc sequutus est *Marianus Scotus*, qui, *Anno Domini*, inquit, *854. anno Lotharii 14. successit Leoni Johanna mulier.* Floruit Marianus anno 1050. ut hanc historiam, vel ex Seniorum relatione, vel ex superiorum Scriptorum relictis monumentis, cognitam habuerit.

Tertius est testis veritatis hujus historiæ, *Sigebertus* Gallus, Gemblacensis abbas. *Fama est*, inquit, *Johannem fœminam fuisse, & uni soli familiari cognitam, qui tunc eam complexus est. Gravida facta peperit, Papa exsistens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam.*

Supersunt alia quoque, de eodem facto ac scelere, testimonia. Ut *Martini* Poloni. Is inquit: *Johannes IIX. fœmina fuit; & in Papatu à familiari suo impragnatur. Verum tempus partûs ignorans, quum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu, inter Colossæum & S. Clementis Ecclesiam peperit: & posteà mortua ibidē, ut dicitur, sepulta fuit. Et propterea, quòd Dominus Papa semper eandē viam obliquat, creditur omninò à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc fiat. Nec ideò in catalogo sanctorum Pontificum ponitur: tàm propter muliebrem sexum, quàm propter deformitatem facti.*

Ut *Francisci Petrarchæ*, qui eadem, quę Martinus, commemorat in suo Chronico, Italicè conscripto, & Florentiæ excuso, anno 1478. *Johannes*, inquit, *Anglicus non ponitur in catalogo Paparum; quia fœmina fuit.*

Ut *Johannis Boccatii*, qui, libro de Claris mulieribus, cap. 99. graphicè probrosum illud Pontificis puerperium describit: ità ut etiam effigiem parientis, & obstetricantes Cardinales & Episcopos, exhibeat.

His

His testibus accedunt complures alii fide-dignissimi: *Richardus Monachus, Laonicus Chalcocondylas, Martinus Minorita, Antoninus Archiepiscopus, Albertus Stadensis, Otto Frisingensis, Annales Augustani antiqui, Wilhelmus Occamus* c.124.operis 90.dierū. *Raphaël Volaterranus,* in Comm.suis Julio II.dicatis. *Platina, Sabellicus* Ennead.9.lib.1.*Robertus Dominicanus, Matthæus Palmerius, Baptista Campofulgosus, Jacobus Philippus Bergomensis, Trithemius* in Chronicis, *Johannes Stella, Nauclerus, Lucidus, Albertus Krantzius, Fasciculus temporum, Cœlius Rhodiginus, Baptista Mantuanus, Chronicon Noribergense, Johannes Carion, Martinus Eisengrein, Johannes Pistorius,* ac plures alii. Quorum certè tot, Pontificiorum præsertim virorum, eoque minimè suspectorum, testimonio & affirmationi plus credendum est; quàm Jesuitarum negationi: qui id solùm dicunt, quod Pontificis sui majestatem & authoritatem stabiliat; contrarium simpliciter vel negant, vel saltèm eludunt.

Denique, etiam ex Jesuiticâ mentiendi officinâ, venit spiritus ille contradictionis; quo, pro re natâ, Jesuita quispiam & sibi-ipsi, & aliis Jesuitis ac Papisticis doctoribus, securè contradicit, sicque calidum & frigidum ex eodem ore efflat: dummodò Hæretici quaquâ ratione confutati videantur. Id quod ex sequentibus exemplis luce meridianâ clarius evadit. Jesuitæ & sibi-ipsis, & aliis Papistis, contradicunt:

FRANCISCUS COSTERUS Jesuita, in Enchiridio, pag.44. sacram Scripturam *membraneam & chartaceam, ac literam mortuam,* vocat. At paulò pòst, pag.47. sic eam extollit; *ut nullum jota, apicem nullum in illâ agnoscat, cui non insit suum pondus & efficacitas: unde tanquàm divina eloquia, mentem hominis admirabili dulcedine & suavitate afficiant.* De S.Scripturâ.

IDEM, in eodem Enchiridio, pag.45.docet; *Non omnia, quæ ad fidem pertinent, explicitè sacris Literis expressa esse: quæ non ob id datæ sint, ut formulam exactam fidei præscribant.* At mox, pag.49. sibi contradicit: *Præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu necessaria sint, perspicuè satis Apostolicis literis comprehensa esse.* Et STAPLETONUS, Præfat.in Euang. *Scriptura,* inquit, *sufficit ad vitam; quæ unica vitæ æternæ regula est: cætera, quibus non allucet Verbum Dei, tàm non sunt necessaria, quàm superflua.*

JACOBUS GRETSERUS, contra Simonem Stenium, *Non injuriâ,* inquit, *prohibetur & arcetur populus à lectione Scripturæ. Quid enim rudi vulgo cum Scripturâ?* Et HOSIUS, de Verbo Dei, *Laicis,* inquit, *lectionem Scripturarum permittere, est sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos projicere.* At ESPENSÆUS Episcopus, Comm.in Tit.cap.2. & 2 Tim.cap.5. *Aliqui,* inquit, *existimant, Scripturas difficiliores esse, quàm ut debeant Laicorum manibus conteri: sed aliter visum est Patribus veteris & novi Testamenti.*

BELLARMINUS, lib.1.de Verbo Dei, cap.10. *Omnes,* inquit, *Protestantes, sex illos libros, quos Apocryphos vocant, ut Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Maccabæorum, negant pro Scripturis canonicis habendos esse.* Idem tamen eodem loco, & PERERIUS, lib.16. Comm.in Danielem, *Catholici,* inquiunt, *multi, libros hos apocryphos esse, censuerunt.*

BELLARMINUS, lib.2. de Verbo Dei, cap.10. multis contendit, *Vulgatam Latinam versionem, in omnibus lectionibus & disputationibus, pro authenticâ habendam esse; ità ut nemini liceat ab eâ, quámvis sanctissimæ causæ prætextu, provocare.* MALDONATUS autem Jesuita, Comm. in Matth. *Existimo,* inquit *Latinam nostram vulgatam esse, in hoc loco, ex Græcis corrigendam.* Cajetanus, *Est,* inquit, *vulgata multis vitiis conspurcata.* Et FRANCISCUS LUCÆ, in Annot. ad Biblia, *Ridiculum est,* ait, *hoc quorundam responsum, vulgatam Latinam authenticam esse; nec esse ex Hebræis & Græcis corrigendam.*

De Ecclesiâ. BELLARMINUS, lib.4. cap.8. de Notis Ecclesiæ, inquit: *Successione in Rom. Ecclesiâ, ab Apostolis deductâ usque ad nos, Veteres, tanquam argumento evidentissimo, usi sunt ad veram Ecclesiam.* STAPLETONUS contrà, lib.13. de Doct. princ. c.6. *Personalem,* inquit, *successionem nihil moramur; modò doctrinam nostram consentientem Scripturis ostendere possimus.* Et Bellarminus ipse lib.2. de Eccles. milit. cap.8. *Successio vera non est, quam hæresis interrumpit.*

COLLEGIUM ANGLO-RHEMENSE, Annot. in Ephes.5. *Si,* inquit, *Protestantes ullam in se Theologiæ sensum haberent; nunquam dicerent, Ecclesiam posse a fide deficere, i.e. à Christo sponso divortium pati.* BELLARMINUS verò, lib.3. de Milit. Eccles. cap.3. *Notandum est,* inquit, *multos ex nostris tempus terere; dum probant absolutè, Ecclesiam non posse a fide deficere. nam Protestantes id concedunt: sed dicunt, id intelligi de Ecclesiâ invisibili.*

COSTERUS Jesuita, Apolog. part.3, cap.12. *Ut phlegma,* inquit. *pituita, sanies, saliva, sanguis abundans, viventis hominis neq; membra sunt, neque partes: & tamen non sunt extra corpus: ita impii ad superfluos humores referuntur; qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus egeruntur.* Contrà verò BELLARMINUS, lib.3. de Militante Ecclesiâ, cap.9. *Si ità est,* inquit; *sequitur, Pontificem malum non esse caput Ecclesiæ: & alios Episcopos, si mali sint, non esse capita suarum Ecclesiarum. Caput enim non est humor, aut pilus; sed membrum, & quidem præcipuum.*

De Romano Pontifice. BELLARMINUS, toto libro 1. de Rom. Pontifice, pro supremâ potestate Papæ in omnes Episcopos pugnat, ex eo; *quòd Petrus primatum ac potestatem in reliquos Apostolos habuerit.* Idem tamen, cap.9. ejusdem libri, sibi apertissimè contradicit; *Summam potestatem omnibus Apostolis, libertatemq; datam esse.*

BELLARMINUS, lib.2. de Pontifice Rom. cap.26. *Pontifex,* inquit, *Romanus non potest ab ullo Principe Christiano, sive seculari, sive ecclesiastico, judicari in terris: neq; ab omnibus simul in Concilio congregatis.* Contrà JOHANNES FERUS, in Act. cap.11. *Petrus,* inquit, *respondebat, & omnia narrabat. Potest igitur Ecclesia à Ministris non modò exigere rationem; sed etiam deponere & repudiare potest. Impii autem nostri Pontifices, quasi Domini sint, non Ministri; ab Ecclesiâ quidem argui, & in ordinem cogi nolunt.*

BELLARMINUS, lib.4. de Pontifice Rom. cap.6. scribit: *Probabile est, piéq; credi potest, summum Pontificem, non solùm ut Pontificem, errare non posse; sed etiam, ut particularem personam, hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* Et COSTERUS, in Enchiridio, asserit; *Ne unum quidem, in tanto*

Ponti-

Pontificum numero, inventum esse, qui hæresin docuerit, aut in errorem lapsus sit. Idem tamen BELLARMINUS, eodem lib.4. cap.2. in explicando statu quæstionis hujus, *Duo esse,* dicit, *in quibus non Hæretici modò, sed & Catholici omnes, conveniant. Primum: Posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare, in controversiis fidei particularibus; quæ ex informatione testimoniisq; hominum præcipuè pendent. Secundum: Papam posse, ut privatum doctorem, errare, etiam in quæstionibus juris universalibus, tàm fidei, quàm morum.* Ibidemq; fatetur; *Papam, ut Papam, hæreticum esse posse, Doctores Parisienses tenuerunt.* Et CATHARINUS, Comm. in Galat.2. *Legimus, multos Pontifices apostatâsse à fide: Honorium in Conciliis duobus, vel tribus, Papam damnatum; Cœlestinum quoq; & alios.*

BELLARMINUS, lib.5.cap.1. & 6. de Pontifice Rom. dicit, *Papam non habere summam aliquam potestatem temporalem, jure divino; nec posse ullo modo imperare Principibus secularibus; ne-dum eos regno & principatu privare, etiamsi illi privari alioqui mereantur: sed tamen habere eum hanc potestatem indirectè, in ordine ad bonum spirituale. Et hoc modo potest Reges deponere, regna transferre, & uni auferre, alteri conferre, tanquam summus Pontifex spiritualis.* Contrà ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in Titum 3. *Apostolus,* inquit, *docet, credentes omnes Mundi potestatibus debere esse subjectos. Sed turbulenti quidam, motâ inter Regnum & Sacerdotium controversiâ, mirum est, quot quantasq; turbas dederint. Tot, ante hanc camerinam, annorum centuriis, Chrysostomus, nihil tale unquam futurum suspicans, ex Apostolo, (Omnis anima potestatibus subjecta sit:) Omnis, inquit; sive Apostolus, sive Propheta; sive Euangelista, sive Episcopus; subjectus sit.* Et rursus, Comm. in Epist. ad Tim. lib.2. *Gregorius VII.* inquit, *Pontifex, cui nomen erat Hildebrandus, exemplo suo NOVO, & omnis bibliothecæ veteris invento novello schismate, Regnum & Sacerdotium scindens, primus Sacerdotalem lancem contra Imperii diadema elevans, se, suoq; exemplo Pontifices alios, contra Principes excommunicatos, gladio accinxit, belloq; quasi hæreditario insurrexit.* OTTO FRISINGENSIS quoque, in suo Chron. lib 6. cap.35. *Lego,* inquit, *ac relego Regum & Imperatorum res gestas: & nusquam invenio, quenquam eorum, ante hunc Heinricum Imperatorem, quem Hildebrandus deposuit, à summo Pontifice regno privatum.*

BELLARMINUS, lib.1.cap.4. de Conciliis dicit; *Concilium legitimum non est, in quo non præsidet Pontifex; aut alius ejus nomine.* Et cap.13. *Est proprium Pontificis munus, Concilium generale convocare: & hoc est, in Christi nomine congregari.* Capite autem 5. idem Bellarminus, *In secundo,* inquit, *Concilio generali non omninò interfuit Pontifex; nec per se, nec per alium.* Et lib.5. de Concil. cap.19. *In nullis,* ait, *Conciliis Orientalibus interfuit Papa.* Et lib.2. de Rom. Pontif. cap.17. *In Chalcedonensi ne per Legatos quidem.* Et Cardinalis TURRECREMATA, lib.3. de Eccles. cap.11. *In octo,* inquit, *Conciliis prioribus, Papa nullus præfuit.* Et CUSANUS, lib.2. de Concord. Eccles. cap.25. *Ex illo tempore,* inquit, *quo Imperatores Christiani esse cœperunt, ex illorum nutu pendére visa sunt negotia Ecclesiæ, atq; adeò maxima Concilia ex eorum sententia convocabantur: ut ex Eusebio, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, patet.* Rursus: *Octo prima Concilia generalia ab Imperatoribus erant collecta: & Pontifex*

De Conciliis.

fex Rom.ad-instar aliorum Patriarcharum, divales sacras jußiones, pro veniendo aut mittendo ad Concilia, recepit.

BELLARMINUS, lib.2. de Concil.cap.17. *Pontifex*, inquit, *est absolutè supra Concilium.* Et tamen eodem libro, cap.14. *Papam*, inquit, *esse infra Concilium, Cardinalis Cameracensis, Almain, Gerson, Nicolaus Campanus, Panormitanus Cardinalis Florentinus, & Patres Concilii Basiliensis censuerunt; & (inquit Aeneas Sylvius, de Gestis Concilii Basil.) qui Papæ authoritatem authoritati Concilii anteponeret, hæreticum esse statuerunt.* Et Cardinalis CUSANUS, de Concord.Cath.lib.2.cap.17. 18.& 28. *Papam*, inquit, *non esse supra Ecclesiam, ex Augustino, Cypriano, & Gregorio Papâ; etiam ex Ambrosio, & Confeßione Pontificum, constat.*

De Fide. BELLARMINUS, de Notis Ecclesiæ, lib.4.cap.9. scribit: *Docuerunt Eunomiani, nemini peccata nocere, modò fidem habeat. Idem Protestantes.* Bellarminum autem haud obscurè mendacii insimulat TOLETUS Jesuita, Comment.in Johan.13. *Affirmavit*, inquit, *Eunomius, fidem sufficere ad salutem; quàmvis mala opera adessent. Protestantes dicunt quidem, ad salutem sufficere: negant tamen, fidem illam sinè operibus esse posse.*

De Operũ merito. COSTERUS, in Enchiridio, scribit: *Utitur quoq; Deus instrumentis, quæ ad efficientem causam aliquo modo revocantur: sicut etiam merita, quibus, ut aliquid concedatur vel fiat, promeremur.* Idem tamen, sui oblitus, paulò pòst contradicendo scribit: *Nulla omninò creaturæ opera, nulla pœnitentiæ, nulla martyria, nulla pœnæ, nulla virtus, potest mereri cuiquam peccatori remißionem peccatorum suorum.*

De Libero arbitrio. BELLARMINUS, lib.5. de Libero arbitrio, cap.26. itemque CANISIUS, in Præfat.ad librum Vegæ, exagitant illud, quod Calvinus dixit; *Visus est mihi Chrysostomus nimius, in liberi arbitrii viribus prædicandis.* Similiter CAMPIANUS Petrum Martyrem, qui dixit; *Chrysostomum liberi arbitrii immodicum assertorem fuisse.* Canisius dicit: *Calvinus hîc suam inscitiam prodit.* Campianus: *Istis Hæreticis nihil non immodicum videtur.* Contrà verò SIXTUS SENENSIS, in Bibliothec.lib.5.in Præfat. *Chrysostomus*, inquit, *impetu dicendi, cum Manichæis, qui Fati neceßitatem defendebant, Naturæ vires PLUS AEQUO attollit.* Et TOLETUS, Comm.in Johan.6. *Chrysostomi*, inquit, *doctrina hæc est; Hominem, per liberum arbitrium, se-ipsum dignum facere gratiâ. Eadem est doctrina Cyrilli: nec istorum tantùm; sed etiam aliorum Doctorum, maximè Græcorum.* MALDONATUS autem, super eundem locum, inquit: *Hæc doctrina eorum nimis affinis est Pelagianorum errori. Caveat Lector, si Chrysostomum in hunc locum legat; ne in Pelagianorum hæresin incidat.*

De Justificatione, ac certitudine Salutis. BELLARMINUS, lib.4. de Ecclesiâ milit.cap.2. *Sectarii*, inquit, *nostri temporis, docent; Homines justificari solâ fide speciali, quâ quisq; certò credit se propter Christum coram Deo esse justum: Quod cum quolibet paradoxo comparari potest.* Et lib.3. de Justificat.cap.1.& 2. *Nos*, inquit, *tantùm certitudinem conjecturalem defendimus.* Idem verò, ibid.cap.2. *Aliqui*, ait, *Catholici docent quidem eam certitudinem, quæ nullam habeat de sua salute formidinem.* Et PERERIUS Jesuita, Comm.ad Rom.8.num.27. *Certitudinem*, inquit, *Catholici eam docent, cui subesse falsum non possit.*

possit. Itèm: *Catharinus, inter Theologos hujus temporis minimè incelebris, docuit Certitudinem fidei; quâ certò statuunt sibi peccata esse remissa.*

STAPLETONUS etiam, lib.7.de Justific.cap.9. *Catholici, ait, aliqui tenebant; nullum alium esse justitiæ conservandæ modum, quàm si justitia Christi nobis imputetur.*

BELLARMINUS, lib.4.de Christo, cap.15.dicit: *Opinio catholica hæc est; Christum verè, secundùm essentiam, in inferno fuisse.* DURANDUS contrà, in 3.dist.22. q.3.docet, *Christi animam descendisse ad inferos, non secundùm essentiam; sed per efficaciam:* & existimavit, *non credendum esse necessariò, Christi animam re-ipsâ, secundùm essentiam, descendisse ad inferos.* Hanc sententiam Bellarminus in Durando, tanquam erroneam; in Calvino autem, ut hæreticam, damnat. De Descensu Christi ad inferos.

BELLARMINUS itèm, lib.4 de Christo, cap.16.dicit: *Christus descendit ad inferos, ut indè animas defunctorum Patriarcharum, sub veteri Testamento fidelium, ex limbo, seu carcere inferni, educeret; ubi ante ejus adventum continebantur.* GREGORIUS VALENTIANUS autem, Tomo 4.in Thom.disp.1.quæst.19.punct.4.& disp.6.q.11.punct.1. sic docet: *Omnes Christus* SIMILITER *redemit; sive ante Christi adventum, sive post, vixerunt; quiq; aliquando futuri erant. Quamobrem, Apoc.13.dicitur Agnus occisus ab origine Mundi.*

BELLARMINUS scribit, lib.1. de Ecclesiâ triumphante: *Invocationem Sanctorum defunctorum, universa antiquitas docuit.* Contrà verò lib.1.de Beat.Sanctor. cap.6.scribit: *Sanctos veteris Testamenti invocare populus non solebat.* Et ECKIUS, in Enchirid.sub finem loci de Venerat.Sanct. *Nec hoc licuit,* inquit, *in primordio Ecclesiæ in Novo Testamento, ne Gentiles recèns-conversi se iterum ad idololatriam induci paterentur.* SALMERON etiam, in 1.Tim.2.disp.8.docet; *Non esse expressum in novo Testamento, de Invocatione Sanctorum: quia durum esset, id Judæis præcipere; Gentibus verò, periculosum.* De Invocatione Sanctorum defunctorũ.

BELLARMINUS, in Præfat.ad lib.de Eccles.triumph.& lib.1.cap.16. sic scribit: *Papistæ, inquit Lutherus, B.Mariam Deum constituũt; omnipotentiam ei tribuunt; omnes se ad eam conferunt; & plus gratiæ ab eâ exspectant, quàm à Christo Jesu. Horrenda est hæc ejus impostura. Quis Catholicorum unquam uni Deo B.Mariam æquavit?* Contrà CASSANDER, in Consult.art.21. *Eò ventum est,* inquit, *ut Christus, etiam jam in cœlo regnans, Matri subjiciatur.* Et VEGA Jesuita, Comm.in Apoc.12. sect.1.num.9.de Nomine ejus sic scribit: *Tetragrammaton* (quod est Deo proprium apud Hebræos: ut SIXTUS SENENSIS in Bibliothecâ refert) *est nomen sacerrimæ Virginis: nec hoc solùm; sed etiam suo modo ineffabile: non solùm Hominibus; verùm & ipsis Angelis.* Et sect.2.num.6. Itèm sect.20. *Nec prætermittendum est,* inquit, *illud doctissimi Idiotæ encomium: Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen; quod, post nomen Filii tui, est supra omne nomen: ut in nomine tuo flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum: nomen tantæ virtutis, ut ad ejus invocationem cœlum rideat; infernus conturbetur. Est illa spiraculum hominis: quia, sublato ejus patrocinio, peccator vivere diutiùs non potest.* Idem VEGA, in Apoc.12.sect.2.num.3. de authoritate B.Mariæ, sic scribit: *Meritò Virgo* DOMINA *dicta est; cujus typus eam ob causam fuit Sara: quæ cùm anteà diceretur Sarai, i.e. Domina & Princeps mea;* De B.Mariâ Virgine.

postea, Deo jubente, dicta est Sara, quod nomen sonat Principem sive Dominam absolutè. Est enim Virgo Domina, per excellentiam, & Princeps omnium creaturarum. ut egregie expendit Arnoldus Carmelita, sic scribens: Maria, linguâ Syriacâ, Domina dicitur: Christus, Dominus. & licèt ipsa se profiteatur Christi ancillam: hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippè est super omnem creaturam: &, quicunque Jesu curvat genu; Matri quoq; pronus supplicat: & Filii gloriam, cum Matre non tàm COMMUNEM judico, quàm EANDEM.

De merito B. Mariæ, DELRIUS Jesuita, Comm. in Cant. cap. 1. sect. 2. sic scribit: *Obedientia Mariæ similis facta est obedientiæ Christi. Magna ergo in hoc laus Mariæ, magna ejus gloria: quòd imitatio ejus gloriæ, EXÆQUATUR obedientiæ Christi, quam imitatur illa.*

Sic ALANUS de RUPE, blasphemo animo & calamo scribit: *Etsi tota Trinitas juràsset per vulnera Christi, se nunquam misericordiam facturam Peccatori; Maria impetrabit.*

De majestate ejus, OSORIUS Jesuita, tom. 3. Conc. in assumpt. S. Bartholom. *Dubitant*, inquit, *aliqui, an Maria adeò bona mater Christi dici debeat, ac bonus est æternus Pater.* Itèm: *Certè diversa est admodùm generatio; quia diversa natura. Hac in re excedit æternus Pater matrem Mariam. At verò, si duntaxat Filium ab utroque genitum attendamus: in nihilo Pater excedit Matrem. Idem enim Filius est, ab utroquè genitus: & hac ratione Mater adeò bona Maria est, ac æternus Pater.* Idem tom. 5. Dominic. 4. Epiph. sic scribit: *Cui igitur B. Mariam comparabimus? Non Evæ; non Saræ; nèc Racheli; nec Hesteræ; nec Lunæ; nec Soli. Cui igitur? PLANE DEO, bona omnia continenti.*

De Cultu Imaginum. BELLARMINUS, in Præfat. libri de Beat. Sanct. *Quis*, inquit, *Catholicorum unquam divinum honorem imaginibus detulit?* Et tamen lib. 2. de Eccles. triumph. cap. 21. *Sit*, inquit, *hæc nostra Propositio: Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt: non solùm per accidens, vel impropriè; verùm etiam propriè: ità ut terminetur adoratio in Imagine; non solùm ut vicem gerit exemplaris.* AZORIUS etiam, Institut. lib. 9. cap. 6. *Constans*, inquit, *est Theologorum sententia; Imaginem eodem honore & cultu coli, quo colitur id, cujus est imago.*

De Voto Baptismi. BELLARMINUS, lib. 2. de Monachis, cap. 15. *Promissionem*, inquit, *in Baptismo non esse votum, propriè ac verè dictum; est communis Theologorum sententia, & quidem verissima.* AZORIUS autem, lib. 11. Instit. cap. 14. *Baptisma*, inquit, *esse votum, propriè ac verè dictum; veteres Theologi, cum Magistro, sentire videntur.*

De Miraculis. COSTERUS, in Apolog. par. 3. c. 9. *Hæc est*, inquit, *perpetua nota Ecclesiæ: nullum seculum, nulla ætas hominum, miraculis caruit.* Et BELLARMINUS, lib. 4. de Ecclesiâ milit. c. 14. *Nunc*, inquit, *nostram Ecclesiam demonstrabimus esse Dei veram Ecclesiam, ex miraculis; quæ singulis ætatibus plurima & testatissima fuerunt, usq; ad hoc nostrum seculum.* Contrà ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in 2 Tim. 3. *Ubi*, inquit, *nullus est infidelis; faciendorum miraculorum nulla est necessitas.* Et STELLA, Comm. in Luc. 11. *Crede*, inquit, *Euangelio, quod fuit miraculis confirmatum. Sed dices: Nónne rationi consentaneum est, ut nunc quoq; fides confirmetur miraculis? Non: nam*

nam nunc quoq; damnum potius afferrent, quàm cõmodum; etiamsi in principio nascentis Ecclesiæ fuerint necessaria. Puer enim, cùm ambulare nequit, adjuvatur vehiculo; quod homini adulto est impedimento. ACOSTA, de procurandâ Indorum salute, lib.2.cap.9. *In hoc*, inquit *signorum argumento explicando, Chrysostomus mirificè versatur. Si enim miracula in initio Euangelicæ prædicationis patrata creduntur: certum est, (inquit) doctrinam, cui confirmandæ adhibebantur, divinitùs esse profectam. Sin autem veritati historiæ jam minùs Gentilis credat: at longè omnibus signis majus est, homines illos paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mortalibus exosos, toti Orbi persuasisse. Non ergo fides, jam satis firmata, miraculis novis indiget confirmari. Quin potius utilius esse asserit, signis nunc carere: quoniam majoris meriti sit, sinè illis credere.*

BELLARMINUS, lib.4. de Ecclesiâ milit.cap.14. *Verum*, inquit, *miraculum sufficiens est testimonium veræ Ecclesiæ: ex quo fundamento probamus, eam esse apud nos.*

MALDONATUS autem, Comm.in Matth.c.7. *Chrysostomus*, inquit, *Hieronymus, Euthemius, Theophylactus, probant exemplis; etiam per alios, quàm Catholicos, vera miracula fieri: & hoc ipso loco Matthæi 7. Multi dicent in illo die, In nomine tuo ejecimus, &c. facilè colligitur, falsos illos Prophetas, de quibus Christus loquitur, vera miracula fecisse, verè prophetasse, verè dæmonia ejecisse. Nec enim respondet Christus, mentiri eos: sed, se eos, quámvis ista fecerint, non nôsse. Nec magnum est, si moneret nos, ne falsa miracula facientibus non crederemus: sed magnum & admirabile est omninò, quòd monet, ne falsis Prophetis credamus, vera etiam miracula facientibus. Nullum ergo, (dicet aliquis) ad probandam veram doctrinam, argumentum hinc sumi potest? Non sequitur, omninò nullum: sed non-necessarium sumi potest. Scimus enim, Christum, ad confirmandam doctrinam suam, potestatem faciendi miracula Apostolis suis tradidisse: scimus, vi miraculorũ, totum penè Orbem ad fidem fuisse pertractum. Quod qui negant, (ut disputat Augustinus) majus ipsi miraculum, miracula tollendo, faciunt. Incredibilius enim, tot Philosophos, tot sapientes viros, tam paucis Apostolis, tàm imperitis, tamq; incredibilia humanæ rationi prædicantibus, sinè ullis miraculis credidisse; quàm illa ipsa miracula, quæ ab illis facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur: quia per fidem sæpè; sinè fide raro, fieri solent. Nec necessariò demonstrant Ecclesiam; nisi ubi potestas miracula faciendi ordinaria contingit.*

COLLEGIUM ANGLO-RHEMENSE, in Annot.ad Apoc.17. *Protestantes*, inquit, *extremâ malitiâ excæcati, adversùs Rom. Ecclesiam usq; adeò insaniunt; ut septem montes literaliter interpretentur: ut indè simplicibus persuadeant, Romã esse sedem Antichristi. cùm tamen Angelus se-ipsum exponat vers.7. Septẽ montes idem esse, quod septem capita & septem Reges.* BELLARMINUS etiam, lib.3. de Rom.Pontif.cap.13. inquit: *Per Meretricem, quæ sedet super septem montes, non intelligi Romam; sed universam Diaboli civitatem; quæ vocatur sæpè Babylon; & opponitur civitati Dei, quæ dicitur Hierusalem. Per septem montes intelligi universitatem superborum; & præcipuè Regum terræ.* Contrà RIBERA, in Apocal.14.num.30. *Babylonem*, inquit, *esse Romam, ex textu confirmatur: quia nulli alii convenire potest, quod dicitur, Septem capita, septem montes sunt. Constat autem, Romam super septem montes fundatam esse; de quibus Vergilius, Aeneid.6.* De Babylone apocalypticâ.

De Antichristi sede. BELLARMINUS, lib.3. de Pontif. Rom. c.13. *Antichristi*, inquit, *sedem fore Hierusalem; non Romam; verissima est sententia.* Contrà COLLEGIUM ANGLO-RHEMENSE, in Apocal.17. *Roma*, inquit, *ante finem Mundi, futura est sedes Antichristi.*

Ad dictum Augustini, (Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moveret authoritas) lib. contra Epistolam fundam. c.5. STAPLETONUS, lib.2. de auctorit. Script. *Respondent*, inquit, *Protestantes, hoc Augustinū dixisse, cùm adhuc erat Manichæus: nimirum, eum Ecclesiæ authoritate tunc fuisse commotum, ut Euangelio crederet, & ut esset Catholicus. At tàm abesse eidem Augustino jam facto Catholico, ut Scripturis non crederet; ut potiùs Ecclesiam desereret, quàm Euangelio non crederet. Ergo majoris apud Augustinum momenti fuisse Scripturarum, quàm Ecclesiæ, authoritatem. Falsum autem omninò. Nam sensus est: Quod ad me attinet, nisi me jam Catholicæ Ecclesiæ authoritas commoveret; nec nunc quidem Euangelio crederem. Itaq; frigida est omninò isthæc Protestantium solutio; qui hunc sensum ponunt de præterito: Ego nunc non essem Christianus, nisi me commovissent suis persuasionibus Christiani. Quia de præsenti omninò agit Augustinus.* Hoc etiam respondent Jesuitæ POSNANIENSES, COSTERUS, TURRIANUS, VALENTIANUS, GRETSERUS, & alii.

MELCHIOR CANUS autem, in Locis Theol. lib.2. cap.8. *Augustino*, inquit, *negotium erat cum Manichæis; qui absq; controversiâ suo cuidam Euangelio credi volebant. Rogat Augustinus; ecquid facturi sint, si in hominem incidant, qui ne quidem Euangelio credat? quo genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi? Certè se, affirmat, non aliter potuisse (præterito tempore) adduci, quàm Ecclesiæ authoritate victum. Non itaq; docet, in Ecclesiæ authoritate fundatam esse Euangelii fidem. Agit enim Augustinus, quomodo infideles ad credendum adducantur.* Et DRIEDO, de variis Dogmat. lib.4. c.4. *Loquitur*, inquit, *Augustinus de Ecclesiâ illâ, quæ fuit ab initio fidei Christianæ.* (Ergo non de solâ Romanâ; sed etiam de primitivâ.) GERSON, de Vitâ animæ: *Augustinus*, inquit, *Ecclesiam ibi sumit pro Ecclesiâ primitivâ fidelium; qui Christum viderunt, & audierunt, & ejus testes exstiterunt.*

Sed quis omnia Jesuitarum mendacia & falsa recenseat? Sufficiat in præsens, etiam ex isto contradictionis spiritu, cognoscere ac pronuntiare; JESUITAS reâpse & facto ipsissimos mendacii doctores esse.


FINIS LIBRI II. HISTORIÆ JESUITICÆ.



HISTO-



HISTORIÆ JESVITICÆ
LIBER TERTIUS.
DE PROPAGATIONE ET INCREMENTIS ORDINIS JESUITICI, PER ITALIAM ET HISPANIAM.
CAPUT I.



ESUITÆ, ſerpentum in morem, initiò terræ pulverem eſitabant; &, ſummâ inopiâ adacti, ſolum ſolo identidem vertere cogebantur. Romæ enim ut excepti fuerint primò, ſuprà Libro I. indicatum fuit.

Irrepsêre autem primùm in gratiam hominum, eosque in ſui admirationem pertraxerunt, diligentiâ & ſolicitudine ſuâ, in ægrorum morbis curandis, vulneribus obligandis; & moleſtâ, gravi, ac putidâ ſanie abstergendâ. *Jeſuitæ ut irrepſerint in gratiam hominum.*

Deinde verò, auſcultandis confeſsionibus: unde tamen miſerè victum ſuum excerpebant.

Mox, ubi paululum firmitatis acceſsit, pueros ſinè mercede docendos & erudiendos ſuſceperunt. Quo artificio non vulgarem Vulgi favorem emeruêre; criminandis præſertim aliis doctoribus: quorum doctrina venalis eſſet; & Scholæ nulli ſinè mercede paterent, ac interdum etiam doctrinâ peregrinâ perſonarent. Incredibile dictu eſt, quantum hæc criminatio valuerit. Inprimis, ut facile eſt, in magnâ piſcium multitudine, rete ſuum implere; ſic etiam, in hac juvenum frequentiâ, Jeſuitis facile fuit, continuò aliquos inſtitutis ſuis implicare. Ea etenim eſt ætas hodiè, quæ blandiciis ſimul & doctrinæ admiratione permovetur; & propedièm, ad operam navandam, præſtò eſſe poteſt. Ac reliquorum quidem Monachorum, in hoc, à Jeſuitis emendatus eſt error: qui puſiones, vix-dum è cunabulis egreſſos, ad ſe admiſerunt; totosque quindecim aut viginti annos nutrierunt, antequàm ad praxin eos admovere poſſent. Hoc ſagaces & ſolertes animadvertentes Jeſuitæ, ſuos in eo ætatis flexu intercipiunt, qui jam ad adultam vergit.

Firmato autem & communito, à Pontificibus Romanis, Jeſuitarum Ordine ac vitæ inſtituto; per omnes ſe Italiæ urbes Jeſuitæ ſpargebant: & mox ubique, in eâ regione, Collegia eis ædificabantur. Inprimis autem Romæ ſedes ſuas fixerunt, ſuperſtitionum & errorum omnium matre ſeu officinâ. Tria enim ibi Collegia exſtruxerunt Jeſuitæ: unum pro ſe; alterum pro An- *Primùm in Italiâ nidificant.* *Romæ tria Collegia erigunt.*

glis; tertium pro Germanis. Nam JOHANNES MORONIUS, Episcopus Prænestinus, (qui in Tridentinâ Synodo Legatus fuit Pontificis, & Synodi præses) consilium communicavit cum Ignatio; quanto usui esse possit Ecclesiæ Pontificiæ, si Romę amplissimum Collegium exstrueretur: in quo maxima Germanorum multitudo, in bonis literis & religione, sumtibus Pontificis, institueretur: ut tandem, in patriam redeuntes, collapsam & conculcatam Pontificiam religionem ibi instaurare, aliquâ ex parte, possent. Opus igitur illud aggressi sunt Jesuitæ, anno Domini 1553. exstructo tali Collegio Romæ, non procul à suorum Collegio. Adolescentes verò Germanos, narrant PAYVA ANDRADIUS & SURIUS, in illud Collegium assumi, non ut cooptentur tandem in ordinem Jesuiticum: sed Jesuitas tantùm alendi illos, moderandi, & instituendi, curam gerere; &, ad hunc laborem suscipiendum, solùm Germaniæ salutis desiderio fuisse incitatos: ut, per istos emissarios, Germania ad gremium, vel (si hoc nimium est) ad oscula pedum Romani Pontificis, paulatim reduceretur.

Jesuitæ in Hispanias veniunt.

Ex Italiâ, rectâ in Hispanias Jesuitæ suas duxerunt colonias. Erat enim, circa initium confirmationis hujus Ordinis, Romæ, PETRUS MAZCARENHAS, à Johanne III. Lusitaniæ Rege, ad Pontificem Orator: qui multum cum Pontifice egit, ut ex viris illis, quorum tunc adhuc pauci numero erant, duos in Lusitaniam mitteret. Quo tandem impetrato, profecti sunt illûc Franciscus Xaverius & Simon Rodericus, anno Christi 1541. ubi à Rege totoque populo, sicut & alii in reliquâ Hispaniâ, humanissimè excepti; & ubivis locorum, in eâ gente, certatim Collegia eis exstructa fuerunt: nec ullo in loco hodiè majori cum studio foventur. Nam vulgò in Hispaniâ & Lusitaniâ, *Apostoli*, & *Apostolici viri*, et omnium hodiè nuncupantur.

Hispanica Inquisitio.

Neque mirum: nam gentis hujus homines, plùs quàm serviliter in Romanâ religione nascuntur, educantur, instituuntur, & confirmantur: nec alibi ferè obsequentiores & ferventiores filios habet Romana Ecclesia. Tanta enim apud eos fit, de fide & religione Romanâ, Inquisitio; tamque arcta, ne indè avolet, septa tenetur custodia: ut, nisi ipsi filii, ad parentes suos, hæreseos damnatos, exurendos, allatis propriâ ex domo lignis, carnificem adjuvent, ipsique propemodùm parentum carnifices existant; hæretici ferè ab omnibus judicentur, eodemque digni supplicio censeantur. Ex quo certè necesse est, Hispanos superstitiosos evadere, actus religionis externos multiplicare, & vel mortuos fidem Romanam spirare: ne, si minùs multa religionis suæ signa dederint, suspecti extemplò de fide reddantur, & in tertiam ac quartam usque generationem crudelissimè excruciati puniantur. Accedit huc, quòd ab antiquis temporibus Marani, seu Infideles, nuncupati sunt Hispani: quippè à quibus prognati fuerunt. Ut igitur hanc contumeliam à se depellant: in excessu peccant; & Jesuitis, tanquàm Romanæ Ecclesiæ columnis, immensos honores exhibent, & privilegia dant Hispani, per universum suum regnum: imò, aliquibus in locis, Magistratibus ipsis, parére Jesuitis & obedire, præcipiunt.

Hispani necessariò superstitiosi.

Johan-

Johannes Siliceus tamen, Archiepiscopus Toletanus in Hispaniâ, Jesuitarum acerrimus insectator fuit. Compluti, in suâ diœcesi, Collegium ipsis repentè exstructum, ità ægrè ferebat: ut, de Jesuitis à suâ ditione pellendis, toto animo dies noctesque cogitaret. Quotquot è suo clero Jesuitis favére nôsset; eos juris in Ecclesiâ Toletanâ dicundi potestate privat: vetat etiam, in Ecclesiâ Complutensi, omninò quemquam à Jesuitis Ecclesiæ sacramenta sumere. Quæ res, in totâ Hispaniâ, plurimorum animos vehementer commovit: ut qui existimarent, tantum Antistitem, non sinè gravi aliquâ certâque ratione, ità de Jesuitis statuisse.

Jesuitæ in Hispaniâ quoque adversarium habent.

DE JESUITARUM ADVENTU, INCREMENTIS, AC PROPAGATIONE IN GALLIA.

CAPUT II.

IN Galliâ, non eâdem facilitate, quâ ab Italis & Hispanis, Jesuitæ suscepti sunt. Cùm enim Episcopus Claromontanus, *Gulielmus de Prato*, eos Lutetiæ primùm, exiguo quidem numero, in Claromontium, quod ibi est, Collegium, præ nimio erga illos favore, introduxisset, anno Christi 1550. & moriens, testamento, ultra 60000. aureorum legâsset, eâ lege; ut Billonii & Mauriaci in Avernis Scholâ institutâ, juventuti erudiendæ incumberent: ante Lojolæ mortem, Broëtus, in Galliâ, commendatione Caroli Lotharingi Cardinalis, (cujus & nomen diplomati appositum est) ab Heinrico II. impetraverat; ut, juxta Pontificium diploma, Societas hæc in Galliâ reciperetur; & Sodalibus, ex eleemosynis, ædes & Scholam Lutetiæ, non etiam in aliis urbibus, construere, ibique juxta normam Ordinis vivere, liceret.

Jesuitæ in Galliâ difficulter recepti.

Haud diù pòst, suppliciter à Parlamento contenderunt, ut & in Regno hoc tolerarentur; & Societas hæc, sub specie tàm religiosi Ordinis, quàm Collegii, tandem approbaretur. A' Gallo-Francis verò tùm quidem repulsam tulerunt. Post quatuor nihilominùs annos, iterum, ut admitterentur, supplicârunt. Cùm autem diploma, cujus paulò antè meminimus, in Curiâ lectum esset, 3. Non. Sextil. & id Procurator regius, *Noë Bruslardus*, vehementer oppugnaret: Parlamentum decrevit; ut Regium ac Pontificium diploma, Episcopo Parisiensi, nec-non Theologorum Parisiensium Collegio, h. e. Sorbonæ, communicaretur: quibus auditis de totâ re decerneretur.

SORBONA, anno 1554. Cal. Decemb. multis in medium adductis rationibus firmissimis, evidentissimisque, hanc Jesuitarum petitionem omnibus modis aversata est, & vehementer impugnavit, ac rejecit. Decretum autem hoc, & sententia Sorbonæ, de verbo ad verbum sic habet.

Anno Domini 1554. die 1. Decemb. sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis, post Missam de Spiritu sancto, in æde sacra Collegii Sorbonæ, ex more celebratam, jam quartò in eodem Collegio per juramentum congregata est; ad determinandum de duobus diplomati-

Decretum Sorbonæ contra Jesuitas.

matibus,quæ duo sanctissimi Domini, summi Pontifices, Paulus III. & Julius III. his, qui Societatis Jesu nomine insigniri cupiunt, concessisse dicuntur. Quæ quidem diplomata, Senatus, seu Curia Parlamenti Parisiensis, dictæ Facultati visitanda & examinanda, misso ad rem Hostiario, commiserat. Antequàm verò ipsa Theologiæ Facultas, tantâ de re, tantiq; ponderis, tractare incipiat: omnes & singuli Magistri nostri, palàm atq; aperto ore, professi sunt; nihil se adversùs summorum Pontificum authoritatem & potestatem, aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Imò verò omnes & singuli, ut obedientiæ filii, ipsum summum Pontificem, ut summum & universalem Chstristi Jesu Vicarium, & universalem Ecclesiæ Pastorem, (cui plenitudo potestatis à Christo data sit; cui omnes utriusq; sexûs obedire; cujus decreta venerari, & pro se quisq; tueri & observare, teneantur) ut semper agnoverunt & confessi sunt; ità nunc quoq; sincerè, fideliter, & libenter, agnoscunt & confitentur.

Sed quoniam omnes, præsertim verò Theologos, paratos esse oportet ad satisfactionem, omni poscenti de his, quæ ad fidem, mores, & ad ædificationẽ Ecclesiæ pertinent: dicta Facultas, poscenti, mandanti, & exigenti Curiæ prædictæ, satisfaciendum duxit. Itaq; utriusque Diplomatis omnibus frequenter lectis articulis, repetitis, & intellectis, & pro rei magnitudine per multos dies, menses & horas, pro more, priùs diligentissimè discussis & examinatis; tùm demùm unanimi consensu, sed summâ cum reverentiâ & humilitate, rem integram correctioni Sedis apostolicæ relinquens, ità censuit.

Hæc nova Societas, insolitam nominis JESU *appellationẽ sibi vendicans, tàm licenter, & sinè delectu, quaslibet personas, quantúmlibet facinorosas, illegitimas & infames, admittens; nullam à Sacerdotibus secularibus habens differentiam, in habitu exteriore, in tonsurâ, in horis canonicis privatim dicendis, aut publicè in templo decantandis, in claustris & silentio, in delectu ciborum & dierum, in jejuniis, & aliis variis ceremoniis, quibus status Religionum distinguuntur & conservantur; tàm multis, tamq; variis privilegiis, indultis, & libertatibus donata; præsertim in administratione sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ, idq; sinè discrimine locorum, aut personarum; in officio etiam prædicandi, legendi, & docendi, in præjudicium Ordinariorum, & Hierarchici Ordinis; in præjudicium quoque aliarum Religionum; imò etiam Principum & Dominorum temporalium; contra privilegia Universitatum; deniq; in magnum Populi gravamen: Religionis monasticæ honestatem violare videtur; studiosum, pium, & necessarium, virtutum, abstinentiarum, & austeritatis, enervat exercitium: imò occasionem dat liberè apostatandi ab aliis Religionibus; debitam Ordinariis obedientiam & subjectionem subtrahit; Dominos, tàm temporales, quàm ecclesiasticos, suis juribus injustè privat; peturbationem in utrâque politiâ, multas in Populo querelas, multas lites, dissidia, contentiones, æmulationes, rebelliones, variaq; schismata, inducit. Itaque his omnibus, atq; aliis, diligenter examinatis & perpensis;* HÆC SOCIETAS *videtur, in negotio fidei periculosa; pacis ecclesiasticæ perturbativa; monasticæ Religionis eversiva; & magìs ad destructionem, quàm ad ædificationem.*

Jesuitæ provocant ad Hispanicam Inquisitionem.

Jesuitæ verò, hanc Sorbonæ censuram, per Hispanicam Inquisitionem, annihilari & abrogari curârunt. De quo RIBADENEIRA, lib. 4. Histor. cap 11. sic scribit: *Porrò in Hispaniâ, quòd Sorbonense decretum esset contra sanctam Sedis*

Apo-

Apostolicæ authoritatem, à quâ religio nostra confirmata & probata est; fidei quæsitores illud, tanquam falsum, & quod pias aures offenderet, suo decreto, legi prohibuerunt.

In Galliâ autem, hac Theologorum Parisiensium sententiâ territis Sodalibus, cùm tempori obsecundandum ducerent, &, novi Ordinis invidiam tempore mitigatum iri, sperarent Jesuitæ; altum eâ de re silentium fuit, usque ad Francisci II. Galliarum Regis tempora: sub quo, potientibus rerum Guisianis, qui impensè huic novo Sodalitio favebant, Jesuitæ intermissum negotium persequuntur. Ante omnia verò, juxta Senatûs consultum, *Eustochius Bellajus*, Parisiensis Episcopus, sententiam rogatur: quam ille scriptis mandavit. In eâ, *Societatem Jesuiticam, (ut novos omnes Ordines) summè periculosam, & his temporibus, ad motus potiùs concitandos, quàm Ecclesiæ concordiam sarciendam, institutam,* asserit. In-primis *Jesuitarum nomen, ut arrogantiæ plenum*, improbat: *quippè cùm ità solis sibi tribuant, quod Ecclesiæ Catholicæ competit; quæ propriè fidelium congregatio dici potest, cujus caput est* CHRISTUS. *Illos verò, cùm hoc nomen sibi sumunt solis, & hoc dicere videri, solos se Ecclesiam constituere.* Tùm multa in privilegiis, eis à Paulo III. concessis, inesse dicit; quæ juri communi repugnent; Episcoporum, Curionum, & Universitatum auctoritati ac potestati præjudicent: ac proindè consultius esse, ut, quando ad Turcorum & Infidelium instructionem, & Verbi Dei apud illos Populos promulgationem, à Pontifice auctorati sint; in locis, qui iis vicini sunt, domicilia his Sodalibus assignentur: utì olim, in Christiano limite, Rhodienses equites excubare jussi sunt.

In Galliâ intermissum negotium persequuntur.

Episcopus Parisiensis Jesuitarum adversarius.

His sententiis à Rege in Consistorio expensis: instigante Cardinali Lotharingo, diplomate, dato 7. Calend. Maji, anni 1561. Curiæ mandatur: ut, nullâ habitâ Theologorum Parisiensium, & Episcopi ipsius, intercessionis ratione, tàm Pontificia, quàm Regia diplomata, in Societatis gratiam facta, promulget. Et quanquàm Sodales, porrecto Senatui libello supplici, se juri communi subjicerent; & juribus ac privilegiis, contra illud à Pontificibus concessis, & Episcoporum, Collegiorum, Curionum, Universitatum auctoritati, Ecclesiæ Gallicanæ, & pactionum inter Reges ac Pontifices initarum, juri præjudicantibus, renuntiare se testarentur: nihilominùs Senatus, 8. Calend. Mart. decreto facto, negotium omne ad Concilium universale, aut Ecclesiæ Gallicanæ conventum, remittit: ut ab eo novus Ordo approbaretur.

Tandem, cùm Possiaci, jussu Regis, Præsules, de religionis negotio, magno numero convenissent; *Francisco Turnonio* Cardinali, Lugdunensi Archiepiscopo, Præside: 7. Calend. Octob. referente Bellajo Episcopo Parisiensi, & pluribus conditionibus appositis; Conventus, juxta potestatem ei à Curiâ factam, causâ cognitâ, novam Societatem admisit & approbavit, sub *Societatis* & *Scholæ* nomine; non etiam Ordinis recenter instituti: h. e. tanquam Collegium solummodò quoddam; non autem novum Religionis institutum vel ordinem: astutissimo Cardinalis Turnonii instinctu. expressâ insuper hac conditione; ut aliud, quàm *Societatis* JESU, aut *Jesuitarum*, nomen assumant: in ipsosque Socios Episcopo, in suâ diœcesi, ut in alios Sacerdotes, jurisdictio

Jesuitæ recipiuntur in Galliâ cū conditione.

salva maneat: utque nihil agere possint in Episcoporum, Collegiorum, Curionum, Universitatum, aut aliorum Ordinum, præjudicium, illorúmve jurisdictionem & functionem; sed juxta juris communis præscriptum regantur, privilegiisque ei contrariis renuntiare teneantur. Insuper additum est: Nî pareant, aut in-posterum nova à Pontificibus privilegia obtineant; ut approbatio, præsenti Decreto facta, jam-nunc revocata intelligatur.

Jesuitę non parent cōditionibus.

Quid autem Jesuitæ? Nulli istarum conditionum institerunt; multoq; minùs appellationem istam Ordinis sui intermiserunt: imò, cùm primùm hoc Decretum impetrâssent, ludum Lutetiæ aperiunt, & portæ Collegii sui inscripserunt; COLLEGIUM DE SOCIETATE NOMINIS JESU.

Parisiensis Universitas Jesuitis adversaria.

Cùm igitur universa Parisiensis Academia, eorum libertatem, audaciamq; effrenem, interpellaret: rursus res ad Senatum devoluta est. Antequàm autem res in Senatu agitaretur: ab Academiâ consultus *Carolus Molinaus*, Francię & Germaniæ Juris-peritus celeberrimus, & in supremo Parisiorum Senatu Advocatus; *An Jesuistæ,* (sic enim eos vocavit) *in regno Franciæ, & Universitate Parisiensi, sint admittendi?* consultatione scriptis mandatâ, (quæ posteà etiam publicata est) responderat: *Non solùm id non esse è Republicâ; sed contra Rempublicam, & utilitatem communem Franciæ Regni; præsertim Universitatis Parisiensis; quæ omnium Academiarum primaria sit:* his adductis rationibus.

Caroli Molinæi sententia, de non-admittendis Jesuitis in Galliâ.

Primùm, inquit, *Jesuistæ illi novam Religionem instituunt, contra antiquos Canones, etiam Conciliares; quibus vetitum est, novam ullam Religionem erigere; sed receptos & approbatos Conventus subire. alioquin non esset finis novarum sectarum & adinventionum, ad expilationem Populi Christiani; turbationem & confusionem Ordinis ecclesiastici, qui certis & statis suis finibus contineri debet.* ut est text. in c. ult. de Religiosis domibus. Quod desumtum est de Concilio generali, sub Innocentio III. Romæ habito, anno 1215.

Secundò, & nominatim, hoc est contra Arresta supremi Parisiorum Senatûs; quibus præfati Jesuistæ jam non semel repulsi sunt: non solùm ut ignoti; sed etiam ut peregrini: imò etiam, ut incapaces totius & juris, & tituli collegialis: hujusmodi Sectâ, & Religione factitiâ, à tanto Senatu rejectâ.

Tertiò, contra solenne Concilium, & conclusionem longâ & maturâ deliberatione factam Nicææ, mense Julio, anno sesquimillesimo trigesimo-octavo, à novem selectis præstantissimis & doctissimis Viris, (quorum quatuor erant Cardinales; reliqui Archiepiscopi, Episcopi, Abbates,) à Paulo III. Pontifice Romano congregatis, & diris adjuratis; ut absque ullâ dissimulatione veritatem edicerent, & consilium darent, ad judicandum & corrigendum abusus, & medendum morbis Ecclesiæ. Qui, inter alios abusus corrigendos, censuerunt prohibendam esse admissionem novorum Religiosorum, etiam in Conventualibus jam-receptis ordinibus: sed omnes, qui tùm nondum erant professi, abigendos & expellendos: & multò minùs novos Conventus erigendos, etiam Ordinum vel Religionum approbatarum; multò minùs novas factitias Religiones admittendas. Idem ante eos censuit Petrus de Alliaco, *Cardinalis Cameracensis, & in suo libro de Reformatione Ecclesiæ, edito in Concilio Constantiensi, considerat. Idem ante eos censuerunt, Archiepiscopus*

ſcopus Armacanus, *&* Gulielmus de Sancto Amore, *ſacræ Theologiæ Doctor inſignis, quondam in Scholâ Sorbonæ hujus Academiæ; quem* Johannes Gerſon, *ejus Academiæ & Scholæ Doctor excellentiſsimus, ſummis laudibus evehit.*

Quartò, contra bonum publicum totius Regni, nimis jam-dudū multitudine Conventuum gravati; ut res ipſa clamat. Quòd-ſi nova hæc Secta, ad novum unum Conventum exigendum, admiſſa fuerit: mox per totum Regnum ſerpet, non ſolùm ſumtu & onere Populi; ſed etiam Eccleſiarum regni detrimento, & gravamine luculento. Cujus rei recens exſtat exemplum, quod à leviori principio, nondum ſeptuaginta annis, ortum habuit. Anachoreta ille, Franciſcus à Paula, *qui ſub obitum Ludovici XI. venit in agrum Turonenſem; ubi, cùm ſex jugera terræ emiſſet, obiit. Famuli ejus, peculio magiſtri non contenti, quânam arte, intra viginti annos, tàm multa nova ſua* Minimorum *ſectæ monaſteria, amplè dotata, in Galliis ædificârunt? Jeſuiſtæ iſti, ut majus & auguſtius ſe-ſe habere principium gloriantur; ità majores ſpiritus colligunt, & majora ſe-ſe brevì facturos ſperant & jactant. Principiis igitur potiſſimùm obſtandum.*

Quintò, non ſolùm tàm eſt contra commoda publica; ſed etiam vergit in magnum periculum Regni, nempe detegendorum & revelandorum paſſim ſecretorum exteris. Multos enim, non ſolùm commorantes, ſed etiam identidem communicantes, alliciunt & alunt, Italos & Hiſpanos, & quosvis exteros. Nimis opportuna res exploratoribus, ſecretis Regni revelandis. quod, ut ſuſpectum & periculoſum, omni animadverſione & prohibitione dignum, cenſuerunt antiqua & politicæ Leges. l. Omne delictum. §. Exploratores. Pandect. de Re militar. l. Mercatores. C. de Commerc. & Mercator. *Adeò, ut hac ratione etiam ritè-electi Epiſcopi repelli poſſint.* ut, poſt Innocentium, in cap. Cum ſuperis. tradunt ibi Panorm. col. 3. Fel. col. 4. extr. de Appellat. Innocentius in c. Quod ſicut. & ibi Panormit. extr. de Electiōn. & in c. Cùm terra. eod. tit. Dominicus de ſancto Geminian. in c. In novo. col. ult. 21. diſtinct. Zangelin. in extravag. Exſecrabilis. in verb. Diverſorum Regnorum. ſub tit. de Præbend. *Quantò fortiùs excludi poſſunt novi Monachi?*

Sextò, iſtud eſt contra Jus publicum; quo novorum Collegiorum erectio prohibetur. Et in ſummâ, omne Collegium illicitum eſt; niſi ſpecialiter approbatum appareat. l. 1. l. Collegia. §. In ſummâ. Pand. de Colleg. illic. *Porrò, Collegium illicitum uſurpans, non minori pœnâ tenetur; quàm tenentur hi, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupant.* l. 2. Pandect. de Colleg. illic. *Et, Collegium non ſpecialiter approbatum, nec paſſivam quidem Teſtamenti factionem habet.* l. Collegium. C. de Hæred. inſtituend. *Non obſtat* l. 1. C. de Sacroſanct. Eccleſ. *quia loquitur de publico & ordinario miniſterio Eccleſiæ, ſeu Collegio catholico; ſive Romæ, ſive alibi per univerſalem Eccleſiam Chriſtianam: cui, ante Conſtantinum non licebat aliquid legare; nec Eccleſiam Chriſtianam hæredem inſtituere. Quod cùm Lucina matrona feciſſet: Maxentius, qui tùm, ante adventum Conſtantini, Romæ rerum potiebatur, eam relegavit;* teſte Platinâ in Marcello. *Quod Conſtantinus, devicto Maxentio factus Imperator, correxit, d. l. 1. ad Populum latâ: quæ non eſt facta, niſi in favorem Eccleſiarum Chriſtianarum, & miniſterii ordinarii. In Eccleſiâ nulla erant Cœnobia; nulla Collegia, niſi Epiſcoporum & Parochorum, qui in locum Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti ſucceſſerunt. Quod nullo*

modo dici potest de Cœnobiis seu Monasteriis posteà institutis: quæ manent sub Regulâ prohibitivâ, & sub genere Collegiorum illicitorum; nisi de speciali approbatione appareat. l.1.& 3.Pandect.de Colleg.illicit. *Et sic nullo modo includi possunt, nec contineri, sub gratiâ & promissione dictæ l.r. quæ adhuc, propter abusum Clericorum Romanæ Ecclesiæ, facultatibus morientium insidiantium, revocata fuit per Valentinianum & Valentem Imperatores, tempore* B.Hieronymi; *qui eam legem laudat, propter sordidam & insatiabilem avaritiam Clericorum & Monachorum Ecclesiæ Romanæ; quam avaritiam valdè deplorat & detestatur* in Epist.2.ad Nepot.tom.1.Epistolarum suarũ. *qui si viveret; non minùs deploraret & exsecraretur sordidum quæstum, & avaritiam dictorum Jesuistarum, qui preces suas & suffragia venditant. Non enim alium habent reditum: & tamen nec manibus operari volunt; ut, exemplo Beati Pauli, jubet* S.Augustinus, in libro suo de Opere Monachorum. *nec se aliis antiquis approbatis Conventibus submittere; ut sacri Canones jubent,* c.ult.de Religios.domib. *sed sibi solis novum regnum erigere, idq; stipe simplicium; quod vetat & maledicit Christus,* Matth.23.

Septimò, quòd in medio ipsius Academiæ, sinè ejus permissione, de facto construant novam Ecclesiam, novum Collegium, novos Lectores, & novas Lectiones: nec volunt eidem Academiæ subjici; sed novum Collegii & exercitii caput erigere. Quod non solùm monstrosum est; sed seditiosum, & contra jus publicum. l.1.§.Hujus studii.Pandect.de justit.& jure.

Octavò, Academia Parisiensis abundat multis congruis & approbatis Collegiis, & ab antiquo fundatis, etiam plùs quàm sufficientibus: imò quædam superflua sunt. Et sic multò minùs admitti & tolerari debet Collegium novum Jesuistarum.

Nonò, sinè auctoritate Episcopi, & approbatione Doctorum Theologiæ, concionantur; & novum suum Catechismum, quasdam superstitiones continentem, plebi, & etiam mulieribus, & omnibus promiscuè, obtrudunt: ut de industriâ se-se ingerere videantur, ad dandum occasionem infringendi Pacificationis edicta. quâ re nihil perniciosius esset; & periculum irreparabile secum trahit.

Quibus consideratis, Procurator generalis ejusdem almæ Universitatis Parisiensis justam causam habet, & pro debito officii debet, præfatis Jesuistis novum opus nuntiare; eosq; ut ab indebitis illis novitatibus desistant, per legitimos tramites compellere. Et ità censeo ego Carolus Molinæus, Franciæ & Germaniæ JC. & in supremo Parisiorum Senatu antiquus Advocatus.

Secunda cõtroversia Universitatis Parisiensis cum Jesuitis.

Secundùm hæc igitur, & alia similia, causa ista in frequenti Senatu acriter agitata est. Pro Sodalibus, PETRUS VERSORIUS magni nominis Patronus, laudatâ multùm eorum origine & institutione, peroravit.

Stephani Pasquerii actio cõtra Jesuitas.

STEPHANUS PASCHASIUS, vel PASQUERIUS, contrà pro Academiâ Parisiensi disseruit: & Sectam eam ambitiosam, & fucatæ religionis plenam, appellans, in Hispaniâ natam; Lutetiæ adultam; Venetiis exercitatam; Romæ initiò exagitatam, postremò receptam, & privilegiis immodicis, & à jure communi exorbitantibus, donatam; posteà in Galliâ, Theologorum Parisiensium sententiâ damnatam, itemque à Parisiensi Episcopo rejectam fuisse, dixit:

dixit: nunc verò, gratuitæ puerorum institutionis specie grassari; & indè familias, captatis testamentis, exhaurire; indè juventutem specie religionis corrumpere; &, fascinatis per superstitiones puerorum ingeniis, jam-nunc seditiones & defectiones, in Regni perniciem aliquando erupturas, moliri.

Tùm, inter plura eorum vota, illud exagitat; quo *Præposito* suo (quem tanquàm Deum præsentem in terris venerari se dicant) obedientiam, quam *cœcam* appellent, per omnia, & in omnibus, polliceantur.

Deindè, in ambitiosum eorum nomen invehitur: quod cùm Sectarii alii, ante ducentos annos, usurpâssent; ab Ecclesiâ rejecti, & justo Dei judicio ac flagello omninò dissipati, perierint. Hoc nomine nihil aliud agi; quàm ut, inter ejusdem religionis professores, scissura constituatur; & Jesuitæ alii sint, alii Christiani.

Quòd verò adeò se erga Pontificem obsequentes præbeât; eò magìs suspectos eos Gallis esse debere: qui Pontificem quidem, tanquàm caput & principem Ecclesiæ, agnoscant; sed ità, ut sanctis Decretis, & œcumenicis Conciliis, tanquàm inferior, parére teneatur; nihil adversùs Regnum ac Reges pronuntiare, aut contra Curiæ placita, aut in præjudicium Episcoporum, intra eorum fines, decernere valeat.

Tùm subjicit: Novis Sectariis istis semel admissis, totidem hostes intra Regni viscera ali; qui, si contingat, ut, excandescente perversâ bile, in Gallos arma vertant Pontifices, Regi nominique Gallico bellum indicturi sint.

Postremò, versâ ad Senatores oratione, *Vos*, inquit, *qui nunc Jesuitas toleratis, aliquando ipsi, sed serò, credulitatem vestram accusabitis: cùm conniventiâ vestrâ effectum videbitis; ut horum astu, dolis, superstitione, dissimulatione, præstigiis, ac malis artibus, publica tranquillitas, non solùm in hoc Regno, sed etiam per universum Orbem Christianum, periclitetur.*

Post eum multis replicavit VERSORIUS. ac demùm BAPTISTA MENILIUS, Cognitoris regii partes sustinens, (qui, increpitâ initiò Patronorum utrinque acerbitate, postquàm de novis Ordinibus, & periculo in eorum admissione, non solùm quantum ád religionem; sed etiam quantum ad civilem administrationem, multa dixit) tandem contra Jesuitas peroravit: Qui, ex voto obligati, in Scholæ Parisiensis corpus, ad juventutem erudiendam, nullo modo cooptandi essent. & à Senatu petiit; videret, in quam rem Claromontani Episcopi legatum converti posset, aut deberet: ut memoria testatoris, & voluntas, alio genere conservaretur.

Baptistæ Menilii cõclusio contra Jesuitas.

Causa hæc biduum integrum agitata est. Senatus, sive futuri securus, sive odio Protestantium, quibus debellandis isti homines nati credebantur, de hoc negotio ampliùs deliberandum censuit; libertate interim Sodalibus, ludum aperiendi, & juventutis erudiendæ, concessâ. Hoc Nonis April. decretum, anno 1565.

Hac igitur occasione, Societas ista paulatim in Galliâ augetur & firmatur: & non tantùm communis Populi, sed etiam Principum sanguinis, & Regum

ipſorum, gratiam ac favorem ſenſim adipiſcitur: qui magnifica Collegia eis, in diverſis,& quidem primariis, Urbibus ædificârunt, atque liberaliter dotârunt. Manſit nihilominùs altâ mente repoſitum,conceptum,non ſolùm Sorboniſtarum, ſed etiam totius Univerſitatis & Studii Pariſienſis, in Jeſuitas odium; ità ut occultè ſemper,inter hos & illos, fuerint æmulationes & contentiones: frementibus nimirum in eos Academiæ Profeſſoribus, quòd ſeorſum, & extra ordinem, privatum habeant ſodalitium: quòd, in hunc uſque diem, decreta Univerſitatis detrectent; Rectori non ſint audientes; ſed ſuis duntaxat Præfectis privatim morem gerant: quòd, caſtoris amphibii inſtar, dubii ſint ordinis; omnium plûmas furentur; non unâ Spartâ ſint contenti; paſtoribus ſuas oves ſurripiant; privatis ſacrificiis quoslibet ſuſcipiant & abſolvant; cæterorum exſuviis dites ſint; &, neſcio quo hamo, ex nobiliori quâlibet familiâ, adoleſcentes incautos expiſcentur; ſuis quoque faſcinationibus, bello durante, omnem pubem poſt ſe traxerint; obſeſsâ & eſuriente Lutetiâ,frequenti in Scholâ docuerint; & ſoli Univerſitatem fecerint,quę olim tot Muſeis frequentibus,& vix turbas Auditorum capientibus, floruerit.

Quum autem, paulò ante deditam Heinrico IV.Lutetiam, conſilia Jeſuitarum in Galliâ rurſus concriſſare, ac in deterius ferri; vicisſim autem omnia, in bonum Regis, & univerſi regni quietum ac tranquillum ſtatum,inclinare paulatim inciperent: Generalis eorum CLAUDIUS AQUA-VIVA,ut impendenti malo aliquo modo occurreret ac præveniret, Provinciales, Rectores, ac præcipuos ſeu ſeniores Ordinis univerſi Patres omnes, anno 1593.Romam, ad generalem Congregationem evocavit: ubi tùm, occaſione ſic ferente, quò tempori nempè ſe accommodarent, in Novembri, Decretum tale cõdiderunt.

Decretum Jeſuitarũ, de non ſe immiſcendo negotiis Politicorũ.

Ut ab omni ſpecie mali abſtineatur, & querelis,etiam ex falſis ſuſpicionibus provenientibus: præcipitur omnibus,in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnâ inhabilitatis ad quævis officia,& dignitates ſeu prælationes,vocisq́, tàm activæ,quàm paßivæ privationes: Ne quiſpiam PUBLICIS ET SECULARIUM PRINCIPUM NEGOTIIS ullâ ratione ſe immiſcere, nec etiam, quantúmvis per quoscunque requiſitus aut rogatus, ejusmodi res tractandi curam ſuſcipere,audeat vel præſumat.Idq́, feriò commendatur Superioribus; ne permittant Socios iis rebus ullo modo implicari: &,ſi quos ad ea propenſos animadverterent, eos loco mutandos quàm-primùm commutent,ſi alicubi ſit occaſio, vel periculum,ſe ejusmodi implicationibus irretiendi.

Jeſuitas autem,in iſtiusce Decreti promulgatione,non ſeriò egiſſe; ſed hominibus ità imponere, oculosque perſtringere voluiſſe, ne videlicet minùs ipſis fideretur; vel indè liquet: quòd eorum Superiores iſtud nunquàm obſervârunt; quin potiùs, ubicunque, & quandocunque, vel paululùm relaxationis adeptos ſe eſſe putârunt,antiquos dolos & aſtutias reaſſumere, & juxta præſentem rerum conditionem ſua conſilia moderari, neutiquam intermiſerunt.cùm tamen Decretum iſtud allegatum,& jurata illa cœca obedientia,diverſum planè requireret; niſi, ſi aliud in receſſu reconditum id habuiſſet; & ipſimet

Jeſuitæ Decreto ſuo non ſatisfaciunt.

ipſimet ejusdem ſenſum meliùs intellexiſſent. Remq; ita ſe habere, indè quoq; manifeſtum eſt; quòd COMOLETUS Jeſuita, in Concione quâdam ſuper cap.3. Judicum, Lutetiæ habitâ, poſt excitatos, de Heinrici III. Galliarum Regis occaſu, plauſus ingentes, & evectionem iſtius parricidæ Jacobitæ, vel ſupra Sanctos omnes, in hanc erupit exclamationem: *Ahodum nos oportet aliquem habere; ſive monachus ſit, ſeu miles; ſive cerdo deniq;, ſeu ſubulcus. Perindè enim eſt; ſaltèm ut Ahodum quempiam habeamus. Hoc videlicet unicum adhuc reſtat, tùm quidem omnia noſtra probè componemus, & ad optatum deniq; finem perducemus.* Idem COMOLETUS poſteà quoque, in Regem Heinricum IV. ſimiliter debacchatus eſt; & ad perduellionem, ſeditiones, tumultus, ac bella civilia, ſubditos concitavit. Unde quidam ſic de eo:

Concio Romani dicta eſt furioſa Tribuni,
Quæ rapit ad cædem ſeditione ſuos.
In cathedrâ ſtantem, rabida cùm voce boares,
COMMOLE, te populus vidit, & obſtupuit:
Qui Regis cædem, Regni qui funera ſuades;
Qui varios motus hîc & ubique cies:
Cujus in ore frequens furor eſt Patriæq; ruina.
Hæc eſt Jeſuitæ concio ſacra pii!
Cùm tua parturiat civiles lingua procellas;
O' Jeſuita, Dei ſancte Tribune, vale.

Ità quoque poſteà, anno 1597. Jeſuita RICHARDUS WALPOD Eduardo Squirræo venenum præbuit; quo Principem ſuam legitimam, Angliæ Reginam, inficeret & exſtingueret. Ità Jeſuitæ quoq; DUACENSES, anno ſeq. 1598. vietorem quendam Hyprenſem, Petrum Pannæum, induxerunt; ut illuſtriſſimum illum belli ducem, Mauritium Naſſovium, interimere cogitârit. An autem hoc ſit, PRINCIPUM SECULARIUM NEGOTIIS NULLA RATIONE SE IMMISCERE; & literalis iſtius Decreti ſenſus ità obſervetur: Jeſuitis quidem defendendum; omnibus autem, præjudiciis nondum occupatis hominibus aliis, dijudicandum, relinquitur.

Lutetiâ verò Regi, anno 1594. reſtitutâ, ac bello civili ſedato; cùm apud omnes, præſertim Academicos, conſtaret, Jeſuitas perduellionis, ſeditionum, tumultuum, ac omnium turbarum præteritarum in Galliâ, primariam cauſam fuiſſe; ac ſuis tribunitiis concionibus, tanquàm facibus, civile bellum magìs magìsque accendiſſe: Univerſitas Pariſienſis, JOHANNI PASSERATIO, regio Eloquentiæ Profeſſori diſertiſsimo, injunxit; ut Jeſuitarum expulſionem, authoritate quoque ſuâ, promoveret. Is igitur, præfatiunculâ *in Diſputationem de Ridiculis,* quæ eſt apud Ciceronem lib.2. de Oratore, graviſsimè in Jeſuitas, ſuppreſſo tamen illorum nomine, invectus eſt; & illorum ejectionem ex Regno vehementer ſuaſit.

Johannis Paſſeratii de Jeſuitis judicium.

Luſtranda, inquit, *& expianda nunc eſt Academia; Muſiſq; iterum dedicanda: diligenti cautione adhibitâ, ne ampliùs earum templa & ceremoniæ contaminentur. Id ut rectè*

rectè fiat atq; ordine: abigendæ sunt in-primis obscenæ volucres, quæ rapinis contactuq́; omnia fœdant immundo.

Decolor est illis vultus; deterrima ventris
Proluvies; uncæq́; manus; & pallida semper
Ora fame. —— ——

Non agnoscitis volucres? agnoscite sinè plumis bipedes:

Curva quibus pullam subnectit fibula vestem.

Has harpyias nisi Senatus, & amplissimi ornatissimiq́; Viri, quibus Academiæ Scholæq́; regiæ instaurandæ tradita est provincia, fugârint & exterminârint: ut pinnati Aquilonis filii in fabulis, frustrà littoralibus Diis vota nuncupabimus; rursus ad eos scopulos, ad quos nuper est fermè adflicta, navis nostra referetur: ne quicquam in excolendo Musarum fundo sudabimus; ne quicquam lolium, carduos, lappas & tribulos exstirpabimus: nisi ex agro nostro hæc filix radicitùs evellitur.

Meminisse debemus, quónam pacto profugi hominès, nec minùs vagi quàm Scythæ, novâ gratuitæ doctrinæ professione vulgò commendati, huc irrepserint: quibus artibus, inhiantes locupletum fortunis, divites orbos, vel cœlibes, deliros senes, superstitiosas mulierculas, & adolescentulos imperitos, deceperint, &, velut Circeo poculo, repentè immutârint: ut religionis specie, quam inexplebili avaritiæ, suisq́; fraudibus, obtendunt, equum Trojanum paulatim introduxerint: ut semper in insidiis manserint, & in speculis steterint, proditionis occasionem exspectantes: ut, eâ oblatâ, machinam suam continuò aperuerint; armatisq́; hostibus hanc Urbem, & totam Galliam omni genere calamitatum, repleverint.

Ne verò insidias & paratam pestem caveremus; néve impendentia prospicientibus & prædicentibus cordatis Viris crederemus: obstiterunt Corœbi quidam, & Ucalegontes; qui plures in Ilio nostro, quàm Laocoontes, fuerunt. Et hos adhuc in sinu habemus Sinones?

Quid hos, malùm, fovemus? aut quid hi sciunt?
Nisi uncta devorare patrimonia.

At gratìs docent! Muta literulam; rem acu tetigeris: Gratìs nocent. eoq́; mactandi majore infortunio; quòd gratuitò sunt mali. Quanquàm vix istuc tibi persuadebit, qui eos benè noverit. Testes honestissimæ amplissimæq́; familiæ: quarum sanguinem, pro levi docendi opellâ, & exiguo Minervali, isti hirudines exsorbuerunt. Testis immanis eorum census; qui cum Regum, & summorum Pontificum, opibus certat. Præclara liberalitas! repudiare drachmam; & talentum extorquere. Mirum genus benignitatis! pro stipe menstruâ, immensæ pecuniæ legata, opimasq́; captare & rapere hæreditates. Institutio puerorum his aucupibus est illix. pendebunt pulcrè, qui ab ea transennâ turdi lumbricum petent. Gratuita doctrina illis est pro hamo; vel potiùs pro reti-jaculo: quâ calidi piscatores cuncta convertunt cum pulvisculo. Stolidi parentes, qui suos iis credunt liberos; eâdem operâ columbas accipitribus, pullos milvis, & oves committent lupis. Sed quid tandem isti, per aureum funem de cœlo delapsi magistri, discipulis suis tradunt? Nihil sapere; ritus Hispanos; odium legum institutiq́; patrii; & (ut priscis utar verbis) imbelliam, imbalnitiam, impolitiam, imparentiam, meramq́; cum Lavernæ sacris barbariem: quam consultò huc invexerunt, opinor; ut eam soli docerent. Interim delitescunt in vepretis

pretis nostris, nitedulæ, quæ rem civium arrodunt; nobiscum impunè versantur, speculatores & exploratores Philippi, & ejus tyrannidis acerrimi satellites.

Atqui discuntur apud eos boni pudiciq; mores! Sanè tristes. cùm aspicias; frugi censeas. Nec tamen, si fibulam gestant, sunt Hippolyti: nec, si bonos authores evirant, ideò bonis placent; Galliis præsertim, quibus naturâ sunt invisi Deliaci. Magna laus est, scilicet! ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete vervecem, & ex verre majalem, facere. Atq; utinam fabri patribus eorum, quâ parte opus fuit, perpetuam imposuissent fibulam! Recta hîc non depravarent ingenia; dum curva corrigere videntur: nec suos edocerent artem mentiendi & dolos; quos appellant industrios. Quid autem aliud præciperent vulpeculæ; si scholam aperirent? Sic amant verum hi chamelæontes, polypi, ac stelliones. Hujusmodi doctrinam, & hos mores, illis non invidemus. Sibi habeant, abeantq; simul cum Strigibus ἀνυπόδετοι ἐπὶ νύκτας: & indè revertantur, unde malum pedem huc attulerunt. Jam pridèm vasa collegerunt: profectionis signum datur. quid morantur ampliùs? Academia nostra certè, quæ longum periculosumq; morbum eorum contagione contraxit, nisi hoc levetur vomitu, vix unquam convalescet. Huc-usque Passeratius.

LAURENTIUS BOUCERETUS, Artium Doctor, opportunitatem quoque indè nactus, institit Universitati; ut Jesuitæ in jus vocarentur, & è regno Franciæ prorsus ejicerentur. Universitas igitur hujusmodi rescriptum Bouceretो dedit. *Anno Domini 1594. die Lunæ, 18. Mensis Aprilis, convocata Universitas omnium Ordinum, hujusce inclyti studii Parisiensis, apud ædem S. Maturini pro supplicatione peragendâ ab Academiâ, ad ædem S. Capellæ regalis Palatii Parisiensis, ad reddendas gratias Deo altißimo, pro reductione felici hujusce almæ Urbis, prosperitate, & felicißimo successu Christianißimi & Invictißimi Domini nostri, Henrici IV. Regis Francorum & Navarræ; conservatione dictæ Urbis, sub ditione & protectione dicti Domini nostri Regis; & pro quàm-pluribus aliis rebus ad Academiam spectantibus: atq; super supplicatione factâ à D. & M. Laurentio Bouceret, Artium Doctore, de in jus vocandis Jesuitis; ut omninò ejiciantur. Dicta Universitas, debitè (ut moris est) horâ solitâ convocata, ex consensu unanimi omnium Doctorum & Magistrorum, singularum quatuor Facultatum, & quatuor Procuratorum Nationum, nemine repugnante, censuit & determinavit; esse annuendum supplicationi dicti D. Boucereti: ideoq; in judicium & jus, ritè & convenienter, Jesuitas vocãdos; ut ejiciantur omninò. Eandem ob rem censuit Universitas, ex singulis ordinibus nominandos aliquot selectos Viros, qui ea diligẽter curent, quæ ad litem contra Jesuitas movendam pertinent. Unde Facultas Theologorum nominavit D. Magistrum Adrianum d'Amboise, summũ Regiæ Navarræ moderatorem; & alium Doctorem, quem dictus D. d'Amboise voluerit eligere. Facultas Decretorũ, quæ acta sunt, approbavit: & quia unicus tantùm Doctor, nomine Dominus David Son, aderat; promisit, se nominaturum aliquem alium ex suis Doctoribus. Facultas autem Medicorum ordinavit D. & M. Jacobum Causinotum. Postremò, Facultas Artium nominavit dictum M. Laurentium Bouceretum, & D. Georgium Critonium. Sicq; statutum fuit unanimiter, & conclusum, nemine reclamãte, per D. Jacobum d'Amboise, Academiæ Rectorem, totamq; Academiam, anno & die præfatis. Quod rescriptum subsignatum fuit, DUVAL. & à latere:* Visum per nos Rectorem, Jacobum d'Amboise. *Sigillo rubriceri munitum.*

Rescriptũ Universitatis Parisiẽsis de ejiciẽdis Jesuitis.

Favebant tempora postulatis Academię; & recordatio malorum recentium in bello civili, à Jesuitis excitatorum, vel silenti Rectori & Universitati patrocinabatur.

Tertia actio Universitatis Parisiensis contra Jesuitas.

Ad hanc igitur litem Jesuitis intendendam, Designati, postquàm consilia inter se contulissent, libellum supplicem Parlamento Parisiensi exhibuerunt: cujus hæc ferè summa est. *Submissè supplicant, Rector, Decani, & Facultates, Nationum Procuratores, Suffragatores, & Studiosi Academia Parisiensis; dicentes, se jampridem conquestos esse apud Curiam, de ingenti confusione, quam in Academiâ pepererit nova quædam Secta, ex Hispaniâ & locis finitimis oriunda; ambitiosum titulum Societatis nominis JESU sibi asciscens: quæ semper, sed his potissimùm postremis civilibus bellis, se-se factiosam, & fautricem Hispanicæ conjurationis, exhibuit, ad statûs nostri eversionem, non in hac urbe Parisiensi tantùm; sed in omnibus aliis Regni locis. Quod quidem à primo ipsorum adventu prospectum fuerat, à prædictis supplicatoribus; & præsertim Decreto facultatis Theologicæ, quod tunc temporis interpositum fuit: quoniam hac Secta introducta videbatur, ad ordinem Ecclesiæ, tùm politicum, tùm hierarchicum, & in-primis Academiæ, subvertendum; abnuens Rectori obsequium, atq; adeò Archiepiscopis, Episcopis, Curionibus, & aliis in Ecclesiâ superioribus. Effluxerunt autem anni triginta, ex quo suffragatores prædicti, Societatis nomen JESU sibi arrogantes, cùm in hac Urbe tantùm, & non in aliis Regni oppidis, venenum suum effudissent, libellos supplices obtulerunt; postulantes in Academiam nostram asciscì. Quæ causa cùm primùm proposita fuisset; ad futuri consessûs disceptationem rejecta fuit: & statutum, ut res in eodem statu relinquerentur. quod erat prohibere, quò minùs Jesuitæ quicquam, in illius sententiæ præjudicium, aggrederentur. Cui tamen non satisfecerunt; sed (quod gravius fuit) funestis suis consiliis res politicas perturbantes, ministros & exploratores se in Galliâ gesserunt, ut Hispani commoda promoverent: sicut omnibus manifestum fuit. Hæc causa, ad futuros consessus relata, non ampliùs in judicium venit; nec utrinq; actiones excerptæ fuerunt: ac proindè penitùs concidit. His ergo ritè examinatis, Domini, placeat vobis Decreto vestro, hanc Sectam, non solùm ex Academiâ, sed ex universo Franciæ solo, eliminare. & sic ex jure & æquo statuetis. Signatum,* Le Royer. *& à latere:* D'Amboise, Academiæ Rector.

Jesuitæ nihili curant, nequitias suas in apertũ produci.

Etsi verò Patres Ignatianæ Societatis tàm graviter essent accusati, & tàm capitales haberent inimicos: non destitêre tamen se opponere. neque hoc solùm; sed in concionibus publicis, privatisque confessionibus, multa in præsentem Galliæ statum, in Principes Regni, in Regem ipsum, tàm defunctum, quàm præsentem, liberiùs fortè, quàm prudenter, locuti sunt. Quare Potentum in se indignationem magìs provocârunt, ignemq; (ut ajunt) gladio foderunt. Hinc in suspicionem seditionis concitandæ venerunt. Sed &, ex confessione cujusdam Barrerii, Meloduni, ob tentatum in Regem parricidium, extremo supplicio affecti, criminis læsæ Majestatis rei sunt habiti.

Quæ omnia, multorum animos ab illis abalienârunt: adeò, ut tandem Curia Parisiensis, 7. die Julii, anno 1594. eis diem dixerit; eosque in jus vocaverit: ut publicè causam dicerent, se-seque defenderent.

JESUI-

JESUITÆ, post varias tergiversationes, ac frivolas hinc-indè conquisitas excusationes, per Advocatum suum, *Claudium Duretum*, à Parlamento petierunt: ut causa sua, non, utì solitum aliàs esset, palàm; sed, occlusis januis, secretò tractaretur; isto cum prætextu: quòd, pro Apologiæ suæ ratione seu conditione, adeoque necessitate ipsâ, non possent aliter; quàm ut multos, qui Regis ministri admodùm fidi velint haberi, perstringerent, eoque non parùm offenderent. Quod ipsis, ut-ut longè aliud spectantibus, permissum tamen atque concessum fuit. Decretum igitur est, ut processus juris clausis foribus instituatur. Designati sunt Advocati Academiæ, *M. Antonius Arnaldi*; Pastorum urbis, qui se Academiæ junxerant, *Ludoicus Dolleus*; Societatis, *M. Claudius Duretus*; Procuratoris Generalis suæ Majestatis, *D. Seguirius*. Jesuitæ clausis januis se defendere volunt.

M. ANTONII ARNALDI accusatio, prout ea Parisiis, anno 1594. edita est, de verbo ad verbum ità habet. *Exordiar hanc causam, V. C. à protestatione illi prorsus contrariâ, quam Adversarii nostri nuper adduxerunt. Ab his enim hinc-indè rumoribus hesternâ die vulgatum fuit, nos hanc causam clausis januis peracturos; eò quòd comminarentur, se quàm-plurima habere dicenda, adversùs hos, qui se-se Regis obsequio restituerunt; & in cujus gratiam, variis belli discriminibus, quotidiè caput objiciunt. Ego verò contrà protestor, me neq; ore, neq; cogitatione, quenquam offensurum; qui etiámnum reverà Hispanico non sit animo. Evidentissima autem apparet utriusq; protestationis ratio. Jesuitæ quippè, nullâ in re Hispaniarum Regi, quem Dominum suum profitentur, magìs gratificari se posse arbitrantur; quàm si, in hoc celeberrimo consessu pessimis rumoribus illos differant, qui tàm graviter ipsum exasperârunt: quòd tot munitissimas, cōmodissimasq; civitates, in illius potestatem remiserint; quem majorē & perniciosiorem ex hostibus suis esse intelligit. Contrà verò Academia Parisiensis, primogenita Regis filia, cujus ego causam ago, nihil gratius Regi suo se facturam putat; quàm si Amnestiæ legem, cui præsentem futuramq; quietem acceptam referre debemus, religiosè colat & observet.* Antonii Arnaldi actio in Jesuitas.

Memini me legisse: cùm, in Pharsalico prælio, utrinq; belli tessera data fuisset, jamq; tubarum clangor exaudiretur; quosdam ex senioribus Romanis, & quosdam Græcos, illìc adstitisse, verùm extra Martis discrimen: qui, rem in tantum periculum adductam conspicientes, cœperunt cogitare, in quas angustias totius Romani Imperii vis devenisset. Circumspiciebantur enim simillima arma; similes exercitûs ordines; signa eadem; electi quiq; Viri fortes ex eādē civitate; immensa deniq; moles, quæ se-ipsam in perniciem præcipitem daret. Illustri sanè exemplo declarantes, quàm obcæcata, furibunda, & dementata sit hominum ira; quæ se-se effrænatis cupiditatibus transversam rapi patitur. Si etenim ea omnia, quæ potestati suæ subjecerant Romani, regere voluissent; maximam terræ marisq; partem imperio suo coërcere poterant.

Simili planè ratione, quicunq; res nostras probè perspectas habent, si oculos mentis intendant, in quantum fastigium magnitudinis, felicitatis, gloriæ, opum, & potentiæ, imperium Francicum perventurum erat; ni bella nostra plùs-quàm civilia impedimento fuissent: atq; adeò florem tot Virorum fortium (qui hac luce adhuc fruerentur; nisi tumultibus nostris amisissent) plùs-quàm suffecturum fuisse, ad veterem nostrum hostem Madritum usq; invadendum, atq; illius delicias thesaurosq; nostro arbitrio submittendos: tanti

præsertim Imperatoris auspiciis, cui Navarrenum, Arragonum, Lusitanicum, regna, suas manus exporrigunt, avida, durissimâ tyrannide Castilianâ liberari: Quicunq;, inquam, hæc diligenter attendent; vix à justâ irâ odioq; gravi sibi temperabunt, adversùm illos, qui ad nos introducti fuêre; ut ignem hunc, quo universa ferè hæc Monarchia incensa fuit, excitarent, foverent, augerent. Hos autem Jesuitas esse, nemo dubitat; nisi duo hominum genera. Alterum videlicet illorum, qui indole tàm timidâ sunt; ut se adhuc in potestate sexdecim Latronum, & Jesuitarum, quorum consilio res gerebantur, constrictos teneri arbitrentur. Alterum verò est illorum, qui sunt ex Jesuitico grege; quiq; nefaria sua vota nuncupavêre, quâ ratione universi civitatis incolæ fieri possent Jesuitæ. Ambo autem hi vix obmurmurant: cùm intereà exaudiatur universus omnium consensus Bonorum, tùm qui hisce belli temporibus Urbem dereliquerunt; tùm qui superstites, cum tanto studio, tantâq; animi constantiâ, Regi portarum fores Metropolis suæ patefecêre. Nos enim eadem omnes metuere, eadem cupere, eadem odisse nunc, oportet.

Quínam Jesuitas pro innocentibus habeât.

Spectare nunc licet immensum animi ardorem militum verè Francorum, studioséq; hujus regni fastigium & accrementum promoventium: qui non obscurâ spe justitiæ vestræ, ac studii in commodum Regiæ Majestatis propensi, adlecti, hos omnes Regum parricidas, horumq; confessores & adhortatores, abigunt; abigunt, inquam, ab omni Franciæ solo, ab omni provinciâ submissâ Liliorum dominationi: quibus ejusmodi portenta, cane pejùs & angue, invisa sunt; graviter quippè ferentibus, charissimum ipsorum filium jam ab illis ereptum fuisse; nefariosq; illorum conatus in necem hodierni intendi, quem jam sæpiùs auxilio, consilio, sceleratoq; studio, conficiunt: ut eâdem operâ funditùs evertant, comminuantq; hujus sceptri reliquum fulcimen, quod jam-pridem concutiunt; concutiunt, inquam, in oculis omnium consultissimorum, qui id prædixerunt, in celebri Galliæ oraculo: non quidem intra privatos parietes; sed in foro: in tanto quidem Populi concursu; quantus est illorum, qui in isto proximo porticu præstolantur, gestientiũ huc intromitti. Qui id prædixerunt, non per ambages, nec confusè; sed apertè, & cum omnibus circumstantiis, quas ipsi conspeximus: prænuntiantes omnes calamitates, quas sensimus; quæq; nos ad postremum penè exitium adduxerunt. Veruntamen eorum vaticinia, monita, protestationesq; tàm inutiles fuêre; quàm verissima, veræ Cassandræ:

Ora Dei jussu non-unquam credita Teucris.

Cur verò? unde tanta lethargia? cur've malis, tàm prudenter prævisis, nullum remedium adhibitum fuit? In promtu est ratio. Irrepserat videlicet aurum Hispanicum in marsupia Primorum: qui continuò sustentârunt, & evexerunt hasce bellorum tubas, seditionis faces, tempestiferos Aquilones; qui omnes vires adhibent, ut Franciæ tranquillitatẽ turbent, agitent, & commoveant. Hi verò, qui integritate animi hoc aurum repulerunt, consternato animo fuêre: frons illorum pallida, manusq; tremulæ, tantum facinus, pro Galliarum libertate vindicandâ, funditúsq; proditoribus istis, catervatim huc intromissis, exterminandis, præstare non sunt ausæ.

Pauci fuêre, qui animi præsentiã roburq; probitati copulaverint: subitóq; commentatæ fuerũt rationes, quibus hi de medio tollerẽtur, auctoritate fideq; spoliati. Tandẽ verò venit

——— Lustris labentibus ætas:

ut cuilibet liceat, non solùm depositâ formidine, (neq; putent nos illudere: jam-diù è Galliâ

liâ fugissemus, si nos fabulæ istæ debellâssent:) liceat, inquam, cum honore & gloriâ, agere in hos pessimos pincernas; qui rebellionis poculum populo effuderunt, perniciosóq; pane aluerunt, Galliæ massam fermento Hispanico exacerbando.

Ne puteris, exploratores Castiliani, vos egregium hoc facinus ardoris Francici impedire posse; aut nos revocare ad moras judiciorum, longas nimiùm, & pro nocentibus compositas: utì factum à vobis fuit anno 1564. Tunc rumor de vestris actionibus nullus erat, nisi obscurus: cúmque unus futura prospicit, decimus quisq; eò animum non intendit. Nunc verò, quotusquisq; vel in corpore, vel in fortunis, vel in Parentum Amicorúmve jacturâ, horrendos conjurationis vestræ effectus non persensit, exsecutionesq; violentas mandatorum, à vobis datorum plebi, è cathedrâ sedeq; veritatis, ac pietatis: quam vos incendiis contamináſtis; sanguine & horribilibus blasphemiis conspurcâstis; inscitæ plebi persuadentes, Deum esse Regum homicidam; atq; à cælo inlatum affirmantes ictum cultri, in inferno fabricati.

O' Henrice III. mi inclyte Princeps! qui jam, cum maximâ animi voluptate, contemplaris è cælo legitimum & generosum tuum successorem, omnibus tuis hostibus contritis ac pessundatis, tranquillè regnantem in palatio tuo Parisiensi, & in confinibus Regni: modò Hispanicas cohortes fundentem, & in fugam (longè fœdiorem jacturâ decem præliorum) vertentem; postremasq; urbes rebelles tormentis tuis fulminantem; succinctum sex millibus Nobilium, qui ardenti studio flagrant mortem tuam vindicandi. Adsis mihi nunc in hac causâ; denuóq; ob oculos indusium tuum sanguine contaminatum objiciens, suggere mihi robur facultatemq;: quibus tuorum subditorum mentes permovere possim, ad dolorem, odium, & iram; quibus perditos hosce Jesuitas meritò insectari debent: qui cruentis suis confessionibus, furibundis concionibus, ac secretis consiliis, cum Legato Hostis tui, fratrisq; tui unici interfectoris, initis, omnes, quas pertulit Populus tuus, miserias, & tandem fati tui finem, attulerunt.

Senatores: Carolus V. ejusq; filius Philippus, animadvertentes, se immensis Indiarum non adhuc exhaustarum thesauris instructos, non minores spes amplexi sunt; quàm universam Occidentis Monarchiam adipisci, æqualemq; Austriacam familiam in Europâ, Ottomanicæ in Asiâ, constituere. Maximos illos Politicos haud latuit, quàm efficacissima sit Religio in hominum animis; quámq; profundè, & continuò, se-se intimet in pectora humana. Facile autem ipsis fuit, muneribus suis, atq; adeò opulentissimis Sacerdotiis, (quæ Mediolani, Neapoli, & in Siciliâ, nec-non quæ immensi pretii in Hispaniâ possident) Romanam aulam ad suas partes trahere. Quoniam autem vastæ hujus Civitatis immensa multitudo gravis & immobilis est: opus fuit, expeditos homines mobilesq;, passim disponere; qui commoda & promotionem rerum Hispanicarum curarent. Hi sunt isti Jesuitæ, qui horrendo numero usquequaq; se-se effuderunt; jamq; æquant novem aut decem millia; atque centum & viginti octo colonias Hispanicas jam erexerunt: bis centena millia Coronatorum, & ultrà, annua recipiunt: nec-non Comitatus, Baroniasq;, in Italiâ, & in Hispaniâ, possident: ad Cardinalitiam dignitatem jam evecti fuerunt; parumq; à Papatu remoti sunt. Et reverà, si in omnibus locis, quæ jam occupant, triginta annorum intervallo persisterent; non dubitandū esset, quin in maximam totius Christiani orbis societatem crescere, exercitusq; (utì jam cœperunt) suis sumtibus conscribere possent.

Jesuitę sunt Hispanicæ Monarchię mediatores.

Præcipuum votum Jesuitarum.

Præcipuum autem illorum votum id est; Ut PER OMNIA, ET IN OMNIBUS, supremo suo præfecto obtemperent: *qui vel Hispanus gente, vel Regis Hispaniarum nutu, semper eligitur. quod quidem, experientiâ teste, luce clariùs probabitur. Primus enim illorum autor,* LOIOLA *nomine, Hispanus fuit: itidem* LAYNES, *ejus successor. Tertius,* EVERARDUS, *Belga, ex Regis Hispaniarum clientibus. Quartus,* BORGIA, *Hispanus.* AQUA-VIVA, *quintus, (qui nunc præsidet) Neapolitanus, Hispaniæ subditus.* Nunc jam præest Mutius Vitellescus Hispanus.

Verba autem quarti hujus voti, insolita sunt horrendaq́. Eò enim usque cesserunt: IN ILLO CHRISTUM VELUT PRÆSENTEM AGNOSCANT. *Si Christus homicidium imperaret; id exsequendum foret. Si igitur Præfectus illorum, Hispanus, Regis Galliæ cædem demandet: eam dicto citiùs, & necessariò, inferre debent.*

Præcipuus finis primò instituti Ordinis Jesuitici.

Præterea illorum Historia, à Petro Ribadenerio *Jesuitâ conscripta, editaq́, Antuerpiæ, anno 1587. sub titulo,* DE VITA IGNATII, *manifestò indicat; Nullum alium finem hanc Societatem propositum habere: quàm ut imperium Hispaniorum amplificent; in quo jam-pridem antè, quàm in aliis ullis locis, recepti fuerunt. Hæc sunt verba paginæ 146.* Nam hæc Societas, nondum nata in authore suo Ignatio, primùm probata est in Hispaniâ: deindè jam edita in lucem, in Italiâ Galliâque graviter oppugnata. *Idcircò nullam rem magìs curant; quàm ut vota sua nuncupent, ad prosperitatem exercitûs, victoriarum, & triumphorum Regis Hispaniæ. Sequuntur ad hæc verba 169. paginæ:* Dies noctesque Deum nostris placare atque fatigare precibus debemus; ut Philippum, Regem Catholicum, incolumem felicissimumque quàm-diutissimè tueatur: qui, pro suâ avitâ atque eximiâ pietate, summâ prudentiâ, incredibili vigilantiâ, MAXIMA INTER OMNES, QUI UNQUAM FUERUNT, REGES POTENTIA, se unum pro domo Dei murum opponit, & Catholicam fidem defendit. Quod quidem præstat, non solùm ARMIS INVICTIS, & consiliis salutaribus; sed etiam iis sacrorum Patrum excubiis, qui fidei Catholicæ Senatui præsunt.

Studium Jesuitarum in Regem Hispaniæ.

Jesuitæ vel pro solo Hispaniæ Rege orât.

Itaq́, nulli sit mirum, quod à multis fidis hominibus proditum est; auditos fuisse orantes, PRO REGE NOSTRO PHILIPPO. *Nullum enim puto esse Jesuitam, qui ejusmodi preces quotidiè non instituat. Sed, prout res Hispanicæ se-se habent; ubi tunc degunt, has preces, vel clàm, vel palàm, allegare solent. Contrà autem omnibus notum est, illos pro Rege nostro nullas preces concipere; apud quem etiam nullo fidei sacramento adiguntur: cujus quidem non sunt capaces. nec enim persona illorum accepta est in Franciâ: cùm vilissima penitùs sint mancipia, tùm Præfecti sui Hispani; tùm Pontificis Romani. Ex quibus dilucidè videtur, illos in nos conjuràsse; illorum vota in nostri tantùm Imperii exitium instituta fuisse. Nam post mille & sexcentos propè annos, quo intervallo Religio Christiana Christi Martyrumq́, sanguine imbuitur, nusquam auditum fuit; ullam exstitisse Sectam similibus, tamq́, insolitis, & inusitatis votis, fundatam. Tantum enim abest, ut Ecclesiæ Gallicanæ Antistites his se-se unquàm contaminaverint: quin potiùs, quotiescunq́, Pontifices Romani, contra jus, hostibus hujus Coronæ se-se consociârunt, & authoritatem potestatemq́, à Deo ipsis ad ædificationem tributam, ad excidium florentissimi totius Christianitatis Regni adhibere voluerunt; quàm-plurimi exstitêre*

Nullas pro Rege Galliæ preces concipiunt.

Sunt vilissima mancipia.

sancti

sancti & magni Viri, qui, communi Ecclesiæ Gallicanæ consensu, conatibus ejusmodi fortiter se-se opposuerunt.

Sed jam tandem maxima Ecclesiasticorum pars, infecta hujus venenatissimi lactis haustibus, doctrinâq; Jesuiticâ, credidit; Illum, qui in Pontificem Rom. esset electus, quàmvis Regis Hispaniæ stipendia accipere, ejus partes sequi, & in Galliam conjurare comperiretur, posse nihilominùs totum Regnum prædæ exponere; fidemque Subditorum, quâ Principi suo obligantur, dissolvere. Doctrina Jesuitica, de Papæ in Reges & Principes potestate.

Hujusmodi Propositio schismatica, damnandaq;, atq; Dei Verbo (quod spiritualem potestatem toto cœlo terráq; discretam à terrenis esse voluit) ex diametro opposita; hujusmodi Propositio, quæ Principatuum Regnorumq; fundamentis tam adversaretur, quàm contraria reverà illa stabilit & confirmat; hujusmodi, inquam, Propositio, occupatis aliquot Gallorum mentibus, tot furores, tot immanitates, tot homicidia, tot deniq; horribiles turbas, quas vidimus, peperit.

Anno 1561. Johannes Tanquerellius, *Theologiæ Baccalaureus, qui ausus fuerat Thesibus suis solummodò inserere,* fas esse Papæ Romano, Reges excommunicare; *mulctâ infamiæ publicè affici damnatus fuit.*

De-hinc verò, anno 1589. mense Januario, cùm apud Sorbonistas propositum fuisset; Utrùm, Subditos fide, quâ Regi obstringuntur, liberare, fas esset? *constanter id pernegârunt, Faber Syndicus, le Camus, Chabot, Faber Templi S. Pauli Curator, Chauagnac, omnes deniq; seniores & saniores. Sed asseclæ Jesuitarum grandi numero, utpotè Boucher, Pichenat, Varadier, Semelle, Cueilli, Decret, Aubourg, sexcētiq; ejusmodi, multitudine suffragiorum prævaluerunt: etiamsi axiomatibus Galliæ, privilegiisq; Ecclesiæ Gallicanæ, (quæ Jesuitæ per ludibrium, errores & corruptelas nuncupant) id prorsus repugnet. Hi sunt sanè præclari fructus, quos Theologicæ eorum lectiones proferunt.*

Reges Galliæ, primogeniti sunt Ecclesiæ filii; & quidem filii omnia quaq; bene-meriti: quippè qui Castilianorum, Arragoniorum, & quorumvis aliorum Regum, jura illius infringere conantium, audaciam compresserunt, repuleruntq;. Quando igitur Papa Regem, pro filio primogenito, ac primo totius Christianitatis Principe, habebit: Galli quoq; tunc ipsum pro sancto Patre habebunt. Sed quamdiù vitricus; non pater: factiosus; non mediator: hostili animo Galliam discerpere, ut merum in eâ Imperium obtineat; pedibúsve suis Lilia nostra submittere; aut insignibus Hispanicis, tantoperè variegatis, quasi per trophæum, affigere nitetur:

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsiq; nepotes.

Idem præstiterunt olim Majores nostri, Ludovici Pii tempore. Gregorius IV. Regi excommunicationem minitabatur. Huic Ecclesia Gallicana denuntiat; caveat sibi, ne in ipsum exsecratio retorqueatur. Idem quoq; tempore Caroli Calvi, adversùs Adrianum, factitatum fuisse, monumentis constat.

Inclyta & invicta Ecclesia Gallicana, tunc temporis suffulta erat animis verè Francicis, verè Christianis, verè religiosis: quorum votum primarium erat, PER OMNIA, ET IN OMNIBUS, Dei mandatis æternùm-justis morem gerere; *non autem insolentibus factionibus, quas sive Roma, sive Hispania, contra Galliam concitaret.*

Sed ex quo conjurati hostes tui, novas hasce Castilianorum colonias, in tua viscera intromiserunt; hasq; Societates parricidarum, qui solemni voto se-se obstrinxerunt, SUMMO SUO PRÆFECTO ÆQUE, AC CHRISTO IN TERRIS VERSANTI, *obsequi; atq; cadem Regibus Principibusq; inferre, vel propriis manibus, vel aliorum, in quos rabiem suam transfundunt: ab eo tempore, quónam, quæso, devenêre egregiæ & illustres Ecclesiæ Gallicanæ constitutiones?*

Quod traditur de gemellis quibusdam, alterius scilicet mortem alteri exitium acceleràsse: idem quoq; dicendum de hac Lege; Nefarium esse, à fide Regi præstitâ deficere, quibuslibet etiam exsecrationibus è Romano solio evibratis. *Hanc sanè Legem, cum Regni stabilimento ità connexam assero: ut, sicuti una dies utriq; ortum dedit, una quoq; utriusq; interitum adlatura sit. Integrum, perfectum, & intemeratum obsequium id est; quod in prœliis victoriam reportat, hostes fundit fugatq;, merita promovet, laborem coronat: sinè quo nihil floret, nihilq; stabiliri potest. Hoc vinculum, ornamentum, roburq; omnium rerum.* Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. Si duo Soles sint; omnia incendio peribunt. *Licèt etiam Ecclesiæ Antistites, Archiepiscopi & Episcopi, præcipuam Religionis curam sibi arrogent: consentaneum tamen est, ut ante omnia jurent in verba Regis; neq; ullo modo existimandum est, eos, contrario voto, Papæ merum obsequium reddere debere.*

Divus Ludovicus fortiter acerriméq; Romana diplomata oppugnavit: ut videre licet in ejus Pragmaticâ. Non exigua sanè Romæ vindicta sumta fuisset; si illustrem hujus optimi, & invictissimi Regis, progeniem delere potuissent. Quò quidem Cardinalis Placentius, Legati specie in Galliam missus, omnes nervos viresq; applicavit; obnitens manibus pedibusq; Salicam legem tollere, quæ alterum est Galliæ Palladium: sinè quâ Lilia Francorum, ad tantum honoris gloriæq; fastigium, nunquàm conscendissent: cujus præsidio, adhuc hodiè in suo nitore & claritudine conservantur, contra omnes molitiones, proditiones, & machinationes Hispanicas: atq; adeò evehuntur sublimia, ut supra editissima & superbissima quæq; conspiciantur.

Sed progrediamur, conspecturi, quâ ratione hi locum habere possint in Galliâ; qui quarto hoc & præcipuo Religionis voto tenentur, merum obsequium reddere, PER OMNIA ET IN OMNIBUS *Præfecto suo Hispano, & Papæ: qui sub imperio & minitationibus assiduis Regis Philippi coërcetur, atq; adeò cohibetur; Regno Neapolitano, Sicilianoq;, & cæteris, partes Hispanicas Romæ tuentibus: Papa, inquam, qui in suo consistorio asserit;* c. ad Apostolicæ, de Sentent. & Re jud. in 6. & in Extravagante Communic. Unam sanctam. X. de Majorit. & Obedient. *SUBESSE ROMANO PONTIFICI, OMNI HUMANÆ CREATURÆ OMNINÒ ESSE DE NECESSITATE SALUTIS. Ne verò videantur effugere posse, distinctione* temporalis *&* spiritualis: *sequentibus nominatim & expressè constabit, quomodo se* CAPUT SUPREMUM, MERUMQUE DOMINUM OMNIUM REGUM ET PRINCIPUM, TÙM IN SPIRITUALI, TÙM IN TEMPORALI, PROFITEATUR; *arrogans* SIBI POTESTATEM, ILLOS JUDICANDI SPOLIANDIQUE. Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ; spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesiâ; ille verò

ab Ecclesiâ exercendus: ille Sacerdotis; is manu Regum & Militum; sed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio; ET TEMPORALEM AUTHORITATEM SPIRITUALI SUBJICI POTESTATI. Nam, Veritate testante, SPIRITUALIS POTESTAS TERRENAM POTESTATEM INSTITUERE HABET, ET JUDICARE; SI BONA NON FUERIT. Sic de Ecclesiâ, & Ecclesiasticâ potestate, verificatur vaticinium Hieremiæ; ECCE CONSTITUI TE HODIE SUPER GENTES ET REGNA, & cætera, quæ sequuntur. Ergo, si deviat terrena potestas; judicabitur à potestate spirituali: sed si deviat spiritualis; minor à suo superiori: si verò suprema; à solo Deo, non ab hominibus, poterit judicari. testante Apostolo: Spiritualis homo judicat omnia; ipse autem à nemine judicatur.

Siquidem hæ Propositiones, mendacissimæ ac schismaticæ non sunt: quid aliud, quæso, sequitur; quàm, nos omnes, qui Regis imperio paremus, exsecrationum reos esse; ac totam Galliam in interdicto positam, maledictam, & Satanæ prædam? Sed quo tandem modo nostri Majores, quorum virtus etiam hodiè vitia nostra sustentat, in ejusmodi casibus se-se gesserunt?

Philippus, cognomine Formosus, Bonifacio IIX. denuntiandum jussit; Papis nullum jus esse in Reges Galliæ: *omnesq; contrarium-affirmantes, ineptos insanosq; declaravit. Legite nunc, quæso, Bellarminum: aures concionibus confessionibusq; Jesuitarum præbete: cunctas hasce Propositiones, Regemq; ipsum, omnes deniq;, qui olim in Comitiis, in hac Urbe Parisiensi congregatis, publicè Bonifacii diplomata Vulcano commiserunt, sedemq; Romanam præside vacuam declarârunt, inferno dignos æstimatos habitosq; intelligetis. Hic Bellarminus Jesuita*, Papis fas esse, Reges Regnis suis denudare, *nititur probare: &, rationum loco, facinora quædam, consiliaq; tyrannica, in medium adfert.* Tom.1. Controv.3. lib.5.c.9.

Benedictus XIII. Papa, Bonifacii vestigia sequi voluit. Sed ejus diplomata, famosum libellum adversùs Regis Caroli VI. authoritatem continentia, publicè concisa fuerunt; latoresq; ignominiæ supplicio affecti, & per ludibrium plaustris circumvecti.

Ludovicus XII. nuncupatus Pater Populi, *tàm exosus Romæ fuit; quàm charissimus in Galliâ. Plurimas ille Italiæ civitates Julio II. Papæ dono dederat. Ad cujus beneficii gratiam referendam, adversùm ipsum, Hispanorum, Germanorum, Helvetiorum, Anglorumq; arma, concitavit. Sed anno 1510. Rex Concilium, apud Turonensium civitatem, convocat; ubi, illum armis plectendum esse, decretum fuit. quod posteà aliud Concilium, Pisæ habitum, sancivit. His igitur commotus Papa, Regem Regnumq; anathemate percutere ausus fuit; & ab omnibus peccatis liberum illum asserere, qui Franci cujusdam sanguine arma manusq; commaculâsset. Aliis igitur fines adjicitis; aliis vectigal imponitis: regna augetis, minuitis, donatis, adimitis. Unde verò tanta vobis potestas concessa? DEUS quidem vobis prædixit*; Regnum vestrum non esse ex hoc Mundo. *Ingens autem hoc anathema, nocumentum Galliæ inferre nequivit: sed Navarrenum regnum, nobiscum fœdere junctum, in quo Subditorũ animi, adversùs hos insultus, non adeò obfirmati erant, graviter afflixit. Potiorẽ enim illius partem Rex Arragoniæ Ferdinandus invasit; intereà*

dum Johannes Albretius, Regis nostri hodierni proavus, in castris Gallorum commoratur.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor!

Jesuitarum orıgo. *Sed hoc in loco, Jesuitarum originem recensere, data occasio me cogit. quod paucis absolvam, aliò, propter causæ meæ seriem, properans.*

Galli, anno 1521. hæreditarium regnum, cui occasio fuerant amittendi, armis restituere susceperunt. Pampelonam igitur obsidione cingunt; acriterq; diverberantes, expugnant. Inter præsidiarias cohortes, unius Castilianæ præfectus, Ignatius Lojola, *contumaciam ad propugnationẽ, crurum suorum fractione, declaravit. Quod quidem à militiæ operibus illum revocavit; non autem ab odio sempiterno: quod non secùs ac Annibal in Romanos, voto in gentem Gallicam sanciverat. Itaq;, Cacodæmonis auxilio & consilio, nefandam hanc Jesuitarum conjurationem machinatus est; quæ tot tantasq; ruinas Galliæ intulit.*

Provida quidem natura, ferorum crudeliumq; animantium genus infœcunditate coërcuit: Leænæ vitam unicâ unius fœturâ conclusit. Si namq; fœcunditate cæteris animalibus par esset; terrarum orbis brevi tempore in solitudines rediret. Sed supra fidem ferè videtur, quam uberrimè pullulavit sceleratum hocce hominũ genus, ad perniciem & ruinam cæterorum solummodò natum, in exiguo annorum spacio; ut, qui in sexagenario Diploma anni 1540. sub finem. *numero, Papali decreto, concludebantur, ad decem usq; millia creverint: ità ut, si eâdem proportione illorum incrementum continuaretur; triginta annorum curriculo, duodena centena millia sint expleturi, & integra Jesuitica regna conflaturi.*

Jesuitarum in Galliam adventus. *Non venerunt in Galliam signis expansis; (sic enim, eodem momento, & nati, & extincti fuissent) sed exiguis contuberniis in Academiam nostram irrepserunt: quam vulpium more speculati, favores, literasq; commendatitias è Romana Sede, ad Primores, & favore majori pollentes, qui Romæ fidem famamq; quærebant, (quod hominum genus Reipublicæ nostræ semper exitiosum fuit) aucupati sunt. Quibus rationibus sensim se-se insinuârunt: donec tandem Cardinales, Turnonius & Lotharingius, præsidum & judicum jura occupantes, in illorum gratiam Decretum, duorum nominibus in Urbe Poissy consignandum, curârunt; quo decernebatur, Ut illorum Collegium, jam anteà sæpiùs repulsum, reciperetur: religionis tamen suæ ritus supprimerent, nomenq; mutarent.*

Hanc tantùm introductionem exoptaverant; sperantes se sensim sinè sensu, tantum animorum numerum ad Jesuitismum, suis confessionibus, concionibus, ac pædagogiis, informaturos: ut brevi spatio, non solùm cupitis potiri, sed & adversantes pessundare, ac in Rempub. superbè dominari, possent. Quod quidem in omnium conspectu præstiterunt, ab eo die, quo tumultus Parisiensis côncitatus fuit in Regem; usq; ad felicem illam horam, quæ Regi nostro hodierno Parisiensium civitatem restituit.

Consilia & conventus conjuratorum, apud Jesuitas Parisiis. *Quæ lingua, quæ vox effari poterit secreta consilia, conjurationes bacchantium horribiliores, Catilinæ perniciosiores: sive in illorum Collegio ad vicum S. Jacobi; sive in eorundem Templo ad vicum S. Antonii, factas? Etenim, ubi Hispaniæ legati & fautores, Mendossa, Daguillon, Diego, Divarra, Taxis, Feria, cæteriq; hujusmodi, secretiores suos conventus agitârunt; nisi apud Jesuitas? Ubi Touchard, Amaline, Crucé, Cromé, cæteriq; hujusmodi famigeratissimi grassatores, & parricidæ, abominandas suas conjurationes machinati sunt; nisi apud Jesuitas? Quisnam responsi, adversùs Apologiam Catholicam conscripti, autor fuit; nisi Jesuitæ? qui in eo omnes studiorum suorum vires explicârunt,*

cârunt, ad evomenda in Regem regnantem, & sacratissima Regiæ majestatis jura, omnia illa, quæ mendacissimè & calumniosissimè confingere potuerunt. Quinam, ab anno 1585. Nobilibus absolutionem denegârunt, nisi priùs se conjurationis, in Regem Catholicissimum (quem nullo alio crimine carpere potuerunt; nisi quòd diutiùs in vivis moraretur, quàm ipsorum Magi vaticinati fuerant) susceptæ, socios futuros pollicerentur; nisi Jesuitæ? Quis Urbem Perigueux perdidit; nisi Jesuitæ, qui in ipso Prætorio seditionem commoverunt? Quis ad defectionem occiduam Urbem Rhennes, maximi inter Britannos momenti, perduxit; nisi Jesuitæ? qui id se fecisse, editis in hac Urbe libellis, gloriantur. Quis tandem rebelles fecit, Agen, Tholosam, Verdun, & (ut summatim complectar) omnes Urbes, in quibus illorum authoritas invaluit? exceptis, Burdigalâ, in quâ prærepta fuit illis occasio; & Nevertio, in ipsius Ducis Nevertii oculis: ubi murorum imbecillitas illis, quos in rabiem conciverant, animos ademère.

Ubinam bini illi Cardinales, qui se legatos in Galliam missos profitebantur, consilia sua congregârunt; nisi apud Jesuitas? Quónam Legatus Hispaniæ Mendossa, omnium Sanctorum festo, anni 1589. expugnatis hujus Urbis à Rege suburbiis, cum sexdecim prædonibus, ad consilium se contulit; nisi apud Jesuitas? Insequente verò anno, ubinam decretum fuit, satius esse, nonam Populi partem fame perimi: quàm Regi deditionem Urbis facere? Quis vinum, frumentum, avenam suggessit, acceptâ in pignus Regiâ supellectile; nisi Jesuitæ? in quorum potestate eam adhuc offendit Logotius, alterâ die, postquàm in urbem hanc Rex intromissus fuit. Quis præses fuit in sexdecim latronum consessu; nisi Commolet, Bernardus, & Pater Odo Pichenat? qui cùm rem aliò inclinari, quàm ipse sibi pollicebatur, animadvertisset; tanto fuit dolore percitus, ut in rabiem conjectus fuerit: quiq; adhuc, in eorum Collegio apud Brugenses, vinctus asservatur.

Dictum fuit ab antiquo authore: Si mentes sceleratorum introspicere liceret; observari in illorum latebris laniatus & ictus: quando, ut corpora vulneribus; ità sævitiâ, libidine, & malis consiliis, animus dilaceratur.

Cùm Rex Philippus præsidiarias suas cohortes, Jesuitarum persuasionibus, Lutetiam Parisiorum introduxisset; velletq; speciem justi dominii in eo quærere, quod vi jam occupabat: quémnam alium huc misit, nisi Patrem Matthæum Jesuitam, illi cognominem, qui præcipuum conjurationis anno 1585. organum fuerat? Hic ergo Matthæus, paucis tantùm diebus commoratus, & peramanter hospitio apud Jesuitas acceptus, literas conscribendas consignandasq; curavit; quibus illi, qui consilium sexdecim Regionum urbis Parisiensis habere se ferebãt, non istius tantùm urbis, sed totius Regni imperium, Regi Philippo dono offerebant. Quod dilucidiùs apparebit ex ipsarum literarum lectione; quàm ex aliâ quavis oratione.

Jesuitæ Galliam Hispano proderent.

DOMINE, Catholica tua Majestas adeò in nos benigna fuit; ut per religiosissimum & reverendum Patrem Matthæum nobis significaverit, sanctissimas ejus intentiones, non solùm in communes Religionis commoditates; sed etiam privatim propensissimum tuum studium & favorem, in hanc Parisiensium civitatem. *Et paulò pòst:* Deo confidimus, nos, armis suæ Sanctitatis, & Catholicæ tuæ Majestatis, simul sociatis, brevì liberatos fore ab angustiis, in quibus hostis noster, per sesquiannum, ad hunc usque diem, præsidiis un-

dique cinctos detinet; ità ut nihil in urbem, nisi cum periculo, aut armorum præsidio, importari possit. Et procul dubio ulteriùs progredi eniteretur; nî præsidio, quo Catholica tua Majestas nos munivit, deterreretur. CATHOLICÆ AUTEM TUÆ MAJESTATI certò affirmare possumus; Omnium Catholicorum vota, & desideria, eò conspirare; ut videant Catholicam tuam Majestatem, hujus coronæ sceptrum tenentem, & in nos regnantem: utì nos manibus suis, tanquàm patri nostro, nos libentissimè committimus: vel saltèm ex familiâ suâ quendam ad hanc dignitatem deligat, & constituat. Itaque, si alium quempiam, quàm se-ipsam, designet; libeat ipsi Generum eligere: quem iis optimis studiis, devotione, obsequioque, quæ à bono & fideli Populo requiri possunt, in Regem accipiemus. Tantam enim ab hoc fœdere, Deo benedicente, speramus: ut idem, quod olim à maximâ & Christianissimâ Principe, Blanchâ, ex Castillia, nostri Christianissimi & Religiosissimi Regis, Divi Ludovici, matre, accepimus, accepturi, imò duplo amplius, simus, à magnâ & generosâ Principe, filiâ Catholicæ tuæ Majestatis; quæ, rarissimis suis virtutibus, omnium oculos in se detinet: in quâ sanguis Gallicus & Hispanicus splendescit; ut sempiterno fœdere, sub illorum regno, ambæ Monarchiæ fratrum more copulentur, ad gloriæ Domini nostri Jesu Christi promotionem, Ecclesiæ splendorem, & omnium terræ incolarum ad vexilla Christianismi unionem. sicuti Catholica tua Majestas, tot illustribus & triumphantibus victoriis, favore divino suisque armis partis, maximos jam fecit progressus: quos, DEUM, exercituum Dominum, supplices rogamus, ut continuò promovere velit, cum tanto complemento; ut brevì opus ad finem perducatur. Atque ad hæc peragenda, Catholicæ tuæ Majestati vitam incolumem, felicissimamque, atque adeò cumulatam victoriis triumphisque omnium suorum hostium, prorogare velit. Parisiis, 2. Novemb. 1591. *Et paulò inferiùs in latere:* Reverendus Pater Matthęus, harum tabellarius, qui nos multùm ædificavit, rerum nostrarum probè gnarus, defectum literarum nostrarum supplebit, apud Catholicam tuam Majestatem; quam supplices rogamus, ut iis, quæ ab illo referentur, fidem adhibere velit.

Dies autem, quo datæ fuerunt hæ literæ, diligentissimè est observandus: fuit enim secundus Novembris. & decimo-tertio pòst, ipsi literarum autores, qui ex Patre Matthæo intentiones Regis Philippi intellexerant; ipsi, inquam, apud Jesuitas assidui, neq; aliundè confessionem petentes, immanem & horrendam illam cædem perpetrârunt: Hispanico more, nullâq; juris specie, hunc laniantes; quem, tanquàm Justitiæ caput, pridiè anteà venerabantur. Pollicebantur sibi Hispani, Jesuitæ, & sexdecim illi latrones, vel potiùs carnifices, eorumq; assectæ; horridum hoc & tragicum spectaculum, quod in publicâ platea Populo objiciebant, illum commoturum & inflammaturum, ad omnium Bonorum, qui tyrannidem Hispanicam detrectarent, sanguinem effundendum. Sed DEO, qui ejusmodi consilia abominatur exsecraturq;, aliter visum fuit. effecit enim, ut formidabilis illa dies, quam firmum certumq; Imperii Hispanici stabilimentum fore arbitrabantur, ejus fuerit ruina. Tunc Troja capta fuit. *Quicunq; enim profundo altoq; somno sopiti*

Intelligit præsidem Brissoniũ.

piti erant, evigilare cœperunt: timidiores metum in desperationem convertere: fascinati concionibus Jesuitarum animadvertere, Imperium illud Castilianicum, quod ipsis humanitate, beatitudine, & felicitate, speciosum fuerat depictum, cumulum esse omnium immanitatum formidinumq;.

Hæ literæ, ad Regem Philippum conscripta, & in finibus Lugdunensium à Chasseronio interceptæ, ad Regem deindè perlatæ, (quarum autographum visum fuit; & quotidiè videre licet) luce clariùs exposuerunt: Jesuitarum, aliorumq; Galliæ proditorum, scopum, in omnibus hisce bellis civilibus, aliò non spectare; quàm ut Hispaniarum Regem, in totius Christianitatis Monarcham, evehant. Namq; commune horum hypocritarum proverbium est: Unus Deus; unus Papa; unus Christianorum Rex, MAGNUS scilicet REX CATHOLICUS. *Itaq; omnes cogitationes, omnia consilia, omnes actiones, omnes conciones, & confeßiones illorum, eò conspirant & contendunt; ut totam Europam Hispanico Imperio subjiciant. Quandoquidem autem nullam majorem molem, huic exundationi oppositam, Imperio Gallico, animadvertunt; illud dißipare, discerpere, & omni turbarum, discordiarum, & bellorum civilium, quæ cōtinuò incendunt, genere, in exitium ruere, manibus pedibusq; conantur; obnitentes in-primis Regiam familiam delere, quam in exiguo numero positam animadvertunt.*

Quis enim, quæso, in medio nostrûm evulgavit, Ludovicum Borbonium, Principem Condæum, se Regem Galliæ tulisse; nisi Jesuita? qui ut illius familiam, in quâ stirpis regiæ major pars hodiè includitur, omnibus Gallis exsecrandam & abominandam proderent; rem tàm apertè falsam, in Vitâ Ignatii, pag.162. *impudentißimâ & perfrictâ fronte, scribere ausi sunt: subjungentes, Principem Condæum nummos aureos cudendos curâsse, in quibus hæc verba circumscripta legebantur: LUDOVICUS XIII. DEI GRATIÂ FRANCORUM REX PRIMUS CHRISTIANUS.* Quæ inscriptio *(inquiunt ipsi Jesuitæ)* arrogantissima est, & in omnes Christianissimos Franciæ Reges injuriosa. *Neq; enim dicunt, ESSET, tanquàm de re in dubium vocatâ; sed EST, tanquàm de re certâ.*

VOS GENEROSI PRINCIPES, tanto Parente progeniti, cur horum impostorum, fœdißimam omnium turpißimamq; ignominiæ notam vobis inurere conantium, gulam vestris manibus non confringitis? Sed quibus immoror? Calumniis in defunctos congestis? Hem! ipsos etiam viventes conficere aggreßi sunt. Nónne enim in Jesuitarum Collegiis, tùm apud Lugdunenses, tùm apud Parisienses constitutis, ultima sententia interimendi Regis, mense Augusto, 1593. definita fuit? An' non palàm est omnibus Barrerii, Meloduni supplicio affecti, confeßio? quæ sanè omnium vere Francorum animos (omniū nempè illorum, qui in morte Regis, suorum consiliorum & expectationum fundamenta non jecerant) graviter percußit, & excitavit. Nónne Varadeus, *è primoribus Jesuitarum, tanquàm omnium animosior & commodior, electus fuit; qui detestandi hujus parricidæ animum suis adhortationibus firmaret; & persuaderet illi, nullum majoris meriti opus ab ipso præstari posse, quàm Regem, licèt Catholicum, è vivis tollere? hoc unum, in beatitudinem cœlestem, ipsum rectà introducturum? Atq; ut animo præsentiori esset, ad dirum illud consilium suum ad exitum perducendum; nónne alium ipsi Jesuitam confessorem præbuit: cujus nomen nullâ diligentiâ vestigari potuit; licèt fortè ipse adhuc in*

hac Urbe lateat, similes opportunitates explorans? Quid tandem? Nónne impii isti & exsecrandi parricidæ, Barrerium illum sacræ communionis participem fecerunt; adhibentes omnium mysteriorum Christianæ Religionis sacratissimum, & preciosissimum, ut primò Christianitatis Regi necem pararent? O' quàm maluissent patrati, quàm incepti, facinoris rei esse! Officina Satanæ; ubi fabricata fuerunt omnia homicidia, quæ vel perpetrata, vel intentata, quadraginta annorum spatio, fuerunt. Arsacidarum, sive potiùs Assassinorum, veri successores; qui Raymundum Comitem à Tripoli, Conradum Marchionem à Monte-ferrato, Edoardum Regis Angliæ filium, & plurimos alios magnos Principes, interfecerunt. Namq; etiam eorum Rex, quem (sicuti Jesuitæ suum Præfectum perpetuò Hispanum) adoratione colebant, bipennem sibi præferri jubebat, ancipitibus cultris adornatam; cujus lator obvios inclamabat: Obvertite terga, & à conspectu illius diffugite, qui in manibus suis Regum interitum tenet.

Non ita pridèm, homicida quidam Jesuita, in Belgio, fuit deprehensus; qui fassus est in supplicio, quempiam alium Jesuitam ex Hispaniâ ad nos missum fuisse, qui Regem nostrum interimeret. Hem! quis scit, utrùm fortè in ipso Jesuitarum Collegio jam ille delitescat; occasionem, & Regis adventum, in insidiis exspectans? Etenim, ut tandem manifestissimè innotescat, Jesuitas ab ejusmodi detestandis facinoribus Socios suos excusare non posse; illosq; supremum honoris culmen, in ejusmodi parricidiis perpetrandis, assignâsse; Martyrum nomine insignientes hos, qui in hoc facinore animam efflaverint: tria hominum millia, & ampliùs, luculenter testari possunt; Jesuitam Commolet, *natalitio Domini festo, in divi Bartholomæi templo, pro concione explicandum suscepisse quartum Judicum caput: in quo fit mentio cujusdam* Ahod, *qui Regi Moab mortem intulit. Cùm itaq; fusissimè Jesuita de Regis morte garrivisset; ac Jacobum Clementem, carnificem illum, Tygridem, & Diabolum incarnatum, ad Angelorum usq; choros extulisset; stentoreâ voce cœpit vociferari:* Nunc opus esset nobis altero Ahod. opus est nobis Ahod: sive is sit monachus, sive miles; sive lixa, sive bubulcus; nihil refert. At opus est nobis Ahod. hoc solum facinus deest, quod res nostras ad optatum finem perducat.

Animadvertite, Senatores, & terq; quaterq; sedulò perpendite; quousq; stupiditas nostra, sive potiùs vecordia, (ignoscite mihi hæc dicenti, justo dolore abrepto) audaciam, petulantiam, temeritatem, & impudentiam horum traditorum, horum speculatorum Hispanicorum, horum parricidarum, erumpere passa sit: ut ipso divino suggestu, ad clamoribus suis, Reges exterminandos esse, denuntiandum, abutantur. Hæc est pura illorum doctrina, de quâ Albinus, Collegii apud Rhemenses moderator, integrum librum composuit.

Adhæc Gulielmus Parri in supplicio confessus est, Benedictum Palmum *Jesuitam ipsi persuasisse;* fas esse, omnes Reges, à Papâ exsecratione damnatos, è vivis tollere. *Quâ de re cùm posteà eruditum quendam Monachum, nomine Vatem, consuluisset: monitus ab eodem fuit, illam Propositionem falsissimam esse, & æterni supplicii condemnatam. In hoc animi dubio, Parri, confessionem petiturus, confert se ad quendem* Hannibalem Codretum, *Jesuitam mœnibus Parisiorum inclusum: (qui etiam in certo libro Lugduni edito scribere ausus est: illorum Societatem hoc nomen adeptam esse ex eo, quòd Deus illos Jesu Christo socios dedisset; à quo libentissimè accepti fuerint:) hic ergo*

Codretus,

Codretus, illum Vatem hæreticum esse, affirmavit: nec ullum majoris meriti facinus ab ipso præstari posse; in cujus gratiam, Angeli ad Sanctorũ quietem ipsum comportaturi essent.

Jam ergo, vos Reges, Principesq́, nusquam in palatiis vestris, nusquam in medio vestrorum satellitum succinctu, tuti eritis. si Propositio hæc diabolica, & ex imo Tartaro eructata, in Populi animos gliscat: sicuti Jesuitæ eam perpetuò, maledictis suis confessionibus, inculcant; cui quoq́ suis institutis obstringuntur: Tyrannos aggredientur; lolium ab agro dominico evellent. *In eorundem privilegiis & institutis, mos alius inseritur; cujus nullus alius finis. Solent enim ad vota sua obvios quosvis, nullo exspectato experientiæ anno, admittere: quibus peractis, nullo modo illi, qui in ea, licèt imprudentes & ignari, jurarunt, a Præfecti servitio deficere possunt: etiamsi Præfectus illos, pro libitu, rejicere possit; donec fuerint professi. quod sæpè post vigesimum-quintum, vel trigesimum annum, non peragitur. Cur autem id, contra omnem consuetudinem, contra ordinem, & contra jus institutum? Cúrve saltèm pactum non sit reciprocum? Ut scilicet, cùm hosce miseros, viginti-quinq́ vel triginta annos asservaverint, successionibus hæreditariis ditatum admittant; fortunis verò denudatum rejiciant, nisi nefaria quæq́ ipsorum jussa capessat. Hac quidem ratione, is, qui juventutis suæ vigorem apud illos contrivit, animadvertens, hinc se ad stipem redactum; illinc pollicitationibus ad beatitatem æternam advocatum; facilè vel se-ipsum homicidam præbebit, vel adhortatorem confessorémve omnium quorumlibet parricidarum.*

Jesuitis nemo votum suum renuntiare; ipsi verò aliis possunt.

Equidem quotiescunq́ in conspectum meum revoco miseriarum cumulum, in quem tùm privati hujus Reipub. homines, tùm universus Franciæ status, venturi eramus; si homicidium hoc, in Barrerii mentem tàm callidè insinuatum, & in eâ tàm altè exsculptum à Varadeo, Jesuitarum principe, in actum erupisset: atq́ horrendam servitutem, in quâ Francia nostra modò gemeret: petulantiam, & impudentiam, quibus Hispani nunc ferocirent: miserabilem statum, quo fœdaretur hæc Urbs, in quâ puella Castilianica superbè imperitaret: non possum non fateri, me, præ irâ & justâ indignatione, mei compotem esse non posse: cùm adhuc videam, hosce proditores, hos sceleratos, hos parricidas, hos Regum carnifices, parricidarum confessores, in medio nostrûm versantes, aurâ Gallicâ fruentes, & viventes. viventes? imò verò in ipsis palatiis acceptos, favoribus exornatos, & sustentatos, novas deniq́ conjurationes, nova fœdera, novasq́ factiones & societates, molientes.

Jesuitæ authores sunt regicidiorum.

Quid autem, si divinâ tandem voluntate contigerit; ut vel Jesuita, vel quispiam alius ab illis adornatus, sicuti is, qui Meloduni deprehensus fuit, in apertum erumpat? Existimatísne vos, qui ipsos orationibus vestris tutamini, in quibus vos prudentes, vos consultos, vos sapientes, vos (veriùs eloquar) Hispanos exhibetis; existimatísne, inquam, vos inter nos tutò versari posse? Neutiquam sanè. Nam in aliis quidem rebus, nunquam modestiæ, vel temperantiæ, mediocritas transilienda: sed ubi agitur de vitâ, de salute, de conservatione, sacratissimæ Regis personæ, in Franciâ tàm necessariæ; sinè quâ actum erat de Repub., quæ tetrâ caligine obvolvebatur, & nunc in Hispanicarum provinciarum censu recenseretur; in hac, inquam, re, nunquàm studii ardor excessisse videbitur. Qui in eâ friget, vel modestiam obtendit; manifestò se proditorem aperit. Virtus in hac re posita est in excessu, non solùm studii; sed etiam passionis.

Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos; impleat armis virisq; totum orbem; classibus maria consternat; inusitatas belluas inducat: Tu nos præstabis invictos, REX INVICTISSIME. Sed quis, hoc Galliæ columen ac sydus diuturnum fore, polliceri potest: si illi, qui perpetuas in ejus vitam insidias struunt; qui parricidas Lugduno olim, dum rebellis esset, ex Hispaniâ nunc, transmissos recipiunt; qui Monachos in desperationem adducunt, & multitudinem adversùs Regiam Majestatem indesinenter exacerbant; hospites sint, superstitesq;?

Quorsum Jesuitæ juventutem sibi creditã instituant.

At juveniles animos instituunt! Ad quam rem? Ad mortem suorum Regum concupiscendam, & exoptandam. Tantum enim abest, ut pædagogiæ consideratio pœnam, criminibus Jesuitarum debitam, leviorem reddat: quin potiùs majorem gravioremq; eam efficit. Hæc enim egregia pædagogia, hæc nefaria dogmata, bonarum artium specie in tenera ingenia immissa; (ut venena non dantur, nisi melle circumlita: & vitia non decipiunt, nisi sub specie umbrâq; virtutum:) hæ audaces confessiones, (in quibus clanculùm, rebellionis coloribus, adversùs Reges Magistratusq;, juvenes infecerunt) tot tantasq; animas Hispanicas informaverunt, perduelles Regis Regniq;.

—— Puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit. ——

Nonnulli quidẽ ipsorum discipuli, sua dogmata improbaverunt: qui sanè longè graviore odio ea detestantur; quàm qui illorum sunt ignari. Sed, si unus incolumis evasit; centum pestiferâ illâ labe infecti fuerunt.

Apud Dionem legimus, Mæcenatem Augustum admonuisse: nullam meliorem esse rationem, sibi suisq; quietem parandi; quàm si juvenilia ingenia à Monarchiæ studiosis erudiri curaret. Brevi enim spatio, nova oritur progenies; quæ confestim ad majores dignitates evehitur. Ità etiam nihil potest nobis esse perniciosius, quàm relinquere pueros nostros in disciplinâ horum exploratorum, quos Hispania effundit; quiq; Monarchiæ Francicæ splendorem infestissimis oculis intuentur. Facilimè quidem studium quodlibet mentibus hisce imbecillis ingenerare licet; difficilimè verò evellere. Altiùs enim præceptæ descendunt, quæ teneris animis inprimuntur. Eurotas flumen viros fortes non procreabat; sed Lycurgi insignis disciplina. neq; Sequana, neq; Garumna, tot improbos Francos effudit; sed Jesuitarum contubernia, Parisiis, Tholosæ, Burdegalæ congregata. ex eo tempore, quo horum discipuli munera publica adepti sunt, Majorum mores non paulatim, ut anteà; sed torrentis modo, præcipitati sunt.

Religio Christiana omnibus notis exquisitæ justitiæ, & utilitatis, illustris est: in eo quoq; illustrissima, quòd obsequium Magistratibus exhibendum, conservandosq; Principatus, exactè præcipit. Ipsi verò boni Viri, qui se ex societate JESU *esse jactitant, nullum alium finem habent propositum; quàm legitimas quasq; dominationes pessundare: ut ubiq; terrarum tyrannidem Hispanicam stabiliant. Ad hanc rem juvenilia ingenia informant; quæ ipsis, honestis disciplinis, religione, & pietate, imbuenda committuntur.*

Jesuitæ nemini favẽt, qui non animo sit Hispanico.

Proh superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemq; à crimine sumit.

Carthaginenses suam prolem Saturno sacrificabant: Parentes sacrificiis hilari fronte interesse

intereſſe cogebantur. Mirum relatu eſt, exſtitiſſe tempus, quo hi, qui in Jeſuitarum Scholis filios ſuos erudiri non curarent, de famâ boni Catholici exciderent: illi verò, qui in ipſorum Collegio tyrocinium feciſſent, ampliſſimam ubiq; licentiam adipiſcerentur; nec in examen revocandi eſſent. Parentes itaq;, tempori ſervientes, coacti liberos exponebant: qui vel pervertebantur incantationibus; vel, ſi apti & habiles judicarentur, penitùs rapiebantur. Cujus rei plus æquo exemplorum ætas noſtra ſubminiſtrat; quorum memoria perpetua erit: nec-non querela poſteritati derelicta, in crudeles iſtos plagiarios, qui chariſſimos Liberos è Parentum ſinu abripiunt; ſæpiusq; totius familiæ columen auferunt. Jeſuitę plagiarii. *Quemadmodum factum omnes intellexerunt* Airauldo, *Judicis quæſtionum criminoſarum Legato; cujus nunc ſenectus octo liberorum onere gravatur: amiſſo, Jeſuitarum fraude, filio maximo natu; qui parentis jam munere defungi, & paternas curas in fratres, ſororesq; juniores, obire poſſet. Illum in pubertate ſubripuerunt; jamq; vel in Italiâ, vel in Hiſpania, cuſtodiunt. nec ab illo tempore fieri potuit, ut miſer Parens quicquam certi de eo intellexerit; licèt ipſos omni monitionum, & cenſurarum eccleſiaſticarum genere, compellare curaverit. Hæc verò illi irrident, unicâ abſolutione, à Præpoſito ſuo Hiſpano exhibitâ, contenti. Intereà vero Jeſuitæ, poſt Airauldi mortem, primogenituræ jus ex bonis ſuis expoſtulare non verebantur.* Ut Jeſuitæ aliorũ bona ad ſe trãsferant. *Paupertatis enim voto nunquàm quenquam obſtringunt; niſi exciſâ omni ſucceſſionis ſpe. Antequàm ſodalitatis iſtius ſacramentum ineant; hæreditatem ſuam Collegio Jeſuitico teſtamento decernere oportet. Sic nihil educitur; omnia adducuntur, vel inteſtatò, vel teſtamentis: quæ fraudibus quotidiè eliciunt, miſeris animis agone mortis conflictantibus, pavores maledictorum hinc objectantes; illinc verò paratam beatitudinem, beneficiis in* JESU *ſocietatem.*

Sic uſus eſt Maldonatus *Jeſuita, qui Præſidi* Montbrunio *Santandreano, omnia ſua mobilia, & acquiſita bona, ſuffuratus eſt, religione confeſſionis, avaritiâ & fraude plenæ: quam D. Pybracius, fraudis doliq; in publico auditorio, accuſavit.*

Nullus quoq; non intellexit, ipſos teſtamentum à Gondrano, *Divionenſi Præſide, extorſiſſe: quo ſorori ſuæ, legitimæ & unicæ futuræ hæredi, dimidium nummum aureum; Jeſuitis ſeptem millia Francorum annua, decrevit.*

Omnibus etiam apertum eſt, ipſos Bolonorum *domum, totius Burdegalæ ditiſſimam, expilaſſe: & recenti memoriâ, pro jure primogenituræ, ex familiâ præſidis* de Lato Baculo, *prædium de Fayoles ſuffuratos eſſe: quod duodecim millibus coronatorum vendiderunt; nummosq; in Hiſpaniam, ad theſauri ſui accrementum, trajecerunt. Res namq; ſolùm immobiles, quas alienare non eſt licitum, in Franciâ retinent.*

Præterea, recenter innotuit, ipſos unicum Marchionis Canillacei *fratrem furto abſtuliſſe: qui jam octo millibus Francorum annuorum fruitur; & ultra quadraginta millia, ex futurâ ſucceſſione, exſpectat. Neq; illum ſanè ad paupertatis votum admittent; quamdiu ſpes erit reliquæ futuræ ſucceſſionis, ex fratre cœlibe: qui, in Regiæ Majeſtatis commodum, caput quibuslibet belli periculis quotidiè objert, Legati Regii munere in Alvernia inſignis. Neq; dubitandum eſt, quin ipſi, (prout ex judiciis antè-conſecutis conjectare licet) ſi ille vita concederet, Marchiones Canillacei futuri; illamq; familiam, quæ magnitudine, & divitiis & generoſitate, inter Aquitanos eminet, funditùs ſint deleturi.*

Noſtra quidem gens, temeritatis rea ſemper apud omnes fuit: juſtitiæ verò, liberali-

Quid de gratuitâ Jesuitarum institutione censendum.

tatis, fortitudinis, & magnanimitatis, ubiq; abundantissima. Nunc, quæso, quanta est nostra supinitas; qui passi sumus, hosce homines, simulantes, se præmium introitûs exiguum & minervale rejicere, annuum proventũ bis-centenorum millium Francorũ comparare?

Eja age, nobiscum sic, quæso, paciscere: triplex
Accipias precium; legataq; cuncta relinquas,
Abstineasq; manus alieno, & munera temnas.
Sed pietas jam nota tua est, animusq; benignus:
Magna petis, qui parva fugis. —— ——

Tenues fortunâ, in Academiâ nostrâ, immunes semper fuerunt dandi præmii. At iniquum'ne videbitur; si ditissimâ familiâ oriundus, Præceptori suo, exacto institutionis anno, exiguum minervale pensitet? An'non est consentaneum; ut, qui omnem ætatem in studiis terent, aliquid habeant, undè toga niteat? Hac abnegando, non levabitur paupertas; sed obruetur. Adolescens tenuis fortunæ, in ditiorum familias se-se ingerens, servitium ad 20. vel 22. ætatis annum ferebat; posteà ad levia lucra se conferebat. Hæc ratio studendi, rationem mille adolescentibus quotannis subministrabat. Sed posteaquàm Jesuitæ Studiosos ad se pellexerunt, nullis ampliùs fuit studendi animus. Sublatis studiorum præmiis, studia pereunt. Maximi quiq; gravissimiq; antiquorum, non solùm ex jure, sed ex necessitate, Juventutis institutoribus præmium deberi, existimârunt. Super omnibus negotiis meliùs atq; rectiùs olim provisum: &, quæ convertuntur, in deterius mutantur. Nihilominùs tamen isti, dolosorum veneficorum more, (qui veneni frustum nunquam apertè offerunt; sed delicatioribus cibis admixtum & obtectum) nullam meliorem rationem adinvenerunt, Studiosos ad se pelliciendi; quàm si hoc minervale abominarentur. Depravata enim Juventus pecunias, à Parentibus acceptas, in locis ædiles-metuentibus expendere mavult; quàm Præceptori exhibere annui & continui laboris præmium.

Jesuitæ omnem juventutem suam Hispanam reddunt.

Verùm enimverò hæc levia essent; ni sortilegia & incantamenta, quibus juveniles mentes pervertunt, accessissent. Sed, veluti Romani, Nobiles Gallorum, Augustoduni, tàm sedulò olim educari curabant; ut amor imperii Romani, oblivio veteris Galliarum libertatis, ipsis ingeneraretur: sic etiam Hispaniarum Tyrannus, Jesuitarum stationes in Franciâ distribuit; ut nominis & imperii sui cupiditatem, teneris liberorum nostrorum ingeniis adjicerent. Semina in corporibus humanis divina dispersa sunt: quæ si bonus cultor excipit; similia originis prodeunt: sin malus; non aliter, quàm humus sterilis ac palustris, necat; & deindè creat purgamenta pro frugibus. Omnis posteà labor in evellendis ejusmodi opinionibus, frustratorius est. Stomachus enim morbo vitiatus, quoscunq; accipit, cibos mutat. Ità ut ad formidinem legum, & ad vim, venire oporteat; & magno timore magna odia compescenda. Sed fidelius & gratius semper esset obsequium, quod ab amore; quàm quod à metu proficiscitur. Vulnere Dipsadis laborantes, inextinguibili siti molestantur: quam infert vis veneni, venosum genus invadentis, & sanguinis massam adurentis; ità ut æger continuo potu, sed inutili, se-se ingurgitet. Eodem quoq; modo illi, qui pestiferâ & venenatâ Jesuitarum disciplinâ semel sunt imbuti, patriam suam perturbandi, & Hispanicum imperium amplificandi, perpetuâ siti furiunt.

Jesuitę Lusitaniam Hispano produnt.

Nota est Lusitaniæ *historia. Injecerat Rex* Philippus *cupidos oculos in regnum finitimum: quo potiri, nisi extincto Rege, & maximâ Nobilium parte, nunquàm posse credebat.*

debat. Itaq; Jesuitarum operam, qui Regi Sebastiano *tunc aderant, nomenq; inibi Apostolorum sibi arrogabant, adhibet: qui, infinitis dolis, ipsum veteribus suis Amicis, atque adeò ipso Petro Dalcassomo, Regi à secretis, nudum effecerunt, tandemq; eò pertraxerunt; ut Africæ expeditionem susceperit, adversùs hostes innumeros, viribus longè superiores. Profectus quidem est Rex; sed suo malo fato, & totius Lusitaniæ Nobilium. Intereà verò, dum Cardinalis regnum obtineret, (quod breve fuit) Jesuitæ, malis suis artibus, tantum effecerunt: ut, post illius mortem, Rex* Antonius, *omnium Ordinum suffragiis electus, à toto continenti pulsus fuerit; omnesq; regni portus, unâ die, ab ipso defecerint. Quod miserum Regem in tantas angustias perpulit: ut, dissimulatâ veste, & pedibus, iter quadringentorum milliariorum conficere coactus fuerit. Terceriæ insulæ, Regis Antonii partes adhuc sequebantur; summoperè opportunæ, ad interturbandum Indiarum commercium. Eò Francorum copiæ, duce Melitensium Equitum præfecto Chattensi, in auxilium venerunt: omnes omnium Ordinum incolæ, Presbyteri, Franciscani, studio ardenti Regem tueri, & Castilianis adversari, parati fuerunt.*

Contrà verò Jesuitæ, qui aliam Regni partem ad defectionem perduxerant, ibi quoq; gentem Franciam calumniosè improbare, Regem Philippum approbare, cœperunt. Quid autem cum illis actum? Cùm undis submergere, aut saltèm eos ab Insulis exterminare debuissent; muris intra claustra sua occludere, contenti fuerunt. Hæc fusissimè narrantur in historiâ, Regis Hispaniæ jussu Genuæ editâ; quæ parum decoris illi adfert. Gesta enim Jesuitarum universa, in ipsorum authorum honorem referuntur; tanquàm primariæ fuerint causa, Lusitaniæ cum Castiliâ unionis. Sic etiam hodiè, illorum labores nullum alium finem respiciunt; quàm eâdem ratione sceptrum Francicum Hispanico connectere. Quid tandem egêre Jesuitæ? Opportunâ nocte, portarum muros dejiciunt: sacrum Altaris mysterium objiciunt; Deum ita illudentes, & sacris mysteriis ad turbas faciendas abutentes. Suis itaq; dolis tantum effecerunt; ut Populi animi, ad Gallorum societatem, frigescere cœperint; exercitusq;, cui Polemarchus Stroßy præerat, victus fuerit. Hæc verò jam apertis auribus & attentis excipite. Habet historia, viginti-octo Primatum, & quinquaginta-duo Nobilium Francorum, in eodem suggestu, Eleutheropoli, eâdem die, Hispani senatusconsulto, carnificinam passos esse: suspendio sublatos militum quàm-plurimos. *Habet quoque eadem historia,* quingentos Franciscanorum, vel reliquorum Monachorum, qui illo belli tempore Regem Antonium suis concionibus, & orationibus, commendaverant, capitis supplicio fuisse affectos.

Hæc sunt Jesuitarum dogmata: Occidite; mactate; suspendite; carnificinam exercete. *Nos quoq; observare potuimus illos, qui conscientiam suam ipsis aperuerunt, & lac Jesuiticum hauserunt, tàm immanes fieri, ut se-ipsos invicem conficiant. Populum quendam circa pontem Euxinum exstitisse, ait* Marcellinus, lib. 27. *Odrysarum nomine; qui ità humanum sanguinem fundere erant assueti: ut, si hostium copia non daretur, ipsi inter epulas suis corporibus inprimerent ferrum. Hi quoq;, licèt tot hostium cohortibus cingantur; se invicem mactant.*

Ite nunc, clarißimi Nobiles, & huce Jesuitarum discipulis vos conjungite: ut, primâ oblata opportunitate, mercedem sicarum ictibus accipiatis; aut, ad summum emolumenti

vestri, Franciæ angulum constituatis Maurorum provinciam, & ex Bæticâ jura petat is. Quantò pulcrius erit, vestrâ fide communi, vestris communibus viribus, Imperium retentum, ac omninò recuperatum esse? Estote igitur fortes, inclyti & invicti Nobiles Francis; & pergite, ad unum exercitũ conflandum, vos cõparare. DEUS, *regnorum tutor;* DEUS, *qui Franciam, gravioribus calamitatibus afflictam, commiserationis oculis semper aspexit; in mentibus vestris amorem & concordiam, procul dubio, excitabit: frontem vestram trucem, manus validas adversùs hostes vestros, præstabit. Angelorum præsidio, robur vestrum accrescet: ut pestiferos & superbos hos Castilianos, è Galliarum solo, brevì eliminetis.*

Alexander ajebat, Antipatrem, externo amictu candidum, interno affectu rubore circumfusum esse. Sic quoque plurimi hodiè, vultu se Regis studiosos simulant; & ex prosperis illius successibus utilitatem percipere nôrunt: sed in intimis cordis penetralibus, prorsus rubedine sunt infecti; prorsus Hispani. Hi homines, Jesuitarum opis indigi, ad nefaria sua consilia adimplenda, tàm quidem audaces non sunt; ut illos in Galliâ retinendos esse asserant: (sic enim loqui, & rubrâ cruce signari, idem esset:) sed ajunt, non esse opportunum, illos nunc expellere. Horum quidem rationibus responsa sigillatim dare, decrevi. Sed priùs operæ precium erit, potiorem ipsorum aggerem diruere, qui in Decreto, à Senatu anno 64. facto, consistit: contra quod quinq; adferam rationes; quarum levior plùs quàm sufficere videbitur.

Prima: *Causa hæc anni 64. exoleta est, non solùm trium; sed etiam triginta annorum intervallo. Quod verò objiciunt, causæ eremodicium in Parlamento locum non habere: verum non est; nisi cùm lis ad judicium est disposita. In hac verò causâ, tantum abest, eremodicium unquàm fuisse indictum; quin potiùs causæ actiones nunquàm expromtæ fuerunt: undè initium sumere debet actionis, in Senatu habitæ, ordinatio.*

Secunda: *Actio anni 64. huic prorsus repugnat: Primò, personarum qualitatibus. Tunc enim Jesuitæ actores erant; nunc sunt rei. Secundò, tunc quærebatur, utrùm ab Academiâ privilegium essent accepturi? nunc verò, utrùm ex Franciâ sint ejiciendi? Tunc, rem ad consilium remittendo, petitionem illorum tollebant: nunc, ad futuros consessus disceptationẽ de Regis vitâ remittemus; si intereà hosce parricidas in medio nostrûm commorari patiamur: qui nihil magìs in votis habent, quàm Regi necem inferre. Tertiò, maximum intercedit discrimen, inter annum 64. & annum 94. Anno 64. malum, quod jam cernitur, tantùm metuebatur: idq; multi, horum hypocritarum mellitis verbis decepti, conjecturis amplecti nolebant.*

—— —— Quis te, tàm lenè fluentem,
Moturum totas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? —— ——

Quis illo tempore credidisset, se, intra mœnia Parisiorum, conspecturum præsidia Hispanorum, ansatis brachiis, oculis truculentis, caperatâ fronte, gradu tardo graviq;, hasce pulcerrimas plateas perreptantium?

Ecquis ad Ausoniæ venturos limina Troas
Crederet? aut quem tùm vates Cassandra moveret?

Anno 64. nusquam auditi fuerant Patres, Bernardus & Commolet, *Regem, Holofernum,*

num, Moab, Neronem, vocitantes: Regnum Francorum electione dari, & penes Populum Regum electionem esse, asserentes: citandoq́ hunc Testamenti locum (Eliges fratrem tuum in Regem) *fratrem tuum, dicentes, non ex eâdem familiâ, nec ex eâdem gente; sed ex eâdem religione: uti magnus ille Rex Catholicus, Rex Hispaniarum. Commolet tàm impudens fuit; ut puram hanc blasphemiam ausus fuerit proferre: Davidem, spiritu prophetico, contra domum Borboniam hac verba prædixisse;* Eripe me, Domine, de luto, ut non infigar. *Hoc bellorum tempore, Pictavii Collegium instituere voluerunt; dictitantes, Procerem quendam divitem & devotum esse, qui octingentos aureos annuos, ad institutionem, daturus erat. Multùm verò & sæpiùs rogati, quisnam ille esset; nullum alium adferre valentes, vi coacti, Regem Hispaniarum esse, fassi sunt: qui nunquàm exiguis illis sumptibus parcet; ut tàm exitiosos & perniciosos homines inter nos conservet. Id omnes Legati Pictaviensium, quorum ope urbs ad Regiæ Majestatis Imperium restituta fuit, testimoniis suis comprobârunt.* Jesuitę Regnum Galliæ electitiũ faciunt.

Tertiò: *Anno 64. Jesuitæ nullum adhuc* vitæ librum *paraverant; in quem arcana ex conscientiis confitentium, de familiis observata, referrent: ut posteà fecerunt, inquirentes à pueris servisq́, non quid illorum conscientiam gravet; sed potiùs, quid parentes, quid domini loquantur: ut, quo animo sint, expiscari possint.* Commolet, *in Bastilliâ arce concionem habens, coram Senatoribus, principio anni illic in carcere detentis: post infinitas horrendas blasphemias, tandem ipsis dixit:* Qui anteà Rex ipsorum fuisset, hanc dignitatem apud illos non ampliùs obtinere. *ab eo sanè tempore homicidium machinantes, quod posteà re-ipsâ præstiterunt. Cùm* Trouué, *& Tribunus militum* Aubri, *ad Bastilliam in carcerem fuissent conjecti, à Bussi Clerico; Senatus quadraginta virorum eos indè eximere nequivit: solus Commolet, Orphei instar, imperiosè eos liberavit. Tantum sexdecim illi latrones à Jesuitarum autoritate pendebant.* Jesuitæ peculiarem librum vitę habent.

Cùm electio hodierni Papæ fuisset nuntiata: Commolet, *qui jam è suggestu descenderat, denuò conscendit, cœpitq́, exclamare:* Audi Politice; & nova intelliges. Papam habemus. Heus! qualem? Bonum Catholicum. Quid prætereà? Bonum Hispanum. Propera ad patibulum, Politice. *Hi sermones, à Jesuitis, anno 64. non fuerant habiti. Dictum est à vetere Authore:* Serpentes parvulæ fallunt. ubi aliqua solitam mensuram transiit, & in monstrum excrevit; ubi fontes potu infecit; &, si afflavit, deurit, quácunque incessit: balistis petitur. Possunt evadere mala nascentia: ingentibus obviàm itur. *Titus Livius eleganter dixit:* Antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum. sic Cupiditates priùs natæ sunt, quàm Leges, quæ eis modum facerent. *Plato, 1. de Legib. ait:* Minoëm solitum fuisse, nono quolibet anno Jovem adire; ut, quas leges Cretensibus daturus esset, intelligeret. Tempus enim ità res mutat, & diversas efficit; ut, quod olim bonum, nunc malum habeatur. Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta, ex delictis gigni. Nam culpa, quàm pœna, tempore prior: emendari, quàm peccare, posterius est.

Interrogate Marchionem Pisanum: testabitur vobis, se ab anno 64. ex quo res Franciæ in Hispaniâ Italiâq́, agit, nihil magnum habuisse agendum; ubi Jesuitam adversarium non habuerit. Percontamini omnes illos, qui interceptarum literarum ænigmata,

histe belli temporibus,interpretati sunt: audietis, nihil perniciosum eos legisse,quod Jesuitæ cujusdam opus non fuerit repertum. Recenter verò Lugduni,post deditionem, Jesuita quidam, cùm Missam jam inchoâsset Nobilemq; mitellâ albâ ornatum ingredientem conspexisset; erupit subitò è Templo,hominibus referto,turbas facturus. Quod etiam sæpiùs conati sunt: & verendum est,ne illam Urbem tanti momenti perdant: ni promtè ex illâ,vestro senatusconsulto,exterminentur.

Quartò: *Qui pactorum præscriptiones & terminos excedit,pactis quoq; excidere debet. Jesuitæ autem,ab anno 64. quod conventum fuerat,Decreto in urbe Poissy adepto, cujus tantùm autoritate sedem in Franciâ invenerunt,prorsus fefellerunt. Nam primò, Jesuitarum nuncupationem,prout expressè edictum fuerat,non deseruerunt. Hoc enim gloriosum nomen,soli humani generis Servatori debitum,à nullo alio,quantúmlibet superbo,usurpatum fuisse,intelleximus. Isti verò tantâ impudentiâ perciti fuerunt; ut illud usurpaverint, etiam in illis Thesibus,quibus melleâ, delinificâ, & suada oratione,aliud clausum in pectore habentes,aliud promtum in linguâ,à tribus mensibus,assentari illis voluerunt,quos Inquisitione Hispanicâ irretitos cuperent.*

Secundò,ejusdem Decreti pacta,quibus Collegium quidem admittebatur; Religio verò illorum rejiciebatur; non observârunt. Tàm audaces enim fuerunt; ut in vico sancti Antonii,trophæi instar,illam collocaverint: ubi nunc quoq; se tàm impudenter gerunt; ut in trabeis suis,insignia Franciæ integra, sub pileo Cardinalitio depicta,gestent: indicantes,se, invito Rege, apud quem nullo sacramenti nomine devinciuntur, agnoscere, Carolum X. Regem Franciæ exstitisse: quo regnante,se Regnum eò perducturos putabant, quò Lusitanicum,alio Cardinale regnante,perduxerant.

Tertiò,Decretum prædictum definitè habebat, illius præscriptis contraria diplomata nulla alia ab his obtineri posse: & si contrarium accideret,prædicta nullius momenti,nulliusq; vigoris futura. quod ideò ratum fuit factum. Obtinuerunt autem diplomata huic Decreto tàm adversa: ut illis non solùm ii exsecrationis majoris condemnentur,qui limites & præscriptiones ipsorum privilegiis & institutis posuerunt; sed etiam omnes,qui veritatis tantùm inquirendæ gratiâ,de his disputare ausi fuerint. Hæc sunt ipsissima verba Diplomatis,anni 1584. Suisque Præpositis,in omnibus,& per omnia,obedire: & huic Sedi immediatè subjectos,& à quorumvis Ordinariorum,& Delegatorum,seu aliorum Judicum,jurisdictione omninò exemtos; prout eos etiam vigore præsentium eximimus. *Quod sanè huic clausulæ Decreti prædicti directè repugnat.* Ità tamen,ut in ipsam Societatem & Collegia, Episcopus diœcesis, authoritatem,jurisdictionem,& puniendi potestatem,habeat.

Præterea, Decretum illud prædictum irritum esse,sequitur; tùm ex prædicta juris dispositione; tùm ex clausulâ circumductâ, sic definitâ ab eodem consessu: Priùs autem, & nominatim ab omnibus privilegiis, in suis diplomatibus contentis, rebusque suprà dictis contrariis,desistere debent. Aliàs verò,si in hac parte peccent, atque alia diplomata impetrent; præsentia erunt irrita, nulliusque valoris. *Jam verò audite, quæso,clausulam longè magis inauditam suorum diplomatum, anni 1584. quâ non solùm nos,qui agimus adversùs illos; sed & vos,Senatores,qui hujus causæ notitiam habetis; imò etiam ipsi,qui in Urbe Poissy Decretum illud fecerunt,omnes*

simul

ſimul anathematiꝰ rei ſumus. Præcipimus igitur, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec-non inhabilitatis ad quævis officia & beneficia ſecularia, & quorumvis ordinum regularia, eo-ipſo absque aliâ declaratione incurrendis; quarum abſolutionem nobis & ſucceſſoribus noſtris reſervamus: Ne quis, cujuscunque ſtatûs, gradûs, & præeminentiæ exſiſtat, dictæ Societatis inſtitutiones, conſtitutiones, vel etiam præſentes, aut quamvis earum, vel ſuprà dictorum omnium articulorum, vel aliud quid ſuprà dicta concernens, quovis diſputandi, VEL ETIAM VERITATIS INDAGANDÆ QUÆSITO COLORE, directè vel indirectè, impugnare, vel eis contradicere audeat.

Quinto *& poſtremo loco; ne quidquam diſsimulemus, in causâ tanti ponderis, & cujus promtum exitum omnes Boni avidè exſpectant. Quis neſcit, nullum ex hoc conſeſſu, anno 64. tàm cordatum fuiſſe, qui apertâ oratione adversùs conjurationem Hiſpanicam agere auderet? Rota, furca, ſatis idonea ſupplicia non fuiſſent in illos, qui hoc auſi fuiſſent! Quid igitur hodiè adferetis, exploratores Hiſpani, quo vos tueri poſsitis? Nos prateriio tempore vos pertuliſſe? At contrà id exſilium veſtrum accelerare debet: vis ſcilicet, violentia, tyrannis veſtra, veſtrorumq; aſſeclarum, veſtrorum Hiſpanorum: qui nobis manus vincierunt, ora obturârunt: qui tantum animorum vobis addiderunt; & in tantam ſuperbiam authoritatemq; vos evexerant: vos, inquam, ſceleratiſsimos homines, cruentis manibus, immani avaritiâ, nocentiſsimos, ac ſuperbiſsimos; quibus fides, decus, pietas, poſtremò honeſta atque inhoneſta omnia, quæſtui ſunt.*

Non autem ſoli ſceleſti fuerunt Jeſuitæ! Quâ in re pejores cenſendi. Si enim ſoli noxii: malum noſtrum fuiſſet levius. At grandis Francorum ab ipſis corruptorum caterva, miſeriarum noſtrarum copiam peperit. Hodiè tamen, inter illam multitudinem ſe-ſe occultare, & latebras quærere vellent; ſocietate culpæ invidiam declinare cupientes, quaſi publicâ viâ erraverint. Contrà verò, quantò major ſceleratorum numerus; tantò uberiores Jeſuitarum fructus. Jeſuitæ ſui ſimiles nequam reddunt.

Præterea, ſentina illa ſexdecim latronum, ſuorumq; aſſeclarum, nónne jam in Hiſpaniæ fines ſe recipiunt, extorres perpetui ab aurâ Gallicâ, quam peſtiferâ ſuâ lue tamdiù conſpurcârunt? Heus! Quid hîc Jeſuitæ adhuc gerunt? Quid gerunt? An non ſatis nobis manifeſtum? Quos ambitus, quas violentias, quas corruptelas, quas ſeditiones, huc-uſq; non pertentârunt? Credite, Senatores, ipſos nuſquam otiari. Mobiles ejuſmodi animi, ad excogitandum acutiſsimi, ad audendum impudentiſsimi, ad efficiendum acerrimi, inutiles non ſunt. Singulis diebus literarum faſciculos ex Hiſpaniâ, & omnibus Galliæ angulis, recipiunt; Sueſsionemq; transferendos curant, extra portam ipſimet clàm deferentes: (nam Jeſuitam perſcrutari & excutere, crimen eſſet Majeſtatis læſæ: nec ullus adhuc militum Tribunus id auſus fuit:) in cœnaculo ſuo ſecretario, omnes conjuratores in hanc Rempub. recipiunt. Quis autem aliquem ex ſexdecim ſuperſtitem, mortemq; noſtram conjurantem, aggredi audebit: ſi ipſe in Templum, & ad confeſsionem apud Jeſuitas, ſe ititare ſimulet? Siccine igitur nos ab iſtis hypocritis illudi patiemur? Imitabimúrne ſemper illos Barbaros, qui machinas in muros ſuos applicatas ludicro excipiebant; donec ſe tandem acriter diverberatos, & expugnatos, ſenſerunt? Patiemúrne, hoſtes noſtros nau-

naufragii sui tabulas denuò connectere? Jesuitas conjurationes innovare? in conscientiis hominum, qui numero sunt potiores, de novo factiones suas instaurare?

Nihil certè magis in hoc negotio admiratione dignum, quam fieri potuisse, ut procrastinationes & juris formulæ exspectatæ fuerint: nec potiùs, nulla concessâ ipsis veniâ, ambitu propugnaverimus, quod scelere cõmiserunt. Non eodem modo, quo Burdigalâ ejecti fuerunt. Maximũ & insigne Polemarchi Matignonei *facinus, præter innumeros lauros, quos ex victoriis suis reportavit! Audax & magnanimum hocce suum facinus, Aquitaniam incolumem præstitit; quæ tunc in ruinam collabebatur, reliquumq; secum trahebat.* INCLYTE & GENEROSE POLEMARCHE, *tu nec calumnias, nec sceleratas linguas veritus es; nec fœtidos sermones, ab his eructatos, qui in medio nostrûm se Regis studiosos falsò profitentes, fovent, sustinent, & præsidio favoreq; suo extollunt, crudeliores, detestabiliores, & factiosiores Regiæ Majestatis hostes. Tandem verò cum suis Jesuitis pessimè perdentur sublatis bellis suis considerationibus: quarum præcipua est;* Quid Romę dicetur? *Heus! Quid dictum fuit de Polemarcho Matignoneo? Distinguamus loquentes. Hispani, procul dubio, Jesuitarum expulsores hæreticos esse omnes, pronuntiabunt. At verò, sunt'ne aliter loquuti, tùm de nobis, qui Regis fortunam sequuti sumus, tùm de illis, qui superstites in hac Urbe, legis Salicæ abolitionem tam fortiter, & cum tanto vitæ discrimine, impediverunt? An non Hispani eos Lutheranos, & hæreticos, omnes vocitârunt? Contrà verò, qui sive Romæ, sive in Italiâ, Castilianæ factionis non erunt, dicent; Francos jam-tandem veram libertatem sibi vendicare velle, & Hispaniæ hostes perpetuos fieri: atq; adeò ipsos jam tandem aciem oculorum in rebus suis aperuisse; cum exploratores hostium suorum exsilio pellunt: demq; ipsos tandem frui velle valetudine vegetâ & constanti; cùm hosce humores atros, adustos, & malignißimos, dejiciant.*

Jesuitarum miracula in Indiis. *Verùm enimverò, etiamsi Jesuitæ in Francia fuerint perniciosi: in Indiis saltem multa miracula ediderunt! Rectè quidem, & à nobis diligenter observandum. Etenim, simul cum suis Castilianis, 20000000. hominum innocentium, vel (ut Historiæ habent) agnorum, ferro & igne peremerunt. Ethnicismum quidem sustulerunt: non Ethnicos ad salutem convertentes; sed carnificum more laniantes.*

Insignis verò est ratio, quâ Insulam Hispanicam *indigenis suis devastârunt! omnes mares seorsim ad minerarum opera; fœminas seorsim quoq; ad agriculturam, relegârunt! Sic, cùm nulli porrò renascerentur; & vivi pepetuis immanitatibus extinguerentur: tantum effecerunt, ut in illa Insulâ, præter Castilianos, duodecim annorum spacio, superstites nulli fuerint.*

In Peru, *publicè in foro tormenta habent; in quibus mille simul homines collocant, & militibus lixisq; torquendos tradunt, ut thesaurorum locos detegant. Quando miseri illi homines carnificum manus effugere possunt, in montibus simul cum suis conjugibus & liberis, a miserâ illa vitâ, suspendio se-ipsos liberant. Portentosi illi tyranni, homines illic, ut hic cervos, venantur: molossis & [illegible] illos laniant, quos vel certum [illegible] petitum mittunt: alios quoque tuberonibus, dum circa loca maris periculosissima margaritas expiscari jubent. Si in militiam ærumnosos istos homines circumducant, nequicquam alimenti ipsis subministrant; sed hostium carnibus vesci cogunt: eo quidem modo, ut ipsorum exercitus mera sint carnis humanæ macella. Nos verò demiramur immanitates, quas hic*

hic excercuerunt: quæ, respectu aliarum, quarum illi egregii sunt artifices, humanitates haberi possent. Cupiditas autem habendi in illis tanta est, ut naves suas triplo majori horum mancipiorum numero onerent, quam par sit: quorum corporibus posteà tantâ copiâ mare consternunt; ut ad iter, ab insulâ Lucayos *ad* Hispanicam *usque, (quod certè longum est conficiendum) non opus sit nec magnete, nec mappâ: sed sequi tantùm tramitem, cadaveribus fluctuantibus conspicuum.*

Heus Franci, terq; quaterq; animadvertite! animadvertite immensum Dei favorem, qui vos ab hujus portentosæ & abominandæ gentis servitute eripuerit. Supremi ipsorum in vos favores fuissent, cathenæ & compedes. Plenis navibus vos in Indias transvexissent, ad metallorum opera laboraturos: dum ipsi intereà, novis coloniis oppida vestra, agrosq; vestros colendos darent. Nihilominùs tamen id fuisset Religionem Catholicam instaurare; mactando & cathenis vinciendo omnes veros Catholicos; nullosq; alios in Franciâ relinquendo, quàm atheos, grassatores, parricidas, incestuosos, & stipendiarios Hispanicos.

At objicient: Si Jesuitæ tantorum scelerum rei sunt; habendum est de illis judicium. Respondeo: *Præfectus, in causarum generali cognitione, adversùs hos, quos libuerit, agere poterit. Veruntamen Academia, Regis filia primogenita, (quæ nullo modo linguæ suæ parcet; quin adversùs istos vociferetur, qui patri necem moliuntur) sustinet, consentaneum esse, ut omnes intereà in exsilium pellantur; dum illi, qui nunc in carcere detinentur, judicium subibunt? Lenta remedia, & segnes Medicos, non expetunt mala nostra.* Num longi processus judiciarii cum Jesuitis instituendi?

Historia Fratrum Humiliatorum & Cardinalis Borromæi, & nota est, & recens. Unus ex istis Fratribus homicidium in Cardinalem aggressus fuerat: universa confestim Societas extincta fuit: illiusq; assecla Italiâ pulsi, à Papâ Pio V. hoc nomine digno: qui in Turcas conjurationes suas struebat; non in hoc regnum, sicuti isti fecerunt. Nunc verò Jesuitæ non exterminabuntur; qui Regem Franciæ conficere conati sunt? qui Varadeo, ejus rei authori, locum evadendi dederunt? quicunque hujus Propositionis assertores sunt: pluris faciunt Cardinalis vitam, quàm Regis Franciæ, qui filius est primogenitus, & Ecclesiæ protector.

Lex civilis aquâ & igni interdicit, & omnibus miseriis destinat pueros lactentes illorum, qui in Principis vitam quidquam aggressi fuerint: metuitur, ne in exemplum trahatur. Nos verò Varadei socios, ejusdem voti, studii, & consilii participes, quiq; ipsi evadendi viam patefecerunt, conservabimus? ità ut, quotiescunq; unus Jesuita in caput Regis perniciem attentaverit, solus ille abigatur. Egregium sanè decretum: ut sic viginti Reges citiùs intereant, quàm Jesuitæ universi in exsilium agantur! Qui ità sentiunt, non gravatè Regem mutarent. Si ad cædem destinarentur; sicuti quondam Templarii: capitis damnandi essent.

Sed quid objiciunt Jesuitæ? Se venisse in Galliam, tot commoda nobis adlaturos! At experientiâ compertum est, ipsos nobis ruinam attulisse. Quid opus longiori juris formulâ? Ferant ea commoda ad hostes nostros. Insignis exstat, in hanc sententiam, locus apud Tacitum: Si, Patres conscripti, unum id spectamus, quàm nefariâ voce aures hominum polluerint: neque carcer, neque laqueus sufficiant. Est locus sententiæ, per quam neque impunè illis sit; & vos severitatis ac clementiæ non pœniteat: aquâ & igni arceantur. *Hoc sit contra Jesuitas senatusconsultum.*

Præterea, ante annum 85. opus fortè fuisset, hanc juris formam observare: hactenus enim flagitiis & sceleribus velamenta quæsiverunt. At nunc, in tantâ rei & juris notitiâ, nec scriptis, nec testibus indigemus. Eleganter Quintilianus: Quædam sunt crimina læsæ Reipub., ad quorum pronuntiationem soli oculi sufficiunt. *Et Seneca in hanc sententiam, 10. controvers.* An læsa sit Respub., non solent argumentis probare: manifesta statim sunt damna Reipublicæ. *Si Julius Cæsar vinculis cohiberi potuisset: an opus fuisset testes adducere, qui probarent, ipsum Rubiconem transivisse, & armatâ manu in Italiam venisse, ac thesauros publicos expilâsse?*

Poëtæ pictoresq;, Justitiæ districtum ensem affinxerunt: ut ostenderent, non ubique opus esse, scrupulos & temporis longitudinem admittere: nec malos Chirurgos imitari, qui remedia morbis applicare cunctantes, exspectant; donec ægri vires dejectæ sint & nullæ.

Quid autem est Manifestum? *Uno verbo ab omnibus nostris doctoribus definitur,* Quod fit coram Populo. *O` utinam Jesuitarum crimina tàm grandia, tàm certa, tàm manifesta non fuissent: tot calamitates non pertulissemus!*

O` utinam arguerem, sic ut non vincere possem
Me miserum! quare jam bona causa mea est.

Sed nihil integrum Advocato reliquerunt. Res enim manifestissimas inficiari, augentis est crimen; non diluentis. *Philo Judæus, in X. Dei mandat. agens de voce* DEI, *exquisitam rationem reddit, cur esset aspectabilis?* Quia *(inquit)* verba Dei non solùm sunt voces; sed opera. *Vulgatum est proverbium:* Vox Populi (Bonorum putà; non plebis) vox Dei. *quia de rebus manifestis loquitur; de rebus conspectis, neque mendacii suspectis.*

At inquiunt: Non omnes Jesuitæ advenæ. Quasi verò non nobis adoptivi Hispani, quàm nativi, multò magìs nocuerint! Ego potiùs cives credam, qui, in extremâ Scythiâ nati, benè de Galliâ cogitant; quàm qui Lutetiæ geniti & educati, locum, libertatem, gloriam, in quâ nati sunt, per summum scelus perdere velint, & conentur. Commolet, Bernardus, *& reliqui ejusmodi, an' non nati sunt Franci? An verò quiquam impudentiores fuerunt, in evomendo omni blasphemiarum genere, in Regiam Majestatem, & defuncti Regis memoriam? aut quiquam fuerunt, qui pertinaciùs Reipublicæ nostræ statum evertere conati fuerint? Etenim, dummodò speciem Religionis obtendant; quodcunq; hoc prætextu admittitur, mißio est. Interficere, aut interficiendos curare Reges, à Papâ exsecrationis damnatos, præcipuum est mißionis caput.* Varadeus *ipse, qui sicarium illum Melodunensem adhortatus est, nónne fuit Parisiensis? O` quàm pridèm Jesuitarum ordo pulsus & exterminatus è Franciâ fuisset; si nobiscum nulli alii commixti fuissent Hispani, quam qui citra Pyraneos nati sunt! Beneficia favoresq; immensi, quos Rex Philippus Jesuitis largitur, satìs arguunt; quàm optimos clientes, & apta dominationis suæ organa, illos æstimet. Magna navis Jesuitica, quæ ex Indiis aurum ipsorum mercesq; vehit, (hinc-indè enim corradunt; ut thesauros, quos tùm Romæ, tùm in Hispaniâ habent, augeant,) magna, inquam, illa navis, Regi Philippo nullum vectigal pendit. indè illi, tertio quôq; anno, bis-centum-millia Aureorum percipiunt. Præterea, Rex Philippus, ut Regni Lusitanici acquisiti illos faceret participes; munus, quod tertio quôq; anno,*

Jesuitarum divitiæ Indicæ.

anno, Reges Indiarum orientalium, Regi Lusitaniæ offerebant, illis cessit: quod, tùm in auro, tùm in gemmis, tùm in aromatibus, 400000. Coronatorum æstimatur. Ergo, ut tot liberalitatibus gratiam rependant: de illo loquuntur, tanquam de maximo omnium Principe, Romanis viribus superiore; & plus terrarum, quàm quisquam alius, occupante. Pergite verò, Hispanici animi, & Regis Castiliæ potentiam laudibus concelebrate! Cardinales vos omnes, sicuti Tolerum *Jesuitam Hispanum, creabit. Exigua sacerdotia non admodùm curant: (ad mensam nihilominùs suam plurimos Primatus, & Abbatias, connectunt & copulant:) sed Cardinalem fieri, ut sternatur via ad Papatum, non est rejiciendum. Quis autem tam duro & insolenti sermone* Ducem Nevertium *excepit; nisi iste Jesuita, Cardinalis Hispanus? qui tàm perfrictâ fuit fronte; ut ausus sit illi dicere, proximè præterito mense Januario: Oportere tres Primates veniam petere à Cardinale sancti Severini, Inquisitionis Præposito; eò quòd conversioni Regis interfuissent. Quanta ignominia; quantæ blasphemiæ, in Regem & sanctam Religionem! petere absolutionem, ob præstantissimum, utilissimum, & magìs necessarium facinus, quod in Christianitate fieri potuisset. Cùm verò Hispano sit incommodum: illud semper Jesuitæ condemnabunt; & pœnitentiâ veniâq; dignum pronuntiabunt. Idcircò, cùm primùm hæc conversio divulgata fuisset: Parisiis Romam confestim miserunt* Du-Puy; *qui Papæ persuaderet, simulatam esse hanc conversionem.*

Sed jam tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere. — — — .

Cur autem in dubium vocamus, an oporteat istos sicarios & percussores aquâ & igni interdicere? Cum ab anno 1550. (prout à D. Mesnilleo *Advocato prudenter, in Actione suâ, observatum fuit) Jesuitarum diplomata, ab illis Senatui oblata, obsignata Cardinale Lotharingio præsente, & fundata in eo quòd in Hispaniâ fuissent accepti, (egregia certè ratio!) à Senatu, Semestribus congregatis, penitùs & purè rejecta fuerint? Quarto posteà anno, cùm Jesuitæ importunitate uterentur; Senatus Sorbonæ antistites consulere voluit: qui, quatuor diversis diebus consessus habentes, præside dubio procul Spiritu sancto, afflatu revera divino, eos subolfecerũt; & Reipub. Religioniq; periculosissimos & perniciosissimos judicarunt; aptosq; ad innumeras discordias, actiones, & dissidia inter Gallos excitanda.* Jesuitæ mox à principio in Galliâ rejecti.

Hæc nova Societas, insolitam nominis JESU appellationem peculiariter sibi vendicans, tàm licenter & sinè delectu quaslibet personas, quantúmlibet facinorosas, illegitimas & infames, admittens; nullam à secularibus Sacerdotibus habens differentiam, in habitu exteriori, in tonsurâ, in horis canonicis privatim dicendis, aut in templo publicè decantandis, in claustris & silentio, in delectu ciborum & dierum, in jejuniis, & aliis variis legibus ac ceremoniis; (quibus status Religionum distinguuntur & conservantur) tàm multis, tamque variis privilegiis, indultis & libertatibus donata, præsertim in administratione sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ; idque sinè discrimine locorum, aut personarum; in officio etiam prædicandi, legendi, & docendi, in præjudicium Ordinariorum; imò etiam Principum & Dominorum temporalium; contra privilegia Universitatum; in magnum Populi gravamen; Religionis monasticæ honestatem violare videtur: studiosum, pium, & ne- Decretum Sorbonæ in Jesuitas.

cessarium virtutum, abstinentiarum, ceremoniarum, & austeritatis, enervat exercitium: imò occasionem dat, liberè apostarandi ab aliis religionibus: debitam Ordinariis obedientiam & subjectionem subtrahit; Dominos, tàm temporales, quàm ecclesiasticos, suis juribus injustè privat: perturbationem in utrâque POLITIA, MULTAS IN POPULO QUERELAS, MULTAS LITES, DISCORDIAS, CONTENTIONES, ÆMULATIONES, REBELLIONES, VARIAQUE SCHISMATA, INDUCIT. Itaque, his omnibus diligenter examinatis & perpensis, hæc Societas videtur, in negotio fidei periculosa; pacis Ecclesiæ perturbativa; monasticæ religionis eversiva; ET MAGIS IN DESTRUCTIONEM, QUÀM IN ÆDIFICATIONEM.

Jesuitę hermaphroditi sunt: neque Seculares, neque Regulares.

Antequam conjurationis, ab ipsis initæ, effectus in lucem venirent; admirabundi in Academiâ nostrâ dicere solebamus: Quódnam hoc hominum genus? An Regulares, vel Seculares? tertium enim genus nullum habemus. Seculares non sunt: quia in societate vivunt; Præpositum habent: Paupertatis quoque votum profitentur; licèt tamen decernere possint de bonis Collegiorum suorum. Non sunt quoque Regulares: quia nullis regulis sunt adstricti, neque jejuniis, neque ciborum discriminibus, nec certis quibusdam ministeriis. Possunt quidem successionem obtinere; non autem à juramento præstito solvi. Quatuor, sive quinque votorum genera usurpant; simplicia, composita, solemnia, secreta, publica. Omnia denique (ut paucis absolvam) pervertunt, confunduntq;. & rogati, quales sint? *respondent;* Tales, quales. *Maximis (inquam) tunc temporis admirationibus afficiebamur; quæ nunc finem habuerunt. Cur verò? Quia (ut uno dicam verbo) nec Regulares sunt, nec Seculares. Quid ergo tandem? Veri Hispaniæ exploratores; qui appellationem quamlibet recipient. A' lectionibus, si ità libeat, desistent: omnia juramenta præstabunt,* sub veniæ spe, ad cautelam: *dummodò liberè liceat illis prodere, explorare, falsis rumoribus & novis nuntiis, in commodum Regis Hispaniæ effictis, plebejos animos imbuere; incendere & accrescere seditionum nostrarum ignem. Hæc sunt ipsorum desideria, vota, professio, regulæ, consilia, summum deniq; bonum.*

Damnati quoque in Italiâ.

Soli autem Sorbonæ Parisiensis Professores, eos non condemnârunt; sed etiam optimi quiq; Romani, animadvertentes Ignatii Hispani consilia, iis se-se opposuerunt. In quam sententiam hæc sunt verba, quæ ab ipsismet in Vitâ Ignatii *inseruntur, pag. 144.* Posteà verò, Ignatio ejusmodi instituti confirmationem scriptam postulante, negotium à Pontifice maximo tribus Cardinalibus datum est: qui ne res conficeretur, magnoperè pugnabant; præcipuè verò Bartholomæus Guidiccionus Cardinalis, vir pius quidem atque eruditus; sed qui tantam Religionum multitudinem, quanta nunc quidem in Dei Ecclesiâ cernitur, minimè probaret: Conciliorum Lateranensis ac Lugdunensis decretis fortassè permotus; quibus nimirum novarum Religionum multiplicatio prohibetur: aut certè propter quarundam laxam fluxamque disciplinam; quam in pristinum statum revocandam censebat potiùs, quàm novas religiones instituendas: atque de eâ re librum dicitur scripsisse. Quapropter, cùm id sentiret; acriter nostris restitit, & Societatis confirmationi unus omnium acerrimus repugnavit. Aliqui nonnulli conatus cum illo suos conjunxerunt. *Quare ergo, tot objectis impedimentis,*

tis, recepti fuerunt? Quia scilicet, quarti voti promissione, obsequium definitè Papæ obferunt, supra omnes orbis terrarum Principes. Hæc sunt ipsorummet verba, quæ exstant in eodem libro, pag.144. Quorum quidem religio, Clericorum regularium esset: institutum verò, ut summo Pontifici ad nutum præstò forent; & omninò ad eam normam vitam suam dirigerent, quæ multò antè meditata, & à se esset constituta. Quod quidem Pontifex, tertio Septembr. Tibure, LIBENTER AUDIVIT, anno 1539.

Ergo rejecti fuère in Galliâ & in Italiâ, ab omnibus insignioribus Catholicis nondum-Hispanis. Nisi forte fronte tàm perfrictâ fuerint, & illi, qui eos tuentur; ut ausint dicere, Sorbonam anno 54. cùm illud Decretum adversùs illos tulit, hæreticam fuisse. Sicuti tàm profligati sunt pudoris, ut inter mulierculas suæ concionis disseminent; hos omnes, qui hanc causam persequuntur, hæreticos esse: qui vel Genevâ, vel ex Angliâ, huc venerint. Et, si ego ipse, qui verba facio, notus non essem, à pueritiâ, quæ in regio Navarreno collegio educata fuit; atq; professio mea publica, & admissio ad munia publica & honorifica obeunda, ab anno 80. & 85. me non ab ipsorum dolis & technis eximerent: libentissimè, indè me missum, ut contra illos agerem, fingerent. Sed quis, in Jesuitas agens, bonus haberi poterit Catholicus: cùm Sorbonam ipsam, ab Inquisitione, hæreticam declarari curaverint? Hæc namque ab ipsismet percepimus; qui gloriantur, se, conspecto hoc Sorbonæ in ipsos Decreto, ad Inquisitionem Hispanicam confugisse: ut tùm Sorbonam ipsam, tùm Decretum Sorbonæ, damnandum curarent. Videte, Senatores! Quis effugere poterit manus Inquisitionis hujus inhumanæ, barbaræ, Hispanicæ: quæ pedica est omnibus, magnitudinem Castilianam oppugnantibus; officina omni crudelitatum genere cruenta; suggestum omnium formidinum, & horrorum tragicorum, qui usquam excogitari possunt? Quis, inquam, manus hujus Inquisitionis effugiet: cùm ipsa Sorbona Parisiensis in condemnationem incurrerit? At ubínam hæc condemnatio? En illam, in Vitâ *ipsorum* Ignatii, pag.403. Porrò in Hispaniâ, quòd Sorbonense decretum contra sacrosanctam Sedis apostolicæ esset authoritatem, à quâ religio nostra probata & confirmata est; fidei quæsitores illud, tanquàm falsum, & quod pias aures offenderet, suo decreto, legi prohibuerunt. *Nec est mirandum, Inquisitionem de Jesuitis tantoperè esse solicitam. hæ enim ambæ institutiones nullum alium scopum spectant, quàm ut in Europâ tyrannidem Hispanicam stabiliant.*

Jesuitæ sunt impudentes socii.

Nos verò adhuc algebimus, in exterminandis illis, qui ex Hispaniâ præsidium petunt adversùs id, quod in Franciâ decernitur? qui res nostras hosti nostro patefaciunt? qui cunctas proditiones moliuntur? qui ingenia nostrorum adolescentium depravant? nec quicquam magis in votis habent, quam Regi nostro cædem parare? Quid præterea exspectamus? Opportuni magnis conatibus transitus rerū: nec cunctatione opus est. Justissima singulorum odia in illos parata sunt. Vulnus, quod suis calamitatibus inflixerunt, est adhuc recens. Aut hæc concio Franciam à novis istis portentis, ad ipsam membratim concidendam solùm progeneratis, liberam præstabit: aut, si illorum technæ, artificia, & sparsi rumores, eos stabiles efficiunt, clarâ voce id pronuntiabo; (rationem occludendi basce fores invenerunt: sed vox mea ad singulos Regni angulos pervolabit: eamq; posteritati consecrabo; quæ absq; passione judicabit, quínam exstiterint meliores Franci, ac cupidio-

res, partam à Majoribus nostris libertatem ipsi incolumem relinquere.) *clarè, inquam, id pronuntiabo, &, quantum potero, voce contendam: Plus nobis, quàm unquàm anteà, malorum adferent! Nescio, an vires nostræ adhuc integrè sint futuræ; & an iterum fortunas & vitam nostram tàm libenter in discrimen objecturi simus.*

Ubi Jesuitæ; ibi Bonis omnia mala sunt parata.

Pectore concipio nil, nisi triste, meo.

Res humanæ, temporis momento prætereunt, & diffluunt. Segnes nautæ, serenitate in portu gaudent. Vincat sententia, quæ diem non profert. *Quid enim differre proderit? Ut sit nempè illis tempus, consilium peragendi, lacrymis refertum; nec-non omnium bonorum sanguine cruentum. Tygres Leonesq; nunquàm feritatem exsuunt: aliquando submittunt; &, cùm minimè exspectaveris, exasperatur torvitas mitigata. Ità mihi salvâ Repub. vobiscum frui liceat: ut ego, quòd in hac caussâ vehementior sum, non atrocitate animi moveor; sed singulari quâdam humanitate & pietate. Percussor ille Melodunensis, perpetuò mihi ob oculos versatur. Quamdiù Jesuitæ, horum sicariorum confessores & adhortatores, in Galliâ commorabuntur; animus meus quietem capere non poterit: in exsilium acti, securitatem mihi adferent. Tunc nefaria Hispaniæ consilia, in Franciâ irrita videbo. Tunc extinguentur omnia illa sodalitia, nominis Jesu, Lori, Virginis, Chlamydis, Tesserarum precariarum, Brevis collaris; & innumera generis ejusdem. Tunc, quò se recipiant proditores in Rempub. conjurantes, non habebunt. Neque enim ad Legatum Hispaniæ se conferent; qui apud nos locum non habet. Nec apud suspectum: sic enim citò detegerentur. Accedit, quòd privatorum defunctorum scripta, in Magistratuum manus deveniunt. Sed hæc Societas morte non deletur: conventusq; illorum, religionis prætextu, semper obvelantur. Deniq;, ex centum hominibus, qui in illis fiduciam collocant, vix unus aut alter familiari suo arcanum patefaciet.*

Nesciet hoc quisquam; nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es. —— ——

Sicut igitur in corporibus ægris nihil, quod nociturum sit, Medici relinquunt: sic nos, quidquid obstat libertati, recidamus. Neq; imitemur ægros biliosos, qui medicinâ uti nolunt, ad integram valetudinem instaurandam: sed partem tantùm morbi demunt, quæ ex humore bilioso profluit; tandem verò molestissimos dolores, & dira tormina, cum fœnore experiuntur. Epileptici à paroxysmis, odoribus quibusdam excitantur; non autem sanantur. ad exiguum momentum prosunt: nec remedia doloris sunt; sed impedimenta.

Jesuitæ etiam locum habere non possunt, in declaratione à Rege factâ; quæ hanc exceptionem habet his verbis: Excepto homicidio & perfidiæ facinore, in personâ defuncti Regis, Domini & Fratris nostri honoratissimi, (quem Deus absolvat) perpetrato, & in nostram suscepto. *Quæ quidem ad nullum alium, nisi ad Jesuitas, referri possunt: qui Lugduno primùm, Parisiis deindè, percussorem Regis miserunt. Accedit, quòd Rex edicto suo, 4. April. 1595. nullis aliis veniam dat;* nisi iis, qui à conjurationibus & consociationibus, intra Regni fines, sive extra, contractis, discedent. *Cùm autem præcipuum Jesuitarum votum sit; ut in omnibus Præposito suo Hispano, & Papæ, obsequium præstent: non fieri potest, ut consociationem illam omnium conjunctissimam abdicent; nisi quoq; Societatem suam deserant. Paucis dicam: Jesuitæ esse nequeunt; & locum habere in Regis edicto. quod hæc prætereà habet:* Oportere, intra

Mensis

Mensis spatium, has abdicationes & renuntiationes fieri, & fidei juramentum præstari. *Quod se fecisse Jesuitæ, aut facere paratos fuisse, nullis actis testari poterunt. Neque etiam hujus rei sunt capaces. cùm nullus duorum dominorum vasallus esse possit.*

Eleganter est ab Antiquo quodam dictum: Quid prodest, strenuum esse in bello; si domi malè vivitur? *Dum Rex est in armis, ut hostes suos profliget, internecione deleat, & in fugam vertat; utq; contumaces civitates per vim expugnet: intereà, dum æstus Solis, frigora hyemis, patitur; dum vitam suam, pro libertate nostrâ, belli discriminibus obfert: nósne permittemus, Jesuitas, in præcipuis ipsius civitatibus, novos hostes suis confessionibus suscitare & conventus rebellionis & perfidiæ habere? Quemadmodum, adversùs pestilentiam, nihil prodest diligens cura valetudinis: (promiscuè enim omnia invadit) sic etiam frustrà Magistratus soliciti sunt; frustrà hinc indè cursitant. quamdiù pestis mediam Urbem & Academiam occupabit; tamdiù cives nostri catervatim peribunt.*

Jesuitis in Galliâ commodius tempus nullum unquàm fuit eo, quod his belli temporibus viguit: quod libenter, cum Commodo, aureum seculum *vocâssent. Vident enim, cætera Collegia præsidiariis turmis suis peregrinis referta, & ab his quotidiè diruta. Vident, omnes Studiosos secum; & universam Academiam ad solum Collegium Jesuiticum redactam: quo in statu ferè etiam hodiè conspicere licet. Fidem superat, quas strages ediderint in juvenilibus ingeniis: quibus, tùm in lectionibus universis, tùm in thematibus, nullas alias rationes dictant; nisi eas, quibus docent; licitum esse, homicidium in Regem suscipere. Sed leve est malum, quod Parisiis perpetrârunt; si cum eo conferatur, quod in reliquis oppidis ab illis commissum fuit.*

Qui incommodum Academiæ, Urbis mœnibus circumcludi, ajunt; malè rerum veritatem perpendunt. Siste enim rivos, ex quibus conjunctis majora conflantur flumina: hæc quoq; arescere necesse est. Sinite in omnibus provinciis Jesuitas: arescet necessariò Academia Parisiensis. Sola profectò collatio supremi gloriæ gradûs, in quâ vos Senatores Academiam nostram sublimem conspexistis, facta cum decessu illius, continuò ab eo tempore, quo Jesuitæ in Galliam venerunt, & in singulis civitatibus sedes posuerunt, ex quibus Studiosorum copia confluebat: immensa quoq; paupertas, calamitas & penuria, quibus hodie premitur, & in agonem extremum perducitur; nisi à vobis Senatoribus, alumnis suis, præsidium accipiat: nónne satis superq; sufficiunt, ut vobis demonstret jus legitimum querelæ suæ; & petitionis, quam à vobis nunc impetrare cupit?

Si conservationis dies non minoris est habendus, quàm nativitatis: ille sanè dies, qui Jesuitas è Franciâ in exsilium mittet, non minùs insignis erit; quàm is, qui Academiæ nostræ fundamenta jecit. Et, quemadmodum Carolus Magnus, liberatâ à Longobardis Italiâ, ab Hungaris Germaniâ, susceptâ bis in Hispaniam expeditione, & Saxonibus sæpiùs sub jugum missis, Academiam hanc Parisiensem instituit; quæ omnibus artium & scientiarum disciplinis, per octingentos annos, omnium florentissima viguit; asylumq; fuit literis, ab Asiâ exulantibus, & in Græciâ, Aegypto, & Africâ, extinctis: eodem planè modo HENRICUS MAGNUS, *depulsis armorum suorum robore Hispanis, exterminatis vestro senatusconsulto Jesuitis, Academiæ nostræ pristinum suum splendorem ac honorem restituet; nomenq; suum & laudes, in theatris nostris perpetuò celebrandas, exhibebit.*

bebit. Illius triumphi, victoria, & fortia facta, continuum carminibus nostris, & Panegyricis, argumentum suppeditabunt.

Vos verò, Senatores, quibus tanta felicitas est concessa, felicitas rara & expetenda; ut hujus tantæ causæ, tanti momenti, judicio interfitis: efferte, quæso, cogitationes vestras; & ad futurum usq; seculum protrahite. Nomen vestrum, vestraq; monumenta, æternis aureis literis, non in Academiâ nostrâ tantùm; sed etiam in omnium proborum & verè-Francorum cordibus, insculpta manebunt.

Aurea Clio,
Tu nihil magnum sinis interire;
Nil mori clarum pateris: recludis
Posteris prisci monumenta secli
Condita libris.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ.
Militat virtus tibi: te notante,
Crimina pallent.

Hanc igitur occasionem oblatam tenete; &, amplißimi orbis terræ consilii Principes vos esse, recordamini. Nolite dubitare, quin omnes ubiq; vestrum senatusconsultum confestim exsequantur. Ubi primùm fama illius reliquas Urbes attigerit; hosce Hispaniæ speculatores radicitùs exstirpabunt.

Qui verò objiciunt, Non licere Parlamento, nisi à suis finibus, eos arcere; non intelligunt, quales in hac materiâ limites Parlamentum obtineat. Nullos, scitote, alios terminos habet; quàm quos Regis victoris ensis mucrone sibi aßignabit: qui vestris senatusconsultis, in ipsâ provinciâ Pedemontii, authoritatem dabit: ubi prospera ipsius fortuna, Lilia Gallica tàm altè jam defixit; ut omnibus Hispaniæ tormentis, & machinis bellicis evelli nequeant.

. At Rex ipsis benè cupit! Quis credet, ipsum eos diligere, qui quotidiè vitam suam impetunt? qui omnes calamitates, quas Populus pertulit, conciverunt? Quam-primùm senatusconsultum vestrum pronuntiatum erit: centies-mille homines ejus exsecutionem differre non poterunt. Regia Majestas vos quodammodò suorum triumphorum participes facere cupit:

—— —— Veterumq; exempla secutus,
Digerit Imperii sub judice facta Senatu.

Ejecit Rex Parisiis præsidium Hispanicum armatum & apertum. Ejicite vos, Senatores, obtectum & secretum: ejicite illud, quod alterum introduxit; quod tamdiù illud sustinuit: quodq; illud duplo auxisset; si viam in Iserrâ offendisset, cùm Bellodunum usq; pervenerunt. Venit tempus, serius omninò, quam dignum nomine Francico fuit; sed tamen ità maturum, ut differri jam hora non poßit.

Animadvertite, quæso, Senatores, quousq; perveneritis! Ducem Mayenneũ *læsæ Majestatis & perduellionis publicè condemnâstis: Tyrannum Hispaniæ, & quoscunque ipsi ipsiusq; copiis consociatos, communes Christianitatis hostes proclamâstis. Egregia sanè vox! Curate, ut Viri sitis: & cogitate, quem in locum sitis progreßi. Eripuistis ipsis Lutetiam,*

tiam, quam suo imperio perpetuò submissam sperabant. Nihil magis ægrè ferunt; quàm quòd vestrûm omnium vitam non extinxerint. Nunc omnes uno ordine habent. Alias non indigeretis Bastilliâ. Sepulcrum esset Bastillia vestra: neque adhuc certò scio, an vobis id concessuri essent. DEUS hodiernâ die, in manu vestrâ, ipsorum omnia machinamenta & commercia penitùs abrumpendi, facultatem posuit. Cùm Jesuitas à vobis ejectos esse intelligent; se multis præliis profligatos æstimabunt.

Ne finite elabi, Senatores, tàm egregiam, tamq; opportunam occasionem, vos ab istis liberandi; quibus disciplinæ (non secùs ac Caracallæ) ad reliqua inutiles sunt, nisi ad mala perpetranda. Perpetuo exsilio mulctate hos homines, in omni nequitiarum genere omnibus superiores; tàm acres, tàm paratos, tàm audaces, tàm callidos, tàm in scelere vigilantes, tàm in perditis rebus diligentes. Cùm consurgetis, Senatores, sententias vestras adversùs illos collaturi: vos memores esse velim, quàm suave futurum sit exsilium illis; qui tantam vim opum in Hispaniâ, Italiâ, & Indiis, cumulatam habent: cùm anno 1530. exiguam tantùm pensionem, ut ipsimet testantur, ex Hispaniâ acciperent. Vos quoq; in mentem revocare velim, jacturam vestrorum cognatorum, familiarum, & fortunarum; vastationem tot provinciarum; interitum tot insignium Ducum, tot generosorum Nobilium, tot strenuorum Militum, interemtorum furore bellorum: quæ continuò ipsi inflammârunt; nec hodiè desistunt inflammare. Neq; ullo modo dubitetis, quin Francia, si tanto veneno illam expurgaveritis, idem contingat; quod corporibus gravi & diuturno morbo laborantibus: quæ meliorem & longè firmiorem valetudinem eâ, quam morbis perdiderant, adipiscuntur. Quando verò ipsorum Advocatus, ad Regis magnanimitatem & clementiam celebrandam, orationem suam convertet: recordamini Senatores, hunc esse Regem, cujus sanguinem suis votis appetunt; cujus mortem precibus suis exposcunt; cui, ab ipso Ignatii ipsorum fundatoris tempore, partem Navarreni Regni, suis artificiis, surripuerunt: nec hodiè quicquam magis conantur, quàm ut Francico illum spolient; quod Hispanico, Lusitanici instar, connectere & coadunare cupiunt.

DOMINE, nimia patientia tua fuit: nimiùm hos sicarios, hos percussores, in medio Regni tui, pertulisti. Tua quidem gloria, ad remotissima orbis terrarum imperia penetravit: ubiq; de tuis victoriis, & fortibus factis, sermones. MAGNI cognomen tibi perpetuò partum, & immortalitati consecratum est: admiranda fortia tua gesta. palmis manus tuas exornârunt: tuâ jam authoritate, temeritatem, perfidiam, & hostium tuorum manubia, pedibus conteris & conculcas. Sed non tibi soli natus es. Perpende, quæso, quàm debilitata esset nominis tui gloria: si in monumentis historiarum legeretur, te ab istis serpentibus interitum, & Subditorum tuorum ruinam, accepisse, quia eos suffocare, aut saltèm in exsilium agere, neglexeris. Rem habes cum hoste, patientiâ & contumaciâ insigni: qui spes & incepta sua, Regni tui potiundi, nisi cum animâ, non deseret. Cætera ejus artificia, irrita & debilia fuere. Superest remedium postremum, ut te scilicet, mercenariis Jesuitarum parricidiis, tollat: cùm prosperitatis tuæ curriculum illis rationibus supplantare nequeat. Patientiam, dissimulationem adhibebit; intereà tamen ad scopum suum collimabit. Quamdiù coloniæ istæ Jesuitarum in Galliâ commorabuntur; apud quos ipsius monita, ipsius litteræ perferuntur; à quibus illi percussores adhortationem, confessionem, communionem, & animos accipiunt: nihil erit, quod ipse facere nequeat.

Qui benè conjectat, hic bonus est vates.

Si tua Generositas hoc periculum contemnit: illud saltèm, in gratiam illorum, qui servitio tibi promti sunt, metue. Illi enim conjuges, liberos, fortunas, commoditates omnes, ut fortunam tuam sequerentur, dereliquerunt. Qui verò in principibus Regni civitatibus perstitére; carnificinæ sexdecim latronum caput exposuerunt: ut portarum fores tibi patefacerent.

Nunc verò, DOMINE, an non decet te, de animâ tuâ solicitum esse: ut ipsorum, tuæ inseparabiliter conjunctam conserves? Nónne decet te misereri tot mulierum, tot inopum puerorum; qui perpetuæ insolentiæ & crudelitatis Hispanicæ mancipia redderentur? Satis hostium manifestorum in Galliâ, Flandriâ, & in Hispaniâ, superest; contra quos nobis erit pugnandum. Arceto à tuis lateribus, hos domesticos parricidas. dummodò hos procul semoveris; reliqua nihil nobis terroris adferent. Hispanus, nisi per tuum sanguinem factâ viâ, ad servitutem nostram pervenire nequit. Jesuitæ, ipsius creaturæ, priùs non quiescent, quàm illum effuderint. Solicitudo tuorum fidelium, ipsorum parricidia huc-usq; impedivit. Sed si in medio nostrûm relinquantur; facilè poterunt novos percussores mittere: quorum conscientias confeßione expiabunt, & communionis participes facient, non secùs ac Barrerium. Nos verò in excubiis continuò esse non poterimus. Fieri profectò non potest, quin illi, qui rem eandem toties pertentant, optata tandem non assequantur. Animus ipsorum, cruentatus morte defuncti Regis, (cujus parricidium in Jesuitico Collegio determinatum & definitum fuit) & manifestâ illa aggreßione in tuam vitam, non sinit eos, neq; diu, neq; noctu, quietem capere. sed perpetuò meditantur, commentantur, mentibusq; revolvunt rationes; quibus ad extremum hoc facinus, in quo desideriorum & studiorum suorum cumulus situs est, pervenire poßint. Considerationes, quas illi, qui tuo interitu nullo modo se commoveri ostendunt, in medium adferunt; tot meræ & apertæ sunt proditiones, & perfidiæ. Cùm in tuto vitam tuam posueris; cùm tutum & stabilem, tot potentißimarum Urbium, statum reddideris, exterminato publico hostium tuorum consilio, quod adhuc Jesuitarum ope sustentatur: tunc nomen tuum trans Alpes terrorem incutiet: tunc tibi honor obsequiumq; exhibebitur, tanquàm primo Europæ Regi; Regi gloriæ & libertatis coronâ succincto, omniumq; baptisatorum maximo. Sed quamdiù interitum tuum, & omnium verorum Francorum ruinam, à conjurationibus, dolis, & confeßionibus Jesuitarum, sperabunt: tamdiù multas indignitates pati coactus eris; quas nullus Galliæ Rex unquàm pertulit.

Tu maximus natu filius ex familiâ omnium, quæ usquam fuerunt, nobilißimâ, augustißimâ, vetustißimâ: universum vitæ tuæ curriculum decorum est, trophæis, triumphis, lauris, victoriis, ex hostibus, qui conspectum tuum exspectare valuerunt, reportatis: omnes te prophetiæ ad orbis terrarum Monarchiam vocant. Quínam ergo sunt isti homines, isti proditores, isti spurii Franci; qui in animum tuum inducere volunt, metuendum esse, ne exteros offendas: ut illos sicarios, percussores, vitæq; tuæ perpetuos insidiatores, adhuc retineas? Reges Galliæ, aliis vivendi normam præscribere; à nullis accipere, consueverunt. Maximus exercituũ DEUS, qui suo ductu te in hunc locum evexit, ad res sexcenties majores te destinavit. Noli tamen monitus ipsius negligere: & cum sicariis istis Jesuitis, omnes illos qui, fortunam suam, in sepulcro tuo constituentes, eos in Regno tuo retinendos censebunt, procul à Franciæ finibus propellito.

Tandem

Tandem concludo, ut placeat Curiæ, subscribendo supplici Academiæ libello, edicere; ut omnes Jesuitæ ex Franciâ facessant; & à Regni finibus, terris, & provinciis Imperii Gallici, procul se summoveant, intra quindecim dies post Edicti annuntiationem factam, in singulis suis Collegiis sive hospitiis, compellando unum reliquorum nomine. Aliàs & si edicto non pareant, exactoq; prædicto spatio, illorum quispiam in Galliâ offendatur: ut confestim, nullâ aliâ juris adhibitâ forma, læsæ Majestatis reus in primo capite, & in Regis vitam conjuràsse, declaretur. Peto etiam, ut expensorum ratio habeatur.

Ad istam tàm vehementem & prolixam actionem ARNALDI Advocati, nihilominùs pervicerunt tamen, hoc adhuc tempore, Jesuitæ, cùm privatis efflagitationibus; cùm Principum summorumque Procerum suffragiis: ut lis mota suspenderetur, adeoque veterasceret. CAROLUS BORBONIUS Cardinalis, procellæ huic, tanquàm obicem, se-se opposuit, dato supplici libello ad hos, qui actioni huic destinati erant; cùm gravissimè decumberet: adjecto in calce, propriâ manu; *Si per valetudinem liceret, vox perageret, quod tremulâ manu exarat calamus.* LUDOVICUS GONZAGA, Dux Nivernensis, supplici itidem libello, non solùm rogat, in Nivernensi oppido, & Ambarris suis, museum Jesuitarum sartum salvumque relinqui: sed etiam, ob collegarum aliquot dementiam, non esse vindicandum in universos. CLAROMONTANUS Episcopus similiter intercessit. Jesuitę mutuis intercessoribus utuntur.

Nonâ quoque die Julii, anno 1594. supplicem libellum obtulerunt JESUITÆ, Facultati Theologicæ Parisiensi: in quo exposuerunt; Superioribus mensibus, Rectorem, tàm suo, quàm omnium Facultatum nomine, à supremâ Parlamenti Curiâ petiisse, ut ipsi, cum universâ Societate, ex toto Gallię regno pellerentur: Se autem non credere, sacratissimam Facultatem huic petitioni assensum præbuisse. petere igitur, quatenus placeret dictæ Facultati, declaratione aliquâ testificari; eam hujus petitionis, & litis intentæ, nullo modo participem esse. Facultas igitur dicta, in hunc modum decrevit: *Se quidem censere, Jesuitas redigendos & recensendos in ordinem & disciplinam Universitatis; non autem Regno Galliæ expellendos esse.* Et hoc quidem decreto, Societatem hanc non simpliciter approbavit Facultas Theologica; sed quatenus Universitatis decretis & statutis se-se subjiciat. Adulantur Academiæ Parisiensi.

Finitâ autem hac postremâ actione forensi, Scriptum apologeticum ediderunt Jesuitæ; in quo probare conantur: I. *Rectorem & Academicos non esse ferendos: cùm suâ non intersit; sed publicæ cognitionis, ac Triumvirorum fiscalium, in quorum potestate publica sit censura & animadversio.* II. *Decretum Maturinæum Sorbonicâ definitione convulsum, his verbis:* Censere, prædictos Patres Societatis Jesu redigendos esse in ordinem & disciplinam Universitatis; regno autem Gallico nullo modo expellendos. III. *Facultatem Artium decreto fidem abrogâsse, syngraphâ trium Procuratorum nationalium.* IV. *Decanum Professorum Juris Pontificii, Medicinæq; Syndicum, non de expellendis; sed tantùm in ordinem cogendis, cogitâsse.* V. *Rectorem penè unum Decreti esse conditorem.* VI. *Ex quadraginta circiter Pastoribus urbanis, quatuor esse duntaxat, qui controversiæ nomen dederint, Epi-* Edũt Apologiã, contra Sorbonam & Academiam Parisiẽsem.

ſcopo & Decano inſciis. non licuiſſe autem paucis, univerſorum nomine, in foro cauſam dicere. VII. *Sodalitium Jeſuitarum, in Tridentinâ Synodo, Pontificiis reſcriptis Pauli III. Julii II. Pii IV. & V. Gregorii XIII. & XIV. & à Clero Gallicano, in Poßiaceno conſeſſu, ab Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. atque à ſupremis Curiis, approbatum & receptum.* IIX. *Senatum Pariſienſem, non ſemel pias largitiones, & legata ſibi facta, addixiſſe.* IX. *Cameram rationalium computorum, immunitati Collegiorum ſuorum calculum adjeciſſe.* X. *Non eſſe quòd Rector ipſe, & commilitones Academici, conquerantur: ſiquidem parati ſint, jurare in verba & decreta Academiæ; Regi Henrico IV. ſummam fidem & intimum obſequium polliceri; colere & obſervare illum, pro ſuo legitimo Principe: qui à Ludovico IX. indigete ortum duxerit; quem ordo ſanguinis & cognationis, ac patriæ leges, ad avitum imperium acciverint.* XI. *Publicâ & univerſali clementiâ Regis, & rerum præteritarum condonatione, non eſſe excludendos, qui cum cæteris dictorum & factorum conſortium habuerint: ut publicis delictis; ſic gratiâ æquandos.* XII. *Si ſua domeſtica facta citra livorem excutiantur; minùs fuiſſe populares, tribunitios, & rerum bellicarum gnaros: cùm nec fœderationi publicæ, quam Unionem vocant, nomen dederint; ut ab Eccleſiaſticis, pro cæcitate illorum temporum, factum ſit. Non galeam, non arma induiſſe: non in publicâ luſtratione, nedum Eccleſiaſticorum, ſed Religioſorum armatorum, conſpicuos, aut irridendos potiùs fuiſſe: non externo auro, aut ſtipendiis, venalem fidem habuiſſe: non cœtibus illicitis, aut cruentis conſiliis, interfuiſſe; peccâſſe quidem exemplo, & cum cæteris publicam inſaniam inſaniviſſe: in-poſterum non eſſe metuendum ab illis, ut rebus aulicis & politicis ſe immiſceant, quandoquidem ſui Sodalitii privatis legibus, in novâ congregatione Romæ recenſitis, Novembri, 1593. cautum vetitumq; ſit diſtrictè; ut ab omni rerum ſecularium tractatione, & Principum negotiis, abſtineant.* XIII. *Si regno faceſſere cogantur, æmulorum invidiâ: non leve damnum bono publico illatum iri, cùm pii elargitores, conditoresq; ſui Collegii Claromontani, Legatorum indictionibus anniverſariisq; parentalibus priventur. Ex primariis patriciisq; viris non-paucos, emißis regno Jeſuitis, qui hoc inſtitutum profeßi ſint, liberis agnatisq; carituros: pubem Chriſtianam, ac præcipuè egentes, quorum minervalibus perſolvendis res anguſta domi impar ſit, non-levem jacturam facturos.* XIV. *Qui ſubſunt ferulæ Jeſuitarum, magno compendio temporis & ſumtûs, plurimùm proficere; præcipuè in diſciplinis placitisq; Philoſophorum: in quibus, citra invidiam, ſui Profeſſores primas teneant.*

Hæc, vel non-diſsimilia, apologeticus ille Scriptor multò latiùs explicuit; ac probra forenſia ſigillatim diluere conatus eſt. Quatuor autem potiſsimùm, præter ſuperiora, illis objiciebantur. *Primò*, quòd Pontifici Romano nimiùm addicti ſint. *Secundò*, quòd à Gallis degeneres, Hiſpanicos mores induerint. *Tertiò*, quòd irrequieti ſint, & tribunitii in vulgo. *Quartò*, quòd Regum Principumque ſicarii ſint.

Jeſuitæ per omnia inſontes videri ſatagunt.

Ad primum reſpondet Apologeticus. I. *Jeſuitas, unà cum cæteris Eccleſiæ naſcentis Chriſtianis, Pontificem Rom. ut vicarium Chriſti, in naviculâ Petri gubernatorem, caput Eccleſiæ agnoviſſe. Hæc elogia & obſequia, non eſſe privata, neque recentia Jeſuitarum; ſed Orbis univerſi, qui Chriſto regeneratus ſit.* II. *Papam nunquam rerum*

rum

rum temporalium moderatorem, clientelari obsequio, & vasallorum more, agnovisse; qui in Principum Regumq; ditiones & imperia jus summum distringere, & ea ad nutum variare possit. III. *Falsò collegæ suo Bellarmino tribui, quòd in eâ fuerit sententiâ,* lib. 5. cap. 9. de Rom. Pontifice. *Affirmâsse quidem eum, Papam in Exarchatu, Bononiâ, Spoleto, Aemyliâ, Ravennâ, cæterisq; Pontificiis ditionibus, summum esse Principem; jus habere vitæ & necis; denique agere, quod Reges omnes in regnis suis.* IV. *Tribus votis tantùm alligari. Quartum habere aliud, certo modo, circa missiones duntaxat: h. e. si Pontifex cuipiam ex contubernalibus, ad juvandam rem Christianam, ad Indos, Peruvianos, Lestrygonas, profectionem imperaverit; quarto illo voto, ad obeundam illam provinciam, & duriorem, si jubeatur, alligari. Votum illud ut à probro vindicetur; ejus hanc esse conceptis verbis formulam:* Insuper promitto summo Pontifici specialem obedientiam circa missiones. V. *Votum hoc quartum, non tàm Ignatianum, quàm commune cum universis Presbyteris esse; qui, cùm initiantur, apud suos Præsules hoc sacramento se alligant:* Promittis mihi, & successoribus meis, reverentiam & obedientiam? Promitto.

Secundò, *quòd Celtiberi sint:* I. *Pugnantia illis exprobrari. nam si (ut primo capite insimulentur) Pontificis Rom. clientes sint, eiq; serviliter addicti: non posse fieri, ut Hispano serviant, cùm dominium sit impatiens consortis. Pontificem, & Hispaniæ Reges, esse plerunque in secularibus admodùm dissitos & discrepantes; ità ut invicem armis decernant.* II. *Non cœlo & solo Hispanico natos: totâ Galliâ nullum habere Hispanum commilitonem.* III. *Cum religione neutiquam exsuisse patrios mores: non illam ademisse ingenium & mansuetudinem Gallicam. non esse hoc opprobrium tribuendum optimo instituto, ut quasi Circæo poculo in aliam gentem transformati & efferati sint: vel vultu ipso testari patriam, non adustâ & fuscâ cute referre Africanos.* IV. *Concordes esse votis, & ritibus vivendi; sed genio & naturâ, cum Stoicâ severitate Hispanorum multùm discrepantes.* V. *Non solùm indigenas esse, quotquot Galliam incolant Jesuitæ; sed non-paucos esse, qui gentilitate, & cognatione proximâ, Patres Conscriptos attingant.* VI. *Mirari se plurimùm; quòd pro exploratoribus, institoribus, emissariis, ambactisq; Hispanorum, traducantur: cùm, si in eam noxam inciderint, patriam, parentesq;, & amicos hac proditione venderent. Ab Hispano non aurum, non stipendia meruisse: ut plurimi, qui, in Lutetianâ egestate, auro Indico fidem venalem habuerint.* VII. *Angustias annonæ, cum cæteris, anxiè toleràsse: in eâdem navi fecisse, quod lex nautica & Rhodia de jactu cogit. Quod argumento sit ut-plurimùm, nusquam se Regi Hispanorum devovisse.* IIX. *Cùm prece, pretio, Comitiisq; publicis, regnum Galliæ affectaret & ambiret: illum ad eos non scripsisse; ut ad plurimos, quorum interceptæ literæ nomina & syngraphas prodidère.* IX. *Cùm verò anno superiori, populari insaniâ, Augustæ seu Infanti Hispanicæ, & Ernesto Archiduci, (quasi Lilia hastæ & auctionibus, ac pluris licitanti, subjacerent) deferendum Regnum publicaretur: Jesuitas tàm insolens propositum, ut portentum, privatim, verbo & facto, exhorruisse.* X. *Non esse verò simile, Sodalitium suum, D. Ludovici memoriæ, tùm ob summum inter Cœlites suum principatum, tùm ob senioris Borbonii Cardinalis, sui gentilis, summa beneficia, addictissimum, suis nepotibus ut avita Lilia eriperentur, & Francico solo avulsa in alienam gen-*

tem coalescerent, procurâsse. XI. *Cunabula Ignatii Lojolæ, institutoris sui, à maledicis malè intellecta: cùm ille non Hispanus; sed Astur & Cantaber fuerit, adeoq; Navarraus. & si jura finerent, Henrici IV. & proavorum, indigena & subditus erat. Sed fuerit Hispanus! tamen Dominicus Calguritanus, mereq; Hispanus; Franciscus Aßisias atque Italus fuit, & nihilominùs tolerantur in Galliâ.* XII. *Nec Ignatii institutum in Hispaniâ; sed in Reginâ Galliæ Lutetiâ, primordia duxit: qui, cum sibi accitis decem Artium Magistris, lucro animarum & juventutis institutioni devovit.* XIII. *Qui objiciant, non nisi Hispanum creari Generalem inter Jesuitas: vel hoc uno, rerum gestarum & recentium profiteri imperitiam, cùm Claudius de Aquâ-vivâ, ex Parthenopæorum Principum familiâ ortus, hoc nunc munere persungatur: cujus gentilibus Hispanus infensißimus fuerit, quòd partes Gallicas, Andegavorumq; Ducum, adversùs Aragonios, sequuti sint. Qui eum antecesserit, fuisse Trajectensem Belgâ-Germanum.* XIV. *Similiter loco figmenti habendum, quod illis exprobratur, adversùs Antonium Lusitaniæ Regem, pro Philippo stetisse. Et quæ Genuæ, ad oram Ligusticam, historia excusa dicitur, Genevæ potiùs excusam fuisse: nec pro germanâ, sed ab æmulis confictâ, habendam.* XV. *Matthæum illum, qui ad Regem Hispaniæ, à Sexdecim vulgò nominatis, personatus tabellarius, scriptas literas deferebat, (ut exprobratur) non fuisse Jesuitam; sed ex Mendicantium familiâ, & quidem Hispanum.* XVI. *Jesuitas, non Gallos juvenes in Hispanos commutare; sed cavere solùm, ne hæreticâ pravitate imbuantur.*

Quod ad tertium *objectum attinet; Jesuitas seditiosos, & vulgi concitatores esse: ab hoc scelere se alienißimos esse.* I. *In Italiâ, Hispaniâ, Germaniâ, Belgio, & Sarmatiâ, à pluribus annis, Scholas & sodalitia habuisse; nec apud gentes illas, de suorum moribus, ullum rusticum & vicanum conquestum.* II. *Scholis & concionibus occupatos, longè à tumultu & intemperiis vulgi, in Museis quietos vixisse.*

Quartum *similiter negat; nempè, Jesuitas esse Regum ac Principum sicarios.* I. *Varadeum enim, Regiæ cædis sicario Barrerio, non solùm non suasorem fuisse; sed, cùm à perdito & demente urgeretur, hominem ablegâsse. Fiduciâ insontis animi, post ingressum Regis, Lutetiæ mansisse Varadeum: donec certior factus, tanti criminis se labe adspergi, atq; hinc in discrimen vocari, livori delatorum se subduxisset: nec illum tàm conscientiâ sceleris, quàm quòd intellexisset, maluisse Regem eum alibi esse, quàm Lutetiæ, ut voto morem gereret, discesßisse.* II. *In suo sodalitio, pro Regibus & Principibus, preces & vota quotidiana indiscriminatim fieri; sed privatim enixè & effusè pro iis, in quorum finibus suum incolatum habeat.* III. *Etiam Augerium, sui Ordinis olim totâ Galliâ notißimum, in suâ Christianâ Parænesi, pro incolumitate Regum Galliæ, privatas preculas scripsisse. Ribadeneiram Hispanum, pro Hispano Rege, id-ipsum fecisse; id Galliæ Jesuitis vitio verti, iniquum esse.* IV. *Nec in Liturgia, aliisq; precationibus, vocem illam ab ullo mortalium exauditam;* Oremus pro Rege nostro Philippo: *sed hoc ab aliis fictum esse.*

Hæc quidem ille Jesuitarum Apologista: sed protestatio ipsorum contraria est factis; ut infrà lib. 4. hujus Historiæ clarissimè cernetur. Quin-etiam, adhuc sub finem anni 1594. opportunè prioribus, gravissimis justissimisque accusationibus, accessit horrendum parricidium *Johannis Chastelli*, octodecim anno-

annorum adolescentis, & Collegii Jesuitarum, cui nomen est *Claromontium*, Lutetiæ alumni; qui Regem Henricum IV. è medio tollere voluit. Criminali igitur sentētiâ, Chastellio hoc ad mortem damnato, à Parlamento, supremo Regio Consilio, decernitur simul eâdem sententiâ: *Ut omnes Sacerdotes Claromontii Collegii, & omnes Jesuiticæ Societati addicti, tanquam corruptores juventutis, perturbatores publicæ tranquillitatis, inimici Regis & Regni, infra tres dies post promulgationem edicti, Lutetiâ, & aliis Urbibus atque locis, ubi sua habeant Collegia, discedant; & infra quindecim subsequentes dies, toto Regno exeant.* Et quàmvis multa Jesuitæ opponerent; ac scriptis etiam, apud Regem, causam suam agere ac defendere niterentur: tamen, ut admitterentur iterum, impetrare non potuerunt; sed solum Gallicum vertere cogebantur.

Jesuitæ ex Galliâ ejiciuntur.

Non tamen intereà quiescere statuerunt irrequieti homines; sed, post hæc omnia, varia rursus inierunt consilia, quibus tandem machinis Regis obfirmatum animum expugnare possent. Pontificis quoque, novæ nuptæ Reginæ, & multorum Principum, auxilium opemque implorârunt: eóque rem deduxerunt; ut Rex tandem, expugnatus & victus, de receptione eorum cogitare inciperet. Amplissimus verò Curiæ Parlamenti Parisiensis Senatus, cùm hoc rescivisset; inprimis quòd Pontifex Romanus, per Legatos & nuncios, Jesuiticæ sectæ restitutionem, per universam Galliam, urgeret: nervosâ & verissimâ Oratione, 24. Decemb. anno 1603. ab hoc proposito Regem avertere conatus est. Verba Orationis illius, ex Gallico in Latinum fideliter translata, hæc sunt.

Post aliquot annos rursum in illam intromitti petunt.

Parlamentum Parisiense restitutionē Jesuitarū Regi dissuadet.

ORATIO PARLAMENTI PARISIENSIS, CONTRA JESUITARUM RESTITUTIONEM, COMMINATIONIBUS PONTIFICIS ROM. PETITAM, CORAM REGE HENRICO IV. RECITATA.

Parlamenti vestri Curia, institutâ deliberatione super Literis vestris patentibus, de Presbyterorum & Scholarium Collegii Claromontani, (qui Jesuitarum sibi nomen indidère) in quibusdam hujus jurisdictionis locis, restauratione, decrevit; ut humillimæ obtestationes vestræ Majestati fierent: ac nobis mandavit, ut quædam vobis puncta repræsentaremus, quæ ad rerum vestrarum bonum, & ad salutem publicam, quæ à vestri conservatione dependet, multum conferre judicavimus: quæ etiam nos retinuerunt, ne ad earum approbationem continuò procederemus. Et priusquàm ad singula proponenda accederemus, ut vobis humillimè gratias pro eo honore ageremus, quo nos afficere placet: quòd videlicet gratum vobis sit, ut vivâ voce has obtestationes faciamus. Quo ostenditis vestram erga nos indulgentiam ac benignitatem, tantò majore laude dignam; quantò longiùs à primorum Imperatorum Romanorum austeritate abest: qui Subditis accedendi sui copiam non faciebant; sed cunctas petitiones, & supplicationes, codicillis sibi exhiberi volebant.

Ordinis hujus, qui se Jesuitas dicunt, in hoc Regno institutio, huic Statui tàm perniciosa judicata fuit: ut se omnes Ordines ecclesiastici ipsorum admissioni opposuerint; adeoq;

Colle-

Jesuitarum Ordo quàm noxius Regno Galliæ.

Collegium Sorbonianum decreverit: quòd ista Societas, non ad ædificationem; sed ad destructionem, inventa esset. Illa quidem, in Synodo Ecclesiasticorum, anno 1551. mense Septemb. habitâ, cui Archiepiscopi & Episcopi intererant, & Cardinalis Turonensis præsidebat, approbata fuit: verùm tàm multis cum clausulis & restrictionibus; ut, si Jesuitæ eas observare debuissent, verisimile fuerit, quòd locum citò mutaturi fuissent.

Nomen Jesuitarũ, ut & Societatis Jesu, ipsis interdictum.

Nec fuerunt admissi, nisi per provisionem: ipsisq; Jesuitarum, ac Societatis Jesu, nomen, per Arrestum anni 1564. assumere prohibitum fuit. Quo tamen non obstante, nomen illicitum usurpare; ac se insuper omni potestati, tàm seculari, quàm ecclesiasticæ, eximere voluerunt. Vos autem, illos nunc restaurando, majori eos auctoritate ornabitis; & eorum conditionem meliorem, quàm unquàm fuit, reddetis. Dignius itaq; à vestri Parlamenti Senatu judicatum fuit; imò Procuratores & Advocati, omnesq; Ordines vestri, necessarium existimant, istos homines continere talibus cautionibus: quibus ipsorum licentia, quæ aliàs in ipsorum actionibus nimis soluta est, (cujus quoq; incrementũ publico bono summè perniciosum esset futurũ) impediatur. In oratione Advocatorum vestrorum, qui ipsis non patrocinantur, præmonitio est valdè expressa: quòd necessarium sit, ut huic rei provideatur; ne eo, quod jam perspiciunt, pejus aliquid indè proveniat.

Jesuitarum licentia coarctãda.

Jesuitarum nomen, votum, & præcepta qualia.

Et, quemadmodum hujus Societatis nomen & votum universale est; sic etiam axiomata doctrinæ ipsorum uniformia sunt: quòd videlicet Superiorem non agnoscant, nisi S. Patrem nostrum: cui juramentum fidelitatis & obedientiæ, in omnibus rebus præstant; & pro Regulâ indubitatâ habent; Quòd ille excommunicandorum Regum potestatem habeat. Quòd Rex excommunicatus nihil sit aliud, quàm Tyrannus; cui Populus rebellare posit. Quòd omnes Regnicolæ, qui minimum in Ecclesiâ ordinem habent, si quodcunque crimen committant; illud pro læsæ Majestatis crimine haberi nó posit: propterea, quòd Regum subditi non sint; nec ad eorum jurisdictionem pertineant: sic, ut omnes Ecclesiasticos, & per consequens etiam se-ipsos, à potestate seculari exemtos esse; & impunè sanguinarias suas manus sacratissimis Regum personis injicere posse, dicant. *Hoc est, quod in concionibus apud alios docent; hoc est, quod scribunt; impugnantes sententias eorum, qui Propositiones contrarias tuentur.*

Duo Juris Doctores Hispani, cùm Clericos Regũ & Principum potestati subjectos esse tradidissent: aliquis ex hujus Societatis præcipuis contra eos scripsit; inter cæteras rationes asserens: quòd, sicuti Levitæ, in Veteri Testamento, ab omni potestate seculari exemti fuissent; sic etiam Clerici ab eâdem potestate, per Novum Testamentum, immunes & liberi sint; Regesq; & Monarchæ nullam in eos jurisdictionem habeant.

Has Regulas, ut nimis falsas, ac errorum plenissimas, Majestas vestra non approbavit. Oportet igitur, ut illi, qui tenent, & in Regno vestro manere volunt, eas publicè in suis Collegiis abjurent. Hoc si facere noluerint: permittetisne vos, ut illi hic permaneant, & fundamenta potestatis, & auctoritatis vestræ regiæ, subvertãt? Sed si id faciant: creditisne vos, quòd possint habere aliquam doctrinam, quæ Religionis suæ pars est, Romæ, Hispaniæ, & aliis omnibus salutarem; quæ eadem & Galliæ talis esse posit: cùm illa, quæ alii acceptant, rejiciat? & quòd de loco in locum commeantes, remeantesq;, illam & deponere & recipere possint? Quòd si dixerint, se hoc per aliquam dispensationem secretam posse: quam

quam, quæso, securitatem vos in iis ingeniis habebitis; qui in eâ professione fuêre enutriti, quæ per adversitatem, & mutationem locorum, se bonam & malam reddit?

Illa doctrina omnibus, quâcunq; Orbis sint plagâ, communis est; & tantas vires in Regno vestro assumit: ut, si illi restaurati fuerint, tandem in Collegia, etiam moderatissima, sit irreptura. Antehàc majorem Adversarium, quàm Collegium Sorbonianum, non habebant: nunc illud-ipsum iis favet; propterea quòd, in eorum Collegiis, quidam juniorum Theologorum literis operam dederunt. Reliqui idem facient: ad altiora contendent; ac ad prima, in Parlamentis vestris, officia admitti poterunt: &, servantes eandem doctrinam, se potestati vestræ subducent: cuncta Diadematis vestri jura, & Ecclesiæ Gallicanæ libertates, eversioni relinquentes; ac nullum crimen læsæ Majestatis, quasi per Ecclesiasticum commissum, puniendum censentes. Imò hoc jam fraude suâ effecerunt Jesuitæ: ut continuò regiorum Domesticorum, vel præcipuorum Ministrorum, 24. liberi, in novo Flessiaco Collegio, Jesuiticis præceptis imbuantur; & ex illis, singulis annis, ità Regiis officiis præficiantur; aliis sex, in eorum locū, in illud summissis. Et sic, hisce cuniculis, intra paucos annos, Jesuitæ, totum illud Regnum, sub Pontificis & suam tyrannidem adigent.

Atque nos adeò in hac nostrâ vitâ infelices sumus: ut etiam detestabilia effecta, ex ipsorum institutionibus prodeuntia, in propriâ vestrâ sacratissimâ personâ conspexerimus. Barrieriu *(horrescit animus ad rei commemorationem) instructus per Varadem fuit; & confessus est, se, juramento, inter ipsius manus, in necem vestram facto, Sacramenti communionem percepisse. sed, cùm scelus peragere nequivisset; alii animum addiderunt huic pravæ viperæ: qui ex parte peregit, quod conjuraverat.* Guignardus *libros suos, propriâ suâ manu scriptos, habebat: asserens, parricidium in Regem, Antecessorem vestrum, justissimè commissum esse; confirmando Propositionem, in Concilio Constantiensi damnatam. Et quid nos, recordantes pessima ac perfidissima ipsorum acta, (quæ facilè renovari possunt) timendum non habemus?*

Si nos, vestram vitam in periculo cernentes, dies nostros in perpetuo metu transigere oportebit: quam tranquillitatem nostris procurabimus? Nónne summa hæc impietas foret, prævidere periculum malumq́; ac, ut tàm propè ad vos accedat, permittere? Nónne hoc esset, se in profundissimam miseriam præcipitem dare; si quis hujus Regni exitio & ruinæ supervivere vellet? quæ, (ut aliquoties vobis demonstravimus) non ulteriùs, quàm vitæ vestræ longitudine, à nobis abest. Deo, propter mutuam inter vos, & sanctum Patrem nostrum, benevolentiam, sit gloria! Deus vobis, vestrum Diadema, & ipsam sanctam Sedem, longissimè conservet! Verùm, si senectus, aut valetudo, dies ipsius præcideret: ac successor ipsius, malo animo, gladium suum spiritualem contra vos stringeret; quemadmodum Antecessores ipsius, in vestros Reges, Franciæ & Navarræ, idem factitârunt: quantus, quæso, dolor Subditos vestros occuparet? si tot hujus Regni hostes, & contra Majestatem vestram conjuratos, in ipsius visceribus viderent: quot contra superiorem Regem, felicissimæ memoriæ, viderunt. cùm præcipui Rebellionis auctores & ministri, neque etiam parricidii in ipsum patrati insontes, ex proprio ipsius Regno fuerint.

Periculum prævidere, & non summovere, impietas est.

Scelera sua anteacta non magìs, quam reliquorum Ordinum & Societatum omnium, (qui non minùs, quàm ipsi, erraverint) isti, notari aut exaggerari debere, ajunt. Fortassis in præjudicium ipsorum dictum fuerit: quòd, etiamsi in omnibus reliquis Ordinibus &

Mm

Societatibus vitia deprehendantur; illa tamen non universalia fuerint. Societates erant diversæ: omnes verò illi, qui earundem uni adhærebant, se obedientiæ, Majestati vestræ debitæ, non subduxerunt. Sed qui de ipsorum sunt Societate, unitissimè ac pervicacissimè in rebellione suâ perstiterunt: ac non solùm nullus ipsorum partes vestras est secutus, verùm è contrario, veterum Regni hostium partibus præ cæteris, deditissimi fuêre: ac, cùm tales essent; Odo, unus ex ipsorum Societate, per sedecim illos Conjuratos, pro principe electus fuit. Et, si exemplum aliquod externum nostris interjicere fas est; miserandum aliquod, ex Historiâ Lusitaniæ, referemus. Cùm Rex Hispaniæ animum, ad Regni Lusitanici usurpationem, applicâsset; omnes Religiosorum Ordines, constantes in fidelitate, Regi suo debitâ, permansêre: soli ipsi, ut dominationem Hispanicam adjuvarent, desertores fuêre. Ex quo etiam factum est; ut plus quàm duo millia, tàm Religiosorum, quàm cæterorum Ecclesiasticorũ, miserrimè perierint. ad quod expiandum, Bulla absolutionis concessa fuit.

Ipsorum doctrina, & anteriora gesta, causa fuêre; ut cùm Chastellus adversùm vos insurrexisset; Arrestum tàm contra ipsum, quàm contra omnes istius Societatis participes, per os vestrum proprium damnatos, secutum sit. Quod Arrestum nos, velut felicissimum nostri temporis miraculum, memoriæ consecravimus: indicantes, tunc, quòd, si juventutem, malitiosâ & exsecrandâ illâ doctrinâ, indè imbuere pergerent; nihil securitatis vestra vita habitura esset. Quæ etiam causa idonea judicata fuit; quòd nos formulas quasdam transsiliebamus, quibus adstringebamur ad judicandum, cum causæ cognitione, de instantiis formatis; quæ saluti publicæ postponebantur.

Nullâ nos invidiâ, odio aut malevolentiâ, neq; generatim, neq; speciatim, contra ipsos laboramus. Si laborâssemus: Deus nos punivisset; quòd nihilominùs ipsorum Judices esse voluissemus. Nihil, nisi atrocitas criminis, & affectus ille, quo Majestatis vestræ conservationem in-posterum quoq; prosequimur; ad illud Arrestum incitavit: quod in Parlamenti Rothomagensis & Diviodunensis jurisdictione exsecutioni mandatum fuit; & quidem ad vestrum proprium mandatum. Idq; idem etiam in aliis omnibus factum fuisset; nisi illi, qui nondum obedientiæ vestræ se-se subjecerant, restitissent: quiq; etiam à proposito suo, nisi cum nimis-magno malæ suæ voluntatis supplicio, recedere poterant.

Conquerũtur in scriptis suis, quòd tota Societas propter delicta trium aut quatuor, non debeat puniri. Verùm, etsi ad Fratrum Humiliatorum conditionem redacti fuissent; occasionem conquerendi nullam haberent. cùm, ob cædem in Cardinalem Borromeum, per Religiosum unum tantùm, ex ordine Fratrum Humiliatorum, patratam, (quod annis ab-hinc ferè triginta accidit) totus Ordo, per Pium V. Pontificem, juxta resolutionem in conventu Cardinalium factam, spretâ etiam Regis Hispaniæ deprecatione, abolitus fuerit. Nostrum judicium non est tàm severum. Si dixerint; Humiliatorum cum suo Ordine, qui longè major sit, nullam esse comparationem: Nos ipsis dicemus, multò minorem esse comparationem Cardinalis, cum potẽtissimo Mundi Rege: qui dignitate Cardinalem longiùs, quàm ipsorum Ordo etiam minimum, superet. Fratres etiam Humiliatos minùs peccâsse, quàm ipsos. Nam eorum unus tantùm, cædis in Cardinalem patratæ author fuit: at ipsi omnes, parricidii in vos tentati, propter institutionem suam, rei sunt.

Supplices vos rogamus: ut, quemadmodum gratum habuistis Arrestum justissimè factum, & tùm temporis, ad deterrendos tàm multos, ne contra vos conspirarent, proditores, neces-

necessarium, sic etiam illud conservare, & nobis præmonitionem illius periculi, in quo tum eramus, cùm nimirùm communi nostro Parenti (cujus vita nobis propriâ vitâ charior est) interitum parari videremus, condonare dignemini. Ac certè summum etiam infidelitatis, & ingratitudinis, vitium existimaremus; si illius perpetuam curam non ageremus. quandoquidem vos nostram vitam, nostram tranquillitatem, & nostra bona, nobis reddidistis. Memoria præteritorum, cautioni nobis esse debet: ut provideamus, ne, per incuriam, in abysso secundi naufragii sepulti maneamus.

Non possumus etiam omittere; quin singulares Majestati vestræ, ut Academiæ hujus misereri velit, preces exhibeamus. Reges, vestri Antecessores, hoc optimæ vestræ civitati Parisiensi ornamentum relinquere voluerunt: at nunc intra paucos dies bona ejus pars deseretur. Fieri non potest, quin, si quantâ hujus Urbis partem videatis incultam; & à tàm multis familiis, Bibliopolis, & aliis, qui à literarum studiis victum quæritare solebant; nunc ad stipem redactis, relictam. idq; ad gratificandum tantùm novorum Doctorum parvo cuidam numero: qui sanè studere, legere, docere, & publico bono servire, cum cæteris; at nullum corpus singulare, ex ordine & religione novâ compositum, facere debebant. Scimus sanè, quòd Universitas reformatione opus habeat: verùm hæc, per ipsius ruinam, fieri non debet; quæ evitari non potest: non quidē ob horum, qui in hac sunt Societate, absentiam, sed propter Collegiorum, quæ in diversis sententiis permittetis, multitudinem: quæ ubi eam commoditatem ad manum habuerint; liberos suos in hanc Urbem non amplius mittent. Quod vos facile magni præjudicii esse judicabitis: quia facile est videre, quòd, qui hic educantur, se-se à teneris ad Reges, & summi Imperii insignia suspicienda & agnoscenda, assuefaciant; illi verò, qui in parvis oppidis educabuntur, eandem educationem non recipient, neq; similem affectum habebunt. Et sic Academia hæc, aliàs florentissima, penitùs evertetur, constitutis decem, aut duodecim Collegiis eorum, quorum Societas semper suspecta, & institutio juventutis periculosissima erit.

Hæ sunt humilimæ obtestationes, rationesq; summariæ; quæ nos à literarum publicatione hactenus abstinuerunt: metuentes ne justè nobis vitio verteretur; quòd nimis leviter ad earum approbationem descendissemus. Humilimè supplicamus, ut eas in meliorem partem accipiatis; eamq; nobis gratiam faciatis: ut si nobis aliquid mandaveritis, quod nobis videatur salvâ conscientia, exsecutioni mandari non debere; id non inobedientiæ nostræ, sed muneris nostri officio, adscribatis. Quandoquidem existimamus vos illam non velle: nisi in quantum ea justa & æqua est: &, intellectis rationibus, propter quas illa talis declarari non possit, nō graviter laturos, quòd obedientia vobis præstita non sit. E cōtrario, quando admonebimini, ut promissum aliquod præstetis illius Monarchæ responsum dare velitis: qui, cùm rogaretur, ut promissum suum, verbis regiis factum, impleret; respondit, se id velle præstare, si justum esset: & verba non ulteriùs obligare.

Domine, Rex es, & quidem Rex magnus: qui meliùs judicas id, quod justum est, quàm omnes vestri Subditi. Verba vestra, ipsa justitia sunt. Verùm si nos vobis supplices esse possimus, vosq; permissuri sitis, ut vobis cum omni humilitate ostendamus: dicemus, quòd Antecessores vestri illo semper Parlamenta honore dignati sint; quo Imperatores Senatum: nimirùm, ut causas justitiæ ipsorum consilio moderarentur. & quamvis absolutâ potestate uti potuissent: illam nihilominùs, ob hunc respectum, deposuerunt; ac voluntates

civilitati Legum accommodaverunt. Pergite hac erga nos uti gratiâ; & conservate autoritatem illam, quam Antecessores vestri Curiæ vestræ Parlamenti concesserunt: quæ reipsâ, non ipsius, sed vestra est: quia non aliundè, quàm à vobis dependet. & quàmvis illa eam perderet: ignoscite (quæsumus) nobis, dicentibus, quòd jactura non in ipsam, sed in vos, cessura sit. Deum toto corde & affectu precabimur; ut dies vestros in omni potestate & felicitate amplificet: Reginam, & Dominum Delphinum, tam vobis, quàm subditis vestris, conservet: & hanc nobis gratiam largiatur, ut omni felicitate, humillimisq; servitiis nostris, demonstrare possimus; quòd nullam majorem corporis animiq; felicitatem optemus, quàm ut à vobis habeamur pro iis, qui sumus; humilimi videlicet, obedientissimi, & fidelissimi vestri subditi & ministri.

Omnes boni Gallo-Franci, etiã Pontificii, Jesuitis adversi sunt.

Non minùs ab hoc etiam proposito, Jesuitas in Galliæ regnum recipiendi, quidam alii, Patriæ verè amantes, & fidi Regis ministri, omnibus modis Regem avertere conati sunt. Excusa est Lugduni, anno 1603. *Oratio* Galli cujusdam φιλοπάτριδος, tametsi Pontificii, *de eo, quod tùm postulatum, & in deliberationem adductum fuit; nempe, ut Jesuitæ restituantur in Regno Galliæ*: in quâ, multis rationibus & argumentis, gravissimis & firmissimis, hoc Regi dissuadet. Dignaque est Oratio ista, tanquàm declaratio, ac fusior demonstratio eorum, quæ Parlamentum regium Parisiense suppliciter à Rege contenderat; ut integra quoque hoc loco referatur. Ità verò illa habet.

ORATIO EXHORTATORIA AD REGEM CHRISTIANISSIMUM, DE JESUITIS IN REGNO GALLIÆ NON-RECIPIENDIS.

Fieri vix potest, REX CHRISTIANISSIME, quin variè animus tuus agitetur, cùm tàm multis precibus, quæ pro Jesuitis undequaq; offeruntur; tùm verò argumentis, quæ adversùs eos adducuntur, in contrariam sententiam. Itaq; existimavi, officium meum levamento fore Majestati tuæ: si ea paucis videat, quæ mihi proposui, in utramq; partem, sepositis quàm-plurimis levioribus causis; & iis solùm in consilium missis, quæ graviores sunt, & quæ magni Regis animum possunt afficere, in maximo argumento; cujus promtam expeditamq; definitionem haberi, necesse est.

Argumẽta pro Jesuitis.

Ac verum quidem est, ô Rex, posse te plurimùm, Jesuitarum restitutione, magnæ Catholicorum parti in Regno tuo satisfacere; qui eos ducunt utiles, ad novas opiniones, quæ in causâ Religionis exsistunt, convellendas: teq; eâdem operâ Cardinales non-paucos tibi obstricturum, qui eorum causæ multis nominibus student; vel eo maximè, quòd magnos labores sufferunt, ad fidem Catholicam, & potestatem Pontificiæ Sanctitatis, in orbe terrarum propagandam. Homines sunt actuosi, diligentes, studiosi, animosi; quibus multum Sedes illa debet: venerunt in tempora, rerum difficultatibus admodùm circumfluentia.

Jesuitę plus damni literis, quàm utilitatis, afferunt.

Hæ sunt, ô Rex, maximæ & præcipuæ causæ, quæ te possunt in illorum partem commovere. Nam, quod de juventutis institutione dicitur; id magni fieri non debet: quia reverà, omnibus expensis, plus damni literis, quàm utilitatis, attulerunt. Rationem breviter explicabo.

Antequàm

Antequàm venissent in Galliam; præstantia quæq; ingenia, & adolescentes ingenui literis operam dabant in Parisiensi Academiâ: ubi semper ad viginti, aut triginta Studiosorum agebant millia, Gallorum exterorumq;. Hac tanta multitudo, attrahebat eò doctissimos quosq; & celeberrimos Europæ viros: sive eminendi animo; sive utilitatis capiendæ. Lectorum publicorum loca, à Rege Francisco I. instituta, captabantur ambitiosè, retinebanturq;, per lumina literarum summa, toto antè decennio, quam essent vacua. In unicâ Gymnasii Cameracensis aulâ, meliores doctioresq; lectiones, uno mense, habebantur; quàm toto anno posteà, in totâ Academiâ, comprehensis quoque Jesuitis, fuerunt habitæ. Hi artem invenerunt, se-se constabiliendi paulatim, in optimis quibusq; civitatibus regni; atque hoc facto obstruxerunt fontes, unde tanta illa Studiosorum multitudo profluebat; eodemq; maximum bonum alterum interverterunt, ad juventutem perveniens, studentem Parisiis. Magìs enim Juventus excolebatur, & sermone Gallico, & moribus, & studio erga Rempub. totam; quàm posteà exculta fuerit, ex quo substitit in provinciarum suarum finibus.

Accedit altera ratio, quam Patavina Academia observavit; cùm anno 1591. apud Rempub. Venetam de iis quereretur; quando fuit interdictum, ne aliis, quàm sibi-ipsis legerent, aliósve instituerent: nempe quòd, prout Theologiæ incumbunt maximè, non alios fermè singulis suis classibus, exceptâ primâ, præficiunt, quàm juvenes: qui potius discunt ipsi, quàm alios doceant. adeò ut pueri, qui indoctiorum juvenum curæ, ad annum usque decimum-quintum aut sextum commissi sunt, non fiant unquam magni admodúm. Paucos certè videmus de numero ipsorum, qui in congressibus emineant. Demonstravit res ipsa luculentissimè anno 1594. quum eos libello supplice pulsavit Parisiensis Academia. Nam de suo numero investigaverunt aptum aliquem Advocatum, qui causam ipsorum ageret: quæ res aliquo pacto eam adjuvisset. Multos quidem à se institutos, & omnis ætatis invenerunt: qui verò gravi causæ sustinendæ esset idoneus, invenerunt neminem. Quapropter ad optimum quidem patronum confugere eos oportuit, sed qui nunquam ab eis quicquam didicisset. In contemplatione magìs, quàm in studio & actione, informant suos. Inter Medicos (quæ Facultas est plenissima scientiæ) pauci sunt, qui præluceant de scholâ ipsorum. Literis humanioribus, & arcanis linguarum, minùs dant adhuc operam. Vera certè professio ipsorum, est Theologia: hic illis thesaurus; hic Marathon, in quo versantur plurimúm. Ideóq; ingenia excitata, & acumine aliquo prædita, deligunt tempestivé. qui in manus ipsorum venerunt, effugiunt raró. Diversarum gentium turba miscella est: juvant, & studia inter se conferunt. Necesse est deniq;, fateantur omnes; illos disputationibus hujus scientiæ, aliarum reginæ, excellere.

Jesuitæ non adeò docti viri sunt, ut ipsimet gloriantur.

Quum arcana linguarum ab eis teneri nego: non continuò inveniri apud eos nego viros, mediocri literarum humaniorum scientiâ tinctos. Sed hoc est, quod volo: non esse quærendos in numero ipsorum viros, æquales quatuor illis Galliæ luminibus, literarum regibus: qui tales agnoscuntur, & censentur in universo Mundo: quorum tres adhuc sunt superstites; & quartus adhuc vivit, optimâ sui parte. Omnes Jesuitæ, quotquot exstiterunt, vix unquam digni sint, qui unius de quatuor illis discipuli mereantur dici. atque hoc confido agnituros, quicunq; ex ipsis aliquid habent scientiæ. Hoc unum responsúri sunt: se non dedisse operam huic studio; præcipuumq; suum studium esse Theologiam, & verum

civilitati Legum accommodaverunt. Pergite hac erga nos uti gratiâ; & conservate autoritatem illam, quam Antecessores vestri Curiæ vestræ Parlamenti concesserunt: quæ re-ipsâ, non ipsius, sed vestra est: quia non aliundè, quàm à vobis dependet. & quámvis illa eam perderet: ignoscite (quæsumus) nobis, dicentibus, quòd jactura non in ipsam, sed in vos, cessura sit. Deum toto corde & affectu precabimur; ut dies vestros in omni potestate & felicitate amplificet: Reginam, & Dominum Delphinum, tam vobis, quàm subditis vestris, conservet: & hanc nobis gratiam largiatur, ut omni felicitate, humilimisq; servitiis nostris, demonstrare possimus; quòd nullam majorem corporis animiq; felicitatem optemus, quàm ut à vobis habeamur pro iis, qui sumus; humilimi videlicet, obedientissimi, & fidelissimi vestri subditi & ministri.

Omnes boni Gallo-Franci, etiã Pontificii, Jesuitis adversi sunt.

Non minùs ab hoc etiam proposito, Jesuitas in Galliæ regnum recipiendi, quidam alii, Patriæ verè amantes, & fidi Regis ministri, omnibus modis Regem avertere conati sunt. Excusa est Lugduni, anno 1603. *Oratio* Galli cujusdam φιλοπάτριδος, tametsi Pontificii, *de eo, quod tùm postulatum, & in deliberationem adductum fuit; nempe, ut Jesuitæ restituantur in Regno Galliæ:* in quâ, multis rationibus & argumentis, gravissimis & firmissimis, hoc Regi dissuadet. Dignaque est Oratio ista, tanquàm declaratio, ac fusior demonstratio eorum, quæ Parlamentum regium Parisiense suppliciter à Rege contenderat; ut integra quoque hoc loco referatur. Ità verò illa habet.

ORATIO EXHORTATORIA AD REGEM CHRISTIANISSIMUM, DE JESUITIS IN REGNO GALLIÆ NON-RECIPIENDIS.

Fieri vix potest, REX CHRISTIANISSIME, quin variè animus tuus agitetur, cùm tàm multis precibus, quæ pro Jesuitis undequaq; offeruntur; tùm verò argumentis, quæ adversùs eos adducuntur, in contrariam sententiam. Itaq; existimavi, officium meum levamento fore Majestati tuæ: si ea paucis videat, quæ mihi proposui, in utramq; partem, sepositis quàm-plurimis levioribus causis; & iis solùm in consilium missis, quæ graviores sint, & quæ magni Regis animum possunt afficere, in maximo argumento; cujus promtam expeditamq; definitionem haberi, necesse est.

Argumẽta pro Jesuitis.

Ac verum quidem est, ô Rex, posse te plurimùm, Jesuitarum restitutione, magnæ Catholicorum parti in Regno tuo satisfacere; qui eos ducunt utiles, ad novas opiniones, quæ in causâ Religionis exsistunt, convellendas: teq; eâdem operâ Cardinales non-paucos tibi obstricturum, qui eorum causæ multis nominibus student; vel eo maximè, quòd magnos labores sufferunt, ad fidem Catholicam, & potestatem Pontificiæ Sanctitatis, in orbe terrarum propagandam. Homines sunt actuosi, diligentes, studiosi, animosi; quibus multum Sedes illa debet: venerunt in tempora, rerum difficultatibus admodùm circumfluentia.

Jesuitæ plus damni literis, quàm utilitatis, afferunt.

Hæ sunt, ô Rex, maximæ & præcipuæ causæ, quæ te possunt in illorum partem commovere. Nam, quod de juventutis institutione dicitur; id magni fieri non debet: quia reverâ, omnibus expensis, plus damni literis, quam utilitatis, attulerunt. Rationem breviter explicabo.

Antequàm

Antequàm venissent in Galliam; præstantia quæq; ingenia,& adolescentes ingenui literis operam dabant in Parisiensi Academiâ: ubi semper ad viginti, aut triginta Studiosorum agebant millia, Gallorum exterorumq;. Hæc tanta multitudo, attrahebat eò doctissimos quosq; & celeberrimos Europæ viros: sive eminendi animo; sive utilitatis capiendæ. Lectorum publicorum loca, à Rege Francisco I. instituta, captabantur ambitiosè, retinebanturq;, per lumina literarum summa, toto antè decennio, quàm essent vacua. In unicâ Gymnasii Cameracensis aulâ, meliores doctioresq; lectiones, uno mense, habebantur; quàm toto anno postea, in totâ Academiâ, comprehensis quoque Jesuitis, fuerunt habitæ. Hi artem invenerunt, se-se constabiliendi paulatim, in optimis quibusq; civitatibus regni; atque hoc facto obstruxerunt fontes, unde tanta illa Studiosorum multitudo profluebat; eodemq; maximum bonum alterum interverterunt, ad juventutem perveniens, studentem Parisiis. Magìs enim Juventus excolebatur, & sermone Gallico, & moribus, & studio erga Rempub. totam; quàm postea exculta fuerit, ex quo subsistit in provinciarum suarum finibus.

Accedit altera ratio, quam Patavina Academia observavit; cùm anno 1591. apud Rempub. Venetam de iis quereretur; quando fuit interdictum, ne aliis quàm sibi-ipsis legerent, aliósve instituerent: nempe quòd, prout Theologiæ incumbunt maximè, non alios fermè singulis suis classibus, exceptâ primâ, præficiunt, quàm juvenes: qui potius discunt ipsi, quàm alios doceant. adeò ut pueri, qui indoctiorum juvenum curæ, ad annum usque decimum-quintum aut sextum commissi sunt, non fiant unquam magni admodùm. Paucos certè videmus de numero ipsorum, qui in congressibus emineant. Demonstravit res ipsa luculentissimè anno 1594. quum eos libello supplice pulsavit Parisiensis Academia. Nam de suo numero investigaverunt aptum aliquem Advocatum, qui causam ipsorum ageret: quæ res aliquo pacto eam adjuvisset. Multos quidem à se institutos, & omnis ætatis invenerunt: qui verò gravi causæ sustinendæ esset idoneus, invenerunt neminem. Quapropter ad optimum quidem patronum confugere eos oportuit, sed qui nunquam ab eis quicquam didicisset. In contemplatione magìs, quàm in studio & actione, informant suos. Inter Medicos (quæ Facultas est plenissima scientiæ) pauci sunt, qui præluceant de scholâ ipsorum. Literis humanioribus, & arcanis linguarum, minùs dant adhuc operam. Vera certè professio ipsorum, est Theologia: hic illis thesaurus; hic Marathon, in quo versantur plurimùm. Ideóq; ingenia excitata, & acumine aliquo prædita, deligunt tempestivè. qui in manus ipsorum venerunt, effugiunt raró. Diversarum gentium turba miscella est: juvant, & studia inter se conferunt. Necesse est deniq;, fateantur omnes; illos disputationibus hujus scientiæ, aliarum reginæ, excellere.

Jesuitæ non adeò docti viri sunt, ut ipsimet gloriantur.

Quum arcana linguarum ab eis teneri nego: non continuò inveniri apud eos nego viros, mediocri literarum humaniorum scientiâ tinctos. Sed hoc est, quod volo: non esse quærendos in numero ipsorum viros, æquales quatuor illis Galliæ luminibus, literarum regibus; qui tales agnoscuntur, & censentur in universo Mundo: quorum tres adhuc sunt superstites; & quartus adhuc vivit, optimâ sui parte. Omnes Jesuitæ, quotquot exstiterunt, vix unquam digni sint, qui unius de quatuor illis discipuli mereantur dici. atque hoc confido agnituros, quicunq; ex ipsis aliquid habent scientiæ. Hoc unum responsuri sunt: se non dedisse operam huic studio; præcipuumq; suum studium esse Theologiam, & verum

est. Tenendum illud prætereà: quicunq; in numero sunt ipsorum aliquâ scientiâ insignes, eos non ampliùs informationi juventutis incumbere. Statim enim se ad Theologiæ studium conferunt: ubi maximorum, qui inter ipsos fuerunt, labore adjuti ad scribendum veniunt. Neque inficiandum est, commodare illos admodùm defensioni nostræ religionis Catholicæ, contra nostrorum Adversariorum scripta. Quorum in tanto numero unus, & itèm alter, si fortè, inventus est dictione bonâ, stilo audace, motibus excelsis, dispositione commoda, & elegantibus mille acuminibus. Denique si quid judicare possum, libelli supplices, quos exhibuerunt Majestati tuæ, duo sunt scripta insignia: in quibus ea omnia, quæ summi artis magistri docuerunt, accuratè deprehenduntur observata. Causa quidem certè ipsorum defendi meliùs non poterat. Atque hoc quidem magno labore illorum, in studio Theologiæ, irritatos fuisse eos, qui Religionis reformatæ dicuntur; dubium esse non potest. Veruntamen neque hoc quoque negari potest; multa actionibus, multa doctrinæ illorum inesse: quæ odium ipsis Catholicorum summorum creaverint, qui nihilo ipsis in Religionis studio inferiores sunt. Dicam de uno tantùm capite ipsorum: quia iniquum est, tanti Principis abuti audientiâ. Sed hoc profectò dignum, si ullum est: quia in hoc rei summa agitur.

Jesuitæ tenent periculosa, & ab aliis sanioribus Papistis improbata dogmata.

Interdum apud Sorbonistas, ô Rex, comperti sunt; sed pauci & rarò: qui, se patientes decipi eorum pigmentis, qui Romæ scripta ediderunt, de Potestate clavium, auderent affirmare; penes Pontifices esse, ut Reges excommunicent, & à jurejurando ac fide datâ absolvant Subditos. Sed Propositiones istæ illicò, tanquam schismaticæ, tùm à corpore Sorbonæ fuerunt damnatæ, conjunctâ Gallicanæ Ecclesiæ totius auctoritate; tùm Arrestis Parlamenti tui. qui duo maximi clypei exstiterunt; quibus Majores tui, adversùs omnes impetus, quos tentabant hostes, fuerunt defensi.

Sunt sæpè, ut & nunc est, optimi Pontifices, proclives studiis in Galliam; maximorum meritorum recordatione, quibus S. Sedes, ô Rex, coronæ tuæ obstricta est. Sed etiam nonnunquam eliguntur alii, qui in partes Hispanicas, & tibi adversas, inclinant plané. Si quando contingat istud malum: si crederent Galli, posse Regem suum excommunicari legitimè, seq; à jurejurando & fide datâ absolvi: profectò gravissimum Regibus nostris foret periculum, ne spoliarentur dignitate suâ; & reverâ nullum imperium, nisi precarium, obtinerent, i. e. omninò pendens ex bonâ vel malâ gratiâ illius, quem D. Cardinales elegissent: quorum numero semper insunt multi, qui maxima beneficia in ditione Mediolanensi, regno Neapolitano, atq; adeò in ipsâ Hispaniâ, obtinent. Hîc non ampliùs Rex futurus esset; sed Prorex, nomine Rex, Vicarius generalis, vel τοποτηρητής, re & veritate: cujusmodi Reges illi erant, quibus Romani dabant & tollebant sceptra, arbitratu suo. Proptereà, quotquot in hoc Regno, ex quo Christianum factum est, vixerunt, Propositionem istam exploserunt; velut omnium (si insideret animis Populi) periculosissimam, & summè adversantem verbo Dei: qui dixit, Regnum meũ non est de hoc Mundo. *Joh. 18. Quem in locum* AUGUSTINUS, *tract. 115.* Audite Judæi & Gentes; audi præputium; audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc Mundo. *Et apud S. Lucam, cap. 12. ait quidam de turbâ:* Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: ô homo, quis me constituit judicem, aut divisorem, super vos? *Quâ de re* D. BERNHARDUS, *lib. 1. de*

Consi-

Consideratione: Non monstrabunt, puto, qui hoc dicent; ubi aliquando quispiam Apostolorum sederit judex hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos judicandos: sedisse judicantes, non lego. Erit illud; non fuit.

Ex quibus indubitatis rationibus, & aliis innumeris, quas brevitatis causâ omitto, Sorbona, & unà cum eâ Gallicana Ecclesia tota, semper definivit schismaticam illam Propositionem esse, quòd Papa habeat potestatem excommunicandi Reges nostros, aut instituendi quicquam in Majestatem Christianissimam ipsorum. Ideóq; JOHANNES TANQUERELLUS, anno 1561. Arresto Parlamenti fuit condemnatus, in solennem professionem honorariæ pœnitentiæ; & ut à Rege veniam de eo posceret; quòd suis Thesibus Propositionem istam fuisset ausus inserere: quámvis exposuisset, eam a se, tantùm disputandi gratiâ, perscriptam esse. Et parum absfuit, quin adjudicaretur morti. Commode accidit, quòd Rex undecim tantummodò annorum esset. si annum egisset Rex decimum-quartum: nunquam ille supplicium mortis effugisset.

Quod dixi, Propositionem istam semper à Sorbonâ fuisse damnatam: id volo intelligi ad illud demùm usque tempus, quo Patres isti Jesuitæ complureis Studiosos instituissent, lectionibus suis assiduis Theologiæ. Etenim anno 1589. quum excommunicatio in defunctum Regem, piæ memoriæ, fuit allata; & in Sorbonâ quæsitum est, utrùm potestatem istam haberet Pontifex? continuò Doctores antiqui, Faber Syndicus, Camusius, Chabotus, Faber Curio S. Pauli, Chavagnacus, omnesq; alii vetustiores, & bonæ notæ, fortiter restiterunt. Sed benè prospectum erat huic choragio: omnes enim juvenes, qui apud Jesuitas Theologiæ studuerant, Boucherus, Pichenatus, Varades, Semella, Cullius, Aubourius, & alii innumerabiles, vicerunt pluribus suffragiis, contra verbum Dei, omniaq; axiomata Galliæ.

Quin-etiam hanc Jesuitarum sententiam esse: quòd Papa Reges excommunicare possit; populareis à juramento fidei absolvere; & sceptra, coronas, dignitatemq; eis adimere: bonâ fide negari non potest. Nam, cùm Parisiensis Academia periculosum istud dogma eis objecisset: tantum ab eo negando absfuerunt; ut contrà suis defensionibus, communi totius Societatis judicio editis, commodo suo, anno 1595. (quarum inscriptio est: Veritas defensa, contra actionem Antonii Arnaldi.) *pag. 70. utantur his-ipsis verbis:* Non erat, cur probares; Reges esse, aut esse oportere, dominos solos temporales in regnis suis. cùm Papa (ut dixi) nihil arroget sibi in isto imperio summo: nisi ut corrigat, tanquam pater, atque adeò TANQUAM JUDEX, eos, qui perniciosi Ecclesiæ futuri essent. Tùm enim id non solùm potest; sed etiam debet, se ostendere SUPERIOREM ILLIS, bono ipsorum, & publico. Exceptio hæc stomachum tibi commovet; facit ut ringaris. sed oportet haurias: & de cætero fatearis, tibi nec rationem esse, nec conscientiam. Nam primùm id Principibus est utile: qui continentur persæpè, aut ad officium retrahuntur potiùs, REI TEMPORALIS METU, (quæ semper illis est cordi; licèt improbis,) quàm rei spiritualis: cujus tantam non habent curam; nisi habeant & bonam conscientiam: quod non semper accidit. Idcircò Deus Regibus Israëlis minabatur potiùs, se AMOTURUM TEMPORALE REGNUM,

nisi

nisi observarent Legem; quàm eos privaturum æternâ vitâ. ATQUE HOC-IPSUM IN PRIMUM REGEM EXERCUIT, CUI SCEPTRUM ABSTULIT.

Quia verò animadvertunt, ô Rex, omnia axiomata Ecclesiæ Gallicanæ, & Arresta Parlamenti tui, periculosæ isti doctrinæ adversari: quam instillant paulatim mentibus Populi, ab hac peste olim maximoperè abhorrentis: eò tandem venire coguntur audaciæ; ut historias Regum nostrorum, quas adserimus, dicant exempla rebellionum esse, his-ipsis verbis: Adeò desipis, & adeò improbus Gallus es; ut velis producere exempla REBELLIONIS, ex historiis Galliæ, obscurantia splendorem Regum nostrorum, & Matris communis nostræ, &c. *Et post duas fermè paginas:* In Rege, *inquiunt*, sive virtus, sive vitium, magna omnia: qui, si potentiam suam ad malefaciendum occupet; nullâ, nisi magnâ, potentiâ inhiberi potest. Ac propterea videmus, gladium in personam multorum Regum, in multis regnis, fuisse usurpatum. Quòd si non semper fuit utile exercitium ejus: semper tamen utile potuit esse; SIQUIDEM SUBJECTI BENE FUISSENT DISPOSITI. *Nihil unquam scriptum evidentiùs: nihil unquam in orbe terrarum exstitit, quod magìs pugnet cum verbo Dei. Hoc enim præcipit, gratias agi Deo, si bonos Reges miserit nobis: sin malos; vult etiam laudemus, eumq; credamus facere bono nostro: ut minùs hunc Mundum diligamus; eóq; alacriùs discedamus de Mundo.*

Deus solus statuit Reges: idemq; solus potest amovere; &, cùm videtur, eos recipere. Claves, quas dedit S. Petro, & S. Patribus, successoribus ipsius, ad regnum cœlorum duntaxat pertinent; ad regnum terræ nullo modo. Ille-ipse omnipotens, cùm hîc in terris ageret, non instituit castigare Reges; non coronas eorum effringere: sed contrà vita ipsius fuit quidam apertus humilitatis liber. Nec alia arma dedit Apostolis, ad stabiliendam Legem suam. Dixit eis: Reges nationum dominantur ipsis; & qui auctoritate in eas valent, dicuntur benefici. Sed non ità erit vobis. *Noluit Deus, ut S. Petrus, successorésve illius, S. Patres nostri, plus aggrederentur ipso. Neque verò hoc fecerunt, qui successerunt primi. Si alii contra hoc venerint: abutuntur hîc potestate suâ; nec sunt audiendi.*

Luc. 22.

Hoc semper Gallicana Ecclesia judicavit; eosq; excommunicavit, qui contrà affirmârunt, velut inhumanæ & infelicissimæ doctrinæ auctores: quæ per impietatem volens homines pios efficere, Mundum (ut ità dicamus) parit innumerabilem cædium, incendiorum, raptuum fœminarum virginumq;, & desolationum per urbes provinciasq; totas. Abyssus abyssorum est; abominationum Oceanus. Hoc ad extremum usq; experti sumus. & tamen Jesuitæ magìs magísq; obfirmant se: quibus si credimus; poterunt Romanæ Bullæ spoliare omnes Reges terræ, EISQUE TEMPORALE DOMINIUM ET SCEPTRUM EXCUTERE.

Atque his quoque conveniunt ea, quæ D. BELLARMINUS Jesuita, nunc Cardinalis, scribit de hoc argumento. * Quantum ad personas, *inquit*, non potest Papa, ut Papa, ordinariè temporales Principes deponere, etiam justâ de causâ, eo modo, quo deponit Episcopos; i. e. tanquam ordinarius judex: & tamen potest mutare regna, & UNI AUFERRE, atque ALTERI CONFERRE, tanquam summus Princeps spiritualis; si id necessarium sit ad animarum salu-

*1. Controv. 3. lib. 5. cap. 6. p. 781. edit. anno 1601.

salutem: ut probabimus. *Id probaturus cap.8. adfert instituta violenta quaeq; ex diametro pugnantia cum verbo Dei, & quae historiae omnes exsecrantur: quorum serie docemur, stabilimentum Mahumetani illius Imperii, maximè ex bellis intestinis & furiosis Christianorum inter se, provenisse: quae usurpationes ista pepererunt; feceruntq;, ut Europa, ab Ortu & Occasu pariter, suorum ipsius liberorum sanguine innataret. Optimè* S. Ambrosius *se-se temperavit; ne vel de attingendo sceptro, coronâ, & temporali dominio, cogitaret, deq; Subdito ullo liberando a jurisjurandi fide. nec verò potuisset, nisi directè venire contra Dei mandata voluisset. Acri solum admonitione usus est: ut culpae gravissimae notitia ac sensu, Imperatorem afficeret.*

Id etiam valde observandum; quòd idem BELLARMINUS,† *atque Jesuitae in suis Defensionibus, sustinent, & confirmare nitũtur, famosam illam* Extravagantem commun. Unam sanctam; de Majoritate & Obedientiâ. *quam semper damnavit Gallia. Nam si Papa fallitur; si errat; si plus instituit, quàm ex officio debeat: hac tamen Extravagante homines tenentur obsequi; Deusq; solus eum judicare potest. Itaque, licèt Papa planè injustissimè fulmina jacularetur in Regem: (prout factum vidimus, anno 1599. contra defunctum Regem nostrum summè-Catholicum:) nemo tamen, ex Jesuitarum doctrinâ, de causâ potest cognoscere. omnibus interdicta est cognitio; & Deo soli reservata. Interea verò oportet, Rex ante ora & oculos Subditorum omnium, etiam per ipsos, dignitate & corona sua spolietur; & succedat in locum ipsius, quemcunq; suprema illa potestas voluerit statuere, ut habent illa* BELLARMINI *verba;* MUTARE REGNA, ET UNI AUFERRE, atque ALTERI CONFERRE. *quae eadem sunt* TANQUERELLI *verba,* Regno & dignitatibus privare potest, *celebri Arresto condemnata. Etsi nondum eò audacia venerat Tanquerellus; ut diceret, dare posse uni Papam, quod alteri ademisset.*

† 1. Contr. 3. lib. 5. cap. 7.

Idem Jesuita BELLARMINUS *procedit ulteriùs. affirmat enim disertis verbis:** Omnes Ecclesiasticos Regni cui non ampliùs tibi subjectos esse. *Quae sententia tàm directè adversatur verbo expresso Dei, & thesibus Ecclesiae Gallicanae; quàm caetera illa, quae diximus. Audet tamen tueri istud; & S. Pauli verba † cavillis puris tentat evertere:* Omnis anima subjecta sit potestatibus superioribus. non enim potestas est, nisi à Deo; & potestates supereminentes sunt à Deo ordinatae. ideò, qui resistit potestati, resistit ordinationi Dei. *Et postea:* Quapropter oportet subjectos esse, non solùm ad vitandam iram; sed etiam propter conscientiam. Nam eâdem de causâ penditis tributa illis; quia administri sunt Dei, in hoc se occupantes. *Quem in locum S.* JOHANNES CHRYSOSTOMUS *observavit:* haec verba non solùm Laicis imperari; sed etiam Clericis, Religiosis, ipsisque adeò Apostolis. *Vult etiam idem* BELLARMINUS *hac S. Petri verba eludere:* Itaque estote subditi omni humano ordini, propter Deum: sive Regi, ut eminentiori; sive Gubernatoribus, ut missis ab eo. *Et inter caetera idem* BELLARMINUS, Tempore illo, *inquit*, valde erat necessarium, moneri Christianos diligenter; ut obsequerentur Regibus: ne impediretur fidei praedicatio. *Hoc pacto efficeretur Religio nostra, religio circulatorum Cyrtes, religio vulpinantium. qui primùm quidem dicerent, Regnum nostrum non est de hoc mundo; nam omnes, aequè Ec-*

* Tract. de exemt. Cler. edito anno 1599. cum altero de Indulgentiis.

† Rom. 13.

1 Petr. 2.

clesiastici, ac Alii, Regibus Præsidibusq; obedimus. posteà verò, quum loco superiores sunt, & in auctoritatem optatam posuerunt pedem; tùm demùm sermone contrario planè uterentur: idq; arrogarent sibi, quod Deus ille omnipotens sibi soli, in Reges Israëlis, & alios omnes, reservavit.

Hæc bonâ fide, vera doctrina Jesuitarum est: hæ technæ illorum: hæc via, quam insistunt; ut se in honores intrudant. Sed longè aliter se habet Religio Christiana: quæ semper loquitur ingenuè, verè, sinè fraude, sinè fuco & fallaciis: nec Subditum quemquam avertit à suo Principe, aut ei eripit; ut doctrina Jesuitarum facit. Nam hæc demùm conclusio ipsa est ejusdem BELLARMINI, *pag.271. tractatûs illius de Exemtionibus.* Sed dices: Principibus fieret injuria; si, contra voluntatem ipsorum, privarentur jure, quod habuerunt in Clericos, antequàm clericatum adepti essent. Respondeo: nullam fieri injuriam eis. quia nemini injuriam facit, qui jure suo utitur. Is autem utitur jure suo; qui statum eligit, quem sibi convenientiorem judicat. QUA'MVIS PER ACCIDENS SEQUATUR, PRINCIPEM PRIVARI SUO JURE. *Hoc non est aginari; non tergiversari; non circuitione uti. Hic præcisè dicit Majestati tuæ, uno verbo: Quot in Galliâ sunt Ecclesiastici; tot esse subditos Pontificis. Quin-etiam pag.255. his verbis utitur:* Papa exemit omnes Ecclesiasticos, ex subjectione Principum suorum secularium. Ex quo sequitur, non esse illos Principes supremos in eo, quod ad personas ecclesiasticas attinet. &c. *Sic (ut apertè dicam) alterum imperium in tuo, ô Rex, construitur; alterum regnum in regno tuo. Itaque, ut doctrinam istam probet, quæ Christianæ fidei adversatur planè; eodem in loco argumentatione utitur, à simili; perindè esse dicens, ac si Rex aliquis partem regni sui alteri subjiceret; atque hoc pacto, jure belli, justóve alio quocunq; titulo, partem imperii sui amitteret. Et verissimum est, quod ibidem * dicit:* Stabilimẽtum istius Propositionis, Principibus plus creare periculi; quàm si magno vincantur prælio, aut amplam provinciam amiserint. *Nam in visceribus delitescit malum: & ii, qui jam sunt perditi, alios persæpè adducunt eò, secretis suis confessionibus; ut ipsam Monarchiam, in quâ nati sunt, subruant. Quòd si interdum magistratus suos coguntur agnoscere: id vi dicunt fieri, vela contrahi oportere; sed ex eo non valere consequentiam. Quod diligenter opus est observari.*

** pag.168. tract. ejusd. de exemt. Cleric.*

Ampliùs dicunt: Edictis Regum, etsi nihil est, quod Scripturæ, Canonibusq; & sanctis Decretis, adversetur; tamen non obligari Ecclesiasticos, nisi ad directionem; non ad coactionem. *Hæc propria ipsorum verba, pag.269. Quod idem asserunt posteà, pag.271. quum ajunt:* Clericos non esse ampliùs temporali Principi subjectos: hunc illos amittere. *prout id reverà extra controversiam est Eum non ampliùs subjectum esse, qui non ampliùs ad obsequium legum cogi potest. Ista hæreses olim fuerant radicitùs, ô Rex, è Galliâ tuâ exstirpatæ. Sed ecce, venerunt artifices, qui eas magnâ copiâ seminaverunt denuò, & novâ quadam arte farraginis, tractatus de Indulgentiis, hunc tractatum inserciverunt, intruseruntq; in sementes alias, ne quà observari possent.*

Ex istâ autem Propositione, Ecclesiasticos non esse ampliùs subjectos, *admirabile nascitur consectarium: Posse illos intentare in Regem suum, citra læsæ Majestatis crimen.*

men. Atq; hæc consequentia disertis verbis habetur, in Aphorismis Confessorum,* *quos Jesuita* EMANUEL SA *composuit,in voce,*Clericus. *Ait enim:*Clerici rebellio in Regem, non est crimen læsæ Majestatis: quia non est subditus Regi. *Et in voce,* Princeps, *demonstrat adhuc evidentiùs, quantùm Dei verbo adversentur: quo præcipitur ferri Principes malos, insidentes Majorum suorum throno, velut manu illius datos. Sic enim illi:* Rex potest, *inquiunt,* per Rempub. privari, ob tyrannidem; & si non faciat officium suum; & quum est causa aliqua justa: & eligi alius, à majori parte Populi. Quidam tamen solùm tyrannidem causam putant. *Inprimis certa malitia est, quòd rem tàm gravem hærere in incerto sinunt. Deus novit, an arte faciant: ut, pro ratione optati consiliorumq; suorum, modò hoc, modò illud, sentire possint.*

* Edit. Antuerp. vel Coloniensi.

1 Pet. 2.

Secundò, quid magis cum fide Christianâ pugnat; quàm, si libertatē tribueris Populo, judicandi de bonâ & malâ Principis sui administratione: eiq; persuaseris, posse eum, conscientiâ integrâ, & secundùm Deum, aut ejicere, aut trucidare Principem? Veruntamen hac cautione aut lege; ut ità pars major censeat. *quæ conditio apprimè est necessaria. Nam si furentem istam opinionem pars minor defenderet; periclitaretur de vitâ. Magna autem jactura esset; si perderentur homines* BENE-DISPOSITI *ad Jesuitarum doctrinam: i. e. ad ejiciendum Dominum & Principem suum, excitatis in tyrannum clamoribus, ex hæreditate ipsius. Idcircò, in calce illius libri, Inquisitor Antuerpianus,* PARDO, *anno 1597. pronuntiat, eum magnam utilitatem allaturum. Cognovit Dominus, utrum plus utilitatis allaturum esse Domino suo censuerit; quàm promovendo dissipationem Regni sui, quod tùm flammâ & ferro oppugnabat.*

Iidem Jesuitæ, in suis illis Aphorismis Confessorum, *quos indesinenter obtrudunt animo Populi, in voce,* TYRANNUS, *addunt ista:* Tyrannicè gubernans justè acquisitum dominium, non potest spoliari, sinè publico judicio. Latâ verò sententiâ, potest quisque fieri exsecutor. Potest autem deponi à Populo, etiam qui juravit ei obedientiam perpetuam; si monitus non vult corrigi.

Utrum autem hæc doctrina tota ad te, ô Rex, pertineat maximè; judicare tuum est. Non tam attingit simul reliquam terram totam; quàm te & posteritatem tuam. Gallia est tua hæreditas; quam à Deo solo obtines, & justo gladio tuo. Si decies-mille annos staret Mundus; & tantumdem tua Posteritas: (ut sperari à nobis convenit) ex ratione est, ut semper in Gallos imperium teneat; ac non Pontifices (qui interdum hostes tuæ familiæ possunt exsistere) possint Gallum unicum absolvere à jurejurando fidelitatis, quo Posteris tuis tenebuntur. Quòd si Theses istæ in nostros animos illabantur: coronā suam Posteritas tua, ô Rex, geret, sceptrumq; tenebit, tantisper-dum sanctæ Sedi videbitur; ac non diutiùs.

Ab hac Propositione primâ dependet altera; super cujus argumento, video tàm multa ultrò citróq; scripta: sed nemo rem acu tetigit. Dicunt quidam; Jesuitas auctores esse, ut Reges occidantur. Hoc falsum: nam contrà eis ministrant; idq; non rarò ex animo. Sed hæc rei distinctio. Credunt si quos excommunicavit Papa, eos ampliùs non esse Reges; sed Tyrannos. Audivisti, quid illi in vocem TYRANNUS *pronuntient. Planè, si de primâ illa Propositione convenit; secunda est consectaria. Nam, si potest Papa manum injicere in sceptrum Regum, & dominium temporale ipsorum; ut Jesuitæ asserunt: ex eo procul*

Nū Jesuitæ sint Regicidæ: & quâ ratione tales fiant?

dubio constat, si quem Regem fulmine petit Pontifex, privatum eum reddi; privatum permanere; Regem non esse amplius: quòd si velit & perstet regnare; Tyrannum esse. Quisquis in Propositionem primam consenserit; necessariò ad secundam hanc compelletur. Itaque liber scriptus propriâ manu JOHANNIS GUIGNARTI *Jesuitæ (quem in pleno Parlamento agnovit, Cameris duabus unà congregatis) habuit ambas istas Propositiones contumeliosè scriptas. Nam inter alia exstabat scriptum :* Sævum Neronem ab uno Clemente occisum esse; & Monachum simulatum manu veri Monachi confectum. FACTUM HEROICUM, à JACOBO CLEMENTE PATRATUM, VELUT S. SPIRITÛS DONUM, HOC NOMINE à THEOLOGIS NOSTRIS APPELLATUM: justè, per defunctum Priorem Jacobitarum Bourgoing, Confessorem & Martyrem laudatum esse. Coronam Galliæ, in alteram familiam, quàm Borboniam, transferri debere & posse. Cum Bearnensi, QUÁMVIS AD FIDEM CATHOLICAM CONVERSO, leniùs actum iri, quàm sit promeritus; si detur ipsi corona monachalis, in Conventu aliquo benè reformato : ut illìc pœnitentiam agat de tot malis, quæ apportavit Galliæ; & gratias agat Deo, quòd ipsi gratiam contulerit, sui ante obitum agnoscendi. SI ABSQUE BELLO DEPONI NON POTEST; GERATUR BELLUM: SI BELLUM GERI NON POTEST; MORS PARETUR IPSI. *Protocollum Majestas tua potest consulere: res lectu digna est.*

Præterea, AMBROSIUS VARADES, *Parisiis, fuit Gymnasiarchus Collegii Jesuitici, per ipsos electus, tanquàm unus ex optimis in Ordine ipsorū; & adhuc inter ipsos eundem honorem, quem antè, obtinet. Veruntamen, si placebit Majestati tuæ mandare, ut Acta Barrerii ad se afferantur: comperies, illum fuisse Varadem, qui, post mensem à felici conversione tuâ, suasit ipsi; ut cultrum suum bipennem inderet in ventrem tuum: datoq; Eucharistiæ sacramento, eum obligavit; confirmans per Deum viventem, nil ab eo posse fieri magìs meritorium; fore, ut ipsum Angeli in Paradisum exportarent. Si id non est verum, purgare se-se Varadem oportuit. Latitavit dies aliquot in hac Urbe, quum ingrederetur Majestas tua; & veste mutatâ abiit, Romamq; profectus est: ubi fruitur admodùm magnis honoribus. Non est difficile, infitiari voce: sed facta validiora sunt, & sermonis mendacia redarguunt. Varades, perpetrato isto horrendo & exsecrabili scelere, vinctus per Jesuitas ipsos adduceretur; ut justo supplicio aliis exemplo esset: si eadem sententia non insideret mentibus ipsorum.*

Nunc verò, ubi tàm vides hominem istum, & suprà quàm unquam, ab istis bonore affici; adeòq; tam audaces esse illos, ut eum inter viros maximos Ordinis sui referant: omninò sequitur, eos voto, voluntate, studio, per Varadem Gymnasiarcham suum, velut organon appositissimum, animavisse Barrerium: nec particulare istud; sed generale parricidium esse. Nititur enim profectò maxima Propositione illorum: à cujus exsecutione & effectu, plus sibi spondent ipsi laudis, quam ex alia re ullâ; ut pòst dicturi sumus. Et ubinam, quæso, adhuc locant Varadem istum, inter præcipua Societatis suæ columina? Habetur locus, pag. 265. Defensæ veritatis *ipsorum, (ut ipsi quidem obtendunt) post annum ex mensæ, quàm Varades aufugerat.* Quid non multi *(inquiunt)* & MAGNI VIRI hujus Societatis pertulerunt? Quis nescit (ut de Galliâ nostrâ dicamus) contume-

lias

lias ibi intortas, & calumnias enunciatas, contra Johannem Maldonatum, Emundum, Augerium, Claudium Matthæum, Jacobum Tyrium; & nunc etiam contra Annibalem Codretum, Jacobum Commoletum, Bernardum Roilletum, Ambrosium Varadem? *Atque hic observatu dignum est; hos scilicet esse magnos Martyres, & multa perpessos. Tàm propria, tàm Christiana est hac appellatio; quam illa quaestionis habita Parisiis, anno 1564. Nam* terribilem persequutionem *illam vocant, incredibiliter hac voce abutentes. Magìs verò proprium fuerit; si furiosa funestaq; bella, quæ in toto hoc regno Jesuitæ excitârunt, persequutionem bonorum omnium Gallorum appellaveris.*

Quòd si Jesuitarum discipulus fuisset Barrerius, educatus & institutus in doctrinâ ipsorum: Varadem vix accusavisset. nam eos credunt esse damnatos, qui Judicibus auctores suasoresque facinorum istorum indicaverint. *Atq; hac tertia jam Propositio est, ex primâ illâ & secundâ consequens. Nam, si potest Reges excommunicare Papa, & bonum est factum ac meritorium, si quis, post vibratum Papale fulmen, eos occiderit: continuò sequitur, martyrium ferri potiùs constanter oportere; quàm in causa esse, cur ii tradantur morti, qui iter ad vitam æternam ostenderint. Hæ Propositiones catenâ quâdam inter se devinctæ, & pari procedunt passu.* Quare Jesuitarum discipuli magistros suos non prodant.

Quapropter etiam Chastellus *noluit accusare nominatim Jesuitarum quenquam; cùm, præsumtâ fiduciâ faciendi benè, (ut ipse exposuit) statuisset, cultro jugulum suum petere. Credidisset enim, ex eo argumento, se damnationem sibi accersere; si indicasset eum, qui iter Paradisi ipsi ostenderat: prout depravatum erat judicium illius. Veruntamen, ut Deus, ille protector Regum, eruit veritatem ex ore illorum; qui eam celatam maxime & dissimulatam volunt: ecce, affero ipsissima verba, ex Actis interrogatoriis, vel Quæstionibus Chastelli: quorum Protocollum Majestas tua potest consulere: & quorum Actorum veritatem D. Præsides, aut Consiliarii ampliùs triginta, confirmabunt; iiq; mille modis digniores fide, quàm sit dignum fide, quicquid isti rei, in suâ ipsorum causâ, partésve, afferre possunt.*

Quæsitus, ubi Theologiam istam novam didicerit? respondit; ex Philosophiâ.

Rogatus, utrùm Philosophiæ studuerit in Jesuitarum Collegio? respondit, studuisse; idque sub patre Gueretο, quî-cum ad annos duos cum dimidio sit versatus.

Rogatus, an'non fuerit in conclavi Meditationum? (quò graviores peccatores intromittebant Jesuitæ; ubi spectarent figuras multiformes Diabolorum complurium horrendas, specie revocandi eos in meliorem vitam: ut commoverent animos ipsorum; & monitis ejusmodi, ad patrandum grande aliquod facinus, excitarent:) respondit; ad hujusmodi pictos Inferos sæpè deductum.

Rogatus, quis persuaserit ipsi, ut Regem occideret? respondit; multis se in locis audivisse, hanc Propositionem verissimam haberi oportere; quòd Regem liceat occidere: & qui affirmabant, TYRANNUM eum appellâsse.

Rogatus, an'non sermones, de occidendo Rege, apud Jesuitas essent ordi-

narii? respondit, se audivisse dicentes, licere Regem occidere; eum extra Ecclesiam esse: nec ei obsequendum esse, eúmve habendum pro Rege; donec à Papâ fuerit approbatus.

Interrogatus iterum in magnâ Camerâ, Dominis Præsidibus & Consiliariis ejus, atque Turnellis congregatis, eadem responsa dedit. Expresse verò proposuit, & defendit Thesin istam; Quòd Reges liceat occidere: etiam Regem nunc-regnantem; ut qui in Ecclesiâ non sit, (prout ajebat) quia non est à Papâ approbatus.

Jesuitę pernegant, se à Regicidis unquam proditos fuisse.

Quisquis libellos supplices leget, quos tibi, ô Rex, obtulerunt Jesuitæ; statuet, illos non fuisse à Chastello accusatos: adeò negant audacter veritatem! Ego verò haud scio, utrùm gravior accusatio inveniri possit; aut quod gravius excogitari crimen: quàm quòd tenellos adhuc juventutis animos tàm furibundâ doctrinâ fascinent; quâ ad trucidandum Principem suum feruntur præcipites.

Huic persimile est, quod legimus de confessione Guilielmi Parrii, *factâ ante excessum ipsius: se* Benedicti Palmii *Jesuitæ suasu adductum esse, ut de cæde istâ cogitaret. quam rem se cum Sacrifico quodam, cui nomen* Vates, *communicavisse: hunc verò dissuasisse; dicendo, ipsum damnatum fore. ideoq; se, Confessionis ergò, ad* Annibalem Codretum *Jesuitam abiisse: qui ex necessitate esse dixerit, ut ille* Vates *esset hæreticus. Quoniam vera Ecclesia minimè dubitet, Reges, à Papâ excommunicatos, Tyrannos esse; ac proinde occidendos.*

Quos Jesuitæ pro Tyrannis habeant.

* excusi Lugduni, anno 1589.

Itaque Commentator libri, qui inscribitur,* Summa Constitutionum, *aliàs* Septimi Decretalium. *pag. 308. postquàm Jesuitas supra modum laudibus extulisset; (ut bonis reverà dotibus instructi sunt) tandem, ut laudum cumulo exornet eos, pronuntiat de eis:* Tyrannos aggrediuntur; lolium ab agro dominico evellunt. *Poterit Majestas tua librum istum in manus sumere; facilè sermonem istum Latinum intelliget: audivi, quum difficiliorem exponeret. Significatur denique his verbis; optimè illos, & animosissimè, novisse lolium ex arvo Domini evellere; eosq; tollere, quos Roma excommunicaverit. Hoc certo est certius: omnes, quâcunque tandem religione sint, Tyrannos vocant.*

Enimverò, Rex defunctus nunquam alius fuit, quàm summè-Catholicus: id noverunt omnes, & quam benè esset de Ecclesia meritus, multis nominibus. Atqui simul Romæ excõmunicatus est; simul Pater Commoletus, *Pater* Bernhardus, *(quos, suis Defensionibus antè prolatis, in cœlum evehunt) & universè omnes alii Jesuitæ, nunquam, post illud tempus, eum, ad mortem usque, alio nomine donaverunt; quam Tyranni, Holophernis, Moabi, Neronis. Quæ omnia bellè, cum definitione* Tyranni, *quam suprà adduxi, consentiunt.*

Die natali Christi, anno 1593. tua Majestas erat Catholica. & tamen ille-ipse Commoletus, *in æde S. Bartholomæi, dicebat:* Ahod nobis opus est: sive monachus, sive miles, sive pastor; nihil refert. sed Ahod nobis opus est. *Posteà verò, ubi cognovit quæstionem de eo haberi, sibi consuluit fugâ. Hoc negari magis non potest, quam factum* Varadis. *etsi hoc valere quærunt, dicentes: Barrerium quidem ipsi exposuisse consilium suum; hunc verò illi respondisse: Non posse se, cùm sit Presbyter, ipsi de re*

illâ

illâ consilium dare. Sed demus sané. hoc unum esto. Quid hoc reverà aliud est dicere, quàm istud? Tuum erat, facere; ac non ampliùs communicare. Plus præsta; & effare minus.

Veruntamen, si Majestas tua Acta de morte Barrerii adferri ad se curaverit: comperiet, Varadem istum, Jesuitarum Gymnasiarcham, hortatum esse hominem, accendisse, & sancto sacramento altaris obstrinxisse; ut manum promtè alacriterq; injiceret. Et certè, nunquam in majore periculo, dum vixit, versata est Majestas tua. Novit Dominus, quæ miracula de tuâ morte confinxissent: cùm de morte defuncti Regis tàm affabrè fecerint, monumento ejus superbè insultantes; literis in omnes partes orbis terrarum datis: quas etiam Romæ, ad majorem ostentationem, excudi curaverunt. Hæ inter solennes litteras, & annales ipsorum, relatæ sunt, pag. 35. quarum hæc verba sunt: Quo die nos, Regis edicto, Burdegalâ pellebamur; eo die Rex ipse, qui edixerat, vitâ depulsus est. Ab eo compingebamur ad S. Macarii, ut simul opprimeremur omnes: (sive hoc suspicio, sive fama tulit) nisi anteà oppressus ille unus fuisset. Hoc porrò nuntiatum cùm esset; afflixit animos Adversariorum. *Nunquàm gravior incessit animum meum admiratio; quàm quum partem istam litterarum, quas perscripserunt, legerem! Etenim, quis unquam putavisset, homines Religiosos, adeoq; Christianos, fore; qui furorem tantum, & inimicitias ferreas, atq; irrecõciliabiles, etiam post mortem ostenderent. Natura nos docet, inimicorum nostrorum misereri; quum eos videmus humi prostratos. Non possunt ampliùs nobis inimici esse, qui non sunt ampliùs. At Subditum pedibus proterere ventrem Heri sui, Domini sui, Regis sui, & primi in Christiano orbe Regis, atq; de eo Pæana canere; hoc verò crimen est, omnem barbariem, omnem inhumanitatem, omnemq; sævitiam exsuperans, quæ unquam in mentem possit cadere.*

Ac istam quidem contumeliam non sensit miser iste Princeps. neq; verò tàm est illata ipsi, quàm tuæ Majestati, ô Rex, & iis omnibus, qui ferunt Francorum nomẽ. Verùm sensit gravissimè venenum Ligæ, Conspiratorúmve, sibi à Jesuitâ Claudio Matthæo *præparatum: qui, sub finem anni 1588. in Italiâ obiit, ex laboribus molestiis itinerum, quæ indesinenter fecerat, in Hispaniam, Italiam, Helvetiam, Germaniam, Belgium: ut extremam clausulam adderet, constringeret, atq; confirmaret maximam illam atq; horrendam conspirationem; quæ in defunctum Regem, totamq; Borboniam familiam, fuerat inita. Vidit Majestas tua, quid super hac re Jesuita* Guignardus *scripserit:* Coronam Galliæ posse & debere, in familiam alteram, quàm in Borboniam, transportari. *Et, quicunq; noverunt arcana conspirationis istius, apertè clamant: Patres Jesuitas fuisse germanos istius conspirationis patres: hos reos esse; & omni jure teneri mortis eorum, qui in profundissimam istam abyssum corruerunt.*

En tibi perbrevem historiam; quæ rem confirmabit luculentissimè. Notum est consilium Sedecim-virorum, ex literis interceptis; quibus Urbem Parisiorum dedebant Regi Hispaniæ. Et ubi homines isti præsidem sanguinarii consilii sui quæsiverunt? Ad Jesuitas accesserunt rectà: qui Patrem Odonem Pichenatum *rei præfecerunt. Hoc suis Defensionibus agnoscunt, Lutetiæ excusis: sed ideò factum prædicant; ut lenirent Sedecimvirorum impetum.* Non desunt, *qui responderent; oleum camino addi, quum Jesuita in turbam seditiosorum immittitur. Ego verò aliter sentio: istos Sedecim-viros fræno, ac non*

calca-

calcaribus, opus habuisse: nec aliam viam exstitisse, quâ sceleratum consilium ipsorum daretur effectum; quam si violentior ipsorum impetus sisteretur. Et quis, obsecro, non videat convenientiam istorum Sedecim carnificum admirabilem? (nam aliter vocari non possunt: cùm solum Præsidem illum Parlamenti, qui Lutetiæ restabat, suspenderint.) Quis, inquam, non videat admirabilem istorum Sedecim, cum Jesuiticâ Societate, convenientiam? quando unum potiùs de numero illorum sibi depoposcerunt Præsidem; quàm alterum ecclesiasticum, laicúmve quemquam.

Tùm indè ab ineunte anno 1585. Jesuitarum domos Lutetiæ, & alibi passim, stativa fuisse perpetua omnibus, qui res Hispanicas curabant promoveri: literarum fasces eódem latos, apertos, distributos esse: consilia ordinariè, cum Legato Mendozzâ, *& successoribus ipsius, Parisiis; cumq; aliis gestoribus & procuratoribus negotiorum* Regis Philippi, *in potentioribus quibusq; civitatibus, ubicunque erant, communicâsse: res nota est, atque notoria. Hoc quis melius novit, quàm Majestas tua?*

Jesuitæ Galliã Hispanicam reddere conantur. *Ajunt quidem illi: Te, ô Rex, tàm arcto vinculo cum Rege Hispaniæ constrictum esse; ut juvetur hoc dicto magìs, quàm lædatur, ipsorum causa. Nam Majestatem tuam nemini tàm studere; quàm iis, qui ex animo Hispanum diligunt. Hoc nunc fortè obtendi posset. At mihi quidem certè permirum videbatur; istos homines, quo tempore maximè nostrum fervebat bellum cum Philippo Rege, his verbis uti:* * Nam tempore Caroli IX. nunquàm de Hispanis sermo, nisi in partem optimam, habebatur. sed Hæretici, non odio gentis, (nam Anglos & Germanos eis plùs odio oportet esse; qui graviore injuriâ Galliam, quàm alia gens ulla, affecerint:) sed magìs religionis odio, eos efficere exosos studuerunt, caussâ prætextâ Regni. *Videntur profectò mihi, plùs studium suum erga Hispanos eo tempore retexisse; quo Gallorum millia aliquot, in Picardiæ finibus, trucidabant. Non decet viros bonos usque adeò traduci, communi studio & voto Regulæ suæ: ut obliviscantur natales suos; & ab aliquo sensu doloris, ex miseriis Patriæ suæ concepti, abstineant, præsertim cùm illi-ipsi essent Catholici, quos omni ætate & sexu, maximo numero, & sinè ullâ misericordiâ, jugulabant. Duri videtur planè & feri animi esse; si hoc de iis pronuntietur, qui eodem tempore in Gallorum, & quidem Catholicorum, sanguine mersabant se-se. Si magìs colunt, honorant, & reverentur Hispani; si majoribus bonis officiisq; Jesuitas Patres afficiunt; si eos vocant Apostolos, ut scribunt ipsi: tamen non convenit, ut de iis tempore belli perindè sermonem habeas, ac pacis.*

* *pag.159. Def. verit.*

Supplice libello, quem pòst exhibuerunt Majestati tuæ, in hoc argumentum liberiùs excurrerunt, & majori cum ratione, his verbis: Quòd nos criminabantur Hispanos esse; fabrefacta fuit in fabricâ temporis criminario: cui vires addebat opportunitas temporum, ac occasionis respectu solùm; i. e. cùm Gallia & Hispania bellum inter se miscerent. tunc nomen erat odiosum, suspectum, ingratum nomen. Nunc verò, ubi Christianissima Majestas tua nodum firmavit sanctæ pacis, cum Rege Catholico; ubi Gallus frater est Hispano, & Hispanus Gallo: antiquata est hæc criminatio, intempestiva, à ratione omni aliena.

Id tamen apud te, ô Rex, fatear necesse est; ut taceam, jamq; plùs nobis de hac re constare: homines istos videri mihi, hac bellâ suâ oratione, prodere, quàm mirificè Regi Hispaniæ

spaniæ obstricti sint. Vehementer cupiunt, omnes tibi suspiciones eximere; & in id laborant, accurato planè artificio. Id tamen optimè novimus, in eo maximè ab eis operam sumi; nolle ut videant Subditi tui, alios ipsos esse, quam servos studiosissimos Philippi Regis: quia hoc rebus suis valdè judicant commodare. Cùm autem ista comparo cum Arresto Inquisitionis, quo antiquatum est Decretum Sorbonæ, contra ipsos datū anno 1 5 6 4. (ut quidem gloriantur ipsi) & cum primâ institutione ipsorum, per Capitaneum Hispanum factâ; postremò cum istis verbis, quæ exstant in vitâ Ignatii, *pag. 169.* Debemus etiam atque etiam orare Deum, noctes & dies; ut servet quàm-diutissimè, in omni sanitate & prosperitate, Philippum Regem Catholicum: qui, hæreditariâ & excellenti pietate ac devotione suâ, prudentiâ singulari, vigilantiâ incredibili, & potentiâ ad infinitum majore, quàm unquam fuerit in Mundo ullius Regis, est propugnaculo, ad defensionem religionis Catholicæ. Quam rem non solùm armis suis præstat, quæ semper fuerunt invicta; sed etiam operâ magni illius Senatûs Inquisitionis, qui vigilat continenter pro religione Catholicâ. *Quum ista simul omnia comparo; hoc ego apud te, ô Rex, profitear necesse est: si quo infortunio bellum tibi orir etur; in metu fore me pergravi, ne isti homines clanculùm, omnibus modis, præstarent operas iniquissimas.*

Nec tamen alio tempore otiosi jacent. Semper enim doctrinæ illius suæ, quam destrinximus antè, curant propagationem: in quâ se plurimùm laboravisse, & valdè jamq; provexisse, anno 1 5 8 9. ostenderunt. Nam, si contra Henricum II. Regem talis prolata fuisset excommunicatio: ne minimam quidem Regni urbem commovere tantillùm potuisset. Patrum verò Jesuitarum operâ & labore, quasi triginta annorum, exitium filio illius attulit: qui illam perinde, ut antecessores sui, ludum fuisset facturus. Rem stupendam! ne copias quidem ducenties-mille hominum, fuisse tantum effecturas contra defunctum Regem; quantum ducentorum Jesuitarum manus, disponendo Subditos illius: i. e. animos eorum ità abalienando; ut extemplò incendium ab eis exarserit. cùm priùs Gallia magnus quidam Oceanus esset; in quo simul cadebat, simul exstinguebatur hoc fulgur.

Ac tantisper quidem, dum benè Majestati tuæ, & tuis, convenerit cum Pontificibus; magnus doctrinæ istius effectus non est proditurus. Quòd semper benè sit conventurum, sperare oportet: sed futura incerta sunt. Quapropter rectè fit, quòd pacis tempore diligenter finibus tuis prospicis. Vix autem fieri potest, ut ter ex ordine sanctæ Sedi prospiciatur; ne in manus hominis veniat, partium Hispanicarum studiosi: adeò magno sunt numero inter Dominos Cardinales! Tùm verò ingenuè dico, ô Rex, & sinè assentatione: Corona tua, sceptrumq; tuum & regnum, ab hac voce unicâ penderet: si plures in Subditorum tuorum numero doctrinam Jesuitarum, quàm adversam, colerent. Si doctrina ipsorum obtineret: nullus futurus esses. sin esset infirmior: retineres quidem dominium tuum, sed planè sanguine exitioq; multorum ex Subditis, bonorum-malorum, promiscuè conjunctum.

Hic etiam cogitare oportet Majestatem tuam: istud excommunicationis caput longè nunc nobis esse periculosius quam quum ditiones in Italia, & copias, haberemus. Hac etenim viâ poteramus Papæ adjumento esse; si qua fortè vis eum cogeret, ut noceret nobis. Jesuitæ doctrinam suam parricidalê ad-

modum occultè ac providè instillant.

Hodierno autem die, unus Prorex Neapolitanus, cum factiosis Hispaniensibus in urbe Româ, jugulum premit sanctorum Patrum: qui ter obsessi, ter capti essent, antequàm dimidium iter emensi essemus, in subsidium ipsorum. Ut illud taceam, quòd nunquam Roma vixit, nisi ex tritico Siciliæ, sui granarii.

Accedit, ad hæc omnia unum hoc observatu dignum: quòd videntes Jesuitæ, quantum periculi hæc doctrina Principibus afferat, astutè ab eâ retegendâ cavent; quum se insinuunt primùm, ditionibusq; illabuntur. quum autem in loco benè radicati sunt; tùm eam paulatim curant influere, quasi de manu in manum, per Populum, hauriendo isti veneno plùs satis à naturâ idoneum. Quid enim suavius in multorum ingeniis; quàm ab eâ subjectione absolvi, cui obstringuntur suis natalibus? Non sum nescius, Bonos viros tenere scitum illud dictum Philosophi; Regi suo obsequi, veram magnamque libertatem esse: *nos & naturâ, & gentium jure, doceri atque obligari, ut serviamus honoremusq; Principem; cujus sub imperio Solem primum lucemq; vidimus: neminem hominem in orbe terrarum liberare nos ab eo obsequio posse, quo nos ipsi obstrinxit Deus. Sed, sicubi mens una est composita, quæ in hac opinione sit; comperias ternos, qui diversum sentiunt. Tùm verò pessimè habet, quòd audacissimi quiq;, & ad licentiam projectissimi, in hoc præcipitium ruunt plurimùm: parvaq; ferè istorum mobilium hominum & axitiosorum * manus, multitudine aliorum superior exsistit. Quid? nónne hoc experti sumus? Est omninò mihi persuasum; cùm Lutetiæ cœperunt isti Tyrannum dicere defunctum Regem, ut qui à Papâ excommunicatus esset, eumq; exterminari oportere: duplo plures fuisse, qui contrà judicarent; & qui Regem maluissent videre in Luparâ tranquillè regnantem, duodecimq; seditiosos pendentes de patibulo. sed respiciebat alter in alterum: animus, non vis, deerat. quemadmodum contingit sæpè, ut mercatores decem à tribus prædonibus, ex improviso invadentibus, spolientur. Qui regiam insistunt viam, seq; in obsequio naturæ continent, dormiunt de nocte; diem in suis negotiis singularibus occupant. At ex contrario, qui rebus novis student, & eversioni publicæ; hi de nocte coëunt, conspirant, inq; dies confirmant se-se: nihil aliud satagunt: vivunt ex occultis pensitationibus; & alios tandem inopinanteis opprimunt: qui primus in arma ruit, primas tenet.*

* *Axitiosi dicũtur factiosi; teste Festo.*

Cùm itaq; Jesuitæ constanter periculosas istas Propositiones teneant, & in Mundo seminent; ut antè fuit demonstratum: equidem non possum, quin profitear, ô Rex, videri mihi periculum impendens, à doctrinæ istius propagatione, (si benè examinabitur) longè gravius esse omnibus rationum momentis, quæ in contrarium appendi possunt. Nam, quod ad confutandas opiniones novas, in Religionis causâ; verè possumus adfirmare: quemadmodum, primis illis quinquaginta annis, fuerunt Lutheri & Calvini errores superbè propositi, prædicati, atq; promulgati; sic, indè à viginti-quinq;, & quasi triginta annis, eos jam magnificè potenterq;, & vivâ voce, & scriptis, esse convulsos; & infinitâ quâdam profunditate scientiæ superari in hoc tempore, quicquid alii unquam attulerunt: adeò ut, si ipsi opinionum istarum auctores revertantur in hanc lucem, eos putem fore à suo errore discessuros; quum magna illa argumenta sua, quorum præsidio tantoperè confidebant, depulsa animadverterent. Itaq; primores videmus, & acutissimos eorum redire quotidiè in Ecclesiæ gremium. quâ in re, opinor, animi nostri debent plurimùm acquiescere. Felices enim conversiones istæ, non fiunt equuleis, non tormentis, non terroribus,

mor-

mortis; *ut* Inquisitio *solet* Hispanica: *(cui, unà cum Castellanis armis, Jesuitæ acceptã ferunt religionis Catholicæ conservationem; ut antè demonstravimus) sed gladio S. Spiritûs, æternoq; verbo; quod docent nostri Doctores, Pastoresq;, & boni Episcopi: qui, in causâ doctrinæ, nihilo inferiores Jesuitis Patribus videntur esse; quámvis interdum optimis, & validissimis argumentis eorum, utantur. Ita enim censeo: tàm diligenter à nobis colligi eorum libros, in controversis capitibus Religionis, oportere; quàm eos procul abjici, quibus disseminatur doctrina illa, quam suprà attigimus.*

Neque verò hoc celaturus sum: etsi nonnunquam Patres Jesuitæ conversionibus quoq; fuerunt adjumento; eos tamen non æquè mihi in hac re fortunatos videri, ut sunt Episcopi & Doctores nostri. Austerior illorum ratio, à naturâ Gallorum alienior, homines primâ fronte reddit attonitos: adeò sæpè cum Exteris agunt; & ita se-se, exemplo primi auctoris sui, gente Hispani, conformárunt: ut vultu, gestu, actione, saltèm plerisq; ipsorum, grandiorem præ se asperitatem ferant. Ità est tamen: accommodari nos oportet ad rationem ægri, & de Medicis non-ingratis prospici; si quis eum rectè curatum volet. Is nullo pacto Gallis Jesuita est. Tàm furenter maximas contumelias, blasphemiasq;, in Regem defunctum intonuerunt; ut adhuc animus horreat. Inest Gallis nescio quæ naturalis, in amorem sui Principis, inclinatio: quæ justam parit nauseam horroremq;, ubi sermones ità sævos de suis Regibus audiunt pronuntiari. Curavi illis aliquando dici: (nam diligebam eos, fortè suprà quam debuerim;) ægrè mihi esse, quòd eos viderem tàm infestos mortuo: videri mihi, officia, quæ miser ille Princeps erga Ecclesiam, ad sanguinem & vitam usque, toties, tot prælijs, & tot obsidionibus; fecerat, saltèm mereri; ut aliquid memoriæ ipsius condonetur. Responderunt cuidam ex intimis, apud quem rem exposueram: Speciosum quidem esse illius dictum; sed tempus ità flagitare. nunc demùm religionem Catholicam stabiliri in Galliâ, aut nunquam, oportere. Satìs his intellexi, quid sibi vellent: ipsis nempè certum & deliberatum esse, ut exosam redderent Populo Monarchiam, sub quâ tamdiù vixerunt; curarentq; mutari Dominum, extinctâ Borboniorum stirpe. Ut itaq; vidi præsidia Hispanica & Neapolitana, post ingressam Lutetiam: tùm verum principium esse duxi, quo responsum illud suum effectum redderent. Et ne quid apud te, ô Rex, dissimulem: exordiũ hoc putabam esse Tragœdiæ; actum esse; nunquam regressuram Parisios Majestatem tuam; & tandem minora oppida, majoribus & potentioribus esse concessura.

Deus, qui semper, singulari studio, Regnum primum eorum, qui baptizantur in nomen suum. prosecutus est, aliter constituit; verisq; miraculis tranquillum te, invitis hostibus, magno huic Imperio præfecit. adjecit cumulum felicitatis: cùm pulcram, generosam, & virtutibus instructissimam Principem, dederit conjugem; decimoq; pòst mense Te alterum, vota & exspectationes nostras prævertens Studium suum erga hunc tenellum Principem, magìs beneficiis, quàm erga te, excitat Majestatem tuam: ut maturâ, quàm maximè fieri potest, deliberatione, prospicias gravibus quibusq; negotiis Dignitatis tuæ; quorum pars est hæc-ipsa res, quæ agitur.

Necesse enim est, ut de tribus his capitibus unum aliquod statuatur: ut aut Jesuitis fiat satìs, ex animi ipsorum sententiâ; aut jubeantur Arresto obsequi, quod exsilium omnibus ex Regno imperat: aut denique eo loco res, quo nunc sunt, sinantur esse.

Initium faciam ab ultimo, quia maximè primâ fronte videtur plausibile: & tamen hoc ipsum re & veritate est, quod minimum habet speciei. cùm id omninò constet; Jesuitas aut ubiq; restitui, aut ubiq; ad parendum cogi oportere. Ista segmentata opera turpia sunt; periculosa sunt; attingunt existimationem, auctoritatem tuam. Si justum & utile est, eos retinere: cives oportet maneant; ac non exsules. sin minùs: oportet exeant; non exemplum rebellionis præbeant pervicaciâ suâ, ut adhuc fecerunt diutiùs æquo. Breve solùm ex membranâ, ad semunciæ magnitudinem, mittebant Lacedæmonii: & momento eodem necesse erat mandatum exsequi. Id omninò est necessarium: ut tàm Burdegalæ & Tholosæ pareatur Majestati tuæ; quàm Lutetiæ, aut ad Bellaquæum fontem. Sunt tibi illîc servi, & bono numero. quod Regis & Domini auctoritate jusseris, id efficietur: ne dubita.

Quòd si Jesuitæ tibi non sunt utiles: ne altiùs radices in Provinciis duabus illis agere sinas. Arbor, quam hoc anno potes unicâ manu convellere, anno altero non nisi ambabus manibus eradicabitur: ligone & securi opus est, in anno tertio. Suspectam nobis oportet esse istam vicinitatem Hispaniæ. Semper accusati fuerunt Hispaniensium partium. Id omnibus suis actionibus confirmârunt: quò antiquior fuit de illis querimonia; eò fuisse veriorem, eò justiorem. Ex regno cætero exacti sunt. ecce autem, præmuniunt & circumvallunt se-se in duabus Provinciis, conterminis Hispaniæ; qui ex Hispaniâ venerunt. Quódnam hoc humilitatis exemplum est, atq; obsequii? Si locus ullus est, ubi confirmantes eos se-se ferri minimè oporteat; id profectò est in regione Regni limitaneâ, remotâ à nostro Sole, & ad Madritanum propiùs accedente. Ibi videntur Hispaniæ eos humeris sustinere: ibi se videntur jamq; obvallare contra Majestatem tuam, & palàm dicere: Tu nos Lutetiâ & aliis locis ejecisti; sed breviores tibi lacerti sunt, quàm ut nos propellas ulteriùs. *Hoc verò est indignissimum.*

Quid sibi nonnulli velint, qui se Scabinos prædicant, priùs eorum discipuli, & nunc veneno ipsorum imbuti, equidem nescio; quum tàm ferociter pro illis dimicant. Hoc illi tamen oportet sentiant: se æquè tibi, ô Rex, debere obsequium; quàm debet renuissimus Lutetiæ incola. Nimia hîc est arrogantia: nimis obfirmata rebellio. Hactenus spreverunt illi orbitatem tuam; ut olim ajebat quidam. Cura nunc, ut sentiant, se tibi, & toti Posteritati tuæ perpetuum semper debere obsequium. Nemo tàm celsus futurus est, qui non contremiscat. Nunquam in filio excidit injuriarum, quæ patri factæ sunt, recordatio. Igitur, aut Jesuitæ pareant necesse est; aut irrita fiant Arresta tua. Atque hoc est maximum deliberationis argumentum. De priore illo gaudebunt multi ô Rex: de posteriore multi. De me autem: non arbitror, tàm spectari à Majestate tuâ oportere, quid sit his aut illis placiturum, quàm quid justum sit, quid utile. Non potes, de hac re ità statuere: quin voluptatem ex eâ multi; dolorem percipiant multi. Semel tamen oportet statui; non semper in incerto fluitare. Et quæ meliores, obsecro, anchoræ eligantur; quàm utilitatis & justitiæ, quæ honestum complectitur.

Quod ad justitiam; manibus Regum eam commisit Deus. Antecessores tui, ô Rex, indè ab omni antiquitate, eam fidei Parlamenti illius tui, quod Parium *vocabant, permiserunt: &, prout abundaverunt negotia, insuper alia Parlamenta, ad septenarium usque numerum, statuerunt. Sed Parlamenti Parium semper obtinuit hæc prærogativa, atque*

aucto-

auctoritas: (ut aequum fuit ac necessarium) quòd ea decidit, quae spectant Universitatem Regni. Hic ordo magnis viris est confertissimus, in omni argumentorum genere versatissimis: qui omnium maximè in cognoscendis causis capitalibus, atque judicandis, solent excellere. Nam, si qui sunt in orbe terrarum, qui summum judicium industriamq́, ad cognitionem causarum, afferant; hi profectò sunt. Itaque nunquam quisquam est accusatus insons; qui hos sibi judices, prae aliis omnibus, non postulaverit. Hoc novit Majestas tua.

Non est autem novum, quòd querimoniae contra Jesuitas ad Parlamentum hoc delatae sunt. Nam indè ab anno 1564. decem Advocatos unico Actu audiverunt, qui litem eis intenderunt: quorum is, qui orationem communem habuit, vir bonus, & qui tàm studiosus erat Domini sui, quàm qui maximè, (rem miram, stupendam, narro) praedixit omnes actiones atque instituta; quae in istis hominibus posteà comperimus. Jesuitae saepenumerò coram Parlamento Parisiensi accusati.

Quum ea omnia videmus contigisse, quae ille praeviderat: primùm casum Academiae, quam ad paucitatem Studiosorū ter-mille adegerunt; pro eo, quòd tricies-mille in eâ vivebant priùs, ut principiò diximus: deindè, se subducentes paulatim Subditos ab eo obsequio, quod suo Principi debent, & ad Polum alterum spectantes: hîc omnes demùm fremere, (nam Jesuitae jam stabiliverant potentiam suam, & facti erant aliis formidabiles) omnes mussitare, & voce submissâ dicere; Hoc rectè nobis Mesnilius, Advocatus regius, fuerat vaticinatus: nec ipsi fidem habere visum est, nec Sorbonae; quae praemonebat eodem tempore, Societatem istam esse ad destruendum, non ad aedificandum, natam; importaturam turbas; & temporalibus Principibus maximum damnum allaturam. *Haec ipsa verba sunt Decreti illius; quae ex authentico exemplari ejus (si exhiberi jusseris) recognoscet Majestas tua.*

At, ubi ante ora & oculos omnium Ordo politicus eversus est; habenae obsequii resectae; Magistratus in vincula rapti; etiam excarnificati quidam; furibundus Populus, ad exemplum leonum liberè vagantium, in bonos saeviens: tùm Jesuitae Patres plebem, belluam istam, animantes; & hinc Commoletus, *indè* Bernardus, *oceanum blasphemiarum in Regem suum, Dominum suum, evomentes; contrà verò efferentes Hispaniae Regem, & panegyricis orationibus eum celebrantes. quem maximum orbis terrarum Monarcham pingebant; potentiorem Romanis ipsis, & ampliore dominatu: nunquàm se ab illo desertum iri; se illi esse charissimos; tantùm bono esse animo, & recognoscere vires suas oportere; nunquam sibi auxilium à viris, pecuniâ, commeatu, esse defuturum. tùm demùm Bonos omnes, qui radicatum in animo adhuc Lilii florem gestabant, poenituit vehementissimè, fidem Cassandris istis minimè habuisse. At serò sapiebant Phryges.*

Quum Urbem Parisiorum Majestas tua, ô Rex, in obsequium suum revocâsset: omnes pro certo habuerunt, te eodem momento infidos à poculis istis ejecturum, qui bonam Populi tui partem suo veneno infecerant; & qui tàm apertè conjurati, hostilia omnia in defunctum Regem, & in Te, exercuerant. Sed prudentissimè visum est Majestati tuae, rem manibus eorum tradere, qui juri dicundo praesunt. Academia, quae multis de causis ruinam particularem suam Jesuitis, ratione maximâ, imputabat, (ut de causâ generali taceam) mense Majo, anno 1594. libellum supplicem obtulit Parlamento tuo. Idem fecerunt Curiones & Parochi Urbis. Causa fuit agitata; sed occlusis foribus. quae res Jesuitis maximè

commodavit. Nam pleraque crimina, quæ objecta fuerunt ipsis, testari potuissent multi, qui foribus apertis circumstetissent: & nova crimina fuissent prolata; dum causa illa compluribus diebus ageretur. Supervenit ictus ille; quem Deus avertit à tuis faucibus, teq; dentibus tuis obvallavit. Nemo dubitavit, à quibus auctoribus: præsertim ubi innotuit, alumnum Jesuitarũ esse: qui se ex illis ajebat didicisse, Regem adhuc extra Ecclesiam esse; occidendũ esse: ut in pleno Parlamenti consessu testatus est. Extremũ illud atq; infelix institutũ non aliunde poterat exsistere; quàm ab istis sævis ferocibusq; Propositionibus, quas anteà diximus. Hæc cogitata non crescunt naturaliter, præcipuè in animis Gallorum: qui procul absunt ab Africâ; & qui monstra priùs non viderant, quàm Jesuitæ ad nos ingressi essent. Nostrum solum non fert hæc venena ex se: necesse est, ut ab alio dicantur sata.

Quare & quomodo Jesuitæ ex Galliâ proscripti.

Quamobrem itur in Collegium ipsorum: invenitur inter alia narratio Patris Guignardi, *manu ejus tota; quæ succum medullamq; totius furiosæ, cruentæ, & horrendæ istius doctrinæ, continebat: omnia convenientia cum iis, quæ prævisa fuerant, indè ab anno 1564. & quæ recèns fuerant prænuntiata; licèt non haberetur fides. Cognitio itaque instituitur plenè atq; solenniter, convocatis duabus Cameris seu Collegiis Parlamenti. Manum suam Guignardus agnoscit.* Chastellus, *omnibus Dominis audientibus, dicit; hunc ordinarium Jesuitarum sermonem esse:* Regem adhuc extra Ecclesiam esse, licèt Catholicum; quia perduret adhuc excommunicatio: eumque tolli oportere è medio. *Hæc planè consona cum Guignardi scripto:* Si non potest componi sinè bello; geratur bellum: si bellum geri non potest; occidatur. *His omnibus cognitis, quid potuit leniùs Parlamentum tuum, ô Rex, statuere; quàm ut judicaret secundùm libellum supplicem Academiæ? Cùm Deus ipse, quâdã specie miraculi, judex in hac causâ esse voluerit; revelans funditùs, & tamen sinè incommodo, id-ipsum, quod toties dictum, repetitum fuerat, contra Societatẽ istam: & cui ne certa haberetur fides; artes eorũ; mellita verba, & hypocrisis, impedimentũ semper attulerat, ne citò ab eis expediremur.*

Post maximam igitur cognitionem causæ, Parlamentum Parisiense tuum, Arrestum suum pronuntiat: quo jubentur exsulare ex toto Regno tuo; omnibusq; tuis Subditis interdicitur, ne liberos suos ablegent peregrè in Collegia ipsorum. Quæ quidem verè cautio est maxima: & sinè cujus observatione, vix dimidium fructum ex eo perceptura est Majestas tua. Semper enim daturi sunt operam diligentißimè; ut periculosas istas Propositiones doceant Adolescentes, qui amandabuntur ad se: & obstringent eorum conscientias; ut easdem aliis instillent.

Dicitur quidem tibi, Rex Christianißime; non posse id exsequutioni mandari: parentes non posse impediri, quò minùs extra hoc Regnum liberos ad Jesuitas, ablegent informandos. Sed nihil est in orbe terrarum facilius. Statuatur solùm in eos, qui primò contra hoc Arrestum venerint, mulcta Coronatorum millenûm; cujus dimidium ad delatorem pertineat; & toties duplicetur, quoties reus contra Arrestum fecerit: ne unus quidem posteà compariturus est. Itáne ergo hæc res videtur factu difficilis; ut etiam meritò impoßibilis dicatur esse?

Guignardus Jesuita morti adjudicatus.

Altero Arresto, Guignardus fuit adjudicatus morti. Horror blasphemiarum, quibus defunctum Regem, Dominum suum Subditus petiverat; furensq; doctrina illius, adversans vitæ tuæ; non sinebant ei servari vitam, sinè pergravi tuo periculo.

Atque

Atque hæc Arresta adeò justa & necessaria comperta sunt: ut in aliis omnibus juridicis conventibus, sinè morâ, effecta data sint; si à Tholosano & Burdegalensi discesseris. De Tholosâ nihil mirum. Nam adhuc erant abalienati ab obsequio Majestatis tuæ; quò mense demùm Aprili, anno 1596. reducti sunt. Burdegalæ autem degebant multi summi Catholici; sed Hispanorum & Jesuitarum (qui Hispanorum tibicines sunt, atq; erisinata) hostes infensissimi: qui summis votis expetebant, ut ex Aquitaniâ suâ pariter extruderentur; ut ex aliis Regni partibus ejecti sunt. Sed Jesuitæ illicò, ubi de sententiâ contra se latâ cognovissent, factionem magnam & potentem excitârunt, per intimos congerrones suos, in duabus civitatibus, Aginni, & Vesunnæ Petracoriorum; ubi tùm adhuc calebant cineres perduellis hujus incendii. Sic intercessiones perscribi curaverunt, adeò miras, adeò horrendas; ut nihil possit excogitari hujusmodi. Sed non est ignotus Jesuitarum calamus. Nam (ut summatim dicam) Parlamenta omnia, quæ ipsis exsilium imperaverunt, tuamq; Majestatem ad istud edictum pertraxerunt, erant hæretica. Hæc ipsa sunt illorum verba: Religionis Catholicæ, Apostolicæ, atque Romanæ inimici, Majestatem tuam imbuerunt falsis criminibus; ut eos ipsi, Regnoque ipsius, exosos & suspectos redderent. *Itèm:* Sinè aliâ formâ & modo processûs, & causæ cognitione minimùm in consilium missâ, exsilio eos mulctaverunt. *An verò unquam Parlamentum Galliæ, tantâ iniquitate, mendacio, & sycophantiâ, laceratum ab ullo fuit, atque proculcatum? Sed ne hoc quidem fuit illis satis: procedunt longiùs; utuntur minis: affirmantes supplicibus libellis suis, res novas Rempub. invasuras; non posse istam mutationem, sinè alteratione & rebus novis, exsistere.*

Qui cum Jesuitis nō facit, ipsis hæreticus est.

Si ætate Francisci I. Regis, non libellus supplex hujusmodi, (nam quis cogitare fuisset ausus?) sed scriptum ullum, ad hos sermones vel tantillùm accedens, prodiisset: capite suo fuisset luiturus, quisquis illud offerre præsumsisset. Enimverò ista præsumtio, insolentia ista, istæ συλλιζόντων voces, istæ contumeliæ, manantes ab illis, discipulisq; ipsorum, qui veneno ipsorum infecti sunt, (est autem hoc; Principes, mandata, Senatumq; ipsorum, contemni oportere) gravissimè offenderunt Viros tuos, ô Rex: quibus id erat constitutum, ut eos cogerent in Majestatis tuæ obsequium; nec controverti mandata tua paterentur. Vicit tamen multitudo Urbium; quæ tamen adhuc rebellabant, Tholosæ subsidio fultæ: fecitq;, ut consilium de tolerando malo caperetur. Videbant omnes, rabiem furoremq; Inimicorum tuorum, qui gladium adhuc strictum gestabant contra te, perstare diù non posse; omnia ipsos deficere: pòst itaq; brevì rem facilè effectum iri. Hanc exsecutionem variæ cogitationes, varii casus, adhuc retardârunt.

Habes narrationem, bonâ fide, ô Rex, & sinè fuco, quomodo res illæ gestæ sunt, expositam: quid judicatum & decretum contra Jesuitas: quid effectum ex parte; quid non. Jam verò non ignorat Majestas tua; vim Reip. in conservatione & exsequutione Arrestorum placitorumq; consistere, quæ summa Curia statuerint. Quoties de eis labefactandis agitur, sæpè multumq; deliberari necesse est. Opus est gravissimum: cujus multa sunt consectaria. Arresta hæc nomen tuum in fronte gerunt: ac infringi non possunt; quin lædatur Majestas Regum: quorum judicia, ab omni retractatione & mutatione, convenit esse alienissima. Adde, quòd in illo consessu, ô Rex, è duabus Cameris adunato, ne unus quidem nomina-

minari potest; qui summus non sit Catholicus, & omnis adversæ suspicionis expers. Annus jam septimus agitur, quum Jesuitæ vitam scrutantur illorum. an unquam res ulla exstitit, cujus nomine ea res criminari possent? Quorsum igitur occentari ista: Oderunt nos, qui opinionem sequuntur novam? *Hoc quidem verum est: sed quis cum illo cœtu? Quid in consessu illo potuerunt? Non magis profectò, (audeo dicere) quàm in consistorio Romæ: nihil magis.*

Jesuitæ perpetuò se exosos queruntur; nec tamē à nequitiis suis desistunt.

Veruntamen instant, & ajunt; Parlamento se fuisse odio. *Quamobrem, quæso? An ideò, quòd Turonibus non fuerint? Hoc verò cur illi dicerent: cùm maxima pars consessûs Curiæ pedem Lutetiâ non moverit? An ergo, quòd Jesuitæ summi sint Catholici? Multò minùs. Nam domini illi, qui sunt in consessu Curiæ, magìs Catholici sunt, quàm illi, & sinè labe hæreseos. Quâ igitur causâ malo in vos fuissent animo? Nihil sanè adducturi estis, quod vel minimam speciem habere poßit: nisi fortè dixeritis;* Oderant nos, quia fueramus in caussâ tot malorum, quæ obtigerant Galliæ. *At ego vobis respondeo: nullo jure hanc rationem odii in censum venire posse. Si Catilina fuisset comprehensus: an ergo Roma Judices non fuisset inventurus? Certè: & tamen omnes Magistratus, optimiq; cives omnes, facem illam Patriæ oderant. Novum igitur Parlamentum Parium instituendum esset, damnandis seditiosis, & iis, qui factiones exteras adjuvant. Atq; hic tibi, ô Rex, rem unam breviter suggero; quam agnoscent Jesuitæ. Quòd si tui omnes Subditi amavissent te, ut Jesuitæ isti: non jam tot elegantes libelli supplices ad te afferrentur; nunquàm Luparam illam regiam ingressus esses. An isti hoc negaturi sunt? Si negent: an non tua tamen Majestas mecum sentiet?*

Postremò autem, ubi non habent, quod justitiam Arresti hujus labefactet; eò prorumpunt, ut dicant: Si nos Chastellus accusavit; si rei sumus: cur nō afficiebamur supplicio ultimo? *Hîc ego respondeo: metiri homines istos alienum animum ex suo. Cùm enim cruento eorum consilio præfuerint, qui innumera capita tradiderunt morti, ut tyrannidem suam horrore confirmarent: judicant homines isti, se acerbiorem pœnam fuisse meritos. Cur ergo non sunt adjudicati morti? Quia non Chastellani, non Jesuitæ, fuerunt ipsorum Judices: qui, in Terceris Insulis, cervices præscindi viginti-octo Proceribus, & Nobilibus quinquaginta-duobus Gallis, uno die, in tabulato eodem, curaverunt; & quingentos Franciscanos, aliosq; Religiosos, suspendi, qui conciones secundùm Lusitaniæ Regem habuerunt. Sævitiam istam odimus Galli: in clementiam semper inclinamus; modò ne inhumana sit. Tot homines si morti fuissent traditi: crudele fuisset factum. sin è diverso ferrentur ii, qui tot barbaricis maleficiis causam attulerunt; nec rebus aliis incubant: hæc altera fuisset, gravißimaq; crudelitas. Quid igitur facto fuit opus? Ut damnarentur exsilio. Admodum scitum est illud apud Tacitum* *:* Si, Patres conscripti, unum id spectamus; quæ immania sunt istorum hominum scelera: non laqueus in eos suffecerit. Sed viam novi, quâ nos clementiæ simul, ac severitatis, non pœniteat. Jubeamus eos exire regno.

* *Annal. 3.*

Et ipsi quoq; Jesuitæ, ut se telis destitutos vident, quæ in hoc Arrestum adeò utile, & necessarium Galliæ, jaculentur; dicere non dubitant: (vide quò usque rabie & furore suo traducantur) non esse ampliùs Parlamentum Parisiense Parisiis. Ubi ergo, quæso, nunc est maximum illud Parisiense Parlamentum; quod in precio est & admiratione omnibus

Gallis,

Gallis, omnibus exteris? An fortè est Madriti? Eóne vultis provocare, à Rege & Parlamento ipsius? Placetne, ut ibidem, cum paene triumphali, magnum illud Arrestum fiat irritum: prout ibidem fieri curavistis Decreto Sorbonae, quod anno 1564. fuerat editum? Vide, (per DEUM immortalem oro) vide, ô Rex, hominum impudentiam, fastum, superbiam; qui ausint in Gallia dicere: Parlamentum Parium Galliae non esse amplius in Galliâ: non amplius Parisiense Parlamentum esse Parisiis. Sed cur ab iis parci supremae Curiae petimus: cùm Reges bipennibus cultris occidi curent: & subornent emissarios?

Justum igitur est, ô Rex; justissimum, procurari, ut mandetur exsequutioni Arrêstum Parlamenti tui. Justitia ipsa est. Non aberrat, qui hoc iter insistit: iter ab omnibus tuis Majoribus tritum; qui magis studuerunt, laboraveruntq;, ut judicatum fieret Parlamenti sui, quàm aliud quidpiam. Nam absq; hoc fuisset; quomodo confirmari potuissent, fore, ut liberi sui, quos nonnunquam in cunis; etiam in matrum utero, relinquebant, tot magnis post se Populis imperarent; sinè his viribus Justitiae suae, fulcimento Sceptri sui, columnis Coronae suae, & stabilimento Successionis suae? Quicunque autor est tibi, ô Rex, ut commoveas Arresta, de gravissima causâ Reipub. in Parlamento tuo pronuntiata; nunquam istius plagae gravitatem, consequentiam, adjunctaq; omnia, expendit satis. Nihil deinceps tibi in Orbe certum futurum esset: si quando imminueres, si infirmares, si denique labefactares amplitudinem tuam amplissimam; maximumq; tuum propugnaculum, contra omnes rebelliones Subditorum tuorum, & contra omnia Extraneorum instituta.

Atque haec de jure: ad utilitatem veniamus. Quis tàm hebes est, ô Rex; qui non videat, hoc ipsum Arrestum in magnâ felicitatis parte ponendum esse, quam Deus in te contulit? Si parricidam unum, spatio novem mensium, in plantario suo, in suo illo seminario, nacti sunt: quàm multos septennio adepti essent? Plurimùm refert, utrùm conficias centum passus, an octingenta passuum millia. Dum otium datur cogitandi; dum indormiscendi: diversa saepe subit cogitatio. unico solùm bono momento opus est: & horae insunt diei viginti-quatuor; quod vulgò dici solet. Sed cùm eodem astu, eâdem rabie, eodem furoris impetu, is, qui ex illo infernali cubiculo Meditationum prodit, horae momento potest latera sua tegere: hîc alea gravis est, ô Rex; hîc periculum evidentissimum. Non est in diversoriis commorandum: non adferuntur Lugduno monita: (nôsti, quid dicam:) non lingua differens; non vestes variae. Nullâ ex parte monita. nam signa imaginesq; adferri possunt: simul constitutum; simul factum. An dubitat quispiam, quò nobis propior, eò formidabiliorem esse pestilentiam? Quod pestilentia corporibus: hoc Jesuitae sunt Reipublicae.

Ad alia descendamus: videamus ex actionibus ipsorum, quaénam spes nobis ab istis hominibus in-posterum ostendatur. Quanquam aequum est, ante omnia, ô Rex, concedi illis postulatum suum: nempè, ne persequaris vindictam causarum Navarreni Regis, Aurelianensis Ducis. Justissima postulatio. Quicquid Jesuitae, mandato defuncti Regis, commiserunt contra Majestatem tuam, non debet ipsis obesse: ampliùs affirmabo; ipsis prodesse debet. Domino suo servierunt. tùm eis non fuisti Dominus. Sed neque, de eâ re, unquam ullum verbum fuit cum illis communicatum. Monstra mera fingunt, quae oppugnent: quod eis solemne. Hoc nunquam eis objectum est: nec speciem ullam in Parlamento tuo habuisset. Alia in rationem venerunt, diversa omnia. Nam inter res alias innumeras

observatum fuit, quo se modo erga Regem defunctum gesserint. Huic si benè fideliterq́3, dum opus fuit, serviverunt in adversis rebus: etiamsi contra germanum ipsius filium (si quem habuisset) homines ipsi ministrâssent: mererentur laudem. Rex verò defunctus, non fuit Rex Navarræ; non Dux aliquis Aurelianensis: Rex fuit Galliæ. Non adjiciam istud gravius: Regem fuisse erga ipsos beneficum; favisse ipsis per omnia; ignoravisse scelesta omnia facinora, quæ machinabantur in ipsum. nam, quum dixi, Regem fuisse Galliæ; dixi omnia. Erat Dominus illorum: illi, natalibus, Subditi illius. Huic serviendum fuit, qualiscunque esset, (an verò unquàm exstitit melior?) Fecerúntne isti? Utrùm fideliter serviverunt; an prodiderunt ipsum nequissimè? Hic Rhodus; hîc saltus; hîc palæstra!

Quis causã cædis, in Henrico 3. patratæ, sustineat.

Non licet hîc excurrere; non campos patentes quærere; non plausibiles communes locos, ut ostendant eloquentiam suam: ad hunc nodum, ad caput istud redeundum. Audite Domini Jesuitæ: non loquor de Aurelianensi Duce; non de Navarreno Rege. mihi vobiscum de Rege vestro sermo est. An huic Domino, bono huic Domino, inquam, bono Regi, qui vos tanti fecerat, servivistis? qui tàm fuerat gratiosus vobis; tàm ad assentationem blandus? Frustrà rogo. non sunt responsuri: cavebunt diligentissimé. Quid huc prolaturi sunt, quod non ementiatur Majestas tua? Alium testem eorum non desidero, quæ Rex defunctus de ipsis pronuntiabat. Nunquam Princeps ullus tot effudit querimonias, & justas querimonias, de Subditorum suorum proditionibus. Ac propterea Rex ille mitis, benignus, facilis, facilior æquo, præ aliis omnibus Subditis, curavit istos Burdegalâ exturbari. quo certissimo argumento docemur, istos summoperè, & quasi ad infinitum, læsisse Regem suum, atque offendisse. Et quis hæc in dubium vocare possit? An ergo usque-adeò hîc peregrinamur; ut nondum teneamus, eum scripta legisse, & certò comperisse, hos veros Ligæ & conspirationis auctores esse? qui omnes, æquè magnos ac parvos, eloquentiâ suâ fascinaverint: qui istam conspirationem constrinxerint, agitaverintq́3 adversùs Rempublicam: qui velis remisq́3 contenderint, ut Romæ Majestas regia excommunicatione feriretur: qui procuraverint, ut istud tonitru Galliam percelleret: postquàm hanc scelestam fidem Subditis infudissent; Regem excommunicari potuisse non amplius esse Regem, sed Tyrannum; & ipsos à jurejurando fidei absolutos esse. Et quis nostrûm adeò malitiosus; ut nolit istud cernere? Si Jacobus Clemens *non fuisset veneno isto Jesuiticæ doctrinæ imbutus, ne cogitaturum quidem fuisse unquàm, de Hero suo, Domino suo, suoq́3 Rege, trucidando. Nónne abominanda ista persuasio, firmè infixa, & in animo ipsius radicata, fecit; ut cultrum in ventrem Uncti Domini impelleret? Nónne hæc brachium firmavit, ictumq́3 iterari jussit, credenti, se hoc facto heroico (sic nominabat* Guignardus*) avolaturum in Paradisum esse? Utrùm committit cædem? lapisne, vel telum; an is, qui immiserit? Quis, inquam, adeò malitiosus, aut rerum nostrarum imperitus est; ut nesciat, quum Jesuitæ primùm in hoc Regno posuerunt pedem, omnes Gallorum animos tàm procul abfuisse ab istis hæresibus? (nam alio nomine quî vocentur? potéstne ulla exsistere periculosior?) ut, inter decies-centena hominum millia, non fuisset unicus inventus; qui tantum scelus vel cogitatione voluisset attingere? Contrà verò Majores nostri pertuderunt montes ipsos, Italiamq́3 transmiserunt: ut abirent, eum comprehensuri, qui Regem floris Liliacei excommunicare tentaverat: hominemq́3 audacem, ad honorariam mulctam,*

ctam, & pœnitentiam publicam, impulerunt; qui scintillam aliquam incendii immiserat. Antè denique, quàm isti homines advenissent, nihil tàm ab istis sceleratissimis Propositionibus, quàm Gallorum animus, abhorruit.

Dicitur Jacobi Clementis *Apologiam* Boucherus *probavisse. Res factu facilis. Novit Boucherus, nunquàm se Lutetiam reversurum esse. Lata in Guignardum sententia, est illius gubernatio. Spondent sibi quotidiè Jesuitæ se eò regressuros esse. Facit amici officium, cùm probat Apologiam. Certior illis amicus nunquam fuit, neque conjunctior. Neque verò studuit Theologiæ, quàm illis præceptoribus. Hæc tota scit Academia. Sed ne respiciamus ista: solùm aperiamus illum infaustum Librum, infaustam Apologiam: spectemus fundamenta principiaq; illius. An alia sunt fundamenta ejus; quàm,* Posse excommunicari Regem, ejusque Subditos à jurejurando fidei præstito liberari? *Quid dicunt aliud; quid proclamant Jesuitæ, libris suis omnibus, quos antè contulimus? Pergamus longiús. Quid aliud ista concludit Apologia; quàm,* Ahodem quæri, inveniri Ahodem oportere? *Unde hoc didicit, nisi ex Commoleto & Guignardo? qui scripsit:* Si non potest deponi sinè bello; geratur bellum: si bellum geri non potest; occidatur. *Et antè:* Factum heroicum, à Jacobo Clemente patratum, & donum Spiritûs sancti, vocatum hoc nomine à nostris Theologis, justè laudandum est. *Observemus istas voces,* nostris Theologis. *Quínam sunt isti Theologi? Sanctúsne Augustinus, Bernardus, & alii illi boni & docti Patres? Nequaquam. Contrarium planè ostendimus. Hi sunt isti reverendi Patres Jesuitæ, ab illis quàm diversissimi. Apostoli sunt? Sunt de Societate Jesu. At illi, quos modò nominabam, nihil, quàm servi illius erant abjectissimi; indigni, qui corrigiam solverent calceamentorum ejus. Tandem verò Pater ille* Guignardus, *qui theses istas calamo ferreo, imbuto Regum nostrorum sanguine, perscripserat, defletur ab illis, pag. 266. Defensionis ipsorum: tanquàm si jacturam fuissent passi gravissimam. Quid magìs caninâ rabie, magìs furiosum, in istâ latronum parricidarumq; Apologiâ?*

Hîc autem subit animum, quærere. Si non probarent Jesuitæ istam Apologiam: eámne Duaci palam vendi, ut fit, permitterent? paterentúrne ibi hanc narrationem postulare? Etsi non sum auctor cuiquam, ut occídat Regem Hispaniæ. Mori malim, quàm auctor esse. Contra enim assero: Quisquis intentat in vitam ullius Regis, eum procul dubio damnatum esse. Nam sic intentatur in DEUM; *a quo institutus est. Sanè Jesuitæ non possunt impedimento esse, quin illa Apologia Duaci vendatur palàm, & circumferatur in diversoria; ut vendantur Gallis! Miseri (scilicet) Religiosi illi nihil auctoritatis obtinent in iis oppidis, quæ Domui Austriacæ parent: nullo precio sunt. Mirum est, quod dicam; sed tamen verissimum. Noverunt omnes, quàm sit homini Gallo difficile, ut ingrediatur in arcem Mediolani. Sabaudi speciem oportet induat; & maximo periculo, si compertus fuerit. Compareant Jesuitæ omnes, qui adhuc in Aquitaniâ & Linguâ Occitana supersunt, eò ingressuri: & unus Pater Jesuita, Mediolani agens, dicat, se eos pro Jesuitis agnoscere: sinè morâ sternetur pons; magnæ aperientur portæ. Adeò baphium Jesuiticum omnes colores exsuperat!*

Enimverò, quínam sunt homines in Orbe terrarum, qui meliùs sint de Castellanis meriti; quàm qui Societatis istius? quæ ad exaltationem, & amplificationem imperii illo-

* Unio Portugalliæ, excusa Genuæ, fol. 1976. & 2146.

Cur Jesuitæ tantoperè Hispano velint?

rum, tantum operæ contulit. Nam huic Lusitaniam debent; ut narrat ipsorum historia. Sed unde, obsecro, tantum Jesuitarum in Hispanum studium? Duas animadverto causas. Prior est, ab ortu ipsorum Hispanico: quo tanquam de manu in manum accepto, in hoc ardente spiritu aluntur, augescunt, educantur. Posterior est, quòd Propositionem hanc ipsi persuadent sibi:* Non posse Ottomanicum imperium everti; nisi ab eo, qui Monarcha sit totius Orbis Christiani. *&, postquàm huc-illuc oculos in omnes partes circumduxerunt; nihil à se videri putant adeò potens, adeò opulentum, adeò magnis ditionibus imperans, quàm Domum Austriacam: quæ tenet Imperium, partem Germaniarum & Belgii, ampliùs dimidium Italiæ, Hispanias omnes, & ab Ortu & Occasu Indias. Ut taceam, id illis persuasum esse;* Solum Hispaniæ Regem sufficere, qui totam Christianitatem efficiat Catholicam.

Nemo autem est in Orbe terrarum, qui meliùs noverit, quàm Majestas tua, quò-usque ferantur consilia Domûs Austriacæ; & quam parùm id sibi spondeat, quod Jesuitæ exoptant. Tres fratres, aut affines, te circumstant. À Bajonâ Caletum usque, Geryon est. Sed modò consilium arcanum ipsorum, & quicunq; suis mussitationibus conciliant eis gratiam apud tuos Subditos, ex Regno tuo exeant: non est quod labores. Geryon fuit Rex Hispaniæ: sed Gallum Herculem nactus est. Scit Majestas tua, fabulam illam Equi Trojani non aliâ de causâ fuisse inventam; quam ut doceamur, quinquaginta hostes ignotos, unâ nocte, in Republicâ effecturos ea, quæ aperti hostes quinquagies-mille non possint toto decennio. Indicavit etiam, aliquos ferè exsistere, qui istos latentes inimicos retegant; sed eis fidem multos habere nolle. Hæc profectò nobis adhuc contigerunt. Nihil enim de Jesuitis ac consiliis eorum dictum est; quod non evenerit: nihil de Jesuitis dictum; quod, nisi post ictum, obtinuit fidem.

Quò plures Jesuitæ; eò majus periculum.

Ut autem in gratiam redeant; duo exponunt nobis: Se magno numero esse; & Se officia magna Principibus quibusdam præstitisse. Prius illud, multitudinem adduci, non video, cui sit bono; nisi fortè, ut nobis incutiant metum. Equidem valdè ab eis metuo; dum in regno sunt. Foris verò non sunt venturi, ad Bajonam obsidendam: modò ne Burdegalæ sint, à quibus separemur. Persuadere student fortasse nobis, suam illam magnam propagationem, benedictionis Dei argumentum esse. Hæc conclusio & periculosissima est, & pessima. Non enim, post multos adhuc annos, Arsacidas vel parricidas, consortes suos, numero æquaturi sunt: ut de Arrianis, Albigensibus, Judæis, & Mahumetanis, taceam. Hoc argumentum Lutherani frequentârunt; Jesuitæ frequentaverunt: nunc verò abuti eo in suam rem volunt. Non benè conveniunt ista.

Cui bona officia à Jesuitis præstentur.

Quod de suis officiis prædicant, quæ Principibus nonnullis præstiterunt: nunquam dubitavimus, quin homines sint capaces, atq; ad illa idonei. Sed in Mundo quid periculosius magno ingenio, studente malefacere? Quorsum tot jactationes illius ἱκανότητος & sufficientiæ suæ? Nemo dixit, eos stolidos & barbaros esse. Officia quidem illa, opinor, præstituri sunt: sed iis, qui virgulâ divinâ quâdam nec Papam inimicum unquam habuerint; nec causam cum Domo Austriacâ ullam disceptandam. Quisquis vel de obolo cum illâ litigat; si fidat istis hominibus: dejicietur tandem aliquando, sive citò, sive tardè. Hoc illi persuasum esto.

Si placebit Majestati tuæ, curare, ut prælegantur Orationes, quas Nobiles Poloni quidam

dam

dam in Comitiis habuerunt: videbit seditionum civiliumq; bellorum Iliadem, quæ inter Christianos vastarum regionum illarum, quæ à Septentrione ad Ortum pertinent, Jesuitæ soli excitârunt: qui plurium illic præliorum fuerunt auctores; quàm per quingentos integros annos fuerint olim commissa. Non est hujus rei ignara Majestas tua; si volet meminisse. Quanquàm non habemus opus ullis exteris historiis; qui aliis suppeditamus ipsi. Exemplorum satis est. O' si querela nostra, & justa metûs causa, minus haberent veritatis!

*Sed an'non eas potiùs duplicaturi sumus: si attenderimus Regulas & Bullas ipsorum cavere, * ut jurent;* Se obsequuturos suo Generali per omnia, & in omnibus, ut Christo præsenti? *Rogo autem: si Deus ipse aliquid nobis mandaret suo ipsius ore; nónne faciendum esset? licèt cum Abrahamo de occidendo filio Isaaco ageretur. Quis ergo non videat: si quis miser, educatus in disciplinâ Propositionum istarum, de excommunicatione Regum, includatur in illo Meditationum conclavi: & alter Varades mandatum à Generali adferat; quum Princeps, cujus agitur cædes, versatur in proximo: quis, inquam, non videat miserum illum (qui credit se damnatum fore, animamq; suam perditam, nisi obsequatur Generali suo) rem momentò aggressurum esse?* * *Summa Constit. pag. 507.*

Esto autem; decem, viginti, triginta renuant: unus tamen inveniatur necesse est, qui nos lacrymis & ærumnis cumulet. Equidem non possum, ô Rex, cum animo meo cõminisci; quomodo ii, qui importuniùs causam hanc agere apud tuam Majestatem volent, eò delabantur: ut sibi non ponant id ante oculos, quod jamq; viderunt; nec reputent, se suosq; posteros, in tota Galliâ, probro æterno fore, si infortunium alterum accideret. Eos itaque rogatos volo: cogitent diligenter, ac recordentur; nihil faciliùs abscondi, quàm sceleratum consilium: nec posse quenquam penetrare in animum atque cogitata hominum, nisi Deum solum. Cur ergo tàm periculosam aleam ineundam putant?

Quòd si qui obfirmatiores in suâ sententiâ futuri sunt: (etsi non putem) cogita, si placet, ô Rex, non esse illos cultrum Jesuiticum expertos ore; non irruisse in eos Barrerium? posse vades eorum esse innumerabiles Subditos, sicubi Jesuitis opus habuerint: fortè adhuc nonnullos esse, qui statuant, æquo diutiùs Galliam bellis civilibus vacaturam esse; nisi hæ turbæ, hæ faces, revertantur. Quisquis attendit ad consilia sua: quisq; suis consulit negotiis. Tua Majestatis est, ô Rex, ut Imperium hoc tuum, posterorumq; tuorum, confirmes, adversùs omnia turbinum, procellarum, fulminumq; genera.

At Papa, inquiunt, postulat, cupit, vult! an hoc illi, tàm benè-multis nominibus merito, recusaturus es? Respondeo: Multis modis. Primùm namq; sanctissimus Pater eos probaturus est, qui persuadere cupiunt Majestati tuæ rem damnosissimam: idq; hac specie; quòd interpellaverit Majestatem tuam, qui de eâ optimè sit meritus. Hic enim audi, quid dicat vetus Author: Nihil beneficiis periculosius; si nos servitute obligent: ut faciamus id, quod perniciosum nobis judicabimus. *Et alter elegãtiùs:* Si, hominis benè-meriti postulatione, rem fecero, quæ mihi valdè sit damnosa: non solùm perit gratia: sed etiam justa mihi superest occasio querimoniæ. *Rex profectò Galliæ, in conditionem miseram delapsus est: si aliâ viâ meritum non potest agnoscere, atq; compensare; quàm turbando Regnum suum incendio.* Num semper Papæ votis annuendum?

Secundò, nego planè, hoc desiderari à Sanctitate ipsius. Magis diligit Galliam. Novit,

... hac vitâ discessurum esse: hanc verò Societatem perpetuam iri, subrogatione. Hæc cùm nos invadet: non poterit ille ampliùs succurrere.

Ajebat quidam Philosophus: Ut nôris, si quis quid velit, oportet idem posse nolle. *Quis autem hoc nescit: non posse Papam Jesuitis recusare; quin subscribat omnibus literis, quas illi poposcerint? Quid Domini Cardinales dicturi essent, studentes Regi Hispaniæ; quorum parti annuam pensitationem pendit? nónne acerbè & supra modum quererentur; deseri in suis difficultatibus homines, qui tot labores, ad sanctæ Sedis amplificationem, sufferunt? Cogitur ergo Sanctitas illius, optatis eorum subscribere. Voluntas autem coacta, ne voluntas quidem dicenda est. Progrediar longiùs. Si Papa cuperet, Valentiam ad Comitatum Avenionensem adjici: an propterea fieret? Certè nequaquam. Quod ad summam rei spectat, Regnumq; universum: id nónne pluris est, quam Valentiæ decem?*

Quartò, hoc quidem ego didiceram: Arrestis Parlamenti irritas fieri Bullas, quæ veniunt contra libertates & theses Ecclesiæ Gallicanæ; aut contra Edicta Statutaq; nostrorum Regum; aut contra Arresta Parlamentorum ejus. Id verò nunquam didiceram: voluntate Papæ, in Galliâ posse Arresta subrui. Quid ergo hîc opus facto? Rem factu facilem. Oportet Sanctitatem ejus de rationibus præcipuis informari; cur omninò sit necesse, mandari exsequutioni Arresta Parlamenti. Inter eas autem hæc observatione digna; quæ nondum adducta sunt: in aliis quidem cœtibus & communitatibus quibusdam, homines compertos esse, qui se furenter gesserint, contra officium Regi debitum; nec Jesuitis in re ullâ cesserint. Paria fecerunt illis; si quis altâ contendit voce: alter pulmonem rupit clamoribus. Hoc illi accurate annotant hodierno die; &, tanquam oratores magni, personant mirificé. Exstant in scriptis eorum, supplicibusq; libellis, de hac re, narrationes integræ; quarum summa huc redit. Si multum mali attulimus: alii Religiosi eadem fermè vestigia sequuti sunt. *Sed non dicunt, quod est rei caput: ab hoc cavent: hoc prætereunt silentio. Quid autem? Quod in aliis cœtibus si qui, animi perturbatione, partibus Hispani studuerunt: alii tamen non deerant ejusdem Ordinis, qui ex dignitate servirent, Turonibus, Cadomi, Redonibus, Andibus, Catalauni, & in aliis civitatibus paucis insignibus; quæ in obsequio nostri Regis defuncti perstiterunt. Hi boni Viri, verè Christiani, verè Catholici ac Religiosi, resellebant, destruebantq; in suis cathedris, veritatis, ac non mendacii; consolationis, ac non scandali; perversam defectionis doctrinam: quam Jesuitæ, & discipuli ipsorum, in civitatibus rebellibus indesinenter prædicabant.*

Quâ in re Jesuitæ præ aliis Religiosis, in Galliâ, peccârint.

Apud Jesuitas verò omnes, mirum, permirum, ne unum quidem inventum esse: (quid uno paucius?) iterum dico, ne unum quidem inventum esse; qui, indè ab anno 89. ad annum usq; 94. vocem unicam protulerit, quâ Patriæ suæ, Principi suo, commodaret. Summis fuerunt in laudibus Alienigenæ, & in levando metu dominationis illius. Quæ cùm ita sint: quid ampliùs adduci potest? Quis neget, conspirationem generalem, maximam, horrendam, furiosamq; exstitisse? Nunc verò, quum male cecidit; miseros esse nos, & plenos stuporis arbitrantur: si adhuc sperant, se apud nos servatum iri; ut aliâ occasione, meliùs provisis rebus, nos omneis cum Regno pessumdent.

Ac duo quidem, ô Rex, adducuntur; ut tibi omnis recordatio istius rei, & sensus, eximatur. Unum est; homines istos valdè mutatos esse: non eos jam esse, quos antè videris; qui

te modis tàm multis infestaverint. Alterum, quod ostenditur, est: etiamsi illis animus esset, nocendi Majestati tuæ; non tamen posse.

De priore, ostendatur in oculis tuis Decretum magnum, ab ipsis factum: Ne se deinceps negotiis Statûs, sive Regnorum Rerumque publicarum, immisceant. *Age, diem Decreti illius facti videamus. Dicunt, factum esse anno 1593. Quid ergo? Jamne oblitus es, ô Rex, istos homines bis ab eo tempore cædem tuam procurâsse? Quæ nam hæc Decreti exsequutio est? An ignoramus generalem exceptionem, in Statutis suis omnibus?* (nisi si quid est pro Religionis bono.) *exceptionem, ad omnia, quæ velit aliquis, prorogandam? Veruntamen, si placet cognoscere, quàm certò constituerint, ne se porrò negotiis ad Statum pertinentibus immisceant; & quanti statum faciant Reipublicæ; legendæ solùm sunt nobis Defensiones ipsorum, quas* Veritatis defensę *nomine ediderunt, pag. 229. ubi utuntur his verbis:* Sed Status iste quæ nam creatura est? Videamus in os illum: ne Jesuitæ negotia illius ineant; neque indignationem eorum experiantur, qui propugnant ipsum, & sunt æmuli ipsius. *Item pag. 231.* Expendant itaque boni isti Catholici, quid dicant; cùm eos accusant, quòd se negotiis æquo pluribus occupent: & ipsi viderint, ne perdant Statum; dum tàm parvam suæ fidei rationem habent: & ne, terrenam requiem procurando, tùm eam non recuperent; tùm illam, quæ in cœlis est, amittant. *Potéstne superbiùs & arrogantiùs demonstrari, hanc ipsis voluntatem esse: ut pergant diligentiùs, quàm fecerint unquàm, perdere & subvertere Statum; quem se novisse negant? Atq; hoc quidem cum ratione dicunt. Nunquàm animo illorum alia insedit cogitatio, quàm,* ut Res omnes publicas subvertant; Magistratuum contemtum, motum Subditorum excitent. *prout se conjuratos eorum hostes declarant esse, qui sunt amantes pacis. Et illud plurimùm observatu dignum, quòd in eâdem pag. 229. ut odium Populi concilient iis, qui tuum Statum, ô Rex, tuam Coronam, tuum Sceptrum colunt, novam vocem Gallicam fabrefecerunt; ut Estatiens,* Statuales *appellarent. Durantibus procellis ipsorum, nos* Politicos *appellabant. Hac voce jam non audent uti; exolevit: cuderunt alteram. Hæ perpetuæ illorum artes.*

Nũ Jesuitæ rebus politicis se non immisceãt?

Vides igitur, ô Rex, quàm bellè Jesuitæ suum illud Decretum exsequantur. Atque hoc tamen utuntur propugnaculo: ut labefactent omnia, quæ Majestati tuæ exponuntur. Sed quis unquàm fando audivit, ejusmodi promissionibus, ejusmodi decretis haberi fidem? Tantidem facio, quàm si Piratæ Mercatoribus ostenderent; se in consessu generali statuisse, ne ampliùs exerceant piraticam, nec prædentur ampliùs: se liberam eis copiam facere, secum navigandi. Hoc pueris facilè persuaserint. Et quis tam imperitus administrationis Mundi; qui nesciat, Jesuitas nunc ad omnia tàm admovere manum, & ampliùs, quàm unquàm fecerint? Quid longè abeamus? Proximi vicini nostri sub tyrannide ipsorum gemunt; & id unum cogitant, quâ viâ se-se ab illis expediant.

Jesuitica est piratica fides.

Sed ut ad institutum sermonem redeam: Si Jesuitæ ad nos revertissent; quis eorum observator esset, sive antigrapheus? Quis de omnibus nuntiis facibusq;, subeuntibus in domos, & per domos ipsorum, cognosceret? de arcanis consiliis, quæ haberentur? de iis, quæ adferrentur, judiciis? Quis non illos momentò videat in eandem libertatem, quâ anno octogesimo-octavo usi sunt, venturos esse? Ampliùs adhuc dico: Etiamsi artes illorum contra

digni-

dignitatem tuam, ô Rex, comperta essent; quis, putas, deinceps eas indicaturus esset Magistratui? Quis sibi non metueret ab anni 89. redintegratione, ne quando iterum superbam ipsorum tyrannidem subeat; præsertim si ex tàm solenni exsilio reversos viderit?

Cernentes itaq; Patroni illorum, agriùs tibi, ô Rex, persuaderi posse, nunquàm Jesuitæ voluntatem pravam defore; ad caput alterum transsiliunt; non eis adfore potestatem, malefaciendi tibi. Atque, ut ad hanc fidem meliùs adducant: Majestatem tuam, in libellis supplicibus suis, exsultat Jesuitarum oratio, victorias tuas efferentium, & sermones quosq; panegyricos in vernaculum nostrum sermonem convertentium. Homines à naturâ amant audire, quum narratur ipsorum felicitas, ô Rex, amplitudo, firmitas Statûs & dignitatis suæ Posterûmq; suorum, laudibus ipsorum conjuncta. Gaudeo equidem, cùm video, homines aquè tui amantes, ac vitæ suæ, ex animo studiosos tui, in cœlum usque arma tua, triumphos tuos, provehere! Hoc meretur virtus; hoc pabulum; hoc alimentum ipsius: hæc pulcerrima ipsius compensatio. Sed caveamus, ô Rex, obsecro, caveamus ab Inimicorum nostrorum laudibus. Annotaverunt Veteres, Magos argutissimos laudando fascinâsse. Caveamus, ô Rex, ab istis Sirenibus: quæ adeò suaviter auribus adblandiuntur; ut soperent nautas, & gravatos somno lacerent. Quum tàm speciosa verba audis, ô Rex in ore ipsorum: an' non recordaris, os tuum ab uno de seminario isto vulneratum? Cùm tot flores audis eloquentiæ: nónne tibi in mentem venit, Gymnasiarcham eorum Barreris animum accendisse hoc flumine eloquentiæ? Non malè observaverunt illi, ô Rex, in suo libello supplice: non dico clementiam, (quæ semper est laudabilis, judicio conjuncta: alioqui virtus esse desinit,) sed bonitatem stolidam Julii Cæsaris, ab illo principe Romanæ eloquentiæ evectam esse; & quinquaginta-duobus præliis, quæ ille gesserat, antepositam. Sed non perducunt ad finem historiam: nempè sic eum obstupefecisse sui sermonis elegantiâ; ut suos capitaleis hostes revocaverit, lateribusq; suis adesse curaverit: qui paulò pòst eum stilis confecerunt; quem neq; Mars, neq; Bellona, neq; multa centena armatorum millia, potuerant offendere. Patere fucum sic tibi fieri: non magìs tibi parcituri sunt. Ac tùm æquè triumphum canent; ut Orator ille, qui pòst clamabat: Pauci manu percusserunt Cæsarem; sed omnes animo occiderunt. *Scio, te responsurum: maximum illum Imperatorem fuisse usurpatorem. At ego vicissim respondeo:* Unicam membranam Romanam, ex Jesuitarum doctrinâ, posse efficere, ut Tyrannus habearis. *quam doctrinam profitentur, & jactant hoc adhuc tempore: neque deinceps negaturi sunt, nisi Generalis ipsorum, subjectus Hispano, (ut alii quatuor omnes exstiterunt) priùs dispensationẽ indulserit, ad cautelam, dissimulandi doctrinam suam; ut pedem reponant in Galliam. Sed hoc verbum agrè pronuntiaturi sunt:* Non posse Papam excommunicare, & fulmine ferire, pro auctoritate, Reges; & Subditos religione jurisjurandi, & datæ fidei, exsolvere. *Quomodo quis scripta ipsorum omnia conciliaturus esset? Hæ mutationes, nova in ipsos crimina, novæ probationes essent. Ad institutum redeamus.*

Jesuitarum laudes, Sirenum voces sunt.

Hoc ergo tibi dicitur, ô Rex: Quàm optimè constabilitus es; admodum metueris; valdè es terrori: tremunt omnia sub pedibus tuis. quid Jesuitæ possent in te efficere? Speciosa verba: & eò speciosiora, quòd maximâ ex parte vera: quo benè nobis est, & illis male. Sed inprimis te oportet, ô Rex, istud advertere: eos, qui tãtoperè magnificant potestatem tuam, se adhuc in duabus Provinciis Regni tui, contra auctoritatem tuam, cõtra Edictum tuum,

contra

contra Arresta tua, tutatos esse. Non sum nescius, eos, ex pauculis annis, speciem aliquam dilationis exorâsse. At eam non semper habuerunt. Prætereà memineris, si placet, ô Rex: in mense Majo, anni 84. fuisse optimè constitutum defunctum Regem, in hæreditate fratrum, patris, avi; & tamen, post annos quatuor, eum à Jesuitis Luparâ extrusum esse. A' Jesuitis, dico. nam alii brachia fuerunt, & pedes solùm: hi fuerunt illud-ipsum corpus, quod regebat scapham. Hæc quis meliùs noverit, quàm Majestas tua?

Ut tamen liberè dicam, ô Rex, quod sentio: nec amplificatis justis metûs causis, nec imminutis. (hoc posterius foret longè periculosius Optimum pharmacum, in causis Statûs & Reipublicæ, est diffidentia. Sæpè usa est Majestas tua; & benè fuit.) Ut igitur dicam tibi, quod sentio. Non arbitror, dum superstes futurus es, (faxit Deus, ut sis superstes quinquaginta adhuc annos, & ampliùs!) Jesuitas apertè scenam suam acturos esse. Veruntamen pro certo habeo, in hac re mihi assensuram Majestatem tuam; neque in tuâ esse, neq; in tuorum Parlamentorum manu, impedire; quin leniter & sensim animis Subditorum tuorum infundant opinionem suam, de caussâ excommunicationis, viribusq; illius, in locis omnibus, ubi futuri sunt. Ecce igitur malum, non parvum, non mediocre; sed magnum, maximum: & quod gravius malum potest exsistere; quàm si tibi fortè, ante quadriennium, eripiantur ampliùs decies-centena Subditorum millia? O' lucem periculosissimam! Hoc, inquam, malum est, quod te superstite, te Rege, accidet: ut-ut diligentiam summam, providentiam maximã, hic adhibueris; non poteris impedire. Memento dictum! Benè cõsultum; malè conjectatũ.

Quòd regulæ, restrictiones, & modificationes tibi proponuntur; falleris. Et quæ possunt hæ regulæ elegantes esse? Videamus, agedum; easq; in consilium mittamus. Quid? an Jesuitæ neminem deinceps alloquuturi sunt? nemine usuri? Quis ergo usus illorum futurus est? Nónne juventutem informaturi sunt? Hic verò solus eorum prætextus est, qui patrocinatur illis: etsi reverà literas suprà quàm ex parte dimidiâ exstinxerunt; quas magnus Rex Franciscus, Musarum pater, in Galliam revocaverat. (Cessante autem caussâ in Regno universo, cessabit malum.). Ergo juventutem sub ferulâ suâ habituri sunt. & quâ viâ hîc nos putamus impedire posse, ne eam imbuant illis periculosis omnibus documentis, quæ antè diximus. Jesuitæ, prætextu bonæ institutionis, & juvẽtutem corrũpunt, & literas.

Sed fingamus, eis non esse Collegia. Omneis certè veteres ipsorum fratres, sentinam Urbium, non impedies, quin revisant ipsos. Et novit Deus, quàm admirabilia effecta novitas in Galliâ assequatur! Deus novit, quæ tubæ, qui præcursores, qui jam adventârint! Deus novit, quam fortiter cantaturi triumphos, & signa reposituri sint! Certè non mandabis occludi eorum januas; ne quis invisat. An potest ullâ horâ prætextus pietatis homines istos deficere? Tùm, quàm importunè instabunt, (reputet Majestas tua) qui in Regno, & extra Regnum, patrocinantur ipsis; ut hæ omnes regulæ, omnes restrictiones amoveantur: quas proponunt in hoc tempore, ut janua eis aperta sit? Illi-ipsi, qui nunc proponunt eas, primi omnium acturi sunt, ut expungantur; & ubiq; restituatur Jesuitis locus. Hoc-ipsum est, quod illis in aurem insusurrant. Hoc tantùm accipite; in hoc tantùm este. Minuamus Arrestum istud: cætera vobis ne sunto curæ. *Quot interventores, illis præsentibus, futuri sunt; quibus absentibus sunt tàm multi? Tùm verò Majestas tua non est ampliùs magnum illum clypeum habitura, Arrestum Parlamenti sui, quod esse oportet inviolabile. An ullâ in Mundo potest tibi justior suppetere excusatio contra ista omnia im-*

portunè-dicta? Hic clypeus ubi effractus fuerit: quid tùm poterit afferri, ut impediatur, ne pedem ubiq; ponant, sicut anno 88. nisi istud, esse periculorum artifices? Deum immortalem! quid est, cur istud non dicas hoc-ipso tempore? Est adhuc tibi eorum memoria recens, quæ noverunt facere. Si oblitus es: per fenestram respice. vix in ullo Regni tui loco futurus es, quin ex eo videas innumera domuum rudera, quas corruperunt igne! orphanos infinitos, quos ad paupertatem redegerunt! Et hoc tibi non afficit animum? Afficit, scio: nam tibi melior est animus. At intercessores ipsorũ te jugulo tenent. An tibi lacerti desunt?

Centesimam fortè mali partem, ô Rex, habes; quod illi, te vivo & vidente, allaturi sunt. Si chartam hanc meam in aliquem conclavis tui angulum conjeceris; posteà verò imprudens aliquando casu in eam incideris: me vera dixisse, judicabis.

Sed esto: demus, eos nec mutire, nec spirare ausuros; dum videbunt adspectum tuum. Nónne prudentia magnorum Principum tenetur ulteriùs penetrare, & prospicere, propter vitam suam; præcipuè si adsunt Liberi? Dum corpora nostra benè habent, ô Rex: non sentimus plurima incommoda; quæ invadente morbo solent exsistere. Ità, cùm valetudo magnorum Regnorum accidentibus perturbatur, quæ Deo placet immittere: excitantur non-pauci humores pravi; quorum, stante felicitate, nullus sensus exstiterat. Hæc sunt tempora: hæ occasiones, quas Jesuitæ observant statarii; nec unquam sinunt effugere. Si primo impetu locum non obtinent: altero vires ingeminant; itemq; tertio. Vincunt in omnibus pervicaces. Non semper idem vigor inest; idem ad resistendum animus. Quis morbus recidivo gravior? cujus minor est commiseratio, si quâ nostrâ culpa factum est: præsertim ubi causa mali benè animadversa est; & nobis cura non fuit, ut benè ab eo caveremus. Faxit Deus, ut sim falsus vates! Sed prospicio animo, tandem hoc Regnum operâ Jesuitarum in cineres abiturum. Id semel vidimus per illos conflagrâsse, tàm horribili incendio; ut indè ab Asiâ ipsâ videretur. Inventus est Rex magnus, plenus virium, plenus experientiæ; non-capiens somnum, nisi quum vellet; ferreus ad labores; ad pugnas chalybeus: qui hoc impetu extinxit malum. At non semper magnos illos Principes, & florente ætate, largitur Deus. Ecquis non videt: quum hujus Regni prima nox incubuerit; hoc incendium, malè extinctum, graviùs, quam antè unquàm, redarsurum, & Liberos nostros perditurum? Vos deploro, ô miseri mei Liberi! nam mihi quidem hunc metum adimit ætas caduca, & canities mea.

Regnum Galliæ tandem per Jesuitas peribit.

Animadverto aliquem tibi, ô Rex, in aurem dicturum: Rectè quidem tecum agitur scripto; & speciem magnam habent, quæ exponuntur tibi. sed capere animo non possum, quomodo Jesuitæ officia tibi tàm multa essent delaturi; si ità esset doctrina illorum, ut modò audivimus. Fortasse etiam, ô Rex, qui hoc tibi dicit, idem credit; agitq; bona fide: quemadmodum plerique eorum, qui causam illam agunt apud te, sunt ignari veritatis; quam modò coram te protuli. Quam illi si tenerent: non minore studio rogarent, ut Arrestorum tuorum exsecutionem mandes; quàm importuni sunt hodierno die, ut infringas ea. Jam ergo rei declarationem ex veritate affero. Quum tibi Jesuitæ, ô Rex, magnos illos supplices libellos exhibuerunt, adeò phaleratos, adeò splendidos, adeò mellitos: conveniebat tùm optime tibi cum Patre sanctissimo. Quæ ratio igitur fuisset impedimento illis, ne tibi sponderent officia sua? Quid aliud fuissent dicturi? An gloriaturi adhuc fuissent, se tibi hostes conjuratos & capitales esse? Haccine Lutetiam via?

Sed

Sed an observâsti, ô Rex: quámvis libelli isti supplices circumfluant longitudine supra modum; tamen eos non protulisse, neque attigisse hoc caput quæstionis, hunc nodum controversiæ, hunc doctrinæ scopulum periculosissimum? videlicet, Nónne credant, doceantque, posse Papam excommunicare Reges, & manum injicere coronis ipsorum? *quæ certa basis & fundamentum est cædium omnium, quæ perpetratæ in Europâ, aut intentatæ sunt; & fons calamitatum omnium, quas perpeßi sumus: ex quo scelestißima hæc doctrina tàm audacter fuit seminata. Huc, boni Oratores, huc vos venire oportet: non autem narrationes pertexere, de obsequio, quod à naturâ Subditi suo Regi debent. Rem magnam, scilicet! Quid? Nónne semper instructi estis exceptione vestrâ? Quâ tandem? Nimirum istâ:* Modò ne Reges sint excommunicati à Papâ; qui potest omnes Subditos, à religione jurisjurandi & datæ fidei, absolvere. *Hoc demùm est rei caput. Præcisè nobis respondete; & nihil circuitione utimini. Utrùm verum est, vobis hanc exceptionem præstò esse ad manum; an verò esse calumniam? Sed quid ego consumo tempus, in rogandâ super hac re ipsorum sententiâ? En libros illorum, plenos istius argumenti! Hoc unum clamant: hoc unum intonant. Ex quo alio fonte profluxit malum, quod tulimus? Sumúsne expertes sensûs? Quis ergo fecit, ut excommunicatio contra defunctum Regem, anno 1589. in Galliâ obtineret? Quæ profectò absq; Jesuitis fuisset, non valuisset ampliùs, quàm illa anni 1591. Turonibus: ubi non erant nigræ animæ Jesuitæ, & ab extraneis redemtæ.* [Cùm videlicet *Gregorii XIV.* Papæ Bulla, à primo Martii, 1591. per Parisiense (tùm Turonæ residens) Parlamentum tanquàm seditiosa, & libertati Gallicarum Ecclesiarum insidiosa, sed & maximè perniciosa, damnata; atque per Carnificem publicè exusta: prætereaq; Nuntius Apostolicus, ille Bulligerulus, *Marcellinus Landrianus*, ut, ubicunq; tandem offenderetur, illicò prosterneretur ac comprehenderetur, mandatum fuit. d. 5. Augusti, jam-dicti anni 1591.]

Fundamẽtum doctrinæ Parricidialis Jesuitarum.

Nónne videmus, tantum abesse, ut doctrinam istam negaverint: ut contrà gloriati de eâ sint, etiam post exsilium suum; ut principiò demonstravi? An verò tàm imperitos eos putamus esse; ut supplicibus suis libellis in has casses ruant? Profectò non benè versavissent suam Rhetoricam: quæ silentio prætererire eas objectiones jubet, ad quas non datur responsio. Ad has Lector accuratè non semper attendit: traduntur oblivioni. modò respondeatur ad id, quod propè abesse videtur, sufficit. An unquam meliùs sua ars Oratori cessit; quàm Jesuitis ista? Quis certiorem fecit Majestatem tuam, eos silentio præterire magnum hoc quæstionis caput? An quisquam exposuit tibi, Jesuitas parcos in dicendo esse? Gallicè non loqui? nunc assentari, quando benè cum Papâ agitur? At illi cavent sibi diligentißimè, ab eo dicẽdo: quod dicturi essent, si Deus nos usq; adeò affligeret; ut, sanctißimo hoc Patre recepto ad se, Roma aliquem nobis daret Bonifacium IIX. Benedictũ III. Julium II. *qui excommunicationem ad nos transmitteret, aliis consimilem; quorum fulmina vibraverũt contra Reges nostros Christianißimos, summè-Catholicos, & primos Orbis Christiani Reges. Ex libris illorum, ex omnibus actionibus, & ex tot prædicationibus illorum, ô Rex, agnovimus: si fides ipsis haberetur; illos, tali occasione datâ, Te aut Successorem tuum, effecturos Regem a Subditis, dominum ab hæreditate nudum, privatum hominem, particularem, maledictum, exsecrabilem, miserum, errabundum; denìq; ejusmodi,*

Jesuitę non malè studuerunt Rhetoricam suam.

qualem te & defunctum Regem speraverant effectum iri; & re-ipsâ fuissent effecturi, si omnes Catholici Galli fuissent boni Jesuitæ. Quemadmodum planè consilia dantur, ad hoc efficiendum, istorum hominum revocatione: ut doceant, & certam hanc fidem mentibus infigant Juventutis; & Te, & totam Posteritatem tuam in perpetuum, unicâ Bullâ ex throno S.Ludovici exturbari posse.

Sed quid rationibus opus est: cùm exempla suppetant, quæ te attingunt proximè? Adeptus es, ô Rex, notitiam historiarum multarum. audivi te historias narrantem; quas ignorabant multi, qui polyhistores sibi videbantur. Quòd si nunquam fortè nisi unicam didicisses; ea hæc futura esset. narrabo tamen paucis: quia necesse est, eam tibi è memoriâ excidisse. Anno 1512. agebatur annus vigesimus-nonus, quum Catharina *Regina frueretur Navarræ regno; quod ipsi obtigerat excessu Francisci Phœbi fratris, ex successione quàm-plurimorum antecessorum Regum. Anni octodecim elapsi erant, ex quo cum* Johanne Albretano, *marito suo, coronata fuerat Pampelone. Deus illis filium unum dederat, cum filiabus tribus. Regnum eorum opibus & potentiâ adeò floruerat; ut semper Castellanos & Arragonios feliciter caderet. Justâ pace cum illis utebantur; summoq́; & antiquo fœdere cum regno Galliæ; Regi nostro* Ludovico XII. *magno Regi, magno Duci, quàm dilectissimi. Denique, non videbatur fore, ut ipsa tota Europa, de aggrediendis illis, vel cogitare præsumeret. Papa tamen, percitus Gallorum odio, in hos Reges vibravit excommunicationem suam: Subditos eorum à religione jurisjurandi, & datæ fidei, liberavit: Regnumq́; eorum exposuit prædæ, primo cuivis occupaturo. qui stilus est ordinarius. Eâdem Bullâ in Regem quoque nostrum vibratur fulmen; ut jam antè factum. Quid autem accidit? À Gallis ne unus quidem nutavit unquàm. Contra verò, (atq; hîc mirari possis, ô Rex, indolem bonam nostram, & naturale studium erga Reges, antequàm gustavissemus doctrinam illam Jesuiticam. quæ res evidentiùs commonstrabit, plagam Regno tuo per illos impositam:) contrà, inquam, Majores omnes nostri, nemine excepto, geminas vireis animi contulerunt, ut servirent Regi; frendente* Julio, *qui odio in ipsum ardebat: & amorem suum in Principem suum adeò amplificaverunt; ut vix crederent incolumem, nisi viderent; Patrem suum, Servatorem suum, Regem optimum, appellarent. Deniq;, permansit illi, ex eo tempore, inditum nomen* Patris Populi, *& in æternum permansurum est.*

Historia de Navarræ regno.

Ex contrario autem, quid Navarreno Regi accidit? Rex & Regina Tutelam Ordines convocârunt. Placuit, eis servitium præstari, vel ad mortem usque; non obstante Papæ excommunicatorio fulmine. Ecce autem! repentè seditiosi homines exstiterunt, turbatores χειρικόποι atq; obærati, rerum novarum studiosi; qui nunquam parcè velum religionis obducunt rebus suis, qui soli hominum (si fides habebitur) sunt planè Catholici: isti in Populo cœperunt disseminare illam-ipsam doctrinam, quam antè exposui; quamq́; posteà, Jesuitarum operâ, satam in Galliâ vidimus. Quid itaq; factum est in Navarreno Regno? Seditiosi isti, alios omnes effecerunt, veternosos, destitutos manibus pedibusq́;: hos religione; illos seditiosorum interminantium metu: adeò ut Abavus & Abavia tua ô Rex, in medio Subditorum suorum, sine Subditis comperti sint; & sine milite, per medias acies. Nunquàm deniq; defectio proditioq; exstitit adeò fœda, & pudenda, & miserabilis: quâ illi coacti sunt, trahentes quaternos Liberos, (ex quorũ uno genus ducis, ô Rex) fugâ se in

Galliam

Galliam proripere: efficiente membranâ unâ Romanâ, spatio unius horulæ; quod tota Arragonia, & Castella tota, mille annis non fuisset effectura. Cùm Regnũ amittitur, post trium aut quatuor præliorum insignium jacturam; quæ res innumeris aliis accidit: id saltem aliquid consolationis habet. Sed ubi Rex se Regno expulsum videt, nemine Subditorum contrà stringente gladium, Religionis prætextu: hoc verò indignationes omnes, omnes desolationes, & omnes calamitates superat, quæ apud homines excogitari possunt.

Sequente anno 1513. Rex noster, justo dolore percitus, quòd Regem Reginamq́; suâ occasione, videret exsules Regno; collectis copiis, transmittit Pyrenæos saltus, & rectà Pampelonem petit: quam adeò graviter pressit; ut ab Insulâ Villeriis, & Cannæo, signa muris imponerentur oppidi. sed ita fortiter est propugnata; ut re infectâ oportuerit discedere. Post annos octo, rogatu Henrici Albretani, *Navarræ Regis, alterum exercitum submisit Rex* Franciscus: *qui Pampelonem recepit: sed mox iterum amissa est.*

In hoc bello Ignatius Lojola *virum se præstitit; & unus ex ducibus signorum Hispanicorum fuit. sed rem ità gessit, precio unius pedis: & altero pede infirmior est factus, ex vulnere. Hic dux, auctor, & pater Jesuitarũ est. Nunc vide, ô Rex; an' non discipuli vestigia magistri sui secuti sunt? nónne ardens suum studium erga Castellanum imperium, & extremum odium contra Galliam, scitè aluerunt?* Ignatius Lojola, miles Hispanus.

Admodùm fundator eorum juvit, ut Navarreni perstarent sub Castellano jugo. Discipuli verò, aleæ unius prælii exposuerunt Galliarum libertatem. Unius, *dico: nam unum prælium non poteramus perdere; quin te perderemus, ô Rex: qui nunquam aliud perfugium habere, quàm ad signa florum Lilii, voluisti: Te autem perdito; ecquis non videt, mansuram fuisse Galliam, sicut & Navarram, servam captivamq́; sub Castellano jugo, ad remos & vincula? Quid amplius? Auctor istorum, fuit unus ex ducibus præsidii Hispanici Pampelonæ: Discipuli verò, Lutetiæ, per triennium, præsidium Castellanum locaverunt, atq; defenderunt. Veruntamen hæc omnia nihil sunt ad illud, quod jam sum dicturus. Lojolæ istius discipuli, acri judicio prævidentes, Regis illius Reginæq́;, tàm miserè exturbatorum, ex hæreditate nepotem, Castellanis olim terrori fore; fecerunt, quicquid in mentem conjuratissimorum, ac summè-capitalium hostium, venire potest: ut hanc sobolem perderent. quumq́; eam, invito furore suo, in thronum S. Ludovici evectam animadverterent: & metum, & conatus suos, contra ipsum, Regnumq́; ipsius, ingeminaverunt: idem venenum in Populum illius copiosè effundentes; quod olim regnum Navarræ perdiderat; & quod nunquam in Galliam, nisi per istos subtiles & audaces Pharmaceutas, poterat importari.*

Nihil horum fugere hæredem illum Catharinæ Reginæ potuit, & tamen nescio quæ influentia, nescio quod infortunium, æquè Gallis ac Navarrenis fatale atq; inevitabile, mox persuaserit: ut eosdem Lojolæ discipulos retineat in Regno; ex quo solenniter jussi sunt, per Parlamenta ipsius, exsulare. Quis rem tàm inauditam unquam crediturus est: postquàm leoninâ pelle pugnatum est tamdiù; nunc eum se vulpinâ decipiendum exponere? At non invenitur Julius II. in omni tempore! Certé. at nec semper exstant, quæ amittantur Regna. Non opus est tot Juliis: unico opus est; si modò Gallos tàm benè dispositos, *quàm Navarrenos, invenerit. Pondera, ô Rex, etiam atque etiam, quod mox sum dicturus.* Excommunicatio Sixti V. *Lutetiam, Lugdunum, Tholosam, Massiliam, Ambia-*

num, Narbonem, Aurelianum, Biturigas, Nannetas, Trecas, Divionem, in defectionem adduxit, & alia innumera. Quid de Jesuitis dicas? nónne strenui sunt milites; homines industrii? Si tantum spatio triginta annorum progreßi sunt: quid deinceps fuissent facturi, postquàm tot conscientias commoverunt, & tot juvenes docuerunt; qui ad honores in diem assurgebant? Cur in consesſibus, senes fermè omnes, probi Galli; juvenes fermè omnes, inimici tui comperti sunt? Cur toties filium planè adversantem patris judicio vidimus: nisi quia senes lac Jesuiticum minimè suxerint?

Jesuitæ omniũ turbarum per Galliã motores.

Sed placétne, ô Rex, cognoscere audaciam istorum; quâ gloriantur, magnum istud & horrendum vulnus animis Subditorum tuorum à se fuisse illatum: quod singulis diebus augent, scabunt, atque amplificant? Oportet eas solùm voces in animum revocari, quas antè transscripsi ex Defensionibus ipsorũ. Ac proptereà, *inquiunt,* videmus gladium in personam multorum Regum, in multis Regnis, fuisse usurpatum. Quòd si non semper fuit utile exercitiũ ejus: semper tamen utile potuit esse; siquidem subjecti benè fuissent dispositi. *Nónne hîc perspicuè clamant? Olim non fuerunt Galli benè dispositi ad deserendos Reges, cùm primùm intonaret excommunicatio; sed contrà potiùs studium suum erga eos ingeminaverunt. Nos verò, triginta annis, adeò bonam magnamq; eorum partem disposueramus: ut parùm abfuerit, quin victoriam simus assequuti. Quòd si artibus nostris, & tàm variis hinc-indè commendationibus, nos adhuc ibidem tutari possumus: tàm benè disponemus Gallorum animos; ut plenum triumphum canamus altero impetu. Enimverò plurimùm fueris, ô Rex, de posteritate meritus: si eam misere subjeceris ejus arbitrio; qui primus, insidens sanctæ Sedi, partes Hispanicas colet: eos homines restituendo, qui eò audaciæ superbiæq; devenerunt; ut schismaticã hanc doctrinam serant, deq; eâ glorientur; eam altâ voce proclament, locisq; omnibus promoveant. Sic opus accelerabitur! Et quorsum, ô Rex, tot blanditiæ, quibus Infantem in cunis excipis? si eodem tempore structores intromittas, potentes arces in Galliâ exstructuros: ut, ad primam tubæ significationem, Subditi ejus tàm attoniti enervesq; reddantur, tàm* dispositi; *quam anno 1512. fuerunt Navarreni. An non id tibi satis est, hac doctrinâ ipsi Pampelonem ereptam esse: nisi & Lutetia per eam erepta sit?*

Jesuitæ sponsores offerunt, quòd in Galliâ frugi esse velint.

Offerunt quidem tibi Jesuitæ, supplicibus suis libellis, sponsores, qui tibi & tuis omne damnum præstituri sint. Sed inauditum mihi adhuc fuerat, ô Rex, in causis Regni fidejussores dari. Etenim, apud quos Judices poterunt citari; si quis ejectus, errans, vagabundus est per orbem terrarum? Rem tamen oportet accommodari! Acquiescamus ergo cautionibus; modò sint idoneæ. alioquin frustrà est. Videamus, quænam futuræ sint. Apud tuos Subditos, ô Rex, nemo futurus est opulentus satis. nam ejus bona, ne millesima quidem pars istius summæ futura sunt, de quâ est opus caveri. Apud Exteros quem idoneum offerant, ut caveat de Regno Galliæ? Video quid sit, ô Rex. Fidejussor, quem tibi daturi sunt, cavens de fide, de studio ipsorum in servitium tuum, est Rex Hispaniæ: qui corpus suum, pro corpore ipsorum, pignori dediturus est. Hic tàm opulentus est; tam multarum ditionum Dominus; tàm amat Galliam. *cur eum renuas?*

Columna pyramidalis Parisiis, in gratiam

Atque hæc quidem de cautionibus. Bene est: transeamus ad cætera. Quid fiet illâ columnâ, ô Rex, quæ ànte Curiam hanc tuam præfert notam, in marmore, Posteris nostris, illius studii; quo magnus ille Populus universus flagrat, erga suum bonum Regem, suum

magnum

magnum Regem, liberatorem suum: qui, eodem anno, è cervicibus ipsius jugum Hispanorum exemerat? Columna magis honorata, magis gloriosa; quàm illa Trajani & Antonini, cum annis certantes, & immortalitati consecrata. Eámne adhuc stare sines; si contra omninò feceris, quàm tu ipse Arresto sanxisti, quod ibi incisum est? Quid dicturi sunt, qui contra videbunt, quàm legent? Hiccíne magnus ille Senatus Galliæ? Sunt quidem sculpta in marmore Arresta ejus: sed reverà contemtui sunt; proteruntur pedibus. Rem profectò pudoris plenam! Quid ergo faciamus? Eundum jam-jam, & columna evertenda. Quid? evertenda? Exstarétne in Mundo quisquam adeò infortunatus; ut tibi abominandum istud consilium vellet suggerere: ut tu ipse, ô Rex, maximarum & amplissimarum victoriarum tuarum tropæa subruas? Tuam memoriam metu & pusillanimitate itáne fœdes? ut, quemadmodum primum ex strenuis Regibus nostris annotamus eum, qui effregit jugum Romani Imperii, sub quo miseræ Galliæ tot annos languerant: sic te è diverso in perpetuum historia annotet fuisse primum; qui, fractus ad mandatum Romæ, ipse tuas laurus avulseris, marcidaveris palmas tuas, monumentaq; miserè dejeceris rerum tuarum fortiter gestarum, & beneficiorum tuorum erga Regnum tuum, & Lutetiam tuam, domicilium magni hujus Imperii, gloriam Europæ, & Mundi miraculum? Proh! quid amplius Generalis Jesuitarum optare posset? Si magna acies Hispanica, deducta à suis & suorum Sedecim-virorum reliquiis, universa per muri labem ingrederetur Lutetiam: nónne initium ab effractione istius columnæ facturi essent? Galliamne pati, ô Rex, te Rege, te mandante, maximam turpitudinem; facinusq; maximum, quod ab insolentiâ Castellanâ unquam subire possit?

Jesuitarum demolienda.

Si, postridie felicis illius conversionis tuæ, ô Rex, in fanum Dionysii advenisset Angelus è cœlo, qui tibi Lutetiam ostendens dixisset: Jesuitæ, præsidiumq; Hispanicum, quod in magnâ illâ Urbe locaverunt, & quod in eâ continent, habendo conciones apud Populum in gratiam illius; hi soli impediunt ingressum tuum: desiderant te in eâ omnes boni: ingredieris tamen istis sceleratis invitis, & breví. Post novē menses dabunt operam, ut trucideris; sed non poterunt efficere: magnus ille Deus supernè avertet ictum; facietq;, ut confiteatur Parricida nefariam Jesuitarum doctrinam, & quotidianos eorum sermones, contra te habitos, ipsum perduxisse, & impulisse in cædem tuam. Dabit etiam Deus, ut ista declaratio insuper scriptis, & propriâ manu ipsorum, comprobetur. Itaq; omnes in exsilium mittentur. Tu verò, septimo pòst anno, restitues eos, ad eversionem Regni tui, & desolationem Familiæ tuæ. Si (inquam) Angelus è cœlo hæc tibi prædixisset, ô Rex: fuissésne pro vero habiturus sermonem illum? Minimè gentium, procul dubio: adeò postremum hoc caput, à tuâ voluntate pendens, tibi visum fuisset alienum. Vide tamen, si placet; vide, quàm propè abfueris à perficiendo hoc malo: tàm citò oblitus mali, quo affecerunt Te, & quotidiè possunt afficere, homines isti: qui antiquos Reges nostros Rebelles *vocant; quòd sua diademata, coronas suas, ad primum strepitum excommunicationum, contra ipsos emissarum, in solum non afflixerint: & qui furiosæ istius doctrinæ consectarium istud, innumeris de Populo persuaserunt;* Regem defunctum nostrum Tyrannum & Rebellem exstitisse. *quæ res profectò ei cruentam mortem attulit.*

Non ponis tibi, ô Rex, ante oculos, imaginem excelsam, pallentem, cogitabundam, tristem, magni illius Principis, optimi tui fratris: ùt erat, quum affectus vulnere, & sanguine

madens,

madens,paternum studium testabatur tibi,ad extremum usque halitum; amplexando te in mediâ suâ acie, totâ madente lacrymis,& ultionem spirante? In superis agit; beatus est; mortuus pro libertate Patriæ,pro Liberis ex captivitate liberandis: contemplatur actiones tuas. Quid? irrita facere te Arresta Parlamenti sui,facta contra parricidas ipsius? qui ipsum viventem cultro mactari curaverunt; mortuumq; suis pugionibus confoderunt; proclamando in universâ Europâ: Eodem die,quo nos Burdegalâ jubebat ejici,vitâ depulsus est. Ajunt,eum mandavisse,ut ad S.Macarii compingeremur omnes, ibidem jugulandi; nisi jugulatus fuisset prius. *Non est unicus Jesuita,ô Rex: corpus Jesuitarum est; Jesuitæ omnes,qui suis literis,annalibus,solennibusq;, in universâ Europâ,decantant hunc triumphum. Europâ autem? imò in universo terrarum Orbe,in suis coloniis: ubi nunc crudelia effecta suarum Propositionum,periculi plenarum,ostentant: ubi tropæum statuunt, cruentum indusium nostri defuncti Regis; superba, inquam, spolia primi in Mundo Regis, quasi de cœlo tacti tonitrubus: quæ in Galliam vibrari curaverunt; ubi, ante adventum ipsorum, nullis unquam viribus extiterant.*

An ergo placeret, ô Rex, consolationem,quæ restat nobis,eripere; & solam notam,& monimentum solum,quod nepotes nostri,de cæde Regis defuncti,& Domini nostri defuncti,habituri sunt? O miser Domine mi! ô miser Princeps, Domine mi! Si nihil aliud potui; hos saltèm extremos fletus,has ultimas lacrymas, humillimi servi tui, & fidelissimi subjecti,habeas. Fortè etiam suspiria comitabuntur decies-centies-mille Gallorum, me legentium: si non hac ætate; at certè posterioribus. Cur enim singultus mei,cur mei gemitus,non durarent tantùm; quantùm boni Galli in terrâ duraturi sunt?

Si Majores nostri,ô Rex,venenatam istam excommunicationis doctrinam,& de potestate Regnorum transferendorum,hausissent: magna hæc successio non fuisset ad te usque ventura; olim tuis Majoribus avulsa esset. Exsilium Jesuitarum, est scelerata istius doctrinæ exitium: exitium verò doctrinæ istius,vita est,& gloria,& splendor regalis Familiæ tuæ. Si qui contrà apud te dixerint: eam videre humi prostratam cupiunt. Rem tenes. quòd si tenens non medicaberis: subruis ipse fundamenta Regni tui; quæ tuum est confirmare.

Magnanimus & generosus Regis animus,non solùm in bello spectatur,in principiis feræ aciei accendens nobilitatem suam; fultus multiplicibus undequaq; plumis, ut sit hostibus conspicuus; proritans audaciam illorum,& lancearum sylvam,quam mox fulmineo impetu protriturus est: sed magìs adhuc elucet,ô Rex,in magnis gravibusq; negotiis,Regni consilio tractandis. Ibi prudentia opus est emicet. Sed exterminandus omnis motus displicendi; omnis creandæ molestiæ formido. Hæc te indigna est,indigna Rege Galliæ; etiamsi non esset id,quod es. Rex Galliæ legem aliundè, quam à Deo,non patitur. Vide, ô Rex, quid justum; vide,quid Tibi; Posteris tuis,& Regno tuo,utile: aliud ne spectes.

Jus est,ô Rex,ut Arresta Parlamenti tui,Parlamenti Galliæ,mandentur exsecutioni in Galliâ. Hìc maximè Regni tui vires. Quis ergo tibi auctor est,ô Rex,ut brachium dexterum ipse præcidas tibi? Reverà, mentiris nominibus, Rex Philippus *est,qui cupit; qui instat; qui molitur. Frater tuus est; novi: sed consiliis periculosis utitur. Juvenis est; ambitiosus est; magnus est. scit,Reginæ Catharinæ hæreditatem à se detineri: ab hoc verme*

me arrosum fuisse animum Patris, ad mortem decumbentis. Dum vixit, assentatus est ipse sibi, fretus Julii potestate: quum verò sensus ejus, quòd sibi coram magno Domino, coram magno Judice, mox comparendum esset, horrorem attulit; tùm Inquisitionis illius assentationes, blanditiæ Jesuitarum illius, non potuerunt ipsum, contra scientiam ipsam, contra conscientiam suam, defendere. necesse habuit loqui, necesse testari; & istam perturbationem, istam facem, ista tormenta, dispositione testamentariâ allevare. Verùm tantum abest, ut hoc testamentum Filius velit exsequi; ut contrà infinita, incredibilia consilia agitet. Sola Gallia inhibet cursum illius. Quàm foret ipsi commodum; si haberet semper, in visceribus magni hujus Regni, homines certos, promtos, acreis, fortesq;, exsequendis omnibus optatis ipsius quovis periculo? Quàm commodum; si semper haberet exploratores adeò pervigiles, adeò audaces, adeò peritos dissimulandi arcani: ut quisquis, sive Gallus, sive extraneus, in Regnum conspiraturus, nunquàm dubitet eos appellare? In aliis conventibus fieri potest, ut unus pro altero per errorem accedatur; proditio veniat. Sic fecit Barrerius: si institutum suum Jesuiticum solùm retexisset; erat de te omninò actum. Quid unquàm commiserunt simile Templarii in Galliâ? Humiliati in Italiâ? Franciscani conventuales in Hispaniâ?

Infinita quidem est potestas Regum; fateor: sed ità, si conjunctam habet prudentiam, virtutem principem Principum. Quum magna culpa commissa est: admodùm est difficile, plerunq; impossibile, ut curetur. Quis, putas, ô Rex, deinceps sit cogitaturus de consilio ullo, contra istos agitando; quámvis in Regnum tuũ, in Caput tuum, machinentur? quis porrò actor esse velit? quis testis? quis judex? Exsistunt principio homines, ô Rex, qui improbis obsistunt. at, ubi se desertos vident, ubi domos suas à serpentibus circumclusas vident, qui, aliquando irrumpentes, Liberos suos voraturi sunt: eo fit, ut desperent omnes; eo animus abjicitur: tandem verò paulatim quisq; flectitur; se quisq; accommodat. O vocem Regibus periculosissimam! Si defunctus Rex in vivis esset; haberet quod diceret super hac re. Hoc uno defectu eò devenit quò tandem deductus est. Ex ejus exemplo, ô Rex, utilitatem cape: etiam ex finitimorum exemplo. Observa; unquámne Carolus V. *aut Filius ejus, magni illi Politici, in publicâ Regni causâ, infirmari siverint, aut percelli administros suos? Observa; an unquam homines admiserint, qui in suspicionem apud se vocari possent?*

Etiamsi Majestas tua nihil spectaret ampliùs; quàm primam Jesuitarum institutionem, ortum, progressum, locum, unde veniunt: eos tibi abominationi esse oporteret. Postquàm verò horrenda effecta expertus es, quibus graviora hostes maximi optare nequeant; & ab istâ exitiali & periculosâ Sectâ, magno Arresto liberatus: quâ specie parricidas tuos in Regno tuo restituas? seditionem in Populo tuo? factiones in Provinciis tuis? quæ plus tranquillitatis ab exsilio Jesuitarum, quàm priùs totos annos 30. expertæ sunt? Non vult tentari Deus. Jam te bis, ô Rex, à cultro illorũ vindicavit; circumdedit te nunc tot bonis Prælatis Doctoribusq;; tot doctis atq; devotis Religiosis omnium Ordinum, plenis probitate, doctrinâ, obsequio, studio erga Majestatem tuam; millies-aptioribus ad exaltandam nostram Religionem, nostram Catholicam, quàm sint homines isti, imbuti hac exitiali hæresi; cujus fundamentum unum est; Potestas mutandi Regna, adimendi huic, & tradendi illi. *Cur spernas ipse gratiam, quam Tibi fecit divina Bonitas: Te è sepulcro,*

Fundamẽtum hæreseos Politicæ Jesuitarum.

Rr

ex ulnis mortis, educendo? mortis per eos optatæ, appetitæ, conjuratæ; qui Galliam eodem feretro, cum duobus suis postremis Regibus, elatam sepultamq; volunt. Non metuis, ô Rex, ne offendas Eum, qui admirationi vult esse providentiam suam; & sibi gratias haberi de bonitate & protectione suâ? An tibi in dubium venit, præsedisse ipsum magno illi consessui, magno Parlamento totius Orbis terrarum augustißimo, consilia ineunti de rebus, ad vitam sui Principis, & conservationem Regni, pertinentibus? Quid? hoc Arrestum à Te infirmari? Et qui scis, ô Rex, an illud sit in causâ, cur adhuc vivas? qui scis, an Deus hoc uti voluerit, ad Te in vitâ servandum? hoc uti propugnaculo, adversùs impetus illorum? Potésne pervestigare judicia & arcana ejus? an nescis, magnas abyssos esse?

DEUS ille optimus-maximus, qui è cœlo novit figmenta, hypocrisin, venenum, quod in pectore Jesuitæ fovent; DEUS ille maximus, qui novit consilium perpetuum, essentiale, in venis ipsorū radicatum, de evertendâ gloriâ Coronæ hujus atq; Monarchiæ; det Tibi gratiam, ô Rex, ut benè ab amicis Jesuitarum discernas amicos Alexandri; & exsequutionem jubēdo magni illius Arresti tui, probes toti Christiano orbi, Te æquè Tibi benè prudenterq; cavere posse à technis, artibus, cuniculisq; tectis tuorū hostium; ac fortiter magnoq; animo frangere, dißipare, & perdere copias, & vireis apertas ipsorum!

Quanquàm autem Rex Henricus ità, tùm à Parlamento suo, tùm ab aliis fidis Consiliariis ac Ministris, instanter monitus esset, ne Jesuitas in Galliæ Regnum redire faceret: omnia tamen illa apud eum, qui jam non ampliùs suus esset, frustrà fuêre; sed ex alterâ parte, cùm Papæ authoritas, qui per Nuntium suum indesinenter ipsum urgebat; tùm præsertim novæ nuptæ Reginæ intercessiones ac deprecationes, pro quibus assiduè illa ab Jesuitis solicitabatur, pervicerunt: adeò ut bonus Rex, non tàm ad id persuasus, quàm præsumtione, quasi vitæ suæ ab ipsorum insidiis aliter securus esse non posset, propemodùm adactus, tandē concesserit, ac declarârit; Jesuitas, at sequentibus conditionibus, (quas tamen illi ne minimam partem unquàm observârunt) in Regnum suum recipiendos esse.

Jesuitæ recipiūtur in Galliâ certis conditionibus.

I. *Ne ulla Collegia, in Civitatibus Regni, aut Provinciis Regi subjectis, sinè expreßâ Regis permißione, instituant; sub pœnâ amißionis omnium privilegiorum, & beneficii hujus, ex merâ Regis gratiâ ipsis conceßi.*

II. *Ut omnes Jesuitæ in Galliâ, natione Galli sint; nec quemquam Exterorum, seu alterius nationis, in Collegia sua admittant, aut recipiant, sinè Regis peculiari permissu: Peregrinis, si qui jam inter ipsos inveniantur, omnibus à se dimißis. Avenionensem tamen & Venciensem Comitatum, verbo* Exterorum, *vel* Peregrinorum, *non comprehendi.*

III. *Ut semper aliquem habeant natione Gallum, qui Regi à sacris concionibus esse; & de omnibus negotiis rationem, totius Societatis nomine, ipsi reddere poßit.*

IV. *Ut omnes jam admißi, vel in-posterū forsan admittendi, purum præstent jusjurandum; eoq; se obstringant, nihil se molituros, quod in perniciem Regis, vel Regni, Salutisq; publicæ, vergere poßit. Cujus jurisjurandi formulam, Juridici Prætores ad Cancellarium mittant. Qui jusjurandum detrectaverint, Regno protinùs extorres sint.*

V. *Ne quid bonorum immobilium, sive emtionis, sive dationis nomine, ad se transferant;*

rant; nec ab illis etiam accipiant, qui transitum ad Societatem suam faciant: sed hæredibus legitimis id omne relinquant.

VI. *Ut legibus statutisq; Regni, sicut reliqui omnes Clerici, libenter se subjiciant.*

VII. *Ne quid, vel ecclesiasticorum, vel politicorum negotiorum, suscipiant tractentq; in præjudicium Episcoporum, Capitulorum, & Academiarum Regni: sed ordinariis constitutionibus per omnia se conformes gerant.*

IIX. *Ut nulla Sacramenta, & ne Pœnitentiæ quidem, aliis, quàm sui Ordinis hominibus, administrent; sinè permissu Archiepiscoporum & Curiarum, quibus singuli subjecti sint.*

IX. *Ut habeant, undè vivere & sustentare se possint: non permissum ipsis solùm est à Rege, uti-frui redditibus: quorum ante hæc tempora participes fuerunt, sinè ullo impedimento; sed & de proventu annuo, 1000. Coronatorum ad 20. annos, in urbe Parisiensi, ipsis liberalissimè prospectum est: Literis super hac re scriptis, & Sigillo regio munitis.*

Super hac restitutione Jesuitarum, quidam φιλόπατρις Epigramma sequens, ad Regem Christianissimum, Henricum IV. exaravit.

FRANCORUM summas qui nunc moderaris habenas,
Juraq; Francigenis summâ cum laude ministras,
Inclyte REX: sit pace tuâ mihi pauca referre
Concessum; facilisq; animo mea dicta reconde.
Vera canam: liceat tantùm mihi dicere vera.
Tertius HENRICUS, cujus nunc sceptra tueris,
AUGERIUM coluit Patris instar, eiq; salutem
Credidit, & summo semper dignatus honore est;
Ignorans, quòd, CHRISTE, tuum qui nomen ubiq;
Et vitam jactant, studia in contraria currant.
Tantum sæpè valet sanctæ simulatio vitæ!
Sed, postquàm se-se falsâ sub imagine vinci,
Mendaciq; diù pietatis fallier umbrâ,
Sensisset; moresq; tuos, JESUITA, notâsset;
Tandem pœnituit. Quis enim modò crederet illis,
Qui Christum simulant, & latrocinia vivunt?
Queîs magis in votis nihil est; quàm, nomine SANCTI
FœDERIS, è soliis Dominos depellere avitis,
Et Reges jugulare pios; Populumq; fidelem
In proprios animare Duces, & ad arma ciére;
Sceptraq; FRANCORUM raptori tradere IBERO;
Cunctaq; terrarum PAPÆ submittere habenis.
Nec satis impunè est scelera hæc committier: ipso
Instinctore Deo fieri, Numenq; supernum
Iratum posse haud aliâ ratione moveri;
Unanimes uno ore canunt: scelerumq; magistros,
Et percussores Regum, cœlumq; mereri,

Deberiq; DEO; toties repetuntq; docentq;:
Indigetesq; vocant Regumq; Ducumq; latrones.
Quàm sint vera equidem; nôsti, Rex maxime, nôsti;
Si meminisse voles. neque longè exempla petenda:
Intùs habes. Nam Tu, vel nemo, conscius horum
Esse potes: si vel dentis, vel cætera vitæ
Tempora perpendas. Vix, nec vix, tutus in Aulâ
Nunc hodiè es: licèt ipse sacros amplectere PAPAS,
Et veluti primus dicaris filius esse.
Præteriti memor esto, animoq; futura revolve;
Si potes: & tibi sit Rex Lusitanicus, *& Tu,*
Perpetuò exemplo. Quis enim majore adamavit
Progeniem hanc zelo, similiq; affecit honore?
Quâ mercede? Jacet Regno spoliatus avito,
Et procul à Patriâ peregrinis casus in oris;
Consilio, Jesuita, *tuo delusus, & arte.*
Hoc meruit probitate suâ, eximioq; favore,
Quo Te, diræ lues; quo Te, furialis Erinnys,
Plus justo affecit. Sed quémnam servit in usum,
Hæc dixisse Tibi toties, eademq; referre:
Si mens certa manet, sævas revocare locustas,
Harpyiisq; animarum antiquas reddere sedes;
Et denuò innumeris Regnum objectare periclis?
Quid juvat, ad surdas facere irrita verba procellas;
Et frustrà infandum toties iterare dolorem?
Sæpè adimit mentem summi Regnator Olympi
Principibus; meritis statuit cùm plectere pœnis
Et Regem, Populumq; suum, non-æqua ferentes.
Si te fortè putas hinc terq; quaterq; beatum,
Induperatorem quia Te Jesuita salutat;
Quódq; tuas vires latéq; patentia sceptra
Prædicet, atque tuas in laudes ora resolvat:
Falleris, ô Princeps, scelerati fraude COTONIS!
Cantando pariter Teq; & tua perdere Regna
Jam-dudum ille parat. nec enim nova crimina tentat
Antiquus scelerum structor; Magiæq; sacerdos.
Nónne vides, nil posse prius, neque sanctius esse
Mancipiis Papæ; stygii quàm jussa Parentis,
Fraude doloq; pari, ad decretum ducere finem?
Respice, quid statuant: Te solo nomine Regem,
Et titulo-tenus; at proprio nil jure potesse,
A` Patre latronum nisi sit concessa potestas;

Quem penes arbitrium faciunt Regniq; tuiq;.
Sic Te, quem Regem & Dominum Rex Maximus unxit,
Hac lege agnoscunt; Papæ si jussa ministres:
Quo sinè, nulla tuis reverentia debita sceptris;
Qui (modò sic libeat) peregrino tradere Regna
Vestra potest, Dominoq; alii committere habenda.
I nunc, rursum illas recipe in tua regna Cicadas;
Materiamq; novam Vertumnis trade nocendi.
Sanguinis effusum haud satis est. *Si fortè, furores*
Et rabiem illorum validis compescere frænis,
Fixum animo teneas: specie lactaris inani;
Nequicquamq; tui prætendis commoda Regni.
Nil prodesse queunt regalia sceptra, tuorumq;
Auxilia Heroum, fortesq; in prælia dextræ.
Obstricti remanent specialis nomine voti;
Quod violare nefas, vel cum discrimine vitæ.
Jusjurandum ipsum, si voto fortè repugnat,
Servandum esse negant. Quid enim magis esse profanum,
Aut magè turpe potest; quàm sacris ludere pactis,
Vinclaque divini violare sacerrima juris?
Tantáne & impietas à tanto Rege ferenda est?
Scrutare ipse, (licet. nec enim nisi justa requiro.)
Quid Jesuita paret; penitusq; introspice, & omnes
Doctrinæ partes vitæq; evolve recessus.
Adspicies, nitidâ veluti depicta tabellâ,
Inclyta gesta Patrum; qui falsò nomen IESU
Præfigunt fronti, titulisq; illustribus ornant:
Quò magè dira cohors, magè quò scelerata propago,
Occultis studiis, & multâ callida fraude,
Prælucere aliis, vulgoq; imponere possit.
Et quæ præterea non ullis cognita sæclis
Occurrent, Rex magne, Tibi; & mea dicta probabunt.
Nullum unquam in terris magis exsecrabile monstrum
Exstitit; ô Superi! non pestis sævior ulla
Christiadûm terras corrupit & infestavit.
Non scelus admissum est, Jesuitis indè remotis.
Singula quid referam? Nil non damnabile præstant,
Immunes operum, contemtoresq; sacrorum,
Impuri, immites, scelerati, & dira luporum
Semina; celantes agni sub vellere virus,
Et Stygiis genitore sati qui præsidet umbris.
Certior est aliundè fides. Propria inspice tantùm

Scripta Patrum: arbitrio ſtabit ſententia veſtro.
Ipſa licèt volvas ſinuoſa volumina magni
RICHOMII, ſolus Jeſuitarum eſſe patronus
Qui modò ſuſtinuit multis è millibus unus:
Atque illi comitem adjungas ſociumq́; COTONEM:
Omnia cognoſces, propriisq́; docebere libris.
Inſuper (ah!) faciet miſeranda Eccleſia cunctis
Gallica noſtra fidem: quo nunc ſub pondere vaſto
Vix animam trahit, innumeris oppreſſa ſtatutis;
Servitiumq́;, tuosq́;, Eſavita, *exoſa furores,*
Antiqua deflet (proh!) LIBERTATIS honorem.
Aurea LIBERTAS, ſic, ſic calcabere? ſícne
Illa tibi frænum injiciet Jeſuitica peſtis?
Ultima ſex hominum, Satanæq́; excrementum;
Quo nil terra tulit pejus, nec fœdius unquam.
Ergóne LIBERTAS, quam tu, LUDOVICE, tuorum
Virtute, & proprio peperiſti ſanguine nobis,
Eripienda data eſt? Ergo hac tibi lege relictum eſt
A' Proavis Tritavisq́; tuis, BORBONICA proles,
Francorum Imperium? tandem circumſpice: tandem
Erige Te: rurſumq́; antiqua imitare tuorum
Geſta Patrum; priſcosq́; Atavorum reſpice honores.
Ceſſatum ſatìs eſt: ſanam ſemel arripe mentem,
Atque animo perpende tuo: tecumq́; revolve;
Officium præſtare pium, Civemq́; vocari,
Qui, quantum in ſe-ſe eſt, pro LIBERTATE tuendâ,
Proſpicit Imperio, & Regi ſua jura reſervat
Integra; quiq́; cavet, ne quid Reſpublica damni
Accipiat, priſcóve ſuo viduetur honore.
Contrà etiam veſtrum eſſe puta, curare ſubindè,
Ne quid fortè novi perturbet publica rerum
Commoda, civilesq́; ciat mala factio motus.
Sic poteris Rex eſſe diù, Populoq́; praeſſe,
Quem divina tibi commiſit cura regendum.
Ergo, ſi quis amor, ſi Te qua cura fatiget
Imperii, Populiq́; tui, propriæq́; Salutis:
Ne temerè admittas inferno Acheronte remenſam
Progeniem; denuóq́; caput, Regnumq́;, tuosq́;,
Objice mille malis: quibus haud virtute reſiſti,
Nec telis armísve, poteſt. Sat viximus, (eheu!)
Peſtiferis agitati odiis; ſcelerumq́; referti.
Non opus eſt, aliunde novis accerſere terris

Fœdi-

Fœdifragos, teneræ deceptoresq; Juventæ.
Sat Natura mali per se corrupta ministrat.
Cuinam hominum ignotum est, Jesuitas nocte dieq;
Nil meditari aliud; quàm, quâ ratione modóve
Prisca statuta queant patriasq; evertere leges;
Inq; locum, antiquis totum in contraria, nobis
Jura dare, & sanctos privata ad commoda ritus
Flectere: nulli unquam quod pòst mutare licebit,
Ut Te dein placitis cogant subscribere; Teq;
Pro libitu ad nutum ducant; decretaq; condant
Duratura magìs, quàm quæ sculpuntur in ære,
Aut quæ Dalmatico fulgent incisa metallo.
Det DEUS *omnipotens, penes est quem summa potestas,*
Inclyte Rex; ne Tu, deceptus fraude, COTONIS
Melliti alloquio capiare, æquamq; remittas
Iram animumq; tuum: justas qui exarsit in iras,
Et pœnas meritò sceleratâ à gente poposcit!
Sufficiat, lacrymâsse tuos, pœnasq; dedisse
Francigenas toties. Metuo, ne denique nobis
Plura ferenda manent mala, quàm quæ sensimus olim:
Auctores scelerum denuò si in viscera Regni
Admittas, facilisq; illorum audire querelas
(Ut fert fama) pares, priscoq; in honore locare.
Parce Tibi, nobisq; simul! Communia utrosque
Fata manent. Prohibe instantem subitamq; ruinam
A' Regnis Populisq; tuis. Nam, Te sinè, Ranis
Permissum nihil. At crimen fautore levatur.
Quid juvat, à vitiis Regnum purgâsse, suâq;
E' ditione omnes sceleratos indè potenti
Ejecisse manu; propriâ si denique culpâ
Restaurentur, & in multo majore habeantur
Respectu? è quibus (heu!) lateri constanter adhæret
Alter, ità excultus magicis virtutibus: ut se
Scire canat, quæ Vos semper fortuna manebit.
Sic mentem atque oculos objectis fascinat umbris,
Viribus inferni pollens & fraude parentis.
Alter ità est fidens, tantumq; pudore remotus:
Defunctum ut Regem, serpente nocentior omni,
Non dubitet scriptis proscindere. & intereà illi
Hoc impunè licet, nullo prohibente furores.
Quò tandem erumpet monstrosa licentia? Reges
Sicne licet lacerare sacros, odiisq; agitare?

Jam,

Jam, jam tempus erit, Regum Rex maxime, mentem
Dirigere hûc, Populumq́; tuum Regnumq́; tueri.
Quo res nostra loco, quæ sit fortuna, videmus.
Vester honos agitur: Mundi pulcerrima tellus
Opprobriis vexata jacet, reliquisq́; pudori
Gentibus est. Miserere Tui, miserere Tuorum:
Jura Patrum, ritusq́; sacros, legesq́; Atavorum
Restitue: afflictæ sua da medicamina genti:
(Non indigna peto;) propriam quoq; respice famam,
Et nomen regale tuum, titulosq́; decoros.
Ne tua, Roma salax, manibus post terga revinctis,
Colla premat, priscoq́; tuo Te fraudet honore.
Perpetuum Imperium, longævos Nestoris annos,
Denique cœlestem requiem Tibi quisque precatur,
Inclyte Rex. &, ne videar mutescere solus,
Hæc eadem tibi vota fero: &, quia dicere coràm
Non mihi concessum est, fungatur epistola nostro
Officio, & tutum teneant mea carbasa portum.
Præterea hæc nostris accedunt vota tabellis;
Finibus ut Patriæ Jesuitas pellere, CHRISTI
Nomine, digneris, Regnisq́; avertere pestem;
Quam Vestro, & Populi capiti impendére videmus.
Haud incerta queror; nec, quæ ventosa per Orbem
Ventilat, indignis pascens rumoribus aures,
Fama, tibi obtrudo: sed cunctis obvia; quæ non
Immeritò injiciant Regi Populoq; pudorem.
Non latet hoc quemquam; quantum Jesuitica turba
Afferat Imperiis tandem Populisq́; malorum!
Quò semel illa pedem fixit; torrentis ad-instar
Cuncta rapit, viduasq́; opibus domibusq́; potentes
Exsuit, & famâ & titulis defraudat avitis!
Nec satìs hoc: Regna evertit, penitusq́; superbis
Dejicit è soliis Reges! Quis talia demens
Ulteriùs perferre queat? Si exempla petantur:
Scilicet haud opus est peregrinos volvere fastos,
Scriptaq́; Majorum impigrè scrutarier: ipsa
Tempora nostra dabunt, quæ nos meminisse pudebit;
Si pudor ullus inest. Quid enim vel antè malorum
Perpessi sumus? Ah! quos non fœdavimus amnes
Sanguine? & infestos miserè satiavimus hostes?
Impius intereà grassatur Barbarus, & nos
Turca ferox ridet. miseranda Ecclesia justas

Vix lacrymas cohibere potest. eheu! ubi prisca
Relligio, sanctiq; Patres, atque inclyta Regum
Gloria? quò tandem miseri pervenimus? ah quæ!
Quæ non pertulimus! quæ non ventura timemus!
Seriùs hoc vidit; vidit tamen, ultimus HEROS
VALLESIÆ stirpis: qui, quámvis se esse putaret
Delicias Papæ, primasq; in amore tenere;
Nil minùs interiit, sica interceremtus iniquâ.

Qui semel evasit scopulos, Scyllamque voracem,
Neptuno monstrante viam, ventisque secundis;
Naufragus immeritò fluctus incusat & imbres,
Immitesque deos Pelagi, sævamque Charybdim:
Neglecto custode DEO, si incauta carina
Obruitur, tandem & sterili sepelitur arenâ.

Stabat Roma potens, & adhuc cum laude superbis
Jus dabat imperiis; cùm prudentissimus Heros
Occasum interitumq; CATO prædiceret. Eheu!
Det DEUS, ô Princeps, similis quandoque ruina
Ne subeunda siet Regi, miseroq; Popello,
Insidiisq; dolisq; & iniqui fraude COTONIS!

Hic sermo mellitus, & hæc dulcissima verba,
Ille quibus vestras, Rex maxime, detinet aures
Incantator atrox, magico sunt plena veneno;
Permittente DEO: qui, quando imponere finem
Imperiis statuit, meritasq; exposcere pœnas;
Judicio sensuq; omni Regesq; Ducesq;
Exsuit, & tandem Populum cum Rege relinquit.

Jesuitæ igitur, Regis gratiâ sic recepti, catervatim in Galliam rediêre: nec tantùm pristinos suos nidos & habitacula repetivêre; sed etiam passim nova Collegia Domosque, quibuscunque placuit locis, atque illis per Civitatum magistratus & incolas licuit, de integro exædificavêre; inque illis, pediculorum vermiculorumque inguinalium more, nemine propemodùm advertente, maximo numero succrevêre. Quam verò Regi Henrico IV. tanto suo benefactori vicissim retulerint gratiam; historia parricidii in ipso patrati, infrà Libro 4. cum suis circumstantiis exposita, cunctorum manibus palpandum subjiciet.

Enimverò Ignatiani isti, uno hoc Regno coërceri, non satis ferebant: sed ut Gallico, sic etiam Navarræo, totâque Asturiâ, (ubi priùs non fuerant) religionis suæ, in Hispani vicini commodum, ibidem instaurandæ & propagandæ caussâ, potiri deposcebant. Hinc anno 1608. acriter apud Henricum Regem instabant, unâ hac præcipuâ ratione: nullas differentiæ causas esse, cur uno Regno potiùs, quàm altero, quod uni Domino gentilitium sit & hæredita-

Jesuitæ Asturiam etiam invadere tentant.

rium,foveantur. Obstabant contrà Asturiorum vehementes postulationes; qui Ignatianos, ob irrequieta ingenia, vehementer oderant. Quin Rex ipse, anno 1599.dum Blœsis ageret,articulo 7.edictalis Sanctionis,pro regno Navarræo & Asturiâ, magistratibus & indigenis, caventibus de suâ Religione, annumerat; ne Jesuitæ in hos fines accederent, neu quid novi importarent, quo publica quies turbaretur. Nihilominùs posteà, Episcopis gentilitiis contrarium deposcentibus, mutavit Rex sententiam suam; decrevitque, ut æquè, ac cæteri Ordines, liberè illic & promiscuè admitterentur; abrogatâ sanctione contrariâ. quin-imò professus est,sibi in animo esse illûc transmittere Jesuitas; qui Episcopis socias manus adhibeant, & Romanam religionem reducem faciant. Ordines verò Asturiæ, Jesuitarum hoc examen non admiserunt; sed longè à finibus suis propulsârunt, repertosque,ut Sinones & exploratores,morte affecerunt.

DE JESUITARUM IN POLONIAM ET TRANSSYLVANIAM ADVENTU.

CAPUT III.

HAUD diù ante Stephanum Bathorium,circiter annum 1575.quidam etiam Jesuitę Poloniam ingressi sunt,& nonnullis locis quodammodò clàm delituerunt: ideoque in nullâ, vel parvâ admodùm existimatione,apud Proceres Regni, initiò fuerunt. Stephanus autem Rex creatus, ut Romani Pontificis favorem ampliùs sibi conciliaret; Jesuitas, quos Pontificem impensè amare sciebat,amplecti cœpit, & non solùm in Poloniâ, Lithvaniâ, & Livoniâ, diversa illis loca occupanda dedit,Collegia Templaque exædificavit: verùm etiam fratri suo Christophoro auctor fuit, ut idem in Transsylvaniâ (quantúmvis reclamantibus Subditis,quibus Socii isti admodùm infesti erant) factitaret. Qui autem mores,quæ insolentia Jesuitarum in Poloniâ sit; ex sequente Oratione Nobilis Equitis Poloni, in publico Ordinum Regni illius consessu habitâ,satis est cognoscere. Sic verò ille.

Video,(SENATORES amplissimi; & Vos reliqui,qui adestis,generis nobilitate,& virtutum ornamentis, clarissimi Viri) omnium vestrûm ora atque oculos in me unum conversos esse. Et,tametsi hunc locum ad dicendum existimem esse ornatissimum; & frequens conspectus vester me ad dicendum excitet: tamen hæc tanta corona doctissimorum hominum terret oculos. Existimo enim, multos esse,qui mirentur: quid sit, quòd,istis disertissimis & gratiosissimis hominibus, hoc tempore sedentibus, ego potissimùm surrexerim; cujus neque ætas ea est,neque ingenium, neque authoritas: ut possit cum eorum,qui sedent,gravitate,doctrinâ, & rerum gestarum gloriâ,comparari. Sed me recreat vestra sapientia, Senatores amplissimi: quæ efficit, ut perspiciatis, omnibus his,quos adesse videtis,charissimam Patriam esse; illos tamen,proprietatem temporum,hanc causam multis odiosam,non audere defendere. Neque verò ego mihi tantum tribuo; ut aliis laudem fortitu-

fortitudinis, atque officii, præripere cupiam: sed, in istâ meâ ætate, aliquid mihi præsidii constitutum esse, contra calumniam iniquorum hominum, confido. Nam, si isti Viri, authoritate & prudentiâ summâ præditi, ea dicerent, quæ hoc tempore dicenda sunt: (quod certè facere debet is, qui ad istam causam accedit) fortaßis illorum oratio multorum varias voces, ad invidiam & odium, excitaret. Cùm ea sit istorum hominum prudentia; tantus splendor generis: ut nulla vox, ab illis profecta, obscura esse poßit. Ego verò si quid dixero liberiùs; id faciliùs intra istos parietes contineri fortaße poteſt: quia in hac Senatoriâ dignitatis luce non sum constitutus. Erunt etiam (ut opinor) nonnulli, qui veniam adolescentiæ meæ dandam esse existimabunt; si quid liberiùs dixero: & faciliùs etiam patientur; si aliquid attulero, quod nondum sit perfectum ingenio, & elaboratum induſtriâ. Accedit illa quoque causa: quòd iſta dicendi neceßitas, non solùm à Patriâ noſtrâ, (quæ omnibus nobis debet esse charißima:) sed etiam ab illis Viris mihi eſt impoſita; quorum singularem in me amorem, plurima & maxima beneficia, ego agnosco; & quorum dignitatem summam Vos perſpicitis. Horum in me voluntatem, & benevolentiam, plurimi semper feci: &, quantum authoritati illorum tribuam, nunc teſtari cupio hoc officii genere: ut, quæ sentio, liberiùs de Republicâ dicam. Et sanè nulla propemodùm eſt natio, Senatores amplißimi: quæ non plurimum se Patriæ suæ debere agnoscat. Noſtra autem Respublica, à Majoribus noſtris ea jura inventa atque inſtituta habet; eâ libertate, dignitate, splendore, ordinem Nobilium ornavit: ut illius commoda, vitâ noſtrâ nobis debeant esse chariora. Nunc verò ejusmodi tempus eſt, Senatores: ut Reipublicæ dignitas, omnium noſtrûm salus, vita, libertas, Dei religio, bona fortunæ, domicilia, veſtræ sapientiæ, fidei, poteſtati, sint tradita. Vos hodiè conſtituere debetis; utrùm homines perniciosos, quasi in visceribus Reipublicæ, ad interitum Patriæ veſtræ, conservare velitis: & an etiam totam Rempublicam in extremum periculum atque discrimen adducere cupiatis.

Magna sunt iſta, quæ dicere aggredior, Senatores amplißimi: in me verò non agnosco eam facultatem; ut, de rebus tàm atrocibus, satìs commodè dicere, & graviter conqueri, & liberè vociferari poßim. Perturbat me ingenii mei imbecillitas: gravitati ætas, libertati tempus ipsum eſt impedimento. Sublata enim jam eſt, (ut videtis) quorundam hominum potentiâ, & iniquitate, atque crudelitate, non solùm dicendi facultas; sed etiam sentiendi libertas. Quam facultatem dulcißima Patria noſtra nobis tradiderat; ea jam erepta eſt ab iſtis hominibus: qui nunquam considerant, quid facere debeant; sed quantum poßint suis artibus & viribus, ex naufragiis Patriæ comparatis. Hos ego quum adſpicio; non ignoro, quæ pericula subeam: timore etiam & pudore quem mihi natura attribuit, non parùm commoveor. Veſtra enim dignitas me magnoperè perturbat: metuo enim, ne non satìs commodam orationem, ad res tantas, adferre poßim; & ne moleſtiam aliquam erudit ißimis veſtris auribus adſpergam. Quamobrem vos rogo atque obsecro; ut attentè, bonâq; cum veniâ, me dicentem audiatis. Humanitate enim veſtrâ fretus, & amore Patriæ impulsus, plus oneris suſtuli; quam ferre me posse intelligo. Hoc ut vos aliquâ ex parte alleveris; vos pro eâ, quam vobis debeo, observantiâ rogo.

Neminem esse veſtrûm exiſtimo, Senatores amplißimi, qui ignoret, quibus in periculis, per multos jam annos, versati simus. Quanta enim vis allata sit, ad oppugnandam & evertendam libertatem noſtram, ab hominibus perditißimis; & quàm valdè jam illa

debilitata sit; res ipsa loquitur. Vidistis enim, (ut opinor) quàm nova Comitiorum forma apud Varsaviam fuerit. Non enim veterem consuetudinem Comitiorum, & pristinum electionis morem, à Majoribus inventum atque institutum, cernebatis; sed exercitus numerosos, & collectos ex barbaris militibus, & omni genere armorum instructos: quorum Duces minabantur nobis rapinas, cædes, incendia. Quantam vim, quantos armorum strepitus, quos clamores, quas contumelias, quas minas; quæ pericula, optimus quisque sustinuerit; quantum lacrymarum Patria præstiterit; potuistis animadvertere. Quæ verò consecuta sunt posteà, horret animus commemorare: ne summus dolor vester, ex Patriæ vulneribus conceptus, recrudescat. Sunt enim depopulati agri: sunt multi Nobiles, crudelissimè domo suâ nudi ejecti; ex ædibus suis patriis præcipites exturbati; multæ Virgines è complexu Parentum abreptæ. Adspiciebant miseri & luctu perditi homines, sceleratissimos milites suæ pecuniæ fieri dominos; multa palàm auferri; multa largè & effusè aliis donari; alia incendio consumi. Quem verò ad fletum & gemitum non commoveret, CRACOVIÆ, Urbis primariæ, miserrima conditio: quæ obsidione oppressa, cæde atque incendiis vastata, horrida & squalida, tristissimum nobis omnibus exhibet spectaculum.

In his malorum procellis, & fluctibus, & tempestatibus, jam video mihi portum adspicere, Senatores amplissimi. Quod enim precatus sum sæpè & multum, à DEO immortali, porrectis in cœlum manibus, & facie lacrymis redundante; ut Patriam nostram aliquando clementer, in his fluctibus, adspiceret: id jam aliquo modo fieri existimo. Video enim, Senatores amplissimi, vestrum Ordinem ad pristinæ authoritatis spem reviviscere: adjunctam esse vobis Nobilitatem: conspirare Lithvaniam: paratos esse Equites, ad vim externorum hostium depellendam; expeditos Centuriones; instructas jam propemodùm cohortes. Sed vos moneo, Senatores amplissimi: (quanquam non egetis consilio; quo valetis plurimùm. Tamen, quod in magnis tempestatibus fieri solet; ut summi gubernatores à vectoribus admoneantur: id vos quoque in bonam partem accipietis; si meam vocem in istis vestris deliberationibus adhibeam.) Videte etiam atque etiam; ne, dum capiti mederi vultis, reduviam curetis. Quæ enim erit ista pax: si tantummodò externorum hostium impetus reprimatur; & domesticorum dissidiorum incendia inclusa lateant? quæ jam non scintillas sed tantas flammas emittant: ut in remotissimis regionibus conspici possint. Vestrum autem est, Senatores, quàm-longissimè in-posterū providere. Quamobrem enim istâ dignitate Senatoriâ, tanquam custodiâ atq; speculâ, collocati estis? Nónne propterea, ut Rempublicam, vestrâ sapientiâ, vacuam metu reddatis? Nolo omnia Reipublicæ vulnera detegere. Multa enim a multis, de Patriæ incommodis, copiosè & ornatè dicta sunt. Sumam ego, hoc tempore, mihi partem eam; quæ etiam à plerisque leviter indicata, sed non satìs explicata proposita est.

Ego, qui Romanam Ecclesiam plurimi semper feci, & spiritualem ordinem eo loco semper habui; in quo habere debet is, cujus multi Affines, omne curriculum industriæ suæ, in illo ordine posuerunt; illinc honores amplissimos, illinc magnas opes, illinc dignitatem (si quam habent) consecuti sunt: Ego, inquam, dico, pro perpetuâ meâ observantiâ in Rempublicam, & pro mirificâ cupiditate, dignitatis vestræ retinendæ & augendæ. Vos autem omnes, qui hîc adestis, quæso & oro; ut primò, si erit vel acerbum, & indignum auditu,

auditu, vel incredibile, à me juvene accipiatis sinè offensione; néve id repudietis, priusquàm, cujusmodi sit, explicavero.

Ego Romanæ Ecclesiæ propemodùm alumnus, dico; hanc unam Monachorum familiam, quæ à JESU *Salvatore nomen habet, ad perniciem multarum Rerumpublicarum esse institutam.*

Ordo Jesuiticus bonarum Rerumpub. exitiū est.

Magnâ spe ingredior in reliquum Orationis meæ cursum: quia jam periculosissimum istum scopulum, vobis tacentibus, sum prætervectus. Quid igitur causæ est, ut ità sentiam de istis hominibus: quorum admirabilis pietas, singularis quædam in omni disciplinarum genere scientia, à multis commendatur? & qui primo loco, ordine, & authoritate digni sunt habiti? Quásnam rationes adferam istius tanti criminis? perarduum mihi erit demonstrare. Quò me igitur vertam? aut quos testes producam? Sunt homines Ecclesiastici ordinis honestissimi, atq; ornatissimi, tantâ amicitiâ & tantâ necessitudine cum isto ordine Jesuitico conjuncti: ut, etiamsi Viri boni non essent; plurimum momenti tamen habere deberet illorum oratio contra Jesuitas: ità autem boni Catholici sunt; ut, etiamsi inimicissimi essent Jesuitis, tamen illis credi oporteret. Quid igitur isti dicunt? Sunt hæc vobis nova & inopinata, Senatores amplissimi? Nunc primùm ista crimina aures vestræ accipiunt? Nónne soletis interesse concionibus? in quibus affirmare solent constanter & graviter, eâ voce & motu corporis, eâ gravitate & constantiâ, viri doctissimi nostri Theologi; Jesuitas eam pestem esse, quæ animadverti non possit, antequàm totum Reipublicæ corpus inflammet: eorum mores, gestus, habitum, oculorum conformationem, oris & vultûs moderationē, ad res à Majoribus nostris benè inventas atque institutas, ad illas, inquam, res omnes, per manus nobis traditas, debilitandas, atque evertendas, hunc Monachorum ordinem comparatum esse. *Novum istud est, Senatores? Non his vocibus, non his exclamationibus, resonuit primarium templum Lublinense? non summum etiam templum Cracoviense plenum, atque refertum his Jesuitarum ornamentis atque testimoniis, ad perpetuam & loci, & temporis, & hominis, memoriam? Non fuit hoc, inquam, in istis templis decantatum? Testes sunt viri Senatorii, magna authoritate, consilio, prudentiâ ornati; & cæteris ornamentis honoris, ingenii, industriæ, clarissimi; qui hoc affirmant.*

Quid dicam de illustri Episcopo Cracoviensi? quem honoris & amplitudinis caußâ nomino: cujus ea est ætas, prudentia, authoritas, eruditio, humanitas, judicium, constantia, ingenii acumen, ut, ad ejus orationem, juramentum vestrum adhibere poßitis. Quid igitur is dicit? Affirmavit constanter & graviter, voce & vultu ad rei indignitatem composito: istam novam, non ante multos annos inventam Monachorum familiā, quæ JESU Salvatoris nomine ornata est, ad Ecclesiæ Romanæ dogmata evertenda comparatam esse; & ad excitanda seditionum incendia; ad evertendos Reipublicæ nostræ bonos, & omnium comprobatione institutos mores.

JOHANNES *verò* Zomoiscius, *Regni Cancellarius, & exercituum summus imperator; cujus prudentiam, rei militaris scientiam, virtutem, authoritatem, felicitatem, fortitudinem, omnis semper mirabitur ætas; affirmavit verè & sapienter, ut omnia sæpè dicere solet:* Istis Sacerdotibus, in templis & suggestis, locum aliquem conce-

dendum esse: ut verò ex monasteriis & templis, ad Reipub. negotia gerenda, accedant; hoc nullo pacto ferri oportere.

Quid ego nunc producam Doctorem Picum, *civem Cracoviensem, & virum Senatorium? quem verè Philosophum subtilißimum, & Medicum exercitatißimum, possumus appellare: in cujus vitâ exstat imago antiquæ virtutis: cujus oratio exemplum est copiosè loquentis sapientiæ. Is certè ità de Jesuitis judicat: ut sæpè affirmet,* Pessimè cum Patriâ nostrâ actum esse, quæ istos non jam-dudum ejecerit.

Quid ego vobis nunc adferam voces singulorum hominum? Quid producam in medium querimonias earum Viduarum, quæ non priùs istorum Salvatorum artes deprehendere potuerunt; antequàm domos suas spoliatas animadverterent, omnibus vasis argenteis, omnibus ornamentis aureis: in quibus aliqua ars, aut precium ità singulare exsisteret; ut posset eorum cupiditatem incendere. O tempora! ô mores! Hæc jam agitantur in foro; jactantur in palatiis; recitantur in omnibus locis; clamantur in templis: in conspectu Trinitatis, ante imaginem Christi, omnium Sanctarum atq; Sanctorum, hæc declamantur: ad commovendos Sanctos atq; Sanctas, ista sæpè & multùm, vehementer & graviter, copiosè & ornatè, ab illis exponuntur, qui religionibus Sanctorum atque Sanctarum præsunt: & à vobis ista ignorantur?

De Jesuitarum Scholis & institutione.

Verùm utilißimi sunt, propter Scholas: multos jam ludos literarios aperuerunt: magno motu fit concursus juventutis: magna Nobilium pars, eaq; ferè præcipua, ab illis erudiri suos filios cupit; propter magnam doctrinæ, fidei, gravitatis, constantiæ existimationem, & propter singularem quandam docendi rationem. Eòdem accedit, ut, nullis præmiis laborum propositis, magnos tamen labores suscipiant, & sustineant. Heu me miserum! cur ego vos, quos semper laudavi, cogor reprehendere? Non videtis; non intelligitis, Senatores; hæc omnia ad perturbandam quietem pertinere? Non animadvertitis, plurimas Scholas ab illis jam dißipatas esse? Unam Scholam celeberrimam Cracoviensem, Viris doctißimis in omni disciplinarum genere ornatißimam, jam solitudine fœdam atque squalidam, nulla antiqua ornamenta retinere? Habuit Polonia, ante istos Jesuiticos Monachos, habuit Viros erudítißimos, Oratores vehementißimos; Philosophos acutißimos; Jureconsultos prudentißimos; Theologos omni dicendi gravitate, copiâ, atq; ornatu, instructißimos: habuit nostra Patria Scholas, ex quibus, tanquam ex equo Trojano, prodierunt plurimi doctißimi Viri. Una Academia Cracoviensis, quatuor-millia literatorum juvenum numerabat. Prodibant ex illâ Scholâ illi Viri, quorum ingenium, prudentiam, authoritatem, ista adhuc miratur ætas. Jam propè vigesimus annus est, ut Jesuitas istos in Regno nostro videmus: qui ità Scholas suas instituunt; ut omnem industriæ, diligentiæ laudem, aliis eripere cupiant. Sæpè admodùm ludos Comœdiarum, Tragœdiarum, omni splendore, copia, & ornatu instructos, exhibent: in quibus ludis summam laudem & utilitatem positam esse, existimant. & hac propemodùm unâ arte, multos discipulos ad se pertrahunt. Tamen neque inter istos tàm præclaros magistros, neq; inter discipulos, videmus illos; qui poßint aliquo genere eruditionis, cum illis antiquis nostræ Scholæ magistris & doctoribus, contendere. Habuimus illo seculo Lucam *concionatorem: cujus ea dicendi vis fuit; ut, quamcunq; in partem voluisset, animos hominum flectere facilè potuerit. Credo, adhuc vos memoriam retinere illius concionatoris, quem Leopolitam*

nostri

nostri Poloni appellabant. Erat ille homo eâ morum elegantiâ, & humanitate; ut semper Auditorum suorum animis, atq; auribus, novam quandam voluptatem adferret: eo ingenii acumine, eâ doctrinâ; ut semper, orationis suæ subtilitate, redderet doctiores suos auditores. Quantæ, & quàm-multæ laudes, debentur Hosio Cardinali, Cromero *Varmiensi Episcopo,* Orichovio, Fricio?

Hîc me incendit quædam cupiditas; ut de istis Viris paulò copiosiùs differam. Sed metuo, ne, ex commemoratione illorum virtutum & eruditionis, recrudescant vestra vulnera; quæ Patria nostra, ex morte istorum hominum, accepit. Erant illi Viri quædam pulcerrima & clarissima Ecclesiæ Romanæ lumina. Habetis, ut opinor, in animis vestris præclarum illud Fricii *volumen de Republicâ. Exstant multi libri* Hosii *Cardinalis,* Cromeri. Orichovii *orationes adhuc in multorum manibus versantur: & nulla unquam futura est ætas, ut opinor, quæ illorum memoriam obscuret. Jam si* Bembi, Sadoleti, Contareni, Reginaldi Poli, *& reliquorum summorum hominum, libros enumerare & laudare (ut æquum est) possem: dies me potiùs, quàm oratio, deficeret.*

Quid horum simile habent Jesuitæ? Prodeunt quoque quædam illorum lucubrationes. Utinam illum laborem, quem in scribendis illis libris susceperunt, in suas Tragœdias, vel Comœdias, potiùs contulissent! Ità enim illa sunt refutata ab Hæreticis, ità profligata: ut luculentam quoq; plagam tota Ecclesia nostra Romana acceperit. Provocârunt Lublini, superiore anno, Antitrinitarios & Anabaptistas, ad disputandum: canebant triumphum ante victoriam. In eâ disputatione nihil, præter redundantem quandam verborum volubilitatem, & tragicos clamores, (quibus in clamoribus, omnes Jesuiticæ laudes positæ sunt) præstiterunt: & tantummodò plebis, & anicularum, & collusorum atque suorum compransorum, approbationem consequuti sunt. &, cùm rationum vi Antitrinitarios vincere debuerint; & eam victoriam, antequàm certatum esset, literarum monumentis tradiderint: eum exitum ille triumphus ante victoriam habuit; ut Ariani minis, convitiis, terroribus, clamoribus, fuerint ejecti; & primarius quidam illorum hominum, Niemojevius, etiam verbera senserit. Dolebamus, Senatores amplissimi, Ecclesiæ Romanæ dignitatem ab istis hominibus ità deludi: ut multi ex illo loco, Romanæ Ecclesiæ observantissimi, animo dubio & fluctuante discesserint. De Jesuitarum scriptis ac disputationibus.

Prodiit libellus Possevini *Itali, tanquam fax quædam, ad excitandum incendium. Illius authoritatem si voluissetis sequi: nónne jam domestico dissidio eversam Rempublicam adspiceremus? Quæ ista est ratio, Senatores? Virum eruditissimum, non suæ eruditionis arma, & doctrinæ instrumenta, ad vincendos suos Adversarios, conferre; sed ad barbaricam crudelitatem & feritatem decurrere? Mederi volunt Patriæ nostræ! Honesta hæc oratio est. Verùm, si scalpellum adhibeatur ad sanam corporis partem; si Viri boni; utiles Cives Patriæ, è Repub. exterminentur: non medicina; sed carnificina est. Quamobrem Concilium non convocatur? Cur publica disputatio non instituitur? Quamobrem istæ faculæ, ad vim excitandam, adhibentur? Non est magnum negotium homini erudito, vincere eum, qui literarum cognitione non est excultus: præsertim, si eò quoq; accedat bonitas causæ. Qui ad gladium, ad ignem, ad aquam, ad cædes, ad vim decurrit; fateatur, se faciliùs hominem jugulare, quàm erudire posse: animum carnificis, & barbari atque crudelis prædonis; quàm Theologi mentem eruditam, habere.* De Possevini libro parricidiali.

Juven-

Quò plures Jesuitæ; eò plures Reipub. pestes.

Juventutem numerosam habent suis in Scholis! Quibus artibus eam colligant & retineant, metuo, ne serò admodùm animadvertamus; & tùm demùm velimus huic malo remedium adhibere, cùm jam non poterimus: si ad maturitatem pervenerit illa improbitas, cujus jam magna apparent & exstant vestigia. Putatísne, Senatores amplissimi, disciplinâ Monachorum Juventutem Nobilium rectè, ad res benè gerendas, erudiri posse? Utinam tandem aliquando perspicere possitis; Poloniam, de statu optimo, ad eas calamitates devolutam esse, moribus Gallicis, Italicis, Hispanicis, in Patriam nostram receptis! Si Majorum nostrorum tempora, quibus illæ regiones non fuerunt cognitæ, cum hoc nostro seculo conferamus: quæ summum dolorem atq; metum nobis adferant, plurima occurrunt; quæ spe aliquâ meliorum animum erigant, admodùm pauca & exigua; vel potiùs nulla solatia veniunt in mentem. Quid igitur agimus, Senatores? Volumúsne Scholas evertere? Ego verò hanc amentiam à vobis abesse cupio. Placet enim, & utile est, revocare veterem disciplinam, & patrium morem: præmia Magistris & Præceptoribus proponi: eos, gratitudinis & utilitatis spe, ad scholasticum laborem suscipiendum, excitari. Novam istam, nostris Majoribus incognitam, nobis ac juventuti nostræ inutilem, Patriæ perniciosam docendi rationem, retineri non placet.

Quibus rebus Jesuitæ simplices seducant.

Sed Jesuitarum operâ, studio & diligentiâ, effectum est; ut Africa, Asia, America, Persia, Romanæ Ecclesiæ instituta & placita amplectatur! Quínam sunt illi Viri? quæ est ista pietas? quæ vitæ sanctimonia? ut tantum bonum orbi Christiano importaverit? Adspicite istos Patres nostros Jesuitas: ut rectè de illis Apostolis, fratribus eorum, possitis judicare. Non enim, Senatores amplissimi, simia simiam tàm benè refert; neq; ovum ovo, nec lac lacti tàm simile est: quàm Monachus Jesuitæ; Jesuita Monacho. Quid igitur isti habent, vel in pietate, vel in moribus, vel in eruditione; quo nostris antecellant? Si enim vultum istum, ad decipiendos homines accommodatum, si os, in illis latebris Jesuiticis compositum; si oculos, & totius corporis habitum, atque ipsam orationem, ad simulandum & dissimulandum conformatam, mutes atque adimas: nihil habebunt, quod præ cæteris Monachis possint venditare, quibus se illi usque-adeò anteferunt; ut quilibet Jesuita cum Jesu se in cœlo esse existimet: propterea quòd sanctimoniam quandam possit simulare; & eam, quæ intùs inclusa est, impietatem benè dissimulet. Jam, ut totius corporis motum atque vestitum, ad colligendam hominum gratiam, mirâ quadam curâ & solicitudine moderantur: ità quoque in templis, non veterem illam, à Majoribus receptam & approbatam, simplicem, & non multùm exquisitam, in Dei cultu atque Sanctorum, consuetudinem retinent: sed superbas, stultas, atque impudicas mulieres imitantur; quæ splendidiùs vestiri volunt, quàm honestæ matronæ. quo fit, ut etiam oculos spectatorum in se convertant, & eorum cupiditatem inflamment. Quis autem est ab omni ratione ità alienus; ut non perspiciat, illis illecebris, istis ornamentis, isto subtili sanè & suavi vocum & tibiarum concentu, barbaram gentem, incultos atq; horridos homines, posse excitari? & ab illis sordibus & squalore, ad istum splendorem & cultum, omnes humanos sensus converti? Hoc certè est homini à naturâ tributum; ut omnia jucunda sequatur. Istam legem non audivimus, legimus, didicimus; sed ex naturâ ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: (quemadmodum inquit summus ille Orator:) ut rem jucundam, aliquo sensu perceptam, homines eò magìs amplectantur; quò magìs etiam sensibus & cupiditatibus obediant.

Jesuitarum hypocrisis.

obediant. Currunt igitur mulierculæ & juvenes, in ædes Jesuiticas, sanctæ Barbaræ: sed graves viri & prudentes, retinent veterem cultum Mariæ; qui scilicet novitatis dulcedine non moventur.

Gratulor ego, Viri amplissimi, Asiæ, Africæ, Americæ, Persiæ, istam mentem; cùm velint Catholicæ Ecclesiæ nomen suum dare: sed, ut verum sit, quod Jesuitæ referunt. Falsa enim multa ab illis jactari, jam nonnulli affirmant; & res ipsa loquitur. Sed, quemadmodum dico, ut verum sit: ne tamen Jesuitæ servitutis jugum nobis imponant, magna cautio adhibenda est. Iisdem enim artibus, & hoc religionis nomine, illas Provincias Hispano, Regi potentissimo, subjecerunt: à quo illi emissi, ut exploratores, eò consilia omnia retulerunt: ut primùm domestica dissidia excitarēt; deindè Hispanicos exercitus in regna convulsa, & dissidiis domesticis debilitata, adducerent. Quod cùm assequuti sunt; omnia cædibus & sanguine ità replent: ut non solùm consilii capiendi, sed etiam ne respirandi quidem, spatium relinquant illis, à quibus amanter & humaniter fuerant excepti.

Jesuitæ de rebus longinquis libēter mentiuntur.

Cædes passim & latrocinia excitant.

Legimus in sacris Libris, exstitisse quosdam Gabaonitas, astutissimos exploratores: qui, simulatâ Legatione, exoletos saccos asinis imposuerunt; utresq; vinarios obsoletos, laceros, & resartos: calceamenta vetera, & lacerata, pedibus induerunt: penulis vetustis se texerunt; omniq; in commeatum pane mucido sumto, ad Josuam se in castra contulerūt: eiq; & Israëlitis nuntiaverunt, se velle cum eis fœdus percutere. Jesuitæ Gabaonitæ sunt, à Rege Hispaniæ Catholicissimo legati; pallio modestiæ contecti; calceis hypocriseos induti; simulatione paupertatis, modestiæ, pietatis, castitatis, ornati: se à JESU *missos esse, quasi ad novam aliquam salutem adferendam hominibus, affirmāt: se vigiliis, laboribus, studiis literarum & pietatis, nocturnis atq; diurnis precationibus, exhaustos esse, ostendunt. Metuendum autem nobis esse, ne quid Andria apportet mali; jam indicat miserabilis casus eorum hominum, qui sunt in Africâ, Asiâ, Persiâ, Americâ. Neq; illarum regionum terminis hoc malum inclusum est: latiùs diducitur, & in-dies longiùs progreditur istud incendium. Nam etiam in Germaniâ inferiori, excitati jam sunt ab istis Gabaonitis tanti motus; quibus multæ jam Urbes & Provinciæ florentissimæ, quasi uno impetu, prostratæ jacent. Non possum sinè lacrymis Antuerpiæ, urbis potentissimæ & amplissimæ, luctuosam & funestam direptionem commemorare: nullumq; esse existimo hominem tàm durum; quem non moveat tot hominum mors acerbissima & crudelissima, bonorum direptio ac venditio. Nolo autem vos, ad summi istius doloris societatem, pertrahere. Eodem motu, àb istis Jesuiticis Gabaonitis excitato, impulsa est Anglia & Scotia: quæ Regna, cùm anteà externorum hostium impetum depulerint; nunc domesticis dissidiis debilitata, & ad interitum jam inclinata sunt. Id verò totū acceptum referendum est istis sanctissimis Patribus, Gabaonitis Jesuiticis. Hos fructus, ista commoda, illi depromunt, ex illis suis sacculis obsoletis. Vita Reginæ Angliæ, veneno & insidiis sæpè appetita est. Scotiæ Regina, crudelissimo & indignissimo mortis genere sublata est. Nullum locum nominare possum, Senatores amplissimi, in quo isti Gabaonitæ pedem posuerint; ut etiam non in eodem tristissima & luctuosissima exempla crudelitatis reliquerint. Et accidit jam aliquoties,* DEO *ità permittente; ut iisdem ruinis, quarum authores exstiterint, ipsi fuerint oppressi. Nam in Angliâ, multi isti Patres Gabaonitici, ità, ut æquum fuit, supplicio affecti sunt: quos nostri Gabaonitæ in numerum Martyrum referunt. O' præclaros Martyres, qui tantorum sce-*

Insidiatores sunt, & Hispani exploratores.

lerum convicti fuerunt! Multa prætereo, Senatores amplißimi, quæ in Helvetiâ, quæ in Germaniâ superiore, ab istis Patribus sunt excitata. Currit enim magnis progreßibus ista Jesuitarum pestis; & omnes Urbes, omnes Provincias, omnia Regna obvia, evertit & dißipat.

Quæ mala Poloniæ dederint Jesuitæ: *Ad ea mala, quæ jam nos tangunt; properat animus. Non ignoratis, quas turbas attulerit nobis, in* Livoniâ, *ista Gabaonitica & Jesuitica modestia. Jam potentißima urbs* Riga, *ad portum posita, ardebat eo incendio; quod fuit excitatum ab istis Gabaonitis.*

in Livoniâ: *Abreptus fuit iisdem procellis & fluctibus,* Stephanus, *Rex fortißimus: qui, nisi ad animi sui magnitudinem, consilium & moderationem adhibuisset: jam omninò, & cum Rigâ, & cum Rege Sueciæ, aut certè Rege Daniæ, bellum nobis fuisset susceptum. Urbem profectò, & totam Provinciam, multis laboribus, magnis sumtibus, magno nostrorum hominum interitu, ad Regni nostri imperium jam-diù aggregatam; multò majore cæde, aut majoribus impensis atque sudoribus, nunc restitueremus.*

in Lithvaniâ: *Tota* Lithvania, *&* Vilna, *urbs primaria, nónne eodem spiritu Jesuitico & Gabaonitico est agitata? Nónne Civium atq; multorum Nobilium fuit concursus, ad prælium committendum? Unde illæ procellæ perturbationum profectæ sunt; nisi à Jesuitis, nostris istis Gabaonitis? Poteſtísne dubitare, Viri amplißimi, totam Lithvaniam ad interitum, ab istis Gabaonitis, ità impulsam fuisse: ut jam-nunc tantummodò ruinas illius Provinciæ adspicere potuissemus; nisi, ad hæc mala restinguenda, Rex sapientißimus authoritatem suam contulisset. Coactus est ille fortißimus Imperator, obsidionem, & expugnationem urbis Plescovianæ, intermittere; ut istis tumultibus, à Jesuitis excitatis, occurreret. O` miseram Patriam nostram! ô deplorandam conditionem! qui istam pestem, & hæc monstra, in visceribus nostris alimus; &, quicquid increpuerit, Jesuitas jam metuere cogimur: quos otium & cibus alienus ità feroces reddit; ut etiam authoritas, & sapientia potentißimi Regis, eos coërcere non potuerit.*

Cracoviæ. *Vidistis, Senatores amplißimi,* Cracoviam, *urbem celeberrimam, domicilium atque ornamentum totius Regni, sedem Majestatis Regiæ, omnium ordinum ecclesiasticorum & secularium (ut vocant) receptaculum; præcipuum Regni præsidium; mercatorum & reliquæ plebis emporium; matrem artium atque disciplinarum; ità vexatam esse ab istis Gabaonitis: ut plurimi boni Viri, utiles cives Patriæ nostræ, homines Catholici, affirment; se malle in sylvis, inter feras, vitam degere, quàm in ista immanitate versari. Conspiratione enim factâ, cujus Jesuitæ authores atq; duces exstiterunt, magnâ vi atque impetu in eam domum irruunt; quæ una in totâ urbe monumentum antiquitatis exstat, Lutheranis concessa, Rege atq; Senatoribus approbantibus. Apparebant effusæ aliquot diebus flammæ: quæ per multas urbis partes fusæ, toti Urbi minabantur interitum. Audiebantur voces sceleratorum hominum, prædas efferentium: inter quos (ut quidam affirmant) etiam versabantur isti Patres, non religioso isto habitu induti; sed attritis rusticorum vestibus cooperti. Commodum illis fuit, & jucundum etiam, (ut opinor) istam adorandam personam Jesuiticam ad aliquod tempus deponere. Tota urbs in summo periculo versabatur. Neq; ego sum adeò amens; ut negem istam vim ad alios quoq; Magistros, & Professores, & totam Scholasticorum turbam, pertinere: quâ de re jam primarii Lutherani ad Senatores retulerunt. Verùm, si rem benè consideretis; & istum Gabaoniticum & Jesuiticum spiri-*

spiritum cognoveritis: intelligetis, ab hoc Jesuitico numine hæc fulmina profecta esse. Quis enim adeò rerum ignarus; ut nesciat, talia perturbationis consilia, plena sceleris, ab his Hispanicis Iesuitis agitari: & nulla unquam, ante adventum Jesuitarum, talia pericula civibus nostris accidisse? Quid multis opus est? Sunt, qui affirment, totum hoc, quicquid est mali, Jesuitis tribuendum esse: quibus hoc propositum est, ut Euangelici cum Rectore atq; Professoribus, & totâ Universitate academica, signis collatis congrediantur; & Jesuitæ habeant suavissimum spectaculum; atq; in locum illius partis, quæ fuerit fusa atq; deleta, succedant; & amplissima spolia, suorum consiliorum præmia, auferant.

Hic fortassis dicat aliquis Jesuita: Tu Lutheranæ causæ patrocinium suscipis. Ego verò, Patres sancti Jesuitæ, non meam nunc de Lutheranâ religione sententiam explico; sed, quid metuendum sit à vobis Reipublicæ nostræ, ostendo: & superiùs testatus sum, me Catholicum esse. Neq; verò is Ecclesiam Romanam oppugnat; neq; Hæreticos defendit: qui liberè, ad Reipublicæ utilitates conservandas, ea, quæ sentit, dicit. Quamobrem jam repeto id, quod sæpiùs affirmavi; & magnâ voce proclamo: Tametsi Jesuitæ professione Catholici sint; pestem tamen Reipublicæ nostræ ab illis metuendam esse. Erant quoq; Majores nostri Catholici: & tamen arma contra illos Jesuitas Cruciferos sumserant, & eos omni ratione persequendos esse existimabant; summo Pontifice repugnante, & ejus legatis resistentibus. Archiepiscopi nostri, & Episcopi, capitali odio ab illis dissidebant; & vi atq; armis opprimendos esse statuebant. Vos ego appello, reverendissimi Domini Episcopi. Non ignoro, quâ observantiâ ac pietate summum Pontificē colatis: hortor tamen vos, ut tranquillitatem Patriæ nostræ vobis commendatam esse velitis. Exiguum enim admodùm est discrimen inter Cruciferos & Jesuitas; inter Crucē & Jesum: si intra hujus disputationis nostræ limites oratio contineatur. Crux & Jesus eandē propemodùm vim habent pietatis, modestiæ, religionis. Cruciferi, crucis imagine erant insigniti: Jesuitæ, JESU Salvatoris nomine sunt ornati. Quid modestius? Quid magìs pium & religiosum, illis Cruciferis, illo seculo exstitit? qui verecundi admodùm, humani, humiles, abjecti, Patres Cruciferi apparebant. Isti quoq; Jesuitæ, omni virtutum genere sunt larvati. domi enim, tantâ solicitudine & diligentiâ gestus suos conformant; ut nihil diversum in illis appareat huic personæ, quam sustinent: etiam capita eleganter & moderatè in unam partem inclinata habent; ut videantur JESU similes esse, qui pendebat in Cruce. Cruces etiam pictas & sculptas habent: etiam in valvis suorum Collegiorum cruces pingunt. In istâ tàm pulcrâ herbâ latet antiquus ille serpens, inimicus & accusator fratrum, Diabolus; author dissidiorum, perturbationum, bellorum intestinorum, cædis, & rapinarum.

Jesuitam & Papistam esse, non idem est.

Jesuitæ sunt novi Cruciferi.

Dicite mihi, sancti Patres, pro vestrâ pietate, candore, modestiâ, humanitate: quamobrem vos apud istam hominum multitudinem, cujus benevolentiam ita vobis collegistis; ut etiam multæ mulierculæ, imò verò præclaræ mulieres, ornamenta aurea atq; argentea, quæ à maritis suis amoris caussâ dantur, vobis libenter, furto propemodùm ablata, tradant; & libentiùs jam, peccatorum suorum caussâ, ad vos accedant, propter vestram humanitatem: dicite, quamobrem Hispanicam Monarchiam in cœlum laudibus effertis? eam commendatis; & exemplum illius Monarchiæ, tanquam ad imitandum proponitis? Non ignoratis, (ut opinor) in Hispaniâ cives non-malos, propter levissimam religionis suspicionem, jactari contumeliis, notari ignominiâ, exsilio puniri, morte denique acer-

Libenter hominibus simplicib', ac mulierculis, conversantur Jesuitæ.

Hispanica & Jesuitica tyrannis eadem.

bißimâ mulctari. Exstant, Viri clarißimi, istorum Patrum hæc præclara facinora, in tabulis depicta: fortaßis propterea, ut illud exemplum Hispanicum vos imitari velitis. Sed non admodùm commode oculos nostros illâ imagine erudiunt: neque satìs copiosè, quid ipsi faciunt, ostendunt. Non enim hic est malorum exitus, quem ostendunt illæ imagines: non his terminis istorum sanctorum Patrum religio continetur. Nam, ad turbandos sepultorum manes, progreditur illorum modestia & charitas: effodiuntur ossa; disjiciuntur cineres. &, quem terminum, ut vitæ, ità miseriarum, natura constituit; ultra hunc terminum grassatur ista Jesuitica mansuetudo, & charitas. O' miseram atq; lamentabilem illorum hominum conditionem! ô Regem crudelem! ô Regnum citò periturum! Cogitate etiam atque etiam, Senatores amplißimi; num tanto furori locus in Patriâ nostrâ concedi debeat: ut fratribus nostris, propter diversas in religione sententias, hoc modo, hac crudelitate & immanitate, lucis hujus usura eripiatur; & alii, quàmvis sint Catholici, tamen propter opes, vel uxoris vel filiarum formam, in numerum Hæreticorum referantur: quia istorum sanctorum Patrum cupiditatem, Maritorum vel Parentum vita impedit.

Dicite igitur aliquando, Patres sancti: Si idem in Poloniâ facere poßitis, quid situ facturi? Etiam illud dicite: Si Hispanorum Rex, patronus & propemodùm Deus ordinis vestri, huc in Poloniam, vel mari, vel terrâ, exercitus suos cupiat adducere; quid, inquam, sitis facturi, Patres Sancti Jesuitæ? Video enim, vos tantis sumtibus, tàm firma palatia, præsidia, & propugnacula erigere; quæ vos Monasteria appellatis: quæ si verè (ut sunt) nominari debeant; domicilia scelerum omnium, atq; flagitiorum receptacula, appellari poßint. Video Posnaniæ *arcem munitißimam, summis præsidiis, à vobis ædificatam esse: & cùm intra urbis mœnia contineatur; aditum ad urbem patefacere posset omnibus, cum quibus communis est vobis cupiditas. Regis palatium Posnaniense, nullâ parte cum isto vestro propugnaculo est conferendum.* JESUS *locum, in quo caput reponeret, non habuit: in campis, in montibus versari potiùs, quàm in urbe, maluit. Jesuitæ in commodißimo urbium loco, ad milites vel depellendos, vel excipiendos, si velint urbem oppugnare, castra sua ædificant. Video* Jaroslaviæ, *etiam* Lublini, *atq; in aliis civitatibus, ejusdem munitionis, firmamenti, tantorum præsidiorum exstructas arces: ut non Scholasticos docere, aut muliercularum peccata cognoscere; sed bellum gerere velle, videantur. Respondete igitur, Patres sancti atque modesti: num etiam illos Hispanicos exercitus, in ista palatia vestra, sitis admissuri? illius nimirum Hispanorum Regis, cui vos divinos cultus tribuitis? præsertim si eò accedat Papæ authoritas: si quoque eòdem vires suas conferat, tota illa in flagitiis & sceleribus exercitata juventus; illi scilicet vestri greges aleatorum: in quibus etiam adulteri, impuri, atque omnes impudici, versantur. Qui cùm sint absque re, absque sede, sinè spe, sinè fortunis: per urbes pexo capillo, nitidi, imberbes, aut etiam barbati, volitant, qui totam industriam suam in nocturnis insidiis expromunt. Exspecto, quid situ responsuri. Moneo tamen vos, sancti Patres; ut existimetis, istos homines non adeò stupidos esse: ut non intelligant, quò referantur omnia vestra consilia; quæ jam ita in lucem producta sunt, ut omnibus appareant.*

Jesuitarum Collegia, sunt propugnacula fortissima.

Cogitate etiam atque etiam, Senatores amplißimi; ne, cùm inter abjectißimos homines

nes

nes Jesuitarum fraudes sint detectæ, vobis tantùm consilium & prudentia defuisse videatur: ut non animadvertere poßitis, quàm horrendum exitium vobis immineat. Quod etiam eò turpius est: si obliviscamini, quibus fluctibus jactata, & quæ naufragia fecerit nostra Respub. eo tempore; cùm vi & armis Cruciferorum improbitas, multis annis, non potuit reprimi. Tantâ contentione, tantâ sanguinis profusione, multis annorum centuriis bellum gerebatur: ut ad illius temporis memoriam animus exhorrescat. Fuerunt enim omnes campi, Majorum vestrorum sanguine cooperti. Quis fuit illo seculo tanto ingenio, tanto acumine, tantâ prudentiâ præditus; ut perspicere potuerit, talem exitum, & tàm tristem & luctuosum, ac toti orbi Christiano periculosum, atque multis Europæ partibus perniciosum, esse exspectandum atque metuendum, ab illis Cruciferis? qui in loco sancto, in urbe Hierosolymâ, apud sepulcrum Domini, vivebant? Scilicet, studio commemorandæ mortis Christi erant illi loco ità affixi: ut totum vitæ suæ curriculum in eo consumere statuerent, & talem ordinem omnium actionum suarum amplecterentur; ut nemo dubitaret, illis hominibus nihil propositum fuisse, præter ipsam pietatem. Habebant Monasteria, certis Fratrum atque Sororum familiis (ut illi vocabant) distincta; eâ disciplinâ, ejusmodi moribus informata: ut nihil reperirent homines, quod in illis reprehenderent: quæ autem laudarent, & quæ admiratione digna judicarent; ea plurima, vel potiùs omnia, exstabant. Quo fiebat, ut Principes certatim in eos beneficia conferrent. Sed, quò tanta pietatis & religionis simulatio recidit; serò admodùm Majores vestri intellexerunt: & magno suo malo experti sunt, quid momenti habeat, ad decipiendos homines, simulata pietas.

Jesuitarum & Cruciferorũ idem processus.

Vos autem, vos Senatores, qui in locum Principum Mazoviæ succeßistis, citò, & nimiùm citò, memoriam illorum fluctuum deposuistis; quibus Provincia hac fuit jactata, excitatâ illâ Cruciferorum tempestate: & bis ad eundem scopulum delati estis, quasi consultò & meditatè naufragium facere velitis. Conferte enim, Senatores amplißimi, Jesuitas cum Cruciferis. Vos, inquam, primùm in vestrum patrocinium Jesuitas recepistis. Recordamini Cruciferorum, quàm ex remotis regionibus, ad vos opprimendos, præsidia habuerint: & simul ad istos vestros Patres, istos (inquam) vestros Gabaonitas, oculos convertite. Cogitate etiam atque etiam, ut ab omnibus rebus inopes & egeni fuerint; cùm primùm huc venissent isti nostri Gabaonitæ. Jam verò quantas opes poßideant, quibus artibus collectas, videtis. Si verò rem totam benè (quemadmodum debetis) examinare vultis: cogitate etiam atque etiam, ut non admodùm longo intervallo à nobis Hispanorum Rex sit remotus. À Dantisco sex dierum itinere abesi Antuerpia: quæ Urbs domicilium & sedes potentiæ Hispanicæ esse dicitur. Quid agimus, Senatores amplißimi? quid agimus? Non nos commovent, neq; commonent aliorum Regnorum tristißima exempla? quod tantò est magis admirandum; quia ad vestram prudentiam, & rerum usum, acceßit etiam eruditio. Cur non evolvitis aliorum Regnorum historias? Cato ille, cui omnium consensu locus inter Sapientes primus conceditur, cùm vellet Romanis ea pericula ante oculos ponere, quæ illis imminebat à Carthaginensibus; ficus recentes, quæ mari à vectoribus adferebantur, in Senatum adferebat, cum hac oratione: Quàm propè jam nostri inimici, ad Patriam nostram, sui imperii terminos porrexerint; videtis, Patres conscripti. Istarum enim ficuum succus ità integer in itinere retinetur; ut

nulla in illis videatur esse facta mutatio. &,quemadmodum istę uvæ recentes sunt,dum adferuntur: ità quoq; exercitus Carthaginensium firmi & robusti, parati & erecti,non itineris molestiâ defessi,possunt advolare.

Recitavi Catonis verba, quibus animos suorum excitare voluit, valdè accommodata (ut opinor) nostro huic tempori. Quid enim est,Senatores amplißimi,quò minùs idem de nobis aliquis Cato dicere poßit? Adferuntur ad nos poma Hispanica,illa suavißimæ & pulcerrima, Majoribus nostris incognita: in quibus colorem, odorem, saporem, succum, si consideres; nunc primùm de arboribus decerpta esse videntur. Non ignoramus,quantum detrimentum morum & virtutis importent, in Patriam nostram, illæ deliciæ Hispanicæ & Italicæ. Sunt multi Viri primarii, qui intelligunt, magis ac magìs hostibus nostris in Regnum nostrum aditum patefieri. & tamen non cogitamus,quibus artibus aliorum Regna eversa sint; iisdem Rempub.nostram adeò debilitatam esse,ut ruere incipiat. Et in his nostris motibus & ruinis,vos,Senatores amplißimi,quibus cura Reipub.tradita est,vos,inquam, in utramq; aurem dormitis. Adspicitis exploratores istos Gabaonitas, istos (inquam) Jesuitas, exploratores Hispanicos: qui anteà fuerant pallidi & squalidi, pannis & pulvere obsiti; nunc verò sunt nitidi & splendidi,potentes & gratiosi. Hos non videtis in Regno nostro ità versari: ut pro suo arbitrio velint Regem eligere; & illius authoritatem totam,& majestatem, ad libidinem suam convertere? Non videtis,quid moliantur? Properavit alter in Sueciam plenis velis: eoq; omnium opinione celeriùs pervenit. Alter 60.milliaria, tribus diebus, Viennam cisius pervolavit. O' celeritatem incredibilem! ô nuntium volucrem! Quæ causa est tantæ celeritatis? Vobísne,Patres sancti,Regni administrandi cura ità commissa est: ut, si paululùm remiseritis, periturum esse existimetis? quâ spe, aut re, adductus & incitatus est unus vester Monachus primarius, vestrorum consiliorum moderator ac defensor: ut munus illud pacis constituendæ, inter Stephanum Regem & Magnum Ducem Moscoviæ, susciperet? Quamobrem istam pacificationem, sibi non-traditam,sumsit? Tantúmne vobis authoritatis,Patres sancti,tribuitis? & tantum prudentiæ in vobis esse existimatis: ut credatis, omnes conditiones pacis vos animadvertere & constituere posse,cõmodas Patriæ nostræ? quámvis nesciatis,quibus de causis,quàm magnis atque arduis, tàm longum,tàm grave & periculosum bellum,gereretur. Multorum vocibus,& diù usurpatum est proverbium:

Jesuitarum celeres nuntii.

Quicquid agit Mundus,Monachus vult esse secundus.

Quod tàm pulcrè vobis Jesuitis,& vestro huic principi convenit, quàm etiam vobis conveniret Bernhardinorum ille horribilis habitus: à quo vos ità abhorretis, ut etiam mentio illius sit vobis valdè molesta: fortaßis propterea, ne eam, quam habetis, gratiam amittatis: si hunc nitorem,& hanc elegantiam,quæ vobis multorum hominum amorem colligit, cucullo contegatis,atque ità obscuram reddatis. Sed quæ est ista temeritas; inter tantos Principes & Monarchas authoritatem suam ità interponere, tanquam si antea nihil sapientiæ in omnibus Senatoribus fuisset? Jam verò,quàm fuerit studiosus pacis, & gentis nostræ,is vester Pater: libellus,quem posteà edidit,abundè indicat, plenus contumeliarum & maledictorum. Hunc si exterarum nationum homines legerint,quibus nondum mores nostri sunt cogniti: existimabunt,in Poloniâ nullam esse pietatem,nullam rationem,nullam virtutem,nullum ordinem.

Etiam

Etam reliqui Jesuitæ, Monachi hujus ducis exemplum sequuntur. Emittunt subindè non solùm illos suos juvenes, ad omnia sua facinora exercitatos: verùm etiam & libellos, quibus calamitosam famam, tanquā flammam & incēdium, in nostræ Reipub. cives, viros bonos, volunt excitare. Hæc quámvis ita sint; tamen illi vivunt delicatè & suaviter: non solùm nullas pœnas suorum facinorum non metuunt; sed magnos etiam honores sibi deferri debere existimant. Magnifici appellari cupiunt: atque ad tanti nominis & dignitatis fidem confirmandam, omnibus artibus multa prædia colligunt; vel potiùs ab iis hominibus, qui fallacem spem precio emere non dubitant, oppida & prædia exigunt. Atque hoc pacto Nobilitatem (quæ est ornamentum in pace, præsidium & robur in bello: quæ sanguinem suum pro Patriæ salute effundit) in majores angustias redigunt. Sunt multi Equites, viri fortissimi & constantissimi, singulari animi atque consilii magnitudine præditi: quorum Majores in bello fortissimè occubuerunt; patrimonia sua pro Patriæ salute effuderunt; ipsi quoque magnam vitæ suæ partem in aulâ Regum collocârunt: hi aliquot famulos quotidiani ministerii vix alere possunt. Isti verò Patres Gabaonitæ hoc assecuti sunt, pietate simulatâ, illo vultu & habitu ad decipiendos homines comparato; ut multos, non tantummodò Equites, sed etiam Regni Senatores, jam opibus superent: eosq; non tantùm contemnere; verùm jam ad cædem quosdam, & animo, & oculis suis, & libellis, designare incipiant. Qui delicatè & otiosè vivere cupit, fiat Jesuita.

O tempora! ô mores! ô magnam iniquitatem hominum! Legibus cautum est, ne homo peregrinus ad aliquam dignitatem, cum opibus Regni conjunctam; ne etiam homo plebejus, adspirare velit. Ut Legis istius authoritas contemta jaceat, quid multis opus est demonstrare? Istud enim multorum vocibus, imò verò multorum gravi & acerbâ oratione, reprehensum est. Istud in omnibus Comitiis Regni, omnium propè Senatorum clamoribus, notatum est. & tamen non animadvertimus, Jesuitas, homines obscuros, peregrinos, & plebejos, tanta bona Regni invadere. Imò verò jam non-pauci reperiuntur Nobiles Regni nostri, qui se cum illis conjungunt, & sua nomina in illum ordinem Monachorum referunt: ad perpetuam familiæ suæ ignominiam, malunt inter Monachos, quàm inter Nobiles patricios, vivere.

O' cœcas hominum mentes! ô pectora cœca!

Non videmus, Senatores; Italos atque Hispanos esse, quos illi jam Generales Patres appellant? verè autem duces seditionum, atque conspirationum in Patriâ nostrâ, nominari possunt. Isti duces jam templa Cracoviæ occupaverunt. Sacerdotes, qui in istis templis sacris praerant, nostros præceptores, homines ætate & morbo confectos, sedibus suis ejiciunt atq; exturbant. Apud Polokam, villas Parochorum eripiunt; vel potiùs jam, juris quâdam simulatione, eripuerunt. In multis regionibus Rutenia, omnes illas partes opimas & fertiles, ubertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine pastionū, & multitudine omnium rerum, quæ exportantur, præstantissimas, invadunt: suorum agrorum terminos in singulos menses extēdunt: Nobiles & reliquos homines utiles Reipub. exterminãt; patriis sedibus nudos prorsus ejiciunt: multas viduas, præclaras fœminas, eò deducunt, ut cogantur, suis filiis bona erepta, illorum finibus adjungere; liberos suos, spem parentum, memoriam nominis, subsidium generis, hæredes familiæ. designatos Reipub. cives, patrimonio privare. O' miseram illorum filiorum conditionem! In omnibus conviviis dispu- Jesuitarum effecta, ubi illi obtinēt.

disputatur quotidiè, in Comitiis, in omni hominum nobilium concursu; vim dulcissimæ Patriæ nostræ fieri. Testantur multi prudentes & Patriæ amantes viri; violari Patriam, si illius bona in eos homines conferantur, quorum nulla in Rempub. merita exstent: qui, tempore pacis & belli, in Reipub. salute defendendâ, & dignitate amplificandâ, operam suam non collocant: qui non vitam suam, pro Patriæ salute, effundunt.

Jesuitæ hospites inutiles sunt ac damnosi.

Quid verò Jesuitæ habent, quod non sit perniciosum nobis omnibus? Quid habent, præter admirabilem pecuniæ magnitudinem, Hispanicis artibus, h.e. fraude, collectam? quam pecuniã, Senatores, (ut videtis) ad agros amplificandos, ad palatia sua exstruenda, conferunt: reliquam ad nos oppugnandos, & jugulandos, conservant. Habent ubiq;, animi relaxandi gratiâ, rura amœna, & suburbana: plura etiam prædia; neq; tamen ullum nisi præclarum & propinquum: domos refertas vasis Turcicis & Italicis. Quid præterea auri, quid argenti, apud illos esse putatis? tantum scilicet; quantum è multis familiis coacervari, religionis simulatione, potuit. Familiam verò quantam, & quam variis cum artificiis habeant, quid ego dicam? Ut enim omittam coquos, pistores, & alias artes vulgares: videtis, ut quotidiano cantu vocum, & nervorum, & tibiarum, tota vicinitas personet illius urbis, quam semel occupaverunt: etiam ut omnes Sacerdotes despiciant: ut neminem hominem præ se esse putent: ut se solos sanctos, solos doctos, existiment. Quid futurum esse putatis, Senatores; si quis apertiùs hæc reprehendere velit? si, quò spectent isti tanti quotidiani sumtus & effusiones, multis rationibus demonstret? si quis etiam postulet, ut ea bona, quæ turpiter his lenociniis suis occupaverunt, honestè dimittant? & istam colligendarum opum rationem, quam humanâ æquitate defendere non possunt, divinâ religione tueri desinant? Quos tumultus, quas perturbationes futuras esse existimatis? Quem putatis ab hæreseos crimine liberum fore? Nullum certè; nisi hunc, qui ad illorum nutum & voluntatem sit accommodatus futurus.

Pacis publicæ perturbatores.

Stephanus *Rex adjuravit, se omni ratione pacem esse conservaturum, inter eos, quorum in religione sunt discrepantes sententiæ. Quamobrem igitur homines novi, & peregrini, in Regnum nostrum sunt recepti: qui, dum ferant semina discordiarum, bellorum civilium, inter nos, & contra nos; ità vivunt: ut cuticulam suam curent; pecuniam colligant; quicquid est pretiosi in alicujus Equitis domo, illud ad se pertrahant; in fraude & ex fraude vivant? Cur non retinetur authoritas Concilii illius amplissimi & sacratissimi, Lateranensis: quod vetuit, Ne in-posterum nova aliqua Monachorum familia à quoquam instituatur? Intellexerunt homines illi sapientissimi; quòd, quanta fiat accessio ad Monachorum familias; tanta etiam detrahatur facultatibus Nobilium, Mercatorum, Agricolarum, Viduarum, & reliquorum ordinum. Voluerunt igitur illi viri sancti Orbi Christiano consulere: ne, crescente numero Monachorum, tanquam fundi calamitate, opprimantur boni & prudentes cives Patriæ, & Viduæ. Metuebant, ne eò res decideret, quod jam fieri videmus: ut, crescente malâ hac Jesuitarum, tanquam viperarum, progenie, augeantur etiam illa mala, quæ metuenda sunt ab illis hominibus, qui in otio & cibo alieno non possunt, nisi ad perniciem Patriæ, vivere. Videtis enim, Senatores, quid effecerint Cruciferi: videtis etiam, quid faciant Jesuitæ.*

Sed quorsum hæc omnis spectat oratio, Senatores amplissimi? Quid enim facturus sit summus Pontifex, nondum scimus: quem etiam hoc consilium cepisse, ex multis intelleximus;

nius; ut istos Jesuitas, ex hoc splendore, in aridioris & horridioris vitæ circulum reducat: ut omnibus sit perspicuum, illos esse Monachos. Hoc fortaßis beatißimi Patris consilium, ad Ecclesiæ tranquillitatem, habet aliquid momenti. Sed metuo, ne parum admodùm, aut omninò nihil, ad has perturbationes mitigandas, quæ sunt à Jesuitis excitatæ, conferat; & ad ista quoq; incommoda atque detrimenta, quæ Reipublicæ allata sunt, compensanda. Illi enim (ut est Monachorum ingenium) pilum, non animum, mutabunt. Quamobrem oportet nos semper esse excitatos, erectos, & propemodùm animis ità armatos: ne blandâ aut supplici oratione, aut etiam pietatis simulatione, fallamur. Satìs enim jam, satìs oppreßi sumus. Multorũ Nobilium domus sunt eversæ; fortunæ vexatæ; dißipati agricolæ; raptatæ conjuges: multi Nobiles, incredibili pietate & amore in Patriã, magnis in angustiis versantur; & propemodùm ad pedes istorum Jesuitarum abjecti sunt. Multi subditi Nobilium, in Lithvaniâ, atque in Mazoviâ, pertulerunt crudelitatem istorum Jesuitarum: pulsi sunt sedibus, patriis focis; distracti à suis. Videre licet multos oculis lacrymantibus squalidos; sæpè etiam sordidatos & reos. Videtis, quotidiè magnam accessionem, ad numerum istorũ Jesuitarum, fieri. Videtis, multos ex Hispaniâ atq; Italiâ advolare. Animadvertitis, ut opinor, aliis Sacerdotibus iniquißimam vim fieri: Viros senes, Sacerdotes nostros, ab istis Jesuitis miserè jactatos, & repudiatos, perterritos, & sedibus suis exturbatos esse. Hi, quem præter Vos appellent, habent neminem. Vobis suas fortunas commendant: vobis existimationem committunt, ac spem vitæ reliquæ. Miserum est, exturbari fortunis omnibus: miserius, cum injuriis. Constituite etiam vobis ante oculos, reliquorum hominum nobilium & agricolarum miseram senectutem: qui ità bonis spoliati sunt; ut, cùm videant Jesuitas in suis bonis paternis dominari, ipsi filios atque filias suas juvare non poßint. Hi vos orant atque obsecrant, Judices: ut ad illorum dolorem sublevandum, vel recordatione Parentum vestrorum, & Liberorum jucunditate, commoveamini; & pietati, atque indulgentiæ vestræ serviatis. Omnes Ordines Regni vos orant, atq; obsecrant, Senatores amplißimi: ut Patriæ salutem ante oculos vestros constituatis. Libertas enim agitur nostra; quæ est commendata vobis. Vita & fortuna omnium bonorum agitur: quò cupiditatem infinitam, cum immani crudelitate, intendunt isti Hispani atque Itali Jesuitæ. quorum potentiam, cum immani cupiditate conjunctam, nisi represseritis: videte, Senatores amplißimi, ne hoc tempore, quo maximè Respubl. sapientiam & authoritatem vestram requirit, Patriæ, & vobis, atque vestris omnibus, quibus omnia propemodùm debetis, defuisse videamini.

DE ADVENTU ET PROPAGATIONE JESUITARUM IN GERMANIA.

CAPUT IV.

VIVEBAT adhuc Ignatius Lojola, quum creaturæ ipsius, Jesuitæ, in Germaniâ quoque nidificare cœperunt. Jam enim circa annum 1555. Rex Romanorum Ferdinandus Collegium illis Viennæ erexerat. Quod exemplum imitatus Albertus, Bavariæ Dux, anno 1556. aliquot Societatis hujus viris, ex Italiâ missis, domicilium in veteri Collegio Ingolstadii assi-

gnavit, ad annum usque 1576. quando ad ædes ampliores & commodiores quæ novæ adhærent Bibliothecæ Gymnasii, commigrârunt.

Anno Domini 1559. idem Albertus, Bavariæ Princeps, Jesuitarum Collegio Monachiensi initium dedit. Locus Collegii delectus est Monasterium Augustinianorum: qui, cùm pauci adessent, facilè passuri videbantur, ut pars horti ipsorum, in usum novi hujus Collegii converteretur, & illic Schola & Domus exstrueretur.

Cùm etiam Comes Sweickhardus de Helffenstein, Præfectum Landspergæ ageret, à Principe Alberto petiit locum, montem scilicet arci Landspergensi vicinum: in quo sibi liceret proprium Jesuitarum domicilium exstruere, in gratiam Novitiorum sive Tyronum, ad hoc vitæ genus adspirantium; qui tyrocinii sui tempus ibi absolverent, & probarentur. In eam domum traducti sunt Novitii, anno 1578. quum anteà in Monachiensi Collegio viverent & versarentur.

Parì modo, per Pharisaicam suam hypocrisin, etiam ad alios Principes & Magnates, tàm ecclesiasticos, quàm politicos, sensim penetrârunt Jesuitæ: adeò ut nulla hodie, per totam Germaniam, Provincia supersit aut Regio; in quâ illi, si non magna Collegia & regia palatia, Residentias saltèm & latibula sua, nunc non habeant.

Jesuitæ blandè admodùm Germaniã ingrediuntur: donec, firmo ibi fixo pede, meritam excœcatæ nostræ stultitiæ mercedem nobis tribuant.

Adventus quidem ipsorum principiò admodùm blandus erat; deq; rebus controversis scribebant valdè modestè: uti ex Catechismo ipsorum, quem in Austriâ primùm ediderunt, videre licet; in quo timidè admodùm mollique pede ingrediebantur, neque durè adeò & apertè, quid animo clàm foverent, aperiebant. Posteà verò, quàm meliùs habere, magisq; radicatos se senserunt, Censuram suam, de rebus ad Religionem pertinentibus, Coloniæ publicârunt: in quâ sensa sua clariùs produnt, crassosque ac blasphemos errores suos manifestè effundere non ampliùs verentur; sed eosdem adhuc audacter simul & impudenter obtinere, cunctisq; etiam aliis obtrudere conantur. Eò-usque certè passim per Germaniam progressi sunt: ut supremos quosque dignitatum honores sibi vendicent; Principes & Magistratus in suâ potestate habeant; omnia illorum consilia, etiam politica, pro arbitrio suo dirigant; summa, in omnibus negotiis primas partes teneant. Eventum autem horum, eorumque, quæ omnibus hinc-indè locis machinati sunt practicis atq; artibus suis, nunc tandem (eheu!) re-ipsâ & facto hodieque experimur: dum charissimam Patriam nostram, passim locorum, flammis bellorum intestinorum conflagrare, jamque tot præclaros pagos & oppida, totasq; adeò Provincias, Regna, Electoratus & Principatus, Comitatus & Baronatus, maximam partem cineribus sepultam, oculis nostris cernere, auribusque propriis audire cogimur. Idque justissimo Dei judicio: quòd obduratis animis, nullas fidas, de hoc impendente capitibus nostris infortunio, præmonitiones admittere voluimus; quin Diabolo potiùs, ejusque juratis servis Jesuitis nimiùm credidimus, & fortean etiam nunc credimus.

Circiter annos Christi 1609. & 10. Jesuitæ (posteaquàm jam antè duo insignia Collegia per Helvetiam, Lucernæ ac Friburgi, obtinuerunt) illinc etiam in Valesiam, firmam admodùm & naturâ bene-munitam Helvetiorum Regionem, invadere; ibique auspiciis & opibus Episcopi Sedunensis, nidificare, & sedes suas figere, tentârunt. Quidam autem ejus Provinciæ vir primarius, & Patriæ suæ amantissimus, hactenus illis masculè se opposuit; ac, quantum in se fuit, receptionem illorum gravissimis sequentibus rationibus dissuasit, & impedivit.

I. *Principiò, cùm in Concilio generali, quod sub Innocentio III. Papâ, anno 1215. Romæ habitum fuit, expressè fuerit decretum: ne ullus præterà novus institueretur Ordo; & Jesuitarũ ordo, contra Concilii illius generalis prohibitionem, fuerit institutus: Senatus Valesiani est, dispicere, non solùm, utrùm utiliter; sed etiam, an salvâ conscientiâ, Ordinem hunc novum, contra Concilii generalis decretum, recipere possint. Cùm pendente controversiâ, an Papa sit supra Concilium, nihil sit innovandum: & credibilius sit, Concilium esse supra Papam; quàm hunc supra illud.*

II. *Cùm ad hujus sustentationem Ordinis, maximi requirantur sumtus; Domusq; ipsorum palatiis Principum sint similes; delicatissima quæque comedant, bibantq; pannis vestiantur preciosissimis; plurima ad se rapiant bona, integraq; dominia; supellectili utantur sumtuosissimâ, maximos auri argentiq; corrodant thesauros, ut quandoque Principibus sint ditiores: nec aliunde hæc omnia, quam ab iis, inter quos habitant & commorantur, conqueri possint: Valesianorum verò is sit status & conditio, ut non suis tantùm rebus indigeant ipsi, sed etiam aliorum annonâ carere nullo modo possint: illorum prudentiæ deliberandum permittitur; an consultum fuerit, hujusmodi sumtuosos admittere hospites: qui per pompas & luxum deglutirent ea, quibus ipsa Regio, ad suam suorumq; vitam parcè sustentandam, indiget. cùm, si qua superesse possent, sanctiùs in pauperes, aliosq; usus, converti deberent.*

III. *Cùm captatoriæ vivorum, aut defunctorum, voluntates, Jure civili & canonico sint prohibitæ: huicq; Ordini mos sit, eos, à quibus ampla habet exspectanda patrimonia, sibi adjungere, ad opes divitiasq; sibi in terris accumulandas: laudatissimæ Valesianorum Provinciæ est, accuratè secum evolvere, an Harpyias hasce, cum Reipublicæ & privatæ incommodo, admittere; hocq; modo legitimos hæredes suis privari hæreditatibus, peregrinos verò illis ditari, permittere; eosq;, quibus illæ maturæ debentur, jure suo frustrari velit. Iniquissimum profectò videtur futurum, ut peregrinus Jesuita civium, & legitimorum hæredum, adipisceretur patrimonium: cùm vicissim cives, vel legitimi, ne obolum quidem à Jesuitis unquam haberent exspectandum.*

IV. *Cùm insuper Hispaniæ Rex, ante omnes alios Reges & Principes Pontificios, ad absolutam in Subditos dominationem contendat: & Jesuitæ eundem pro summo Patrono, & Benefactore, agnoscant; (cui etiam, ob summa ab eo accepta beneficia, arctissimè se obstrictos fatentur;) ac propterea commodo quoque ipsius, ubique locorum, pro virili, inservire studeant: rectissimè hîc facturi videntur Ordines Valesiani; si perpendant, an Jesuitarum principia (qualia sunt:* Unus Deus; Unus Papa; & Unus Rex, nempè Rex Hispaniarum; *&c.) legibus suæ Reipub. conveniant; an verò ejusmodi Pres-*

byteris affectione Hispanicis, per institutiones Scholasticas, prædicationes, confessiones auriculares, & alias clandestinas artes, Hispanicam vel peregrinam tyrannidem in Valesiâ stabilire, utiliter permittendum putent.

V. *Cùm præterea Valesianorum laudabilis status, ab omni antiquitate, liber & democraticus sit, & fuerit: Jesuitæ autem nullam aliam Reipub. formam, quàm tyrannicam unius Dominatoris potestatem approbent: (*RICHEOMUS *enim, Provincialis Jesuitarum in Aquitaniâ, nomine universæ Societatis, in Expostulatione apologeticâ, cap. 29. circa principium,* popularem democraticum statum furiosum *appellat:) fortissimo prudentissimoq; Valesiano Populo diligenter expendendum relinquitur; an tales in Rempub. hospites admittere, scientes volentesq;, debeant, qui eum Reipub. statum, quo nunc laudabiliter fruuntur, velut* furiosum, *improbant, & eversum cupiunt; & Hispanicam tyrannidem, in illius vicem, introducere satagunt.*

VI. *Ad-hæc, cùm Jesuitæ non solùm Euangelicos, velut Hæreticos; sed & Pontificios moderatos, qui Euangelicis favent, aut cum illis fœdera contrahunt, velut Hæreticorum fautores & auxiliatores, hostili & mortali odio persequantur: Valesianorum laudatissimo Statui expedit, quàm diligentissimè expendere, an talium hospitum, aut hostium, admissione, & inclytam Venetorum Rempub., quæ illos ejecit, & Helvetios Euangelicos, qui illos nunquam receperunt, offendere; quàm eorundem amicitiam, per illorum repulsionem, conservare malint.*

VII. *Præterea, cùm ejusmodi in Valesiâ status sit; ut Catholici Euangeliciq; in unâ degant domo familiâq;; & frater, affinis, cognatus, imò pater & filius, diversæ sint confessionis: & apud Jesuitas constitutissimum sit, nullam aliam religionem pati, quàm Inquisitionem Hispanicam; fit, ut Euangelicos, ubicunque possunt, tribulent, persequantur, & expellant: Valesiani sapientissimi facilè dijudicare possunt; an non, ex illorum hominum receptâ doctrinâ, (qui ne Regibus quidem Euangelicis, eorundemq; fautoribus, parcunt) pater in filium, & contrà, in se invicem, illis parricidis instigantibus, irritabuntur; ex amicis inimici reddentur; & Provincia seditionibus ac tumultibus, propter Religionis diversitatem, replebitur; miserrimaq; (quam Deus avertat!) non solùm rerum omnium perturbatio, sed & horrenda sanguinis effusio, consequetur.*

IIX. *Deindè, cùm nihil Reipub. Christianæ & liberæ salutarius atque utilius sit, quàm civium Liberos intelligentiâ, sapientiâ, & verâ pietate imbui, ad veram Deo, legitimam Patriæ, & naturalem Parentibus, omnibusq; debitam obedientiam præstandam: Jesuitæ verò, teneros Liberorum animos, cœcâ obedientiâ imbuant; & intellectu, ratione, & judicio privent; eosdemq; à Parentibus, velut plagiarii, abducant; & in legitimos Magistratus, ad omnia fusq; deq; ferenda, arment: prudentissimis Valesianæ Reipub. administris diligenter considerandum est; an istius impietatis & inobedientiæ doctores, salvâ patriâ potestate, salvâ legitimâ suâ authoritate, & verâ erga Deum pietate, in Valesiâ admittere debeant.*

IX. *Ad-hæc, cùm nihil ita sit sacrum atque religiosum, quod Jesuitæ, citra ullam reverentiam, in privatum suum luxum convertere non studeant; licèt à Majoribus in pios usus destinatum sit: reverendus Valesiæ Episcopus, totusq; Clerus, etiam maturè secum perpendere debent; num ejusmodi Corycæos, Sacrilegos, Harpyias & Induperatores, sibi-*

ipsis

ipsis adjungere utiliter possint. Cùm certum sit, ubi hoc avium genus semel ibi nidicaverit, ad eorum cantum & fistulationem ipsis fore saltandum: dum alios Romam excurrere cogent; alios Canonicatu & Præbendis suis privabunt; alios hæreseos insimulabunt. Episcopus summatim, & Clerici, sibi accidisse brevì experientur id, quod proverbium habet: Turdus ipse sibi malum.

X. *Valesianis Abbatibus ac Religiosis quoque, qui opulenta & pinguia sua Monasteria possident, æquè maturè considerandum videtur; an dominos Jesuitas brevì, vel successores, vel bonorum suorum participes, habere velint.* Quod enim vultur milvo; id Jesuita est Monacho.

XI. *Itèm, cùm nihil certius sit, quàm quòd vera omnium Rerumpublicarum tranquillitas, à legitimâ omnium Subditorum erga Magistratum politicum obedientiâ, dependeat; omnisq; Respub. pœnis & præmiis contineatur: Jesuitæ autem ejusmodi domini sint, qui nulli Magistratui politico, imò nec ipsis Episcopis, subditi esse velint; ac, si fortè scelus aliquod flagitiúmve commisisse deprehendantur, nec per Magistratus, nec per Episcopi propriam potestatem, se puniri debere, aut posse, dicant: laudabili Valesianorum Provinciæ considerandum relinquitur; an hujusmodi liberos dominos & exleges, salvâ Repub., salvâq; authoritate sibi à Deo concessâ, apud se admittere debeant.*

XII. *Itèm, cùm nulla Respub. citra censum, decimas, & cætera tributa, diù consistere possit: & Jesuitæ semet, non solùm jurisdictioni, & oneribus omnibus civilibus & publicis, eximant; sed etiam optimos fundos, agros, & domos; (quorum omnium nomine, possessores civiles censum, contributiones, cæteraq; omnia onera, præstant) sibi comparent, eorumq; coëmtione & acquisitione, ærarium publicum depauperent; atque non solùm Rempublicam enervent, sed etiam cæterorum civium bona & patrimonia intolerabilibus oneribus gravent: (unde plerunque maximæ Reipublicæ perturbationes, atque adeò eversiones, oriri solent:) Valesianus Senatus diligenter expendat; an ejusmodi fucos in Republica admittere consultum fuerit. Cùm iniquissimum sit, regionis & bonorum temporalium commodis uti-frui; & ab oneribus temporalibus, publicis & communibus, liberum esse.*

XIII. *Itèm, cùm, ad suprà-dictas omnes causas gravissimas, etiam accedat Hæreseos crimen: & Jesuitæ ab ipsis etiam Catholicis hæreseos accusentur: (utì apertè convincitur ex libro illo, qui* Catechismus, *sive* Exacta vitæ doctrinæque Jesuitarum demonstratio, *inscribitur) & nullum crimen ipsâ hæresi Catholicis magis exosum sit: Senatus Populusq; Valesianus exactè perpendat, an ex Reipub. & Ecclesiæ usu fuerit, utriusq; eversores in Repub. tolerare.*

XIV. *Cùm denique unumquemque Jesuitam* Votum cœcæ obedientiæ *facere oporteat; quo jurat & pollicetur, se, quodcunq; suus ipsi Superior jusserit, facturum; quæcunq; etiam mandaverit, justa esse censurum, & cōtrarium suum judicium sententiamq;, per cœcam (ut verba Constitutionis ipsorum sonant) obedientiam abnegaturum: an ejusmodi cæcitatis doctores, & seductores, in visceribus Reipub. tolerare, utile sit, quivis de Populo facilè judicaverit. Cùm recenti experientiâ compertum sit; quòd ex illiusmodi cœcæ obedientiæ præceptis, maledicta Filiorum in Parentes inobedientia, turbulenta Civium & Subditorum in Magistratus, Principes & Reges, rebellio; quid? infanda in sacras*

Regum & Principum personas parricidia, suprema omnium Regnorum & Rerumpublicarum mala, proveniant.

His aliisque rationibus, Valesiani adducti sunt, ut Jesuitas Seduni (quæ est metropolis suæ Provinciæ, & sedes cathedralis) hactenus recipere noluerint; sed eos ad Scholas & latibula sua, apud Sirrenses & Gomesianos, (ubi Adrianus Episcopus, creatura & mancipium ipsorum, proprio motu, & inconsultis Provincialibus, eos disposuerat, suisque sumtibus adhuc sustentaverat) rejecerint.

DE INGRESSU JESUITARUM IN INDIAM, ET NOVUM ORBEM.

CAPUT V.

MOx à principio confirmati Ordinis Jesuitici, anno 1540. Petrus Mazarenius, pro Lusitaniæ Rege Johanne, Romæ Legati munere fungebatur. Petiit is à Papâ, Regis sui nomine; ut, ex decem Ignatii Lojolæ sociis, aliquot, promulgandi Euangelii caussâ, in Indiam mitterentur: cujus Provinciæ, ab Idolorum cultu, ad Romanam fidem traducendę, Rex magno desiderio tenebatur. Missi igitur sunt ex illis duo: (nec enim plures concessit Lojola; cujus arbitrio totam rem Papa permiserat:) Franciscus Xaverius Navariēsis, & Simon Rodericus Lusitanus Ulyssiponensis. Hi cùm in Lusitaniâ appulissent: mox Xaverio India destinata; Rodericus autem in Lusitaniâ retentus fuit: ut, quoniam ad Lojolam alii plures se jam adjungere cœperant, instituendo in Conimbricensi Academiâ ipsorum Collegio præesset; quod velut seminarium foret eorum, qui deinceps in Indiam, supplementi caussâ, mitterentur.

Xaverius igitur, anno 1541. cum Indiæ Pręfecto, Martino Alphonso Sosâ, Ulyssipone discessit: itineris comitem secum duxit è Societate Italum, nomine Paulum. In Indiam pervenerunt Majo mense, anno 1542. ac Goam tandem appulerunt. Ibi cùm aliquot menses versatus esset Xaverius; in eam oram discessit, quæ vulgò Comorini caput seu promontorium dicitur; ab urbe Goâ passuum sexcenta-millia. Indè verò in alia quoque Regna ac Provincias se contulit, ut in ejus vitâ prolixè indicatur.

Hunc Xaverium alii quàm-plurimi, sequentibus annis, subsequuti sunt periculosis navigationibus; & novas has Insulas suis superstitionibus imbuerunt: ubi etiam multa eos edidisse, & adhuc quotidiè edere miracula, ex Japonicis ac Indicis illorum referunt ac gloriantur literis; astutiores in hoc quoque, quàm reliqui Monachi: qui multa miracula, ab se suisque edita, gloriati sunt olim inter eos, quibus-cum habitârunt atque vixerunt; in quibus facilè fraus & impostura deprehendi potuit: cùm scirent illi, aut nihil unquam simile quid accidisse; aut fraude aliquâ ac dolo ea perpetrata fuisse. Jesuitæ igitur, apud nos in Europâ commorantes, multa spargunt de suorum miraculis, apud Indos & Antipodas editis; ne falsitas cognosci possit. Quis enim, ad

Jesuitæ multa mēntiuntur de miraculis & magnalibus suis in Indiâ.

ad hæc cognoscenda explorandaque, eò-usque excurreret aut penetraret? Ideoque etiam, quando Jesuitæ, sui-ipsorum obliti, veritatem profitentur, planè contrarium liquet.

Sic enim FRANCISCUS de VICTORE, Regius Professor in Salmanticensi Academiâ, Relect. 5. Prop. 5. *Non satis*, inquit, *mihi liquet, an barbaris Indis fides Christiana ità à nobis proposita fuerit & annuntiata; ut teneamur credere sub novo peccato. Nam miracula & signa* NULLA AUDIO: *nec exempla vitæ adeò religiosa; imò contrà multa scandala & impietates. Unde videtur, quòd religio Christiana non sit iis satis commodè & piè prædicata; ut illi teneantur acquiescere.* Et ACOSTA, rerum Indicarum testis oculatissimus & fide dignissimus, libro de Procur. Ind. sal. 6. cap. 4. *Quæ est*, inquit, *prædicatio nostra? quæ fiducia? Signa quidem non edimus.* Et cap. 12. *Nos prodigia, quibus Euangelicas voces confirmemus, nulla producimus.* Et cap. 7. *Neq; verò est opus. Bonis operibus ità lucere coram hominibus, ut videntes glorificent Patrem, qui est in cœlis; est omnium, ad persuadendum, miraculum potentissimum!*

Idem Acosta Jesuita, de exiguo profectu Indorum in Christianâ religione, & modo conversionis ad fidem, sic queritur & scribit, lib. 4. de Procurand. Ind. salut. cap. 3. *Accusant*, inquit, *nostri Indorum tarditatem, ad capienda mysteria fidei: frustrà in iis edocendis tempus teri: deniq;, post annos jam quadraginta, ab Euangelii ingressu, in tàm immensâ turbâ, vix quemquam, qui Symboli duo capita intelligat; quid Christus sit, quid Vita æterna, quid Eucharistia, vel crassè agnoscat, reperiri: pecudes potiùs habendos, quàm homines. Verùm, qui ista jactant, respondeant mihi; quâ diligentiâ isti erudiantur. Recitant illis, bis térve in hebdomadâ, Symbolum & Preces; idq; Hispanico idiomate: jubentur deniq; Hispanica hæc discere; quorum ne syllabam quidem intelligunt, & pronuntiant ridiculè. Vulgaris tamen & tritus doctrinæ tradendæ iste est modus; ubi exquisitiùs res agitur. Sacerdos, sermone Indico composita quædam, in Catechismi formam, recitat: cùm tamen ille linguæ Indicæ prorsus est infans. Quòd si peritus sit: (quod rarum est) tamen mysteria fidei neque explanat; neque verò satis novit. Quis verò unquam Catechistæ rationem auditorum exegit? Denique perinde Indis doctrina traditur; atque cùm à Medicis, stipis colligendæ causâ, precationes aut versus aliqui cantillantur: qui illud tantùm spectant, ut dicendo ipsi ad finem usque perveniant carminis; utrùm verò auditores vel attendant, vel delectentur, pecuniâ jam acceptâ, non admodùm curant. Tota igitur catechizandi ratio umbratilis, & ludicræ similis.*

Rursus idem, ibid. cap. 4. *Verè quidam*, inquit, *nostrorum scripsit Pater: Non videri sibi ad Indorum horum animos penetrâsse Euangelium; sed ad speciem tantùm receptum. Negari enim non posse, quin, si intimis sensibus radices egisset, copiosos manifestosq; fructus cerneremus. Quid enim potentius verbo* DEI? *quid ad immutandos homines efficacius?* Et: *Expende*, inquit, *omnia subtiliter: invenies, tàm tenuis & inopis messis apud Indos potissimam causam in eo esse; quòd divinis & occultis quidem, sed justis consiliis, antiquis Gentibus Prædicatores fuerint, prædicatione suâ digni; cùm nostri tàm sint pleriq; indigni; ut longè plus evertant & dissipent, quàm ædificent atque plantent.* Item: *Mihi sanè monstri simile semper est visum*, (inquit idem Jesuita, ibid. lib.

lib.5.cap.2.) *inter tot millia Indorum, Christiano nomine donatorum, tàm esse rarum, qui Christum agnoscat; ut, quod Ephesii olim de Spiritu S. Paulo responderunt, poßint hi de Christo meliùs usurpare; Neq;, an sit Christus, audivimus.*


Sed & ipse Jesuita XAVERIUS, lib.3.epist.5. scribit: *Si nos linguam calleremus Japonicam: non dubito, quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut eam brevì addiscamus! Tùm demùm aliquam Christianæ rei navabimus operam. Nam nunc quidem inter eos, tanquam mutæ statuæ, versamur. Multa enim illi de nobis & dicunt, & agitant; ad quæ nos obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari.*

ANDREAS VEGA Jesuita, Opusc. de Fide & Operib. quæst.3. de hoc opere Conversionis Indianorum sic ait: *Quidam hoc nostro tempore, habentes zelum DEI, sed non secundùm scientiam, Indos, ad Baptismum venientes, indiscriminatim admiserunt; nullâ factâ inquisitione de vitâ & moribus; imò nullâ, vel penè nullâ, iis traditâ doctrinâ, de vitâ & moribus necessariò servandis: sed hoc solo contenti, quòd, propositis fidei articulis, credere se, respondeant, & velle baptizari. Revocare eos ab errore debuit illud Christi; Nolite sanctum dare canibus.* Hoc scilicet, est, Indos convertere? Nempe, ex asinis mulos reddere: in quibus utrisque par est bruta ignorantia. Num autem Jesuitæ meliores se-ipsis Christianos efficiant?

FINIS LIBRI III. HISTORIÆ JESUITICÆ.



HISTO-



HISTORIÆ JESVITICÆ
LIBER QUARTUS.

DE ACTIBUS ET FACINORIBUS JESUITARUM COMMUNITER.

CAPUT I.

PRÆTEXTUS Jesuiticarum actionum omnium, est Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ reparatio ac propugnatio, errantiumque & seductorum ad illam conversio. Sub hoc pluteo, cuniculos suos illi promovent. Scopus autem verus ipsorum, ad quem collimant ac respiciunt, est, per dominatûs ac tyrannidis Pontificum Romanorum,& veritatis Euangelicæ exstirpationem, totius Mundi sub potestatem Jesuiticam subjugatio, atque idolomaniæ ac superstitionum omnium plantatio. Media autem, quibus id, quod malè cœperunt, urgent, sunt omnis generis nequitiæ, mendacia, fraudes, insidiosæ & parricidiales actiones, vis denique publica,& innocentum oppressio: quibus illi pervincere conantur, — *ruat licèt Aether & Orcus.* Ut meritò Jesuitæ, omnium turbarum, motuum, & bellorum, quibus Christiani Orbis Regna & Principatus passim, præsertim verò hodiè per Germaniam, Patriam nostram charissimam, miserrimè (eheu!) concutiuntur ac vastantur, præcipui authores ac directores dicantur & habeantur. Id quod non modò perniciosæ illorum Regulæ, impia Dogmata, Votaque minimè-Christiana, secum ferunt; verùm etiam ex illis exsistentes actus & facinora,& communis adeò tristisque experientia,(quæ Stultorum magistra esse solet) luce meridianâ clariùs contestantur. Contra quæ omnia, Jesuitæ, quod regerant, non habent; nisi ut, juxta Terentianum illud,*(Si fecisti, nega)* nihil omnium fateantur; sed per omnia, & in omnibus, sancti & innocentes videri satagant: ideoque, etiam ἐπ' αὐτοφώρῳ licèt & in facto ipso deprehensi, cuncta tamen quàm-impudentissimè pernegent; quin-etiam nequitias ac latrocinia sua Euangelicis (quos pro Hæreticis traducunt ac persequuntur) perfidiosè transscribere ausint.

Jesuiticarũ nequitiarũ prætextus.

Jesuitæ omnis hodiè mali, per orbẽ Christianum, authores.

Notum est omnibus, posteaquàm superiore seculo, singulari miseratione Dei, salutifera Euangelii doctrina in apricum reproducta, sicque nundinatio simul Pontificia multùm abrogata fuit; eoque etiam nomine magnæ illæ Euangelicorum persecutiones institutæ, ex Papæ Romani parte, non benè ceciderunt; non solùm per Germaniam, sed etiam in plerisque Europæis na-

tionibus, salutarem Religionis & conscientiarum pacem utrinque pactam, sanctéque juratam fuisse: quâ, ex præsentium temporum usu, benè Christianéque cautum est; *Ne, religionis nomine, ulli vis inferatur, quocunq; modo.* Jam verò, cui illud è diverso obscurum est; Spiritus hos infernales Jesuitas esse, qui omnes suas vires ubique locorum intendant: ut repagulum hoc, quo se in suo proposito & consiliis astutissimis impediri sentiunt, disjectum & dissipatum removeant. Ideóque illi Pacem hujusmodi & Constitutiones religiosas in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ, Hungariâ, tot federũ, pactorum, juramentorumq; sacramentis sancitas, publicè detestantur: easq;, tanquam novum Atheismi, sive (ut alicubi loquuntur) Politicismi genus, pro sceleratis conjurationibus, Scythicâ barbarâque confederatione, Diabolique politici blasphemo invento, haberi volunt. Imò contendunt, *Pacem Religionis, inter Ordines Germanici Imperii conventam, utì per vim extortam, non esse obligatoriam: utpotè ad tempus tantùm concessam; nempe ad publicationem Concilii Tridentini: ideóq; dilationem moratoriam, & tolerantiam duntaxat fuisse.* Et PAULUS WINDECK, in Deliberat. de Hæres. exstirpandis, pag. 414. hæc scribit: *Quòd nonnunquam Catholici cum Sectariis transegerunt; eo fine fecerunt: ut intereà reliquis negotiis expediti, posteà unum hoc bellum contra Sectarios administrarent; omnemq; ejus molem in ipsos converterent.* Sin verò alicubi eò impudentiæ non audent progredi; illud saltèm agunt: ut Religionis pacem, calumniosis & malitiosis suis interpretationibus & restrictionibus, sugillent; incisisque nervis ejus, Subditos illius fructu spolient. Imò harum Ranarum coaxatus hic assiduus, aures Regum ac Principum perpetuò reverberat & obtundit: *Subditis, bonâ conscientiâ, tantam licentiam non posse concedi: Religionis libertatem nihil aliud esse, quàm manifestam Majestatis diminutionem, cum maximo opprobrio conjunctam.* Túne, inquiunt, *qui vivis & flores, non possis vel audeas retractare, quæ Antecessor, Parens, Avus, &c: vel imprudens maléve persuasus, vel etiam vi & armis coactus, indulsit? An'non eodem jure Imperator, Rex, Princeps es; quo illi fuerunt? Ferendúmne est, ut demortui memoria plùs apud Subditos valeat; quàm præsentis atq; regnantis persona? An'non vides, eos, qui pericula tibi objectant, quæ turbatam Religionis pacem sequantur, tibi non tàm consulere; quàm apertè minitari? Diaboli hæc tentamenta sunt, per quæ generosis tuis cogitatis & conatibus remoram studet injicere. Mulierculàrum hic, non magnanimorum Principum metus est. Illi juventutem tuam spernunt. Fronte igitur severiore opus est: ut sentiant, te virum esse, animumq; tàm excelsis natalibus parem gerere.* Sic nuperrimè adhuc CORNELIUS CORNELII à LAPIDE, Jesuita hereticus Romanus, in Præfatione Trinitati increatæ & creatæ inscriptâ, ad Regem Galliæ & Imperatorem Rom. conversâ oratione; *Agite,* inquit, *Principes generosi, pergite magnis animis: opus, felicibus adeò auspiciis cœptum, conficite: paribus studiis rebellem Calvini hæresin, penè evulsam, stirpitùs ubilibet eradicate.*

Sanctè-jurata Pax religionis, per Jesuitas abrogatur.

Atque hæc-ipsa instigationis calcaria assiduè illis Principibus adhibent, quorum calor juvenilis, & incauta imperitia, arietum istorum ictui exposita sunt. Apud superstitiosos verò, & cunctantiores, etiam hæc adjiciuntur: *Eos, qui*

qui hanc Religionis libertatem Subditis concesserint, aut in talem concessionem consenserint, in Purgatorio gravissimas peccati hujus pœnas luere. Itèm: *Non Tartaros, non Turcas, veros & nativos Reipublicæ Christianæ hostes esse; sed Hæreticos, quicunq; nimirum contra Ecclesiam Romanam insurgant. In his ergo opprimendis veram & Catholico Principe dignam laudem quæri.* Itèm: *Cavendum esse, si Princeps bello Turcico implicetur; ne rebelles Hæretici cristas attollant, magistratuiq; invito probrosam pacem extorqueant. Curandum verò, ut Germani cum hoc barbaro hoste, ad animi usque deliquium, colluctentur: ut præfracti illi Hæretici suo tandem malo discant, quorsum deveniant, qui à Sedis apostolicæ obedientiâ recedunt.* Si qui verò adhuc à turbarum periculo abhorrent; illis negotii etiam facilitas ob oculos ponitur: *Severiore tantùm vultu opus esse: unius & alterius clamatoris supplicio rem posse confici; quorum conspecto cruore, reliqua turba animos fractum iri, &c. Interea Principem animam suam ab inferno liberaturum.*

Atque ad hoc propositum faciliùs consequendum, aliaque Magnatum arcana rectiùs perscrutanda, (quę ipsi postmodùm suo Provinciali, hic verò Generali Romæ residenti, juxta suam scribendi formulam, perscriptis literis prodant) Regum ac Principum aulas rectà petere solent Jesuitæ; omniaque illorum solaria, palatia, dicasteria, gynæcea, penitioresque aularum recessus, perrepere, explorare, & replere; se-ipsos Magnatibus pro Confessariis obtrudere; ac, mediante Confessione auriculari, animos & consilia eorum tàm accuratè pervolvere, ut rectiùs penitiúsque posteà illos, quàm hi se-se ipsos, cognitos habeant; omnia deniq; negotia ad se rapere; sic, ut nihil concludi, ne-dum exsecutioni dari queat, quod non priùs Jesuitarum, aut saltèm eorum, qui discipulos ipsorum aliquando egerunt, adeóq; omnia pro nutu ipsorum agunt, stylo manuque conformatum fuerit. Prout etiam in Galliarum Regno fraudibus hisce suis effecerunt; ut subindè regiorum Domesticorum, vel præcipuorum Ministrorum, viginti-quatuor Liberi, in novo Collegio Flessiaco, Jesuiticis præceptis imbuantur; & ex illis annuatim sex regiis officiis ac muniis præficiantur; aliis sex, in horum locum, ob eandem causam, submissis. Sicque, cuniculis hisce, intra paucos annos, Jesuitæ totum illud Regnum, sub Papæ ac suam tyrannidem redegerunt; quod antehàc tot seculorum decursu illam à cervicibus suis depulerat.

Jesuitę Regum Principumque aulas perrepunt.

Quales autem Socii sint Jesuitæ, quibusque artibus rem suam egregiè facere soleant: ex Monitis privatis Societatis ipsorum, quæ quidem anno 1615. per Poloniam innotuerunt, cernere licet; dignissima illa, quæ hîc loci integra adscribantur.

Monita privata Jesuitarum.

MONITA PRIVATA SOCIETATIS JESU.

1. Qualem se Societas præstare debeat, cùm de novo accipit loci alicujus fundationem?

Ut se gratam & acceptam præbeat Societas incolis loci, quem non ità pridem suscepit:

multum ad hoc conducet explicatio finis Societatis, præscriptus in Regulâ secundâ summarii; incumbere in salutem Proximi æquè, ac suam. Quare humilia obsequia obeunda in Xenodochiis & fimo jacentes invisendi: ad Confessiones excipiendas quorumcunque, etiam ad loca distantia eundum: Eleemosynæ conquirendæ, dandæq; pauperibus, aliis videntibus; ut, ædificati facto nostrorum, sint in nos liberaliores. Modestiam exteriorem ita omnes ediscant; ut illa alios ædificent. Delinquentes è nostris, vel ob id dimittantur.

2. Quid facto opus sit, ut Principum & Magnatum intimâ familiaritate potiamur?

Conatus ad id maximi sunt adhibendi. Experientia docuit, Principes tunc affici spiritualibus & ecclesiasticis personis, quando odiosa facta eorum non asperè reprehenduntur, sed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in Matrimoniis contrahendis Principum, cum sibi affinibus: quæ matrimonia magnam habent difficultatem, ob Vulgi opinionem; quod tales exsecratur thoros. Itaque, dum hæc & similia affectant Principes; animandi sunt, assecuturos eos, quod volunt. Explicentur rationes, quæ eorum desiderium augeant: videlicet, Matrimonium hoc fore causam majoris vinculi, & gloriæ Dei. Sic, dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus Dynastis gratum: (verbi gratiâ, si bellum movere vult:) tunc ejus voluntas juvanda, & constantiæ monendus promovendusq; animus. Primoribus Regni insinuent persuadeantq;, Principis voluntati parendum esse: non tamen ad particularia descendant, ne nobis imputetur. Si tamen objiciatur: citentur generalia monita, id nobis prohibentia.

Juvabit ad contrahendam familiaritatem Principum, obire legationes in materiis ipsis gratis. Per munuscula vincendi intimi Principum: ut fideliter instruant nostros, de moribus & humoribus Principis; quibus rebus oblectetur; quis sit sibi modus placendi: salvo tamen jure virtutis & conscientiæ. Et occasione habitâ, insinuent se in animos Magnatum & Principum. Si careant uxoribus; proponantur illis Virgines in matrimonium, quæ, cum suis Parentibus, nostris sint addictæ: usq; Virgines depingantur laudum coloribus; quibus eas depingi vellent ipsimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, aliàs alienos, nobis amicos reddamus. Docuit id experientia, per Domum Austriacam, in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæterisq; Ducatibus & ditionibus.

Fœminæ ne mutent animos, aut de suo favore in nos remittant: seriò illis inculcetur amor in nostram Societatem; tùm per nostros, tùm per eas Famulas, quæ nostris sunt addictæ: quæ variis officiis, & munusculis, in amicitiâ conserventur. Sic enim secretiora suæ Dominæ, & ea, quæ nostros scire oportebit, evulgabunt.

Sequantur, in conscientiis Magnatum regendis, eorum Authorum sententias; quæ liberiorem faciunt conscientiam, contra Monachorum opiniones: ut, illis rejectis, nostros sequantur; & à nostrâ directione, & consiliis, dependeant. Quare, tàm ad Principes & Magnates, quàm Prælatos conciliandos, juvabit, eos facere participes meritorum nostri Ordinis: habere amplas facultates, absolvendi à peccatis reservatis & censuris; dispensandi in jejuniis, debito reddendo, matrimonii impedimentis, & aliis votis. Invitentur ad Scholas nostras: salutentur carminibus: inscribantur illis Theses: si expedit, in triclinio tracten-

tractentur: & si qualitas personæ exposcat, variis linguis salutetur, tempore mensæ, à nostris Fratribus.

Inimicitias inter Magnates componant. Quòd si Monarchæ, nobis addicto, subserviat Vir aliquis primarius, à nobis alienus: promittatur ei favor, & honores conferendi, ad nostrorum instantiam. Denique, itá Societati curent affectos esse Principes, & magnos Dominos, tùm Prælatos: ut pro eá contra Affines & sibi-charos agant; nec dimissos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores Primatibus ominentur; delatos gratulentur, libellis carminum, per Studiosos, in primo ingressu loci, ubi exercenda erit jurisdictio.

3. Quid curaturi sint Domini pro nobis, dum pecuniâ destituuntur; multæ tamen sunt authoritatis in Republicâ, & aliis modis nobis prodesse possunt?

Tales Domini si seculares sint: curanda apud ipsos gratia & auxilium, contra Adversarios nostros; favor ad lites forenses; authoritas & potentia ad coëmtiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearumq́; pro exstruendis Societati nostræ domiciliis; in illis præsertim civitatibus, quæ nostros nolunt habere. Iidem Domini conciliandi; ut mitigent, imò compescant furorem hominum notæ inferioris; nobis nihil cooperantibus.

A' spiritualibus verò, (ut Episcopis, Archiepiscopis) pro diversitate nationum, id exigendum, quod rei opportunitas ostendet. In quibusdam partibus curandum est; ut Prælati, & Parochi ipsis subditi, nostros revereantur, nec impediant ministeria nostra: in aliis partibus plús. Nam in Germaniâ & Poloniâ, Episcoporũ magna est authoritas: qui parvo labore, collatâ re cum Principe, Monasteria, Parœcias, Præposituras, Altariũ fundationes, nobis possunt attribuere; contentatione quâcunq́; factâ Sacerdotibus secularibus. Quod in iis locis assequi possumus, ubi Catholicis Hæretici & Schismatici sunt permixti. Ostendaturq́; Episcopis, magnum fructũ eos hac ratione facturos; quem à secularibus Sacerdotibus & Monachis, præter cantum, exspectare non possunt. Laudetur zelus eorũ: inculcetur facti memoria perpetua. Tales autem fundationes, ut Societas succedat in beneficia secularium Sacerdotum, per eos Episcopos assequentur facilè; qui & confitentur nostris, & à directione nostrâ pendent, & sunt in exspectatione ad altiores gradus Episcopatûs opulentioris, mediantibus nostris.

Tam autem apud Episcopos, quàm Principes, curent nostri: ut, dum fundant nostra Collegia ad parochiales Ecclesias, nostri quoque soli sint; qui habeant jus conferendi Vicarium perpetuum, cum curâ animarum. Ipse superior loci, pro tempore exsistens, erit Parochus: totumq́; regimen Ecclesiæ nostrorum sit. Per eosdem curabunt exstructiones Collegiorum, in locis, ubi sunt Academici, nobis repugnantes; vel Catholici, aut Hæretici cives, fundationes nobis in suis civitatibus prohibentes. Illi iidem curabunt pro nobis Cathedras concionatorias, in Civitatum nobiliorum præcipuis Ecclesiis.

Si quando agitur de beatificando aut canonizando nostro: Magnatum Liberis promovendum erit negotium, apud Sedem apostolicam. Si ex iisdem Dominis contingat legationem obire: ne, cognitis aliis Religiosis, qui nobiscum symbolizant, ad eos affectum transferant, & in eas Provincias inducant, in quibus eminemus. Quare si transeant Viri

illustres per Provincias, ubi sunt nostri; excipiantur ad Collegia, & pro modestiâ religiosâ tractentur.

4. Quæ commendata esse debeant Concionatoribus, Confessionariisque Principum & Magnatum?

Ut directiones Regum, Principum, Virorumq; Illustrium, rectè per nostros instituantur: omni modo ità eos dirigant; ut sua directio tendere videatur ad cõscientiam, quã ipsi Principes concredunt. Non statim autem, sed sensim, spectare debet directio, ad gubernationem politicam externam. Quare sæpè inculcent Principibus; distributionem honorum & dignitatum in Republicâ, spectare ad justitiam: graviterq; Deum offendi, si contra eam à Principibus peccetur. Se tamen nolle, dicant, ingerere in ullam administrationem Reipublicæ; & hæc se invitos dicere, ratione sui officii. Quod ubi apprehenderint Principes: explicetur ipsis, quibus virtutibus præditi esse debeant Viri, assumendi ad dignitates Reipublicæ. Commendationis capita sumãtur ex amicis Societatis nostræ, & iis Viris, quos expedit pro bono Societatis promovere: quos per se non nominent Principi; sed per intimos amicos Societatis nostræ, & Principis. Quare Confessionarii, & Concionatores, informentur à nostris; qui in quâvis parte illius dominii sint Viri, quâ virtute, potentiâ, divitiis, liberalitate in nos. Horum nomina apud se habeant; notitiamq; eorundem faciant Principi, dextrè eos commendando: ut faciliùs, oblatâ occasione, promoveantur à Principibus illi, quos olim sibi laudari, à suis Confessariis & Concionatoribus, audierant.

Meminerint Confessarii, & Concionatores Principum, suaviter eos tractare; nullâ ratione perstringere in concionibus, aut privatis colloquiis. Confectiones, aquas destillatas, modicè acceptent: pro usu privato, parvâ pecuniâ sint contenti. Dum sunt in Palatiis, ad abjectiora se cubicula conferant. Prudenter inculcent suis Principibus, ne vel lato ungue discedant à consilio spiritualium Patrum. Curent sibi significari quam-primùm Officialium Reipublicæ mortem: & de substituendis maturè agant. Ut suspicione se eximant externi regiminis: nec Amicorum causas apud Principes promoveant per se; sed aliis potiùs committant.

5. Quid agendum cum Religiosis, qui symbolizando nobiscum, in multis occupationibus, multum nobis detrahunt?

Genus humanum nobis animosè ferendum. Proindè inculcandum hominibus, nostrum Ordinem omnium religionum habere perfectionem; &, in quo aliæ religiones excellunt; in eo, eminentiore modo, Societatem lucere in Ecclesiâ Dei: præter cantum, & victûs asperitatem; (quibus discrepamus à Monachis:) omnia in Societate meliùs haberi; ipsa etiam subjecta. Notentur defectus; ex quibus ostendatur, minùs feliciter alios Religiosos satisfacere posse illi occupationi, in quâ concurrunt nobiscum. Majore conatu eundum est contra illos Religiosos, qui Scholas erudiendæ Juventuti instituere vellent, in locis, ubi id cum dignitate & fructu Societas nostra obiit. Ostendatur Principibus, tales homines fore perturbationi Reipublicæ. Proponatur Academicis externis, illos Religiosos magìs, quàm nos, ipsis in ruinam. Suggerant Principibus, sufficere Societatem erudiendæ Juventuti. Quòd si literas Pontificum pro se habeant, aut Cardinalium commendationes: agant per Principes apud Pontificem; cui ostendatur, Societatem benè fungi suo munere. Procurabunt

testi-

testimonia à Civitatibus,in quibus sua Collegia habent, bonæ conversationis. His etiam diligenter persuadendum erit, timendas perturbationes, accessu diversarum Scholarum & Præceptorum. Esto; Religiosi sint: interim nostri pro viribus curent studia exerceri,& specimina edi,cum applausu aliorum.

6. De conciliandis Viduis opulentis Societati.

Deligantur, ad hoc opus, provectæ ætatis Patres,colore vivido. Visitentur crebriùs eædem à nostris. Quæ affectum ostenderit in Societatem; vicissim Societatis nostræ opera ei offeratur. Si acceptat; cœperitq; frequentare nostras Ecclesias: detur ei talis Confessarius,qui eam benè dirigat,& constantem in viduitate servandâ faciat; enumerando bona viduitatis,quibus meritum amplum sit obtentura. Ut res tota meliùs illi cedat: comitatus famulorum diminuendus suadeatur: ordinentur Officiales aulæ, & Præfecti bonorum: præscribantur, quæ spectant ad gubernationem domûs, habitâ ratione loci & personæ. Inprimis autem efficiat Confessarius,ut ejus consiliis acquiescat Vidua,& directionem sequatur,tanquam fundamentum futuri boni spiritualis. Proponatur usus Sacramentorum frequens,auditio Sacri,recitatio Litaniarum. Exhortationes sint bis vel ter in hebdomadâ, de bono viduitatis; de molestiis matrimonii iterati, periculis novisq; gravaminibus ejusdem. Facetè proponat Viros nobiles,quorum illa Vidua, cum quâ agitur, non abnueret connubium: iidemq; Viri ità describantur, declarando mores & vitia ipsorum; ut audiendo Vidua nec cogitationem assumat de matrimonio. Proindè, cùm sunt ità affectæ erga Viduitatis statum,quàm-primùm eis commendentur vota religiosa: ut, emisso voto castitatis, omnem sibi aditum præcludant ad secundas nuptias. Quo tempore maximè suadendum, ut ex aulâ abigantur Juvenes,liberiores in jocis: pauci admittantur hospites; in iisq; tractandis sit mediocritas. Præfecti pagorum, Sacellani, aliiq; Officiales,tales sint; qui aut ex nostrorum commendatione habeantur,aut à nostrorum nutu dependeant. Huc ubi progressum fuerit; paulatim ad bona opera inducenda erit Vidua: quæ tamen præstabit,ex directione Patris sui spiritualis.

7. Quis modus conservandi Viduas in viduitate: & de dispositione redditiuum,quos habent.

Si, præter communem affectum, testetur Vidua clenodiis, aut pecuniæ non-modicâ summâ, suam in Societatem liberalitatem: fiat particeps meritorum Societatis nostræ. Si emisit votum castitatis: renovet illud,more nostro,bis in anno. Exponatur ordo nostræ Societatis domesticus: qui si placuerit, præscribatur pro aulâ. Indicantur confessiones menstruæ; tùm pro festis Christi Domini,Beatæ Virginis,& Apostolorum. Constituantur Syndici inter mares & fœminas; qui defectus notent inter aulicos & famulas; referantq; Magnificæ. Interdicantur nutus,susurri, clandestina colloquia: delinquentes severè castigentur. Sint in aulâ honestæ puellæ; quæ,varia ornamenta conficiendo pro templis, se in pietate exerceant: supra se habeant manuductricem, quæ laborantibus attendat,& mores edoceat. Visitentur Viduæ crebrò,& jucundis colloquiis,spiritualibus tamen,conserventur & foveantur. Non tractetur rigidè cum ipsis in Confessionibus; nisi tunc, quum minor est spes aliquid ab eis accipiendi. Proderit quoque,ad conservandas Viduas; si pleraque fiant in gratiam Viduarum: ut ingressus in ædes nostras; colloquia, quando, &

cum

cum quibus placet è nostris. Non permittantur in frigoribus domo exire; aut dum se deteriùs habere sentiunt. Nuptiæ filiarum exornentur carminibus Studiosorum externorum. Si exsequiæ peragendæ sunt: ornatus lugubris, licèt splendidus, tamen adhibeatur: cenotaphii non sit vulgaris structura. Demùm, quicquid fieri potest ad Viduarum sensualitatem, (modò sint liberales, & addictæ intimè Societati) fiat; cautè tamen, & secluso scandalo.

Agendo de dispositione redditum, quos habent Viduæ; proponatur ipsis illa perfectio laudata statûs hominum sanctorum: quando, neglectis Amicis, sua bona in Jesu Christi pauperes erogant: adducantur exempla Viduarum, quæ hac ratione brevì in Sanctas evaserunt. Quare, dum se Viduæ in nostras manus resignant, paratæ sequi directionem Patris spiritualis; seriò inculcetur: ut majoris meriti sint illarum actiones coram Deo, ne religiosis quidem personis dent eleemosynas, inscio Confessario; sed adnotatis iis, quæ se daturas alicui decreverunt, schedulam exhibeant Confessario: qui detrahere aut addere potest, prout videbitur. Caveant Confessarii frequentem aditum aliorum Religiosorum ad Viduas: ne post se fœminas, naturâ inconstantes, abducant. Dum multa est pecunia ex bonis collecta; ne hinc moveantur Viduæ ad secundas nuptias: proponant Confessarii, imò suadeant, ordinarias pensiones; quibus sublevent necessitates singulis annis, nostrorum Collegiorum, & Domorum professarum; præcipuè Domûs professæ Romanæ. Eandem pecuniam impéndere possunt in casulas, & paramenta templi; quæ pro nostris sacris ædibus servire possunt post mortem Viduæ. Exponantur defectus Ecclesiarum nostrarum coram Viduis, structuræ imperfectæ Collegii. Inducantur ad sumtus faciendos, pro rebus perpetuam eis gloriam conciliaturis; ut sunt templa, ciboria, ædificia, quæ consultò citò conficiantur: ut habeant, in quod suam liberalitatem possint exercere. Id-ipsum faciendum cum Benefactoribus & Principibus, qui nobis aliquid sumtuosè exstruunt. Si clenodia sint: suadeatur, æternitati ea consecranda; si dentur à Viduis ad sepulcra nostrorum Beatorum Romam. Comprobetur id exemplis aliarum Matronarum, quæ id præstiterunt. His de causis ostendetur, illas summam perfectionem assecuturas; dum, rerum terrenarum amore se exsuendo, earum Christum Dominum, in servis Societatis suæ, possessorem instituerint. Quòd si filios & filias Dei obsequio dicare voluerint; non est liberalitas earum spernenda, accipiendo quæ offerentur: parciùs tamen ab iis Viduis accipiendum, quæ filios & filias ad seculum dirigunt.

8. De remediis, ut filii & filiæ nostrarum devotarum religiosum amplectantur statum.

Suaviter & fortiter id Matri viduæ peragendum. Filiabus molesta sit virgis, minis, abstinentiis: asperiùs tractando; denegando ornatum muliebrem exquisitum; pollicendo majorem dotem, si velit esse monialis. Exaggeret futuri Mariti furores; gravamina matrimonii: præ se ferat mater ipsa dolorem, se non fuisse monialem: demùm ita agat contra filias; ut, tædio victæ manendi apud matrem, adspirent ad monasterium.

Cum Filiis conversentur nostri familiariter. Accipiantur ad Collegia; in quibus illa ostendantur ipsis, quæ moveant ad ingrediandam nostram Societatem: ut sunt Horti vicini Collegiis, in quibus fiunt recreationes. In Refectoriis ostendatur munditíes, & exterior conversatio inter nostros: munuscula, faceta colloquia, ad spiritum tamen, non omittantur.

tur. Sint, penes tales Viduarum filios, instructores amicissimi nobis; imò futuri de nostris. Subtrahat mater filiis necessaria, ad tempus modicum: exponat intricata negotia, ex parte bonorum. Si ad alias provincias iverint, studiorum causâ; ibi illos mater non delicatè tractet pecuniâ: ut, tædio victi, in exteris nationibus, religionem ingredi seriò meditentur.

9. De Redditibus augendis Collegiorum.

Seriò inculcetur Confessariis Principum, Magnatum, & Matronarum; ut, dum spiritualia illis conferunt, temporalia, pro bono communi Societatis, ab eisdem recipiant. Quocirca non omittant occasiones acceptandi, dum aliquid offertur: &, si differatur, in memoriam revocent; nimium affectum minimè præ se ferendo. Qui ex Confessariis minùs industrii in hac re erunt; tanquam bono communi minùs affecti, amoveantur à Principibus, domiq; exagitentur. Magno dolore audivimus, juvenes Viduas, morte immaturâ præventas, culpâ nostrorum, supellectilem templi multùm preciosam nostris non legâsse; neq; acceptâsse, dum superstites Viduæ offerrent: cùm, ad talia acquirenda, non tempus, sed voluntas offerentis, spectari debeat.

Adeant Civium domos; aulas Nobilium, nec-non Viduarum: ex quibus omnibus perquirant prudenter, num, pro animæ suæ bono, vel ipsi, vel eorum Amici aut Affines, Ecclesiis aliquid sint legaturi. Idem perquirendum à Parochis & Prælatis; qui priùs inducantur, ad officia spiritualia facienda: quo tempore multa nostri possunt lucrari. Apud hos omnes studeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem Societatis, & fidelem exsecutionem, ratione locorum, quæ accipiunt à Benefactoribus; secùs quàm alii seculares Sacerdotes & Monachi. Habeant notitiam hortorum, lapidearum, vinearum, civitatum in quibus resident, pagorum, prædiorum; à quibus possessoribus, quibus contractibus, cum quibus gravaminibus, teneantur: &, num illa bona, vel per contractus, vel receptionem filiorum in Societatem, aut donationem, habere possint, experiantur.

Devotis & devotabus Societatis nostræ, quandoque bona sua, Collegia vendant; cum pacto, quòd, post breve tempus, Societas gratis eadem sit ab ipsis receptura. Si Viduas addictas contingat habere tantùm filias: eas dirigant ad religionem Monialium; dote quâcunque eis datâ. Cætera, utì pagos, clenodia, totamq; possessionem, nostri facilè lucrabuntur. Si autem tantùm unum filium, aut plures, Vidua Societati nostræ amica habuerit; nullaq; spes sit, filios vel filium fore in Societate: indicetur Matri, sufficere, si integras possessiones filiis vel filio relinquat; at collectam pecuniæ summam, ad suam propriam dotem, posse legare Societati. Accidit, Viduas esse unius aut alterius pagi, ad pietatem propensas, Societatis studiosissimas: hæ inducantur ad inscribenda bona nostris Collegiis; ipsæ interim contentæ sint annuam suscipere contentationem: ut Deo commodiùs vacent, curâ rerum temporalium liberæ.

10. De Disciplinæ rigore ostendendo in Societate.

Testabitur disciplinæ rigorem, ejiciendo à nobis, quandocunque videtur Societati; esto, sint cujuscunque conditionis & statûs, senes-juvenes; consumserint ætatem & vires; morbo calculi, & alio quocunq;, postquàm ingressi sunt Societatem, effecti fuerint. Causa (præter causas reservatas, ob quas, pollutione exceptâ, licita erit dimissio) hæ erunt ejectio-

nis: si devotas nostras, & amicos Societati utiles, ad alias religiones dirigunt; aut Parentibus indicant, sive illis, à quibus impediuntur, ne ingrediantur Societatem: si, in resignatione bonorum, erga consanguineos affectum ostendunt, non dando totum Societati. Prius tamen tales, per aliquot annos, in Societate mortificentur. Fratres in officiis vilibus ponantur: detineantur in Scholis inferioribus, ut ibi doceant: altiora studia, præcipuè quartus Theologiæ annus, non concedatur. Capitula frequentiùs, tempore mensæ, dentur. Patres prohibeantur à confessionibus excipiendis: arceantur à conversatione externorum: accipiantur res charæ ex cubiculis: frequentes pœnitentiæ publicè assignentur. Hinc erit facilè, progredi ad dimissionem. Si tales personæ, notatæ in supra-dictis vitiis, conquerantur coram Provincialibus, de immoderatis Superioribus aut Officialibus: non credatur facilè; excusetur factum; dicatur, teneri eos obedire Superiori, ubicunque non est peccatum.

Non sint scrupulosi in dimissione Superiores. Cùm enim Ordo noster gaudeat nomine Societatis & Sociorum: non mirum, Societati annexam esse dimissionem. Nam Societatis & Sociorum vincula faciliùs solvuntur; neque sunt perpetua. Dimissio cœpit cum instituto Societatis. Id evidenter ex eo patet: quia Societas habet vota simplicia, pro Scholasticis, Coadjutoribusq; formatis: quæ vota non habent mutuum contractum; ac-si Societas habeat obligationem, personas cum talibus votis in Societate retinendi semper. Id autem nequaquam est: tantùm enim obligatio cadit in voventem; non in Societatem: quæ potest cum talibus votis quoscunque dimittere, quando & quàcunque de caussâ sibi videbitur. Licet autem, in Societate, alii faciant professionem quatuor votorum; alii trium votorum solemnium, more aliorum Monachorum: tamen & tales à Societate dimitti possunt.

11. Qualiter se unanimiter præstabunt nostri contra dimissos.

Quoniam tales multùm obesse possunt Societati: proindè obvietur his modis. Antequàm è Societate dimittantur; promittant, ejusq; rei testimonium relinquant, se de Societate nihil sinistri dicturos. Præcludant aditum dimisso, ad eos spirituales & seculares Dominos, quorum ipse aucupari posset gratiam, ibiq; habere locum. Dicantur mala ejus inclinationes, vitia, defectus; quos de se, in manifestatione conscientiæ, aliquando Superioribus aperuerat, & juxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc juri suo. Quòd si erunt Domini nostris non addicti: per Viros graves, nobis addictos, curetur impediri favor dimisso, apud eum, qui non est affectus nobis. Et, si non potest induci, ad avertendum animum à dimisso; saltèm inducatur ad non-favendum ex omni parte. Scribatur per Collegia, quínam sint dimissi: &, cum exaggeratione, caussæ dimissionis proponantur. De dimisso in exhortationibus dicatur, quòd iterum ardenter petat ingredi Societatem. Externis insinuentur caussæ dimissionis illæ, ob quas vulgus nos odio habet: sic enim plausibilior erit dimissio quorumcunque.

Si dimissus habeat creditum, contra nos dicendo: obvietur huic rei per nostros graves Viros, qui dictis dimissi opponant authoritatem Societatis, famam, fructum quem facit in Ecclesiâ Dei, bonam existimationem vitæ & doctrinæ; ob quæ Regibus, Principibus, & Magnatibus, sunt à confessionibus concionibusq;: explicent zelum nostrum in Proximos; multò magis in unumquemque hominem Societatis suæ. Invitentur ad prandia illi, apud

quos dimissus videtur habere partes: quibus persuadendum est, ne faveant dimisso, & teneri eos præsumere de religione. Quo tempore causas dimissionis exponent; omnem eis probabilitatem ostendendo, & defectus dimissi omnes enucleatè exponendo; nihil omittendo. Esto, dubia aliqua sint: caveant dimissos promovere ad ulla beneficia ecclesiastica; nisi aut dederint non-modicam pecuniam, aut sua bona inscripserint, aut singulari modo testati fuerint, se esse amicos Societatis. Id etiam Principi & Regi persuadeant Confessarii: ut, collaturi alicui honores, argumentum accipiant ejus, ex liberalitate & bono affectu ejus in Societatem nostram, fundando ei Collegium, aut quid simile ei præstando.

Si contingat, dimissos habere favores hominum: diligenter inquiratur in vitam ipsorum, & mores ac defectus, per amicos & devotas nostras Ordinis inferioris divulgent. Ipsæ, ne dimissis faveant, aut apud se conservent dimissos, terreantur censuris: negetur absolutio, si sint pertinaces. Laus dimissi extenuetur, argutis propositionibus, ambiguisq; ; ità tamen, quòd possint avertere animos hominum à dimisso, & ejus fidem minuere. Successus mali, qui accidunt dimissis, evulgentur, cum magnâ commiseratione, in exhortatione: ut reliqui terreantur, & vel inviti maneant in Societate.

12. De delectu Juvenum pro Societate; modoque eos retinendi.

Summâ arte & industriâ opus est, ut recipiantur Juvenes ingenii boni, formâ non-contemnendâ, genere Nobiles, & opulenti. Ut tales pertrahantur; ostendatur illis favor à Scholarum Præfectis: non permittantur vexari à Præceptoribus: laudentur crebriùs: dentur ipsis munera: accipiantur ad vineam; tractentur fructibus: in solennitatibus accipiantur ad Refectorium. Cùm aliis ad virgas descendendum; objicienda crimina ex aliquibus conjecturis; iratus vultus ostendendus acriùs compellandi ac reprehendendi: juvenilis ætas ad omnia mala quòd sit in illis proclivis, ostendatur: nisi religiosi fiant, damnatione æternâ terrendi. Dum in Societatem admitti petunt; non statim admittantur: differantur ad tempus: interim foveantur: in colloquiis, commendetur illis suave institutum. Ità enim magno desiderio crescente, alacriùs instabunt admitti. Et, si voluerit posteà exire aliquis ex talibus revocetur illi ardens studium, quo ingressum in Societatē urgebat.

Quoniam verò maxima est difficultas, in alliciendis Senatorum filiis, & hominum ditiorum in Patriâ: si tales sint; mittantur Romam ad Novitiatum: priùs tamen præmoneatur de ipsis Generalis, aut Provincialis Romanus. Quòd si in Germaniam, Galliam, Italiam venerint; & Societatem affectaverint: sinè scrupulo suscipiantur in illis dominiis, in quibus Monarcha Societati est addictus. Sub tali enim Domino hæc & similia erunt peragenda: siquidem illius Subditi, cùm nostro favore indigeant, non facilè contra nos insurgent; &, si insurgant, nihil lucrabuntur.

Non omittantur occasiones, inducendi filios eorum, qui studiorum causâ ad nostra gymnasia, ex aliis Provinciis, veniunt: maximè tunc, cùm incipiunt pecuniam amittere; & partim pudore amissæ pecuniæ, partim metu Parentum aut Affinium, ob molestias, quas timent, induci se sinunt. Res habuit bonum successum in Germanis, & Polonis.

Inconstantiæ occurrendum, pro qualitate personæ, exhortationibus de malo successu dimissorum. Ut verò Parentes & Affines ingredientium ad nos sint contenti: ostendatur

excellentia instituti nostri; & tantus applausus Mundi; & honor, qui defertur à Principibus Societati. Insinuent se in intimam familiaritatem ipsorum; reddantq; eos contentos: si id necessitas, & personæ dignitas, postulabit.

13. De Monialibus.

Caveant offendere Moniales nostri Confessarii: cùm tantæ sint benefactrices; ut aliquæ fundationem juverint Collegiorum; plurimæ mediam dotem dederint, annuente Monasterio & Abbatissâ. Quare, ob clausuram, non eas molestent: relinquant Episcopis. Conservent potiùs favorem Monialium: ne contra nos agant ob dimidiatas dotes; easq; exprobrent nostris datas.

14. De Casibus reservatis, & causis dimittendi à Societate.

Præter casus descriptos in instructione, à quibus solus Superior absolvet, aut ordinarius Confessarius ex ejus licentiâ, (hos casus videlicet; Sodomiam, fornicationem, adulterium, stuprum, tactus impudicos maris aut fœminæ: & si quis quâcunque ratione moliatur contra Societatem, qualicunque zelo) sciant esse causas dimissionis a Societate: nec priùs absolventur, quàm extra confessionem promiserint, se id manifestaturos, per se, vel per Confessarium, Superiori. Qui, si advertet, peccatum esse cum complice, aut in grave damnum Societatis: non absolvet; nisi pœnitens promittat, aut se-ipsum scripturum hac de re Generali; aut dederit facultatem scribendi Confessario, aut Superiori, de tali causâ. Aliàs nullo modo absolvet pœnitentem. Generalis verò, casu pœnitentis cognito, re collatâ cum Secretario, de casu pœnitentis id concludet, quod pro Societate expedire videbit; & tali pœnitenti dimissionem ex Societate assignabit. Quam si acceptare voluerit: nunquàm validè poterit absolvi. Id faciendum conclusimus, cum Theologis nostris, in casibus reservatis, & approbatione Sedis apostolicæ; frustrà quibusdam repugnantibus. Taceat tamen Confessarius, ob id dimittendum à Societate pœnitentem. Si dixerit de se pœnitens extra confessionem; dimittatur. Si dicere noluerit: servetur cum ipso illa ordinatio scripta contra fictos. Interim tamdiù non absolvatur; quamdiù noluerit dicere extra confessionem.

Si aliqui ex Confessariis nostris audierint, aliquam externã personam, cujuscunq; sexûs, cum homine Societatis rem turpem habuisse: non eam priùs absolvent, quàm dicat extra confessionem nostram. Et, si dixerit; dimittatur noster: externa persona absolvatur.

Si duo ex nostris Sodomiam committent: qui non manifestabit, dimittatur: qui prior manifestabit, retineatur in Societate; sed ità mortificetur, ut (velit-nolit) pòst, parvâ interjectâ morâ, alium sequatur.

Poterit etiam Societas, cùm sit corpus quoddam, his de causis, se exonerare personis; si, successu temporis, eos deprehenderit esse crassos in moribus & loquelâ: imò quascunq; viderit superiores causas. Generali monito, quemlibet à Societate dimittent. Ut citiùs dimittantur; vexentur: fiant omnia contra inclinationes eorum: negentur quæ petunt, esto res parvæ sint: arceantur à studiis majoribus: dentur sub tales Superiores, de quibus non sint contenti. Nec tales teneantur in Societate, qui vexati insurgunt in Superiorẽ, de eoq; coram fratribus conqueruntur: aut displicere sibi dicunt, quæ fiunt in Societate, quoad Viduas, & directionem Rerumpublicarum; laudantq; Venetos, à quibus pulsa Societas.

Imme-

Immediatè, ante dimißionem, acriter exagitetur dimittendus: amoveatur à certo officio, & nunc ad hoc, nunc ad illud officium obeundum, mittatur: interim reprehendatur, quòd non benè faciat officium sibi commissum. Pro levi excessu, duriores aßignentur pœnitentiæ: ex cathedrâ, tempore mensæ, defectus recitentur; ita ut confundatur. Et per id tempus, dum notabilem impatientiam ostenderit, aliis audientibus & videntibus, tanquam is qui est aliis scandalo, dimittatur: priùs tamen res ejus revideantur; & aliquò jubeatur ire, ad vineam, vel vicinum Collegium; interim, quo in loco minimè sperat, in eo dimittatur.

15. Qui conservari & foveri debeant ex personis Societatis.

Primum locum tenent strenui operarii; qui non modò spirituale Societatis bonum, sed etiam temporale, promovent: ut sunt opulentarum Viduarum Confessarii; qui, dum ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à Viduis; & alii ipsis, cum recentibus viribus & ætate, sufficiantur. His concedantur, quæcunq; petent, in cibo, vestitu, aliisq; rebus: nec vexentur à Ministris pœnitentiis. Contra tales non sint creduli Superiores.

Habeatur & eorum ratio, qui defectus minimos, in aliis notatos, Superiori deferunt: aut positi in officio Ministri, Subministri, Bedelli, alios mortificare sciunt, non ex affectu; sed amore disciplinæ religiosæ.

Foveantur Juvenes illi, qui sunt affines nostrorum Benefactorum & Fundatorum: quare mittendi ad studia Romam; si studeant in propriâ Provinciâ. Concedantur illis ea, quibus foveri poßint.

Fiat gratia illis etiam Juvenibus, qui nondum resignationem bonorum fecerunt pro Societate: post factum, pane, non lacte, pascendi.

Nec ii postremum locum habeant, qui multos selectos Juvenes ad Societatem inducunt, tanquam benè-affecti instituto Societatis.

16. De Contemtu Divitiarum.

Ne nimium nobis affectum adscribant divitiarum: juvabit, mediocres non admittere eleemosynas, pro ordinariis officiis, quæ fiunt à nostris. Negentur sepulturæ viles in templis nostris. Cum Viduis acriùs agant, quæ se exhauserunt dando nostris. Idem faciendum cum personis nostris, qui pro Societate fecerunt resignationem. Imò quandoq; tales dimittantur, aut nihil eis reddendo; aut saltèm benè detrahendo, ob sumtus à Societate eorum caußâ præstitos.

Hæc privata Monita diligenter servent penes se Superiores; & paucis, idq; gravibus ex Patribus communicent: ex iisq; instruant alios, quomodo serviant cum fructu Societatis: neque ut scripta ab altero; sed ut ex peculiari prudentiâ depromta, aliis communicent. Quòd si (absit) in manus externorum hæc monita veniant; quoniam sinistrè ea interpretabuntur: negentur hoc sensu esse Societatis; per istos confirmando è nostris, de quibus certò scitur, eos talia ignorare. Opponantur his privatis monitis generalia monita, & ordinationes impressæ aut scriptæ, his contrariæ. Demùm inquiratur, an non ab aliquo è nostris prodita sint: (neque enim Superior ullus erit tàm negligens, in asservandis tantis secretis Societatis:) &, si in aliquem vel leves erunt conjecturæ; illi imputetur, & ex Societate dimittatur.

Jesuitæ sunt Harpyiæ insatiabiles.

Tametsi autem Jesuitæ, his Monitis edocti, cùm alias nequitias suas, tùm verò insatiabilem avaritiam, & irreconciliabilem animum adversùs eos, à quibus se violatos existimant, tegere quaquâ ratione conentur: exempla tamen quotidiana, præter sequentia, (quę Epistola typis expressa, ad Paulinum, Papæ Clementis IIX. Datarium, Duaco Romam anno 1610. missa, suppeditat) nimiùm-quantùm contestantur.

Superstite adhuc Gregorio XIII. Conventuales S. Pauli, extra urbem Romam, Ordinis Benedictini, resciverunt; se per Jesuitas, apud Papam, improbæ admodùm & scandalosæ vitæ nomine, traductos; huncque, ut Jesuitis Monasterium suum assignaret, solicitatum fuisse. qui quidem Papa (ut quem Jesuitæ totum in potestate suâ haberent) voto huic illorum facilè annuit, dictumq; Monasterium S. Pauli ipsis donavit. Venientes autem Dominos Patres cum istâ Bullâ suâ, & possessionem Monasterii quàm-primùm arrepturos, Conventuales illi, captis armis, ità exceperunt: ut tùm quidem lubido, ad S. Paulum veniendi, in Jesuitis planè refrixerit. Inquisitio quidem ejus facti instituta; sed, morte Papæ Gregorii interveniente, processus judiciarius tunc exoluit. Quem coram Papâ Sixto V. cùm redintegraturi essent Jesuitæ, consimilibus criminibus ad eum, de Conventualibus istis, qualibus ad antecessorem, delatis; istud ab eo, qui ipsos penitissimè jam novisset, responsi retulerunt: Æquum quidem esse, siquidem ità cum Conventualibus illis, uti Jesuitę dicerent, comparatum esset, ut reformatio quædam illorum instituatur; iniquum autem, ut propterea universi ejicerentur.

Alios Monachos sedibus suis pellere, ipsique monasteria eorum occupare satagunt.

Pari conscientiâ ad Papam Clementem IIX. retulerunt, perpaucos Monachos in Carthusiâ Lucernensi in Helvetiis superesse; ut satius longè foret, sibi Jesuitis Claustrum illud cedi: qui quidem id magno numero implere, reique communi, inutilium istorum Carthusiensium loco, majori commodo esse possent. Quo specioso prætextu motus Pontifex, eò jam inclinaturus videbatur: hinc Jesuitis studiosè admodùm instantibus; illinc verò etiam Papę per Helvetiam Nuntio, in Jesuitarum gratiam, opus pro virili urgente. Verùm Cardinalis Ossatensis Gallus, re istâ intellectâ, Carthusianis auxiliares manus pro virili suâ præbuit: sic, ut hi quidem claustrum suum retinuerint; Jesuitæ verò repulsam passi fuerint: qui tamen alibi per Germaniam, consimili titulo & jure, aliquot Carthusiensium aliorumque Religiosorum Monasteria jam occupârunt, bonosque Monachos illis exegerunt.

Eundem lusum cum Carmelitis quoque in Belgio luserunt, Comite Fontano Antuerpiæ ad gubernacula sedente. Huic enim, supplice oblato libello, significabant Jesuitę, paucos admodùm in Monasterio illo Antuerpiensi Monachos inesse; ideóque, ut sibi id donetur, petere: qui, suis Patribus inibi collocatis, multò majus commodum publicæ rei daturi essent. Quo illis concesso, & à Priore Carmelitarum istorum ex interceptis Jesuitarum literis cognito; ita vicissim hic se-se comparavit: ut Patres Jesuitæ, cum donatione hac suâ, Monasterium id ingressi, à Priore quidem & Fratribus ipsius amicè excepti;

cepti; sed, initio postulationis suæ facto, Claustro quàm-primùm expulsi sint.

Benedictini tamen, in Abbatiâ Auchini, proximè ad Antuerpiam, non tàm secundâ fortunâ usi fuêre. Nam, cùm isti, ex singulari amore & affectu, dimidiam Collegii, quod in Urbe habebant, partem Jesuitis concessissent; hi vicissim, pro gratiâ referendâ, obtento apud Consilium regium Edicto principali, rem-eò adduxerunt; ut Benedictini, Jesuitis sustentandis, bis millia nummûm annua insuper pendere sint coacti.

Præmonstratenses quoque Monachi, in eâ regione Præposituram habent; quæ Patribus Jesuitis valdè arridebat: ideóq; Romæ ab iisdem ambiebatur; concessioque illius, ad falsa narrata ipsorum, decernebatur. Verùm possessionem illam occupaturis acriter restitêre Præmonstratenses, & in Consilio Brabantico actionem illis intentârunt; atque etiam vicerunt, Patribus cum ignominiâ rejectis. Nihilo tamen minùs, è pluribus quàm viginti-quinque Monasteriis ejusce Ordinis, per Belgium, pensionibus ac redditibus, ad quindecim milliâ nummûm annuorum, perfruuntur.

Eodem modo, Canonicos regulares S. Augustini, ex Abbatiâ Flesiacâ apud Andegavenses, captatis dolis exegerunt. Ubi tamen, in templo monasterii illius commiserunt; quod an per conscientiam suam excusare posint, equidem dubito: relictâ longiùs, quàm sex hebdomadis, consecratâ super altari Hostiâ, neque curatâ.

Paribus artibus Socii isti, à Papâ Clemente IIX. Bullam obtinuerunt; delatis apud eum Monialibus ad Spiritum S. Biteriis, quasi quæ impudicè, totiq; illi regioni scandalosè, viverent: donanteque illis Papâ Monasterium illud; atque ut alibi locorum Moniales illæ intruderentur, jubente. Quò autem minùs quis illis, appellatione juris intercedente, obstaculo foret: apud Regem Henricum IV. instare non destitêre; donec, impetrato tandem Edicto patente, anno 1604. obtinuerũt, ut redditus prædicti Conventûs Collegio Jesuitarum, quod Biteriis est, incorporarentur: sustentatione Monialibus, ibi superstitibus, ad vitæ dies dari jussâ; & conditione annexâ, (quàm omnibus ejuscemodi literis appendi curant,) ne res ista ad ulteriorem cognitionem traheretur. Episcopus tamen Biteriensis (animadvertens, Patres istos, Harpyiarum instar, bonis ecclesiasticis inhiare; iisque adhuc maledicere & convitiari, quos portione suâ geniali defraudâssent) ex naufragio isto aliquid adhuc, pro Dei gloriâ, & Pauperum necessitate, eripere adlaboravit: tantumq; apud Regem obtinuit; ut è sexcentis nummûm annuorum, de redditibus Conventûs illius detractis, duodecim pauperes Pueri, in religione catholicâ instituendi, sustentarentur. Id quod anno 1606. à Rege approbatum confirmatumq; fuit: tametsi Jesuitæ prædam istam valdè inviti, neque etiam gratis, sibi eripi sint pasi; sed Præposituram Cornelianam (optimam hujus Monasterii redditūum partem,) sibi vendicârint, atq; in perpetuum Collegio suo incorporari fecerint. Super quibus, anno 1610. Parisiis, instrumentum confectum, ac duorum Jesuitarum, Cotoni & Alexandri, manuum subscriptione comprobatum

tum fuit; cum promisſione, quòd ratihabitionem iſtorum à Generali ſuo impetrare velint: ſicque etiam confirmationem regiam pro ſe obtinuerunt.

Conſimiliter etiam inſignem Præpoſituram S.Martini, vulgò ad S.Barbaram in Auge dictam, occupavêre: poſſeſſoris morte haud exſpectatâ; ſed eo ad reſignationem ceſsionemque adacto; ſeſqui-millibus nummûm annuorum, ad dies uſque vitæ, pro ſuſtentatione, viciſsim illi promiſsis. Quòd ſi etiam Conventualibus illis, quibus Patres iſti non minùs ſuos redditus atque jura ereptum ibant, contra ipſos agere licitum fuiſſet; poteſtatem eorum dubio procul facilè declinaviſſent: quæ tamen diſceptatio inter Conventuales & Jeſuitas, anno 1609. per transactionem compoſita fuit.

An non itèm Præpoſituras, alteram S.Salvatoris ad ſaltum S.Genyſii, alteramque in Galliâ Narbonenſi Aguillonii, S.Coſmi dictam, aliasque numero plures, quarum redditus annui ad quinquaginta-millia Coronatorum aureorum excurrunt, ſic ad ſe pertraxerunt? Num non etiam Officialem Bayeſiis munere illo ſuo dejecerunt; ipſique ſe in ejus locum intruſerunt?

Nota quoq; eſt hiſtoria Abbatiæ Bellæ-branchæ, Ordinis Ciſtertienſium, in provinciâ Mayennenſi; quæ abundè ſuper bonâ Patrum illorum intentione teſtari poſsit. Ubi non contēti, redditus ad Abbatem ejus loci pertinentes, eoſque certè inſignes, ſibi rapuiſſe; Bullam inſuper à Papâ, & à Rege confirmationis literas, obtinuerunt: quibus poteſtas illis facta, Conventuales quoque ejus loci exigendi, alibique eoſdem inſerciendi, omneſque adeò fructus eorum, qui rebus eccleſiaſticis alioqui vacabant, pro ſe percipiendi. Sed & dicti iſti Conventuales moram interjecêre; propoſito, ſui contra Jeſuitas, exemplo illorum ad S.Paulum Romę, defendendi. Quo factum, ut, cùm Jeſuita Cotonus, in unum de Conventualibus illis Bella-branchæanis, (qui, Theologiæ Doctor, ad Regem queſtum miſſus erat; quòd Jeſuitæ ipſos, qui tamen domeſtici ibi eſſent, & miniſterio Eccleſiæ vacarent, exactum irent) apud aulam Fontis-bellaquæi, incidens, talibus eum verbis aggreſſus fuiſſet; Nónne propterea ades, bone vir, ut exſecutioni Bullæ noſtræ, & Mandati regii, remoram injicias? aſt ubi, amabò, didiciſti, Papæ Regique, qui uterque vos loco cedere jubent, obediri non debere? aut quibus in libris id legiſti? Religioſus ille viciſsim reſponderet: Domine, ex iiſdem illis libris nos iſtud hauſimus, ex quibus Vos, bona illa, quorum lubido vos inceſsit, quæque vobis opportuna ſunt, ad vos rapere, legitimoſque poſſeſſores adhuc ſuperſtites poſſeſsione ſuâ dejicere, didiciſtis. Quibus auditis, Jeſuita obſtupefactus, illo dimiſſo, abivit.

Archiepiſcopus olim Cameracenſis egregiam domum, ad-inſtar Palatii regii, Bruxellis habebat, Collegio Jeſuitarum ibidem contiguam. Hi igitur, quòd ſibi optimè illam convenire putarent, veluti emtores, venalem eam facere ſatagebant. Quumque Archiepiſcopo, domum ſuam vendere, incommodum eſſet: Jeſuitæ dicam illi ſcribunt; per ſententiam fortè judiciariam, ex illius poteſtate domum eam extorquere autumantes. Verùm

ità causam suam adversùs illos egit Archiepiscopus; ut sententia Bruxellis in judicio pro ipso caderet.

Quæ'nam verò etiam hæc Jesuitarum conscientia est, quòd opulentis hæreditatibus adeò inhiare solent; legitimis nonnunquam hæredibus quoque à jure suo exclusis? Ulyssipone in Lusitaniâ prædives quidam Collybista agebat, vitam extra conjugium trahens; aliisque, excepto unico fratris filio, hæredibus carens. Illum sancti hi Patres ità occœcare noverant; ut, misero nepote suo præterito, omnia sua bona ipsis legârit. Mortuo Collybistâ, nepos ad ædes illius veniens, gregem illic Ministrorum publicorum probè-armatorum offendit; qui, ad Jesuitarum petitionem, præstò aderant; ne quis eos ab hæreditate adeundâ prohiberet. Ille ingressum in ædes sibi dari petit; nepotem se demortui, eoque proximum illius hæredem, dictitans. Sed responsum accipit; Ingressum ipsi nullum permitti, ut qui nihil ibi quærere haberet: namque Apostolos (sic Jesuitas locis illis cognominare solent) intùs adesse, quibus defunctus omnia bona sua testamento donâsset. Ad quæ miser ille, hæreditate suâ exclusus, altùm exclamando; *O' bone Domine Jesu*, inquit, *si tales Apostolos tecum versantes habuisses; Judæi utiq; nunquam te ad crucem adigere ausi fuissent!*

Jesuitæ amplas hæreditates ad se pertrahunt; legitimis enim hæredibus exclusis.

In eâdem urbe Ulyssipone, Mercator etiam quidam erat: qui, quòd conjugem suam malam familiaris rei administratricem putaret, cistam clenodiorum ac pecuniarum plenam (majorem bonorum suorum partem) Confessario suo Jesuitæ concredere malebat; obsecrans, ut filias suas, nubiles aliquando factas, exindè dotare vellet. Mortuo igitur Mercatore, Jesuita, ex dispositione illius, cistam eam ad se recipit. Filiæ postmodùm, quippè horum omnium benè consciæ, jamque adultiores, Jesuitam adeunt, rogantes, ut, crediti paterni memor, bona ad se pertinentia sibi restituat, Patrisque defuncti voluntati satisfaciat: quippè cùm hæc apud ipsum deposita duntaxat, bonæque fidei ipsius concredita sint. Verùm illæ nihil responsi aliud referunt; quàm, defunctum Patrem ipsarum, cistam illam suæ (Jesuitarum) Societati dono tradidisse. Filiæ, certæ, tàm responsum hoc veritate, quàm Jesuitas bonâ conscientiâ deficere, rem ad Magistratum referunt; ab eoque severum mandatum impetrant: quo omnibus iis, qui de voluntate defuncti aliquid compertum haberent, sub pœnâ censuræ ecclesiasticæ injunctum, ut veritatem causæ istius ederent. Cæterùm priùs, quàm ad publicationem ventum, Jesuitæ Româ Bullam quoque impetrant; quâ, sub ordinariâ pœnâ, publicatio illa inhibita erat. Sicque adeò miseræ Filiæ bonis suis; Defunctus autem fide suâ, defraudatus fuit: Jesuitis autem cista illa, sub conscientiâ Confessarii, proprietatis titulo, remansit.

Similis conscientia Jesuitarum in negotio Maximiliani Caffarelli, Equitis Romani, emicuit. Propinqua hujus Equitis, testamento facto, maximam substantiæ suæ partem Jesuitis tradiderat; cognati sui Caffarelli, in eo, ne minimâ quidem mentione injectâ. Hic igitur, ejus rei certior redditus, cùm nullam

opportunitatem sibi relictam cerneret, quâ cognatam suam iniquitatis ejusce commonefacere posset; quòd illa à Jesuitis, diu noctuque, tanquam custodibus positis, circumvallaretur; hanc denique rationem init: ut Medicum cognatæ in partes suas pertraheret; qui se tempus & occasionem indicaturum recipiebat, quando ille solus cognatam suam alloqui posset. Quo Medici indicio, Caffarellus in hortum quendam se confert; in quem è secreto cubiculo, cognatæ suæ conclavi contiguo, prospectus patebat: scalisque, per fenestram, in cubiculum illud ascendit. Medicus intereà Jesuitas, qui continuas vigilias apud matronam illam faciebant, secedere jubet; quasi qui clysterem ægræ fœminæ injecturus esset. Patribus sic egressis; Medicus Caffarellum è cubiculo contiguo intromittit: qui, tristi habitu vultuque, cognatæ suæ ad animum revocat; quàm ipsam semper & amârit, & honorârit, omnemque ei, ad-instar proprii filii, obedientiam, præstiterit: cujus tamen rei nullâ ratione habitâ, ipse ab eâ exhæredatus esset, omnibus bonis ejus Jesuitis testamento donatis. Ad hæc bona matrona oculos aperire; & ad commiserationem flexa, errorem suum agnoscere; & ex cognato suo requirere, quid consulto factoq; opus esset? Respondet ille: Prius suum testamentum ipsa retractaret; aliudq;, Deo & Naturâ dictante, conderet. Quam ad rem Notarium ad se assumtum, in cubiculum contiguum secum ascendere fecisset: ut, si ejus ipsa animi foret, extremam hanc voluntatem ex ore ipsius proprio exciperet. Sic itaq; cognata, revocato priore testamento suo, novum aliud è vestigio facit; quo Caffarellum, propinquum suum, hæredem instituit. Hoc ad eum modum, cum testamento suo, digresso; & Jesuitis ad custodiam suam reversis: matrona illa, intra paucos dies, ex vitâ hac excedit. Super quo Patres isti, fiduciâ testamenti sibi traditi, multùm tripudiantes, omnem mox hæreditatem ad se rapere instituebant. Verùm momento omnia mutata cernebant; Caffarello illis significare jubente: prius id ipsorum testamentum retractatum à testatrice; se verò, tenore alterius posterioris, solum hæredem institutum esse. Quæ omnia sic gesta, quum Clementi IIX. Papæ renuntiata essent; risu is abstinere haud poterat: nunquam se existimavisse, dicens, tantum expromtæ prudentiæ Caffarello adesse posse. Cujus risûs etiam Cardinalis tunc Borghesius, posteà Paulus V. Papa, & ipse Caffarello propinquus, participem se fecit. Enimverò, si unicus hic Caffarellus eo modo uncos Societatis istius digitos evasit: ex contrario plùs quàm centum eorum sunt, qui dolis Jesuiticis decepti perierunt.

Jesuitæ egregii pecunipetæ.

Pari conscientiâ etiam cum Anglis Pontificiis ludunt: quorum multis, Nobilibus & aliis, ex Angliâ profugis, persuaserunt; ut bona illìc sua divenderent, preciumque venditionis apud se Jesuitas deponerent. Quæ summa, intra paucos annos, ultra quater-centena-millia Coronatorum excrevit; totaque, pro pauperibus scilicet Jesuitis, in cambium est deposita. Ab iis verò Romano-catholicis, qui adhuc in Angliâ manent, intra breve quoque tempus, ultra bis-centena-millia emunxerunt: eo fine, ut ajebant, ut multas dispensationes, aliasque petitiones, impensis illis Romæ obtinerent.

Quémnam

Quémnam etiam facinus ipsorum Genuense ampliùs latet? ubi Patres isti nobilissimis locupletissimisque matronis persuasêre; ut se-se fraternitati ipsorum addicerent: sicque miris & expromtis artibus illas, preciosissimis suis clenodiis, & annulis, mulctârunt; hæcque in potestatem suam redegerunt. Quod tùm demùm innotuit; quum primariorum Dominorum civitatis unus, id à conjuge suâ rescitum, ad Senatum detulisset; ac super injuriâ simul & fraude conquestus esset. In quam rem inquisitione factâ, non solam illam fœminam, sed plurimas adhuc alias fuisse, compertum est; quas Patres isti Jesuitæ, prætextu conscientiæ illarum tranquillandæ, carnisque edomandæ, in eum modum expilâssent. Senatus igitur, re cognitâ, justo quidem modo in facinus hoc animadversurus videbatur, antegresso consimili Venetæ Reipublicæ exemplo: verùm, Papæ intercessione, omnia rursum pacata sunt.

Ut verò etiam de aliis Jesuitarum virtutibus aliquid dicamus: Cardinalis Moronus, Pontificis Rom. olim in Concilio Tridentino Legatus, ad complures sępè-sæpiùs, Jesuitas, turbam hominum ambitiosissimorum, arrogantissimorum, & vindictæ studiosissimorum, appellare est solitus. Cujus testimonii fidem sequentia exempla plùs satìs confirmant. Quibus enim modis, amabò, Papam ipsum Clementem IIX. tractârunt? Númne etiam Cardinalis ipse Toletus, socius ipsorum, virulenta eorum scripta, & amaras obtrectationes, evitare potuit; ut tantùm non omninò Apostatam illum indigitârint? Causa verò tanti adversùs utrumque odii erat: quòd Cardinalis Papam, de Jesuitarum ipsorum fraudibus, nequitiis, & scandalosis moribus, ordine informâsset; Papa autem, vitia hæc in illis corrigere, sibi proposuisset. Unde Cardinalis paulò pòst mortis aleam subivit; nec à longè Papa eum est insecutus.

Turba sunt hominum ambitiosissimorum, arrogantissimorū, & vindictæ cupidissimorum.

Neque etiam incognitum est, quod cum Jesuitâ illo Hispano contigit; qui jam-dicti Papæ Clementis Bullam, sub glossarum suarum examen, revocare non est veritus: in quâ nimirum prohibetur, Confessio in literis aut scriptis fieri; taliterq; facta, pro invalidâ declaratur. Quanquam enim Jesuita ille, ad Inquisitioné propterea pertractus est: ingenuè tamen ibidem, non hanc suam peculiarem, sed multorum adhuc aliorum Theologorum, unius præsertim ex Parisiensium præcipuis, sententiam esse, fassus est: cujus scriptum etiam, pro contrariâ istâ opinione, Inquisitoribus exhibuit; quod apud Inquisitionem posteà remansit. Quo facto, Jesuita ille animosior tantùm fervidiorq; redditus, non-postremus etiam, procul dubio, inter eos fuit, qui Papæ Clementis mortem tantoperè desiderârunt.

Ne Papam quidem ipsum curant, ubi is non cum ipsis facit.

Alius quidam Jesuita Romæ, quum in colloquium, de controversiâ suâ cum Jacobinis monachis, cum Episcopo Gallo descendisset; & Episcopus diceret, brevì futurum, ut Papa litem illam decideret: respondit Jesuita; causæ istius cognitionem, non ampliùs ad Papam, sed ad Concilium generale, pertinere.

Hostius Jesuita, cum complicibus suis, obtinere conati sunt: Papam Clementem IIX. in eo, quòd Henricum IV. Regem absolvisset, atque in sinum

Ecclesiæ Catholicæ recepisset, potestate Clavium abusum fuisse; ideoque absolutionem illam pro nullâ & invalidâ habendam.

Sic non sinè commiseratione recenseri potest, qualiter Dominum Giffordum, Præpositum Capituli Insulensis, Jesuitæ sint persecuti; non desistentes ab eo, donec totâ Flandriâ proscriptus ille esset. Non, quòd facinus aliquod malum, aut officio suo contrarium quidquam, patrâsset; neque etiam, quòd nova nonnunquam ad Gallos perscripsisset: sed propterea tantùm, quòd Jesuitarum nimias in Regem Angliæ invectivas improbâsset; Regesque ac Principes, non baculis, ad-instar servorum, excipiendos esse, censuisset. Bonus igitur Giffordus in Lotharingiam se recipere coactus fuit.

Non minùs commiseratione dignum est, quod de Patre Hayvodo refertur. Hic, quanquam Jesuita, & qui totos triginta & unum annos in Societate illâ egisset: sicque suorum Jesuitarum mores, & procedendi modum, satis expertus esset; cùm de multis non-tolerandis, ad Provincialem primùm suum, postmodùm ad Visitatorem generalem, tandemque etiam ad ipsum Præpositum generalem Ordinis, per literas questus esset; nominatim verò de quinquaginta-duobus defectibus, qui inter Patres Jesuiticæ Societatis perquàm familiariter grassarentur: nunquàm tamen Generalis Aqua-viva, ut Pater iste Romam veniret, deq; omnibus coràm ageret, permittere voluit. Sed hoc demùm consequutum est, ut Jesuitæ Hayvodum prehensum, in carcerem Domûs Professæ Salerni compingerent; ibique, post multas illatas afflictiones ac pœnas, brevem denique viam ad Paradysum ei commonstrârint.

Ità non multos ante annos, Pragæ in Bohemiâ contigit; quum Sacerdos quidam Italus, verba nonnulla contumeliosa in Jesuitas jecisset: ut Jesuitæ, id rescientes, Sacerdotem, blandis verbis in Collegium ipsorum pellectum, vicissim in foveam subterraneam conjectum, manibus pedibusque ferro vinctum, quotidiè miserabiliter castigarent; atque hoc modo aliquandiù, pane tantùm & aquâ cibatum, retinerent. hac tandem illi dictâ sententiâ: siquidem liberatus esse vellet, propriâ manuscriptione testaretur; Jesuitis calicem, cum aliis nonnullis rebus sacris, furto ab se ablatum fuisse. Quâ conditione præstitâ, Jesuitæ illum liberum dimittere, salvumque extra urbem Pragensem educere, parati essent. Miser igitur Sacerdos, ut se-se ab istis carnificibus redimeret, in conditionem illam consentire, eamque præstare, est coactus. Sic totum hoc gestum negotium, per Patrem Bowecium, Nuntio Papæ apud Imperatorem, Philippo Spinelli, tunc temporis enarratum fuit.

Jesuiticum effugium retunditur. Solent quidem certè Jesuitæ, ad ejuscemodi nequitiarum exempla, sibi objecta, excipiendo respondere: *Iniquè comparatum esse, ut nefanda facinora privati alicujus hominis toti sanctæ Societati imputari, aut etiam condemnationem istius promovere, debeant.* Cui inepto ac inani effugio nos reponimus: *Quòd tota Collegia, publicæq; congregationes Jesuitarum, non possint privati homines censeri: ideoq; nec facinora actúsve tales, quales ex ipsorum Regulis ac Dogmatibus solennibus consequuntur; ac, tametsi non ab universis & singulis, à multò-maximâ tamen parte ipsorum,*

appre-

approbantur ac collaudantur; neutiquam pro privatis causis, aut privatorum delictis, haberi & existimari. Sed & Jesuitæ, solito hoc effugio suo, ibi duntaxat locorum uti consueverunt, quorum Reges atque Principes superiorem nullum dominum recognoscunt; ideóq; ipsi, quum talia ipsis objectantur, dimidio tantùm ore loqui audent; atque ità in speciem aliquid, æquivocando, verbis condemnare coguntur, quod illic, ubi ipsi rerum potiuntur, plenis buccis, publicè ac intrepidè, concionando, docendo, scribendo, per universum Orbem dispergunt. Hinc, cùm Jesuitæ MARIANÆ liber parricidialis, à Parlamento Parisiensi condemnatus, & per carnificem publicè concrematus esset; quàm humiles se in Galliis gerebant Jesuitæ; nec quicquam cum hoc Socii sui libro, ejusque parricidiali doctrinâ, sibi commune esse, videri volebant? E' contrario autem, quid non Romæ super eâ re tentârunt ac moliti sunt? ità ut nullum sit dubium, quòd si Magister Palatii ibidem Jesuita fuisset: ut processus in contrarium institutus; eaque Parlamenti sententia non minùs, atque prior illa contra Johannem Chastellum, regicidam Jesuiticum, retractata, revocata, atque nulla declarata cerneretur.

DE PECULIARIBUS REBUS GESTIS JESUITARUM IN LUSITANIA.

CAPUT II.

ANNO 1578. Jesuitæ, Sebastiano, Lusitaniæ Regi, ex eâ familiâ ultimo, funestam expeditionem Africanam, cum manifestâ vitæ jacturâ susceptam, suaserunt: classicum scilicet canendo; ut Regnum Portugalliæ, pro opimâ annui redditûs recompensatione, ad Regem Hispaniarum (quem, modis omnibus, in Monarcham universi orbis Christiani promovere adnituntur) devolverent. Nec spes fefellit eos. Nam Sebastiano Rege, cum Filio, & totâ ferè Nobilitate suâ, à Mauris, in prælio, occiso, statim Philippus II. Hispaniarum Rex, Lusitaniæ Regnum invadere & occupare, duobus potentissimis exercitibus, terrâ marique ad id collectis, in animum induxit. Cùm autem minimè ignoraret, quàm sinistri propterea rumores de se passim, non solùm in Lusitaniâ, sed etiam per totam Italiam, spargerentur: aliquid famæ dandum ratus, familiari sibi dissimulatione, quasi post tantos apparatus pœnitentiæ locus esset, totum negotium ad conscientiæ normam examinari voluit. Quippe indè à Pontifice Rom. solicitabatur; ut rem controversam arbitrio suo committeret: indè opinione hominum prægravari se sentiebat; quasi vi alienum Regnum invaderet: calcatâ juris ratione, cui se infirmiores subjecerint; atque adeò oppressâ Regni, quod ambiebat, libertate: cujus Ordines, in eâ re jus suum eripi sibi, conquerebantur; & alioquin jurisjurandi religione teneri se dicebant, quò minùs dictis & imperio ipsius audientes essent.

Quibus difficultatibus ut citra difficultatem se expediret Rex Philippus:

rem Jesuitis & Franciscanis, in Complutensi Academiâ, discutiendam tradidit; & quæsivit ab iis: *An'ne, cùm sibi de jure suo, in regno Portugalliæ, successione per mortem Henrici delatâ, certò constaret; conscientiâ obligaretur, alicui se tribunali submittere: quod illi Regnum adjudicaret, & in ejus possessionem ipsum mitteret.* Deinde: *Num, Portugalliæ regno recusante eum in Regem admittere, antequàm in jure cum aliis competitoribus re disceptatâ, contrario judicio obtinuerit; propriâ authoritate Regni possessionem, sumtis contra resistentes, armis apprehendere poßit.* Hoc posito, quod nullo scrupulo se teneri sentiat: & quia Gubernatores, ac cæteri Lusitaniæ Ordines, jurisjurandi religione prohiberi se dicebant; quò minùs eum in Regem admitterent, qui non in jure Regni hæres declaratus esset: maximè reclamantibus competitoribus, qui se juris authoritati offerebant. Quæsivit etiam: *An prætensum jusjurandum, excusationis loco, quò Regem legitimum non reciperent, accipi deberet?*

Ad hæc Jesuitæ, acerrimi Hispanicę potentiæ propugnatores, contra Franciscanos, prorsus voto Philippi congruentia responderunt: &, nullo eum conscientiæ vinculo obligari affirmârunt, ad subjiciendum se alterius jurisdictioni aut arbitrio. quippe cùm propriâ authoritate Regnum sibi adjudicare, & possessionem ejus adipisci posset. Nullas in eo esse Pontificis partes: cùm res nihil admistum habeat, cujus respectu sacri fori debeat intercedere authoritas. Neq; verò quicquam causæ esse, cur se Ordinum Lusitaniæ judicio submittat. nam, electis semel Regibus, simul & in eos, eorumq; successores omne jus translatum intelligi; ut penes ipsos omnis sit jurisdictio; nec ab aliis judicari possint. Quando igitur constet, Philippum verum ac legitimum Regni hæredem esse; & hoc verum esse: nullius alterius tribunalis, præterquàm proprii sui, jurisdictionem subire debere. De legatis autem illis à defuncto Rege undecimviris, jus nullum esse, de causâ tantâ cognoscendi. nam à se non habere jurisdictionem; verùm à Rege mandatam: eamque, ut ipso superstite valuerit, unà cum extincto exspirâsse; neque enim jurisdictionem Regum, post mortem prorogari posse. Denique, quantum ad tertium caput, sic statuerunt: Nullâ jurisjurandi religione teneri Lusitanos, quò minùs Philippum Regem admitterent. cùm ex suprà dictis constet, neminem esse, vel dignitate, vel potentiâ, in hac causâ, Philippo superiorem; qui de eâ posset cognoscere. Atque hanc Jesuitarum, sive sententiam, sive censuram, approbavit Philippus; & ad arma conclamare jussit.

Jesuitæ etiã proditores sunt.

Bello hoc inter Hispanos & Lusitanos fervente, Azoræ sive Terceræ insulæ, ad Lusitaniam pertinentes, in fide Ordinum Regni permanserunt. Jesuitæ autem, in unâ illarum, quæ Tertia nuncupatur, & situ ac fertilitate cæteris longè superior est, habitantes, eam Hispanis prodere tentârunt. Excitato igitur magno tumultu, plebs ultra modum contra eos commota est: cùm alii in jure sistendos, tanquam patriæ proditores; alii sinè morâ, tanquam perduelles, & Hispanis addictos, unà cum Collegio incendendos, dicerent.

Atq; ità, consilio & operâ Jesuitarum, rejectâ omni cognitione ac sententiâ

judi-

judiciariâ, Rex Hispaniæ Philippus, viam armorum apprehendit; annoque 1580. Lusitaniæ regnum subegit: cæteris competitoribus illius in exsilium exactis; in quo ipsi, cum Liberis & Nepotibus, hodieque agere cogantur.

DE REBUS GESTIS JESUITARUM IN GALLIA.

CAPUT III.

I. *De Ligâ, seu conspiratione in Galliâ, adversùs Henricum III. Regem; eamq́ consecuto Regicidio.*

QUUM anno 1577. Henricus III. Galliæ Rex, publicam cum Reformatis pacem iniisset; exindeque res, quà bellicas, quà politicas, & ad regimen approbum spectanteis alias, ferè nihil curaret; sed quieti ac voluptatibus se dederet; ac subditos interim crebris, adeoque continuis exactionibus emungeret: isthæc ejus socordia non alienam præbuit occasionem, apud universum Populum, in contemtum & odium eum adducendi; maximéque concitandi eos, qui ex præpostero quodam Catholicæ Religionis zelo metuebant: ne, si quando forsan absq; prole Rex ille decederet, ipsi Navarræus, diversæ Religionis, & à Pontifice excommunicatus Rex, in isto cumprimis tranquillo rerum statu, succederet. Quapropter, ut isti malo præveniretur; de Ligâ, seu conspiratione quâdam, tractari clandestinè cœptum fuit: cujus beneficio, Romana quidem conservari; diversa autem ab eâ Religio funditùs exstirpari; tùm exactiones etiam, ac tributa nimia, cum gravaminibus aliis, usquequaque tolli, vel mitigari saltèm possint. Eiq; fini etiam concludebant, Regē Henricum, de solio Regni deturbatum, in Claustrū vel Cœnobium aliquod detrudere; & alium Romano-catholicū illi in Regno surrogare. Hinc, cùm Henrici III. Regis symbolum, Parisiis, valvis Regiis inscriptum esset;

Ligæ in Galliâ occasio, & causa.

Qui dedit antè duas, trinam dabit ille coronam:

Jesuita Cottonus, iisdem valvis, ei subscribi curavit;

Qui dedit antè duas, unam abstulit: altera nutat;
Tertia tonsoris mox facienda manu.

Promoverunt & confirmârunt hanc Ligam, ceu pars non postrema illius, vehementer admodùm Jesuitæ, Parisiis, aliisque in urbibus. Mox enim à principio, Ligistæ in suo numero habebant Patrem Henricum Sammierum, Lucelburgensem patriâ, hominem ad omnia negotia promtum ac paratum. Hic anno 1581. ad multos Romano-catholicos Principes emittebatur; ad viam Ligæ meliùs sternendam, pluresque ad illam alliciendos. Summa Instructionis ipsius erat: *Ut, consideratione magni periculi, in quod Religio Catholica adduceretur, (dum Rex ad omnia conniveret, atq; etiam Hugonotis clanculùm faveret;*

Jesuitæ sunt Ligistæ.

Frater autem illius,manifestum eorundem defensorem in Belgis ageret) sancta hæc Societas ipsamet,sub potente aliquo capite,causam istam in se recipere vellet; certâ spe,fore, ut Deus sibi aßisteret: cùm id omne huc tenderet,quò Nomen & Ecclesia ipsius magis promoveretur. Ità Sammierus omnibus in locis rem tractabat; & apud Catholicos undiquaque cognoscebat,quomodo ipsi ad eam affecti essent. Regis autem Fratre,anno 1583. morte defuncto,sicque Ligistis magno impedimento amoto; Pater quoque Claudius Matthæus,Jesuitarum Provincialis Parisiis, magis quàm antea se cum illis conjungebat; consiliis eorum intererat; tandemque,ipse quidem Romam,Sammierus autem in Hispaniam,proficiscebatur. ubi uterque causam suam benè adeò egêre: ut Papa Gregorius XIII. & Rex Philippus, justam quisque pecuniæ summam,ad bellum istud,pollicerentur. Post horum Legatorum reditum, passim signa volitare; totaque Gallia militum plena cernebatur. Erat tùm illa in tres factiones divisa: quarum una Regis erat,quæ magnam necessitatem patiebatur; altera Ligæ; tertia Reformatorum. Intereà moritur Papa Gregorius. Quocirca Pater Matthæus iterum Romam proficiscitur: & apud Papam Sixtum V. non minores pollicitationes,atque apud antecessorem ipsius, impetrat. Verùm in reditu suo,Anconæ in Italiâ,ipse quoque moritur Matthæus Jesuita. Quâ de causâ Pater Odo Pichenatus,Burgundus,& novus Provincialis in Franciâ, denuò solicitare,suumque petitum,Ligæ nomine,à Sixto Papâ obtinere,coactus fuit. Quæ res multis bonis Viris,è Romano-catholicis,tædium creabat; &,quantum fieri posset,de pace faciendâ cogitationes injiciebat. Id verò Jesuitis minimè placebat; qui indè discrimen inter Catholicos ipsos constituebant: quorum alios Politicos vocabant, qui videlicet pacem expeterent; alios autem Catholicos zelotas, qui bellum solùm clamarent. Collegia Jesuitarum, ad-instar publici Archivi Ligistarum erant: unde Euangelia, numeris ibi perscripta,per Apostolos deindè ipsorum hinc-indè emittebantur.

Duplices Catholici in Galliâ.

Jesuitæ Confessione suâ ad perjuria & latrocinia utuntur.

Præsertim verò Jesuitæ, ad Ligistarum numerum adaugendum,potestate suâ Confessiones audiendi,& absolvendi quoscunque,ità egregiè sunt usi: ut nullum absolvere dignarentur,qui,ad proposita eatenus interrogatoria,se fidelem sui Regis subditum, ac ministrum obsequentem esse, profiteri ausus fuisset. Contrà,quicunque juramenta Regi præstita,& debita exindè obsequia,seposuerant, eoque perfidiosi facti fuerant; & quos à peccatulis (ut loquebantur) istis,Pastores ac Sacerdotes alii, non ità leviter,aut temerè,volebant absolvere; si ad Jesuitas ibant: illis erant usquequaque acceptissimi; & indulgentissimam non tantùm absolutionem, sed & amplissimam promissionem æternæ retributionis indè consequebantur: modò in rebellione istâ suâ,& perfidiâ, fortiter persisterent, gnaviterque pergerent. Undè passim in absolutionibus suis hunc modum observârunt; ut nimirum,ad inserta Breviariis suis Euangelia,jurare tenerentur omnes: *Quòd neq; tùm temporis regnantem adhuc Regem Henricum III. nec,si fortè sic caderet, successorem ejus Navarraum, pro legitimo vellent agnoscere Domino.*

Verum-

Veruntamen, Confessione istâ secretâ non contenti Jesuitæ, publicè quoq; & indissimulanter, contra Regem, & concionati sunt, & scripserunt: (prout hoc per totum librum ipsorum, de Abdicatione Henrici III. cernere est:) *Esse illum perjurum & homicidam, etiam spiritualium personarum: esse amicum Hæreticorum, imò ipsummet Hæreticum, Sacrilegum, Magum, & Necromanticum: fidem non servâsse; Comitiorum salvum conductum violâsse; Regnum ejusq; Cameram perdidisse: maximum Hypocritam & Tyrannum, omnium vitiorum plenum esse. Ideoq; magnas justasq; causas esse, atque etiam unicuiq; Catholico subdito licitum, ipsum Henricum III. occidere, atq; è medio tollere.* Henricũ 3. Regem pro homine sceleratissimo traducunt.

Ex quo consecutum est; quum viderent Ligistæ, aliter se, ac vi apertâ, Regem in potestatem suam redigere non posse: (cùm & ambo fratres, Cardinalis & Dux Guisius, vitam propterea perdididissent:) tandem juvenem Monachum, Jacobum Clementem nomine, Sorbonâ pago prope Senam oriundum, corrumpunt; eique Regis cædem persuadent. Hunc vel ideò ad hoc facinus idoneum judicabant; quòd aliàs parùm-probæ vitæ, criminumque ignobilium reus esset. Jesuitæ igitur blandis cum eo verbis agunt, bonisque & magnis promissis ad pergendum incitant; nihil certius fore dictitantes, quàm ut, supra omnes alios, locũ in Paradyso obtineret: siquidem ipsum propterea occidi, Martyremque fieri, contingeret. Cumque Monachus contenderet, ut securitatem sibi præstarent; quâ nisi datâ, se non exiturum: responderunt illi; *Turpe esse Monacho, reditura vitæ parcere.* Tandem igitur ità persuadetur, ac vincitur simplex iste Monachus; seque Regem occisurum pollicetur: ac paratus, literisque etiam mentitis & falsis ad Regem instructus, Parisiis exit; atque rectà versùs S. Claudum, ubi tunc Regis castra erant, proficiscitur. Monacho Parisiis egresso, quàm-primùm Dux Maynius, primariorum ac opulentiorum civium ultra ducentos in custodiam duci jubet; quos quia in bonâ fide apud regias partes esse, & bonis Amicis uti sciebat, Monachi loco, pro obsidibus habere cogitabat; illius redimendi caussâ, si, patrato facinore, captivus retineretur. Jacobum Clemẽtem monachũ ad cædem regiam animant.

Monachus, cùm in castra Regis venisset; audientiam à Rege, per Procuratorem generalem, petit: se habere literas, & inter alias etiam Harlæi, Præsidis Parlamenti, (qui Regi fidelis & amicus, ideoq; Lutetiæ captivus erat) ad Regem deferendas; aliaque ore-tenus ab illo nuncianda, quæ literis credi non potuerint, Regi tamen scitu necessaria essent. Postridie igitur Rex Monachum ad se vocari, & in conclave suum adduci jubet; aliis, ut Domino de Bellaguardiâ, cum Procuratore generali, excedere jussis. Monachus, simplicitatem maximam præ se ferens, devotissimè Regem adit, literasque ex manicâ protractas offert: quas interim dum avidè Rex legit, Monachus ex alterâ manicâ cultrum promit, & capulo-tenus in ventrem Regis adigit; adactumque in vulnere relinquit. Rex, vulnus sentiens, cultrum confestim, dilatando vulnus, educit; & Monachum circa guttur gravissimè vulnerat; vimque sibi inferri clamat. Accurrunt domestici regii, Nobiles & Satellites, & Regicidam Henricus 3. Galliæ R. à Monacho confoditur.

istum multis cæsim punctimque vulneribus conficiunt: qui moriens tandem Deo gratias egit, quòd tàm mite & facile genus mortis sibi destinâsset; cùm multò atrocius & gravius ipse exspectâsset. Mortuum fenestrâ ejiciunt; & haud multò pòst carnifici, quatuor equis dilacerandum, ac igni comburendum tradunt. Rex verò insequente nocte illius diei, animam exhalavit, Calendis Augusti, anno 1589.

Regicidiũ à Papâ & Jesuitis multùm laudatur.

Nuntio de Regicidio isto Romam perlato, SIXTUS V. Papa id non modò unicè approbavit, sed & prolixâ oratione, in Consistorio Cardinalium, laudavit: *Quòd Monachus, religioni devotus, infelicem Galliarum Regem, in medio exercitûs, interfecerit, rarum, insigne, & memorabile esse facinus.* Et: *Facinus hoc, non sinè* DEI *Opt. Max. particulari providentiâ & dispositione, & Spiritûs sancti suggestione, designatum, longè majus esse, quàm illud S. Judith, quæ Holofernem è medio sustulit.*

JOHANNES quoque MARIANA, Hispanus Jesuita, lib. 1. de Rege, cap. 6. Regicidium illud non probat solùm; verùm etiam, ut singulare exemplum doctrinæ suæ, quòd Tyrannum opprimere fas sit, allegat: quippè qui Rex, propter impios ausus suos, meritò pro Tyranno habitus fuerit. Nam *parabat ille,* (ait Jesuita) *quoniam prole carebat, sororio Henrico Vindomiensi Regnum relinquere; quámvis, à tenerâ ætate, pravis de Religione opinionibus infecto; eoq; tempore diris devoto à Pontificibus Romanis.* Idemq; *Henricum III. in Comitiis Blasensibus, Ducem Guisium, ejusq; fratrem Cardinalem Guisium, trucidari; Cardinalem verò Borbonium captivum duci, jußisse,* queritur. De quo Jesuita etiam RIBADENEIRA, lib. 1. de Principe, cap. 15. q. 91. ad eundem finem scribit: *Henricum III. ex pernicioso humanæ prudentiæ consilio, & nefariâ Politicorum calliditate, Henricum Guisiæ Ducem, & Ludovicum Cardinalem ejus fratrem, fortißimos Principes, in Blasensibus Comitiis, crudeliter sustulisse.* Et concludendo subjicit: *Sed, nec-dum decurso anno, æquißimus sceleris vindex Deus, à cædis authore meritißimas pœnas exegit.* MARIANA verò, illis non contentus, insuper & hoc addit; Jacobum Clementem Monachum, benè-præmeditatum, ac Theologis in consilium adhibitis, id facinus aggressum esse: qui docuerint ipsum, & in eo confirmârint; talem Regem, ceu Tyrannum, rectè ac licitè occidi posse. *Cognito, ait, à Theologis, quos erat sciscitatus, Tyrannum jure interimi posse.* Itèm: *Clementi illi, homini simplici ac infirmo, majorem vim vires & animum confirmâsse.*

Sic etiam Jesuita FRANCISCUS VERONA Constantinus, Apologiæ pro Johanne Chastello, parte 2. cap. 2. scribit: *Cùm eo tempore intolerabilis factus sit Rex: condemnatio Clementis, neque de jure, neque de facto, comprobari potuit; propter tyrannidem Henrici Regis, contra Statum & Ecclesiam: tàm quo ad homicidium Blasis perpetratum; quàm hostili impetu hodierno, quo ad oppreßionem religionis est prolapsus, mactando Sacerdotes, profanando Sacramenta, repudiando Censuras, & favendo Hæreticis. Quibus de causis totum se privatum reddidit, & subjectum utriq; juri, tàm Civili, quàm Canonico. Actio igitur Clementis neutiquam illicita fuit: quippè perpetrata contra hostem publicum, & condemnatum juridicè; in quem omnis obligatio reverentiæ, atq; debiti, sublata fuit.*

II. *De Parricidio, à Petro Barrierio in Henricum IV. Regem tentato.*

Interemto sic & è medio sublato Henrico III. Rege; Jesuitæ non privatim solùm & publicè jubilum propterea cecinerunt ac tripudiârunt; sed omnes passim etiam in Regis successoris, Henrici IV. cædem necemque animârunt: uti ex sæpè-allegato libro ipsorum, de Justâ Henrici III. abdicatione, Præfatione præsertim & Epilogo libri, fusiùs cernere atque legere obvium est. Quo etiam factum est; ut, cùm Rex Henricus, 26. die Augusti, Melodunum oppidum, cum suo comitatu, ingrederetur, illo-ipso die, à quodam Italo nobili, Ludovico Brancaleono, præmonitus fuerit; quòd stratiota quidam Lugduno sequutus eum fuerit, interficiendi Regis caussâ: cujus statura simul, & proportio membrorum omnium, adeoque barbæ & vestimentorum ratio, ità ab eo descripta fuit; ut exindè statim ille cognitus, & mox sequenti die Meloduni comprehensus, inque carcerem conjectus fuerit. In vinculis de nomine rogatus, Petrum Barriere se vocari dixit; & patriâ Aurelianensem esse. Jesuitæ Henrici 4. vitæ quoq; insidias strui faciût.

Confessionis ejus summa hæc erat tandem; (nam ab initio variis rimulis elabi conabatur:) se jam-pridem, Rege adhuc aliam religionem profitente, secum cogitâsse, quomodo ipsum interficere, & vitâ privare posset. Cùm autem Rex posteà Catholicam Romanam religionem amplexus esset: apud Clericos nonnullos, nempe Carmelitam, Jacobitam, Capucinum, & Jesuitam, in transitu Lugduni sciscitatum se esse; an bonâ conscientiâ Regem interimere posset? qui respondissent, id neutiquam licere. Ubi verò Lutetiam postmodùm venisset, & Pastori ad S. Andreæ, Aubrio, suum propositum detexisset; ab eo quidem laudatum id fuisse: sed tamen ad ipsum fontem, i. e. ad Rectorem Collegii Societatis Jesu, cui Varada nomen erat, se fuisse ab eo ablegatum. Istum autem dixisse; Propositum esse sacrosanctum: monuisseque, præsenti esset animo, confiteretur, & aures aliorum admonitionibus dehortationibusque occluderet, ac linguam contineret: si caperetur, aut capite plecteretur; se eam ob causam Martyrii coronam in cœlo consecuturum. dictumque Varadam, cùm se confitentem audivisset, adjurâsse, ut hoc cœptum persequeretur; & Galliam à Rege Navarræo (quem Jesuita Tyrannum appellavisset) liberaret. Posteà in cellam se ab eo introductum fuisse, & benedictionem accepisse. Postero die, confessum esse alteri Jesuitæ; sed mentionem istius sui propositi nullam fecisse: sicque corpus Domini, in illo Jesuitarum Collegio, percepisse. Præterea verò cogitationes suas adhuc alii patefecisse Jesuitæ: qui & ipse, tanquam pias & meritorias, eas approbaverit. Post hæc demùm emisse cultrum, apud se in carcere repertum: qui alterâ tantùm ex parte, prope manubrium, sicut mensales plerumque solent esse, satis spissus fuit, deinceps autem utrinque acutus; & ad extremum, rotundiori, ad sicæ formam, mucrone exacuatus: quo Regem interimere cogitaverit. Petrus Barrierus, Regis cædem sibi proponens; à Jesuitis Parisiensibus ad eum exstimulatur:

Huic confeſsioni firmiter inſtitit, in eâque conſtanter uſq; ad mortem perſeveravit: imò, cùm dextra ejus igne jam abſumta, brachia quoque & crura confracta eſſent, in rotâ tandem, eandem ſummatim repetiit, & denuò confirmavit. quibus hæc inſuper addidit: duos nigros Clericos (Jeſuitas intelligens) eodem propoſito Lugduno profectos eſſe; quibus ipſe palmam præripere voluerit. Sententiâ igitur Judicii, per plateas Meloduni (ubi tùm Rex agebat) vectus forcipibus candentibus vulſus eſt primùm: dextra dehinc, quâ cultrum parricidialem tenebat, præciſa, & in ignem conjecta: brachia & pedes, cum humeris contuſa: ipſe ſic rotæ impoſitus, paucis pòſt horis exſpiravit: cadaver poſt mortem combuſtum; cineresque in profluentem aquam dejecti. Complices verò illius, mutato habitu ſe ſubducentes, evaſerunt.

Sed juſtam propterea pœnâ luit.

Sumtum eſt de Barrierio ſupplicium, 31. Auguſti: cùm pridie, qui erat dominicus, Pater COMOLETUS, Jeſuita Pariſienſis, vehementem ad auditorium Ligiſtarum concionem habuiſſet, eosque in epilogo illius monuiſſet; *ut paululum adhuc obdurarent, & quieti eſſent animis: brevì miraculum à Deo magnum ipſos eſſe percepturos, atq; oculis ſuis viſuros. Intereà verò ſibi non aliter perſuaderent, quàm quaſi jam-tùm iſtud-ipſum eveniſſet.*

III. *De alio Parricidio, in Regem Henricum IV. à Johanne Chaſtello, tentato.*

Anno 1594. die 27. Decembris, poſtquàm Rex ab expeditione ſuâ è Picardiâ Lutetiam rediiſſet, & adhuc ocreatus eſſet; circumſtantibus eum in conclavi quodam regii Palatii, Sobrinis ipſius, Principe Conti, & Comitibus Sueſsionis & S. Pauli, cum triginta aut quadraginta præcipuorum Magnatum & Nobilium aulæ regiæ: Nobiles à Ragni & Montigni, qui Regem nondum ſalutaverant, neque adhuc ei gratulati erant, devoti & inclinati ante illum comparent. Quos intereà dum Rex, in gratiam receptos, corpore demiſſo, ſublevaret: en adoleſcens quidam, Johannes Chaſtellus vocatus, pannarii opificis Pariſienſis filius, corpore brevis, ætate annorum 18. aut 19. qui cum turbâ in aulam irrepſerat, à nullo ferè obſervatus, ſubitò irrupit; ut Regem cultro, quem manu geſtabat, transfigeret. Sed ictus (quia Rex inclinato verſùs terram corpore erat, prædictos duos Nobiles excipiendi gratiâ) in faciem, ad labii ſuperioris latus dextrum, illatus fuit; & cum vulnere dentem unum fregit. Perditus ille nequam ſubitò comprehenſus, licèt aliquantulùm primâ fronte factum abnuiſſet; tandem tamen, nullâ vi cogente, id faſſus eſt. Rex ad hæc Satellitum Præfecto, qui latronem captum tenebat, poſtquàm cultrum à ſe projeciſſet, liberum illum dimitti jubet: ſe namque paratum, ſceleris hujus veniam ei dare. Cognito autem, quòd Jeſuitarum diſcipulus & aluminus eſſet, exclamat: *Quid? num'ne, proprii mei oris teſtimonio, Jeſuitæ mihi convincendi veniunt?*

Johannes Chaſtellus, diſcipulus Jeſuiticus, Regem interimere conatur.

Chaſtellus igitur, à Lugolio, rerum capitalium in Aulæ comitatu quæſitore

rogatus; quo œstro percitus, tantum facinus, nedum cogitare; sed manu exsequi, tentâsset? respondit; Jam-dudum hoc sibi animo conceptum, immotumque stetisse: dolore infectum: &, si liceret, rursus aggressurum: ratum, id Religioni catholicæ Conducere, jam-pridem mente volvisse hoc nefas; ac subripuisse cultrum ante prandium: quem cùm in museo abdidisset, cum patre & familiaribus pransum esse.

Quibus rationibus ad id facinus inductus fuerit.

Rogatus de statu, in quorum Scholis disciplinas didicisset? respondit: Apud Ignatianos triennio in studiis exacto, ante aliquot dies, à patre Petro Chastello, ad Gueretum Jesuitam deducto; ut ex animo scrupulum eximeret, quo, propter summa flagitia, de Dei misericordiâ diffidebat; in mentem sibi venisse, aliquo non-vulgari facinore, teterrimas noxas sibi expiandas esse: ex eo non semel de Rege necando cogitâsse: quâ Patri detectâ cogitatione, ab eo valdè objurgatum fuisse.

Habitâ ad hunc modum quæstione, altâ nocte; totâ Urbe undequaque accitis Centurionibus, Jesuitæ omnes custodiæ dantur. Postridie, Gueretus & Guignardus Jesuitæ ergastulis includuntur: cæteri, in D. Ludovici, suo museo, & Veteranorum secessu, custodiuntur. In palanum carcerem deductus parricida, repetitâ quæstione, eadem ipse ultrò confessus est.

Rogatus, *Quale ingens hoc facinus, quo noxas suas deleri rebatur?* respondit; Regis cædem fuisse: quem jugulo appetere mens & manus destinaverit; ictu inaniter adacto in dentes, quibus retusus fuisset. Cùm ea sibi feralis insideret cogitatio, cum Antichristo devotum esse Inferorum cruciatibus; ex duobus malis, levius sibi eligendum duxisse: ut qui mallet damnari ut quatuor, quàm ut octo.

Rogatus, *Unde hæc nova dogmata hausisset?* respondit; Ex placitis Philosophorum: quæ, sub ferulâ Guereti, plùs biennio didicisset.

Rogatus, *Num sæpiùs admissus fuisset in Jesuitarum lararium meditationum?* (in quo spectra & larvæ Dæmonum, cruciatus Inferorum, variaque portenta, ad perterrendos animos scelestorum, picta ostenduntur: ut terriculamentis, horribili formidine conceptâ pœnarum, ad frugem probatam viris ingenia ipsa effera redeant:) respondit; Ad hujusmodi pictos Inferos sæpè deductum fuisse.

Rogatus, *Quo magistro vel suasore didicisset; Regem occidendum?* respondit; Sparsim apud multos audivisse, cædem illius permitti: quòd eum Tyrannum nuncuparent.

Rogatus denique, *Num crebris sermonibus apud Jesuitas hoc propositum usurparetur, fas esse Regem occidere?* respondit; Audisse sæpissimè, licere hoc facinus: quòd extra Ecclesiam ille esset, & anathemate percussus: nec ideò regio titulo aut obsequio dignandus; donec à Pontifice Romano cœtui Christianorum atque aris restitueretur.

In hunc igitur Chastellum, ob tentatum hoc parricidium, à Parlamento Parisiensi, supremo Consilio regio, sententia criminalis lata est: paulò pòst

Criminalis sententia in Chastellum

lata: & Jesuitæ ex Galliâ proscripti.

integra recitabitur. In quâ sententiâ de Jesuitis quoque judicium istud latum fuit: *Ut, tanquam corruptores juventutis, perturbatores publicæ tranquillitatis, inimici Regis & Regni, infra certos dies toto Galliæ Regno exirent.* Contra quod Jesuitæ, quámvis multa opponerent; ac scriptis etiam, apud Regem, causam suam agere ac defendere niterentur: tamen, ut iterum tunc admitterentur, impetrare non potuerunt; sed solum vertere sunt coacti.

Qui igitur Luteriç erant Jesuitæ, eorumq; asseclæ omnes, portâ Antonianâ emissi, comitantibus lugentibusque discipulis, alii Virodunum; alii in Lotharingiam & Germaniam; alii in Belgium, præsertim Antuerpiam, se-se receperunt. Quotquot etiam in finibus Parisiensis Curiæ, ut Avarici Biturigum, Novioduni ad Ligerim, & Lauduni habitârunt, coacto cœtu, evectisque sarcinis, Rhodano Avenionem devehebãtur. Qui Rhotomagi Scholas habuerunt, quanquam Lutetiano foro exemti essent; tamen odio vulgi aliò penates suos efferre cogebantur.

Jesuitæ Burdegalẽses contra Edictũ ibi manent.

Burdegalenses autem Jesuitæ contumaciter permanebant, ibique & in vicinis locis factionem suam firmabant: adeò ut (cùm ignis præcedentium turbarum, à Jesuitis accensus, insufflatus, ac modis omnibus fotus, nondum planè extinctus esset) incommodum ac periculosum Regi caderet, vi illos aggredi, & sedibus istis exturbare. Quo factum, ut, in summam insolentiam magìs atque magìs excrescentes, non quiescere statuerint irrequieti homines: sed omnia inierint consilia, quibus machinis Regis obfirmatum animum expugnarent: ope etiam auxilioque Pontificis, Reginæ, & multorum Principum, adimplorato. donec eò rem deduxerunt; ut Rex tandem expugnatus & victus, contra Parlamentorũ suorum sententiam, adeóq; proprii etiam animi judicium, de receptione illorũ cogitare inciperet: uti posteà suo loco dicetur.

Chastelli ædes natales destruuntur: & in ejus locũ Pyramis erigitur.

Ejectis ex Galliâ Jesuitis: quia Petrus Chastellus, suprà-dicti Johãnis Chastelli pater, filii sui parricidiale contra Regem propositum, ab ipsomet intellexerat; & nihilominùs occultaverat apud se, ac reticuerat: à Parlamẽto porrò judicatum fuit; ut, quæ erat ejus, ante Prætoriam portam Palatii, domus, fundìtùs destrueretur, publicareturqne, & nunquam in posterum reædificaretur: sed in ejus areâ, ad perenne monumentnm immortalis flagitii, Pyramis seu Columna erigeretur; quæ literato marmore Senatus-consultum publicè testaretur: atque in ejus vertice Crux aurea fastigiaretur; quaternisque angulis totidem insiderent ore virgineo virtutes, quas cardinales vocant, quadrivariàm adglutinatæ marmoreis tabulis: in quibus Senatus-consultum literis aureis scriptum esset; & parricidium Chastelli, adeóq; causa, ob quam Jesuitç in exsilium relegati, universâq; Galliâ exturbati sint, sequentem in modum.

I.

In primâ facie baseos Pyramidis, ante Palatii portam Parisiis exstructæ, nigro marmori, literis aureis, Arrestum Curiç, contra Johannem Chastellum, Gallico idiomate incisum, in hanc sententiam legere erat.

Viso

Viso per Curiam, Magnâ Camerâ & Turriculis in unum coactis, criminali processu, per Præfectum Palatii Regii incepto, & posteà in eâdem peracto, ad petitionem Procuratoris generalis Regii, actoris & accusatoris, adversùs Johannem Chastellum, Parisiis ortum, & Studiosum, qui studiorum cursum in Collegio Claromontano absolvit, nunc captivum in Palatii carcere detentum, ob maximè-exsecrandum & abominandum parricidium, in Regis personam intentatum: quæstionibus item & confessionibus ejusdem Johannis Chastelli auditi & interrogati, in eâdem Curiâ, super ejusdem parricidii negotio: Auditis itidem, eodem loco, Johanne Gueret Presbytero, qui se de congregatione & Societate Jesu affirmabat esse, eodem in Collegio agente, & antehàc ejusdem Johannis Chastelli præceptore; Petro Chastello & Dionysiâ Hazardâ, parentibus prædicti Johannis: Conclusionibus Generalis Procuratoris Regii, & rebus omnibus perpensis: Eadem Curia pronuntiavit, & pronuntiat, prædictum Johannem Chastellum convictum criminis læsæ Majestatis, divinæ & humanæ, in primo capite; ob maximè-impium & summè-detestandum parricidium, in Regis personam intentatum. In cujus criminis reparationem prædictum Johannem Chastellum in mulctam honorariam adjudicavit & condemnavit: ut ante summas valvas templi Parisiani, nudus, solo opertus indusio, cum face cereâ ponderis duarum librarum manibus gestâ, eâq; ardente, flexis genibus, dicat & pronuntiet; Se iniquissimè, inhumanum, & maximè-abominandum parricidium suscepisse, & Regem in facie cultro læsisse: seq; falsâ & damnandâ institutione inductum, in suo processu dixisse, quòd crederet, licere Reges occidere; & Regem Henricum IV. nunc-regnantem, non esse in Ecclesiâ, usque-quò à Pontifice approbatus fuerit: eorumq; se omnium pœnitentiâ duci, & veniam petere à Deo, à Rege, & à Magistratu. Hisq; peractis, ut plaustro in locum Grevianum deducatur; ibiq; in brachiis & femoribus, candentibus forcipibus inuratur; & manus dextra, cultrum, quo prædictum parricidium perpetrare est adnixus, gerens, abscindatur: deindè ipsius corpus quatuor equis discerpatur; membra & corpus discerpta in ignem conjiciantur; & in cineres redacta in ventos projiciantur. Pronuntiavit eadem Curia, & pronuntiat, universa & singula ejus bona Regi acquisita. Antequàm exsecutionem, quæstioni ordinariæ & extraordinariæ idem Johannes Chastellus applicabitur; ut flagitii sociorum, & aliarum quarundam rerum, quæ ex ejusdem processu resultant, veritas innotescere possit. Inhibuit & inhibet omnibus, cujuscunque qualitatis aut conditionis demùm sint, sub pœnâ criminis læsæ Majestatis: ne dicant aut proferant in ullo loco, publico aut privato, prædicta verba: quæ eadem Curia pronuntiavit & pronunciat scandalosa, seditiosa, verbo Dei contraria, & sacris Decretis, ut hæretica condemnata.

Statuit insuper, ut Presbyteri & Studiosi Collegii Claromontani, & reliqui omnes, qui se ejusdem esse Societatis profitentur, tanquam corruptores juventutis, publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis hostes & Regni, urbe Parisianâ intra tres dies, post præsentis Arresti significationem, excedant; ut & aliis urbibus & locis, ubi eorum habentur Collegia; & quindecim pòst diebus, toto Regno: sub comminatione; si ibidem post id temporis deprehensi fuerint, futurum esse, ut puniantur tanquam facinorosi, & rei ejusdem criminis læsæ Majestatis. Omniaq; ipsorum bona, tùm mobilia, tùm immobilia, operibus piis applicabuntur; & quomodo ab ipsâ Curiâ fuerit constitutum. Præterea inhibet omnibus

Regis

Regis Subditis; ne Studiosos in prædicta Societatis Collegiâ, quæ extra Regnum sunt, immittant, ut ibidem instituantur: sub pari pœnâ læsæ Majestatis.

Statuit eadem Curia, ut copia præsentis Arresti, ad Præfecturas Provinciarum hujusce Judicatûs emittatur: ut isthîc exsecutioni, secundùm ejus formam & tenorem, mandetur. Mandat Præfectis, & eorum locum tenentibus generalibus & particularibus; ut id exsecutioni mandent, intra terminum in eo contentum: & Procuratoris generalis substitutis, ut manum teneant ad hoc, ut fiat exsecutio, & in delinquentes inquirant: qui Curiam doceant de suâ diligentiâ, intra mensem, sub pœnâ privationis officiorum.

SIGNATUM,

TILLET.

Pronuntiatum ipsi Johanni Chastello, & exsecutioni mandatum, die Jovis, 29. Decembris, Anni 1594.

II.

In secundâ facie quadratâ, sequens Inscriptio, Latinis versibus incisa marmori, legebatur.

QUOD SACRUM VOTUM'QUE SIT MEMORIÆ, PERENNITATI, LONGÆVITATI, SALUTI'QUE MAXIMI, FORTISS. ET CLEMENTISS. PRINCIPIS, HENRICI IV. GALLIÆ ET NAVARRÆ REGIS CHRISTIANISS.

Audi Viator, sive sis extraneus,
Sive incola Urbis, quoi Paris nomen dedit.
Hîc alta qua sto Pyramis, domus fui
Chastella; sed quam deruendam funditùs
Frequens Senatus, crimen ultus, censuit.
Huc me redegit tandem herilis Filius,
Malis magistris usus, & scholâ impiâ,
Sotericum (eheu!) nomen usurpantibus:
Incestus, & mox parricida in Principem,
Qui nuper Urbem perditam servaverat;
Et qui, favente sæpè victor Numine,
Deflexit ictum audaculi Sicarii,
Punctusq; tantùm est dentium septo-tenus.
Abi Viator: plura me vetat loqui
Nostræ stupendum Civitatis dedecus.

IN PYRAMIDEM EANDEM.

Quæ trahit à puro sua nomina Pyramis igne,
Ardua barbaricas olim decoraverat Urbes:
Nunc decori non est; sed criminis ara piatrix.
Omnia nam flammis pariter purgantur & undis.

Hic

Hîc tamen esse pius monimentum insigne Senatus,
Principis incolumis, statuit: quo sospite, casum
Nec metuet Pietas, nec Res grave publica damnum.

III.

In tertiâ facie, Latinis verbis, hæc facta erat Inscriptio.

D. O. M.

Pro salute Henrici IV. clementiss. ac fortiss. Regis, quē nefandus Parricida, perniciosiss. factionis hæresi pestiferâ imbutus, quæ nuper abominandis sceleribus pietatis nomen obtendens, unctos Domini vivasq; Majestatis ipsius imagines occídere populariter docuit, dum confodere tentat; cœlesti Numine scelestam manum inhibente, cultro in labrum superius delato, & dentium occursu feliciter retuso, violare ausus est. Ordo ampliss., ut vel conatûs tàm nefarii pœnæ terror, simul & præsentissimi in Opt. Principem ac Regnum, cujus salus in ejus salute posita est, divini favoris apud Posteros memoria exstaret, monstro illo admissis equis membratim discerpto, & flammis ultricibus consumto, ædes etiam, undè prodierat, heîc sitas, funditùs everti, & in earum locum, salutis omnium ac gloriæ signum erigi decrevit.

IIII. Non. Jan. Ann. Chr. 1595.

EX S. C.

Heic domus immani qnondam fuit hospita monstro,
Crux ubi nunc celsum tollit in astra caput.
Sanciit in miseros pœnam hanc sacer Ordo Penates;
Regibus ut scires sanctius esse nihil.

IV.

In quartâ facie, itidem Latinis verbis, sic inscriptum erat.

D. O. M.

SACRUM.

Quum Henricus Christianiss. Francorum & Navarr. Rex, bono Reipub. natus, inter cætera victoriarum exempla, quibus tàm de tyrannide Hispanicâ, quàm de ejus factione, priscam Regni hujus majestatem justis ultus est armis, etiam hanc Urbem & reliquas Regni hujus penè omnes recepisset; ac denique felicitate ejus intestinorum Franciæ nominis hostium furorem provocante, Johannes Petri F. Chastellus, ab illis submissus, sacrum Regis caput cultro petere ausus esset, præsentiore temeritate, quàm feliciore sceleris successu: Ob eam rem ex ampliss. Ordinis consulto, vindicato perduellione, dirutâ Petri Chastelli domo, in quâ Johannes ejus F. inexpiabile nefas designatum patri communicaverat, in areâ æquatâ hoc perenne monumentum erectum est, in memoriam ejus diei, in quo sæculi felicitas, inter vota & metus Urbis, liberatorem Regni, fundatoremq; publicæ quietis, à temeratoris infando incepto; Regni autem hujus opes attritas ab extremo interitu vindi-

cavit; pulso prætereà totâ Galliâ hominum genere novæ ac maleficæ superstitionis, qui Rempub. turbabant, quorum instinctu piacularis adolescens dirum facinus instituerat.

S. P. Q. P.

Extinctori pestiferæ factionis Hispanicæ, incolumitati ejus & vindictâ parricidii læti, Majestatiq; ejus devotiss.

Duplex potestas ista fatorum fuit:
Gallis saluti quod foret, Gallis dare:
Servare Gallis, quod dedissent optimum.

Jesuitæ Chastellum parricidam publicis scriptis defendunt.

Etsi verò omnia prædicta sic gesta essent; sententia quoque, contra Chastellum & Jesuitas, unanimi consensu Parlaméti regii, supremi in Galliâ Judicii pronuntiata & exsecutioni mandata fuisset: non tamen puduit Jesuitas, publicum, at merè-scholasticum Scriptum, Duaci in Belgio excusum, contrà opponere; quo sententiæ hujus absurditatem, & injustitiam, frustrà ostendere conantur: nec tamen ex fundamento quicquam aliud excipere habent; quàm, *Ex ipsius Sententiæ contextu facilè posse considerari, eam conditam & compositam ad mentem Hæreticorum nostri seculi: non alio fine, quàm ut Societatem Jesu reddant suspectam & exosam.* Sed multò adhuc impudentiùs agit Jesuita FRANCISCUS VERONA, in Apologiâ suâ pro Johanne Chastello, contra Edictum Parlamenti, & supplicium de illo ob parricidium sumtum. Præterquàm enim, quòd cædem Jacobi Clementis, in Henrico III. patratam, quibus potest modis, iniquissimè defendit; de Rege etiam Henrico IV. expressis verbis ità scribit part. 2. cap. 2. *Qui diligenter perpendit, excommunicatum, hæreticum, relapsum, profanatorem rerum sacrarum, declaratum hostem publicum, oppressorem religionis, ab omni jure perveniendi ad Regnum excludi; ac proptereà Tyrannum esse, non Regem; usurpatorem, non naturalem Dominum; criminis reum, non legitimum Principem: is sanè (nisi insanus sit, & destitutus omni humano sensu, & amore in Deum, Ecclesiam, & Patriam) aliter sentire & dicere non potest; quàm, facinus Chastelli esse generosum, cum virtute conjunctum, & heroicum, comparandum cum maximis & summâ laude dignis factis; quorum antiqua, sacra & profana, historiarum monumenta meminerunt. Unicum superest, quod improbare possit; nempè, quòd Chastellus istum non penitùs è medio sustulit.* Deinde cap. 3. dicit: *Chastellum non in animo habuisse, interficere Regem; sed Tyrannum, & Hæreticum excommunicatum. Nam, licèt ille Regem se dicat, Regis typum se gerat, & ex Regum Galliæ sanguine pronatum jactitet; atque etiam Rex à suis agnosci & honorari velit; eum tamen reverà ampliùs talem non esse: cùm non fidei, non virtutum, non meritorum denique Regum Galliæ sit hæres. Et quandoquidem, ob impietatem & hæresin suam, ab Ecclesiâ & Statibus sit exclusus; Regem omninò eum non posse esse, nisi de facto; de jure verò nequaquam, quod-ipsum Tyrannis vocari soleat.* Et cap. 4. scribit: *Henricum Borbonium Regem appellari non posse; licèt ad Catholico-Romanam Religionem conversus sit. Nam ipsum hoc fuco in alium finem non uti, quàm ut in ovile irrumpat, ad rabiem suam illic exercendam liberiùs.* Ac talium dictorum Liber ille per totum plenus est.

IV. *Quid cum aliis Jesuitis illo tempore in Galliâ actum fuerit.*

In custodiâ adhuc detento Johanne Chastello, quidam Dominorum à Parlamento deputati erant, ad inquirendum super illis, quæ in Jesuitarum Scholis agerentur. Hi cùm se in Collegium Claromontanum, ubi Jesuitæ erant, contulissent; & multas chartas scriptaque deprehendissent: invenerunt inter alia duos Libros, scriptos manu Johannis Guignardi, Presbyteri de Societate Jesu, & in illo Collegio Socii: quos ille, post Edictum Amnestiæ & abolitionis generalis, per Regem rebellibus suis Subditis Parisiensibus, clementissimè promulgatum, composuerat ac servaverat. In quibus libellis famosis, Jesuita ille, non solùm calumniis, contra honorem defuncti Regis Henrici III. & contra Successorem ejus, usus erat: verùm etiam Propositiones, plurimis falsissimis & seditiosissimis mediis refertas, conscripserat, ad probandum; quòd parricidium, in Rege antecessore patratum, licitum fuisset: persuasionibus etiam, seu inductionibus, ad Regem ipsius Successorem trucidandum, in terminis sequentibus, additis.

Johannes Guignardus, Jesuita Parisiensis, etiam Reges cædere docet.

Nam primò, (inquit) *si anno 157 2. die S. Bartholomæi, venam Basilisci* (sic Regem tùm Navarræum appellat) *præcidissemus; è febri in pestem non incidissemus: quod jam comperimus. Sed,*

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Sanguini parcendo, Galliam in ignem & sanguinem conjecerunt: & in caput reciderunt mala.

2. Quòd crudelis Nero, per Clementem, occisus; & Monachus hypocrita, per manum veri Monachi, è medio sublatus sit.

3. Evocabimus nos Neronem aut Sardanapalum Gallicum; Vulpem Bearnensem; Leonem Lusitanicum; Lupam Anglicam; Gryphum Suecicum; & Porcum Saxonicum?

4. Putásne pulcrum fuisse, videre tres illos Reges; (si modò Reges nominandi sunt:) Tyrannum defunctum, Bearnensem, &, qui se Monarcham prætendebat, Antonium?

5. Quòd pulcerrimum Anagramma, quod unquam super nomine defuncti Tyranni repertum fuisset, hoc esset; quo impurus Herodes appellaretur.

6. Quòd facinus illud heroicum, per Jacobum Clementem patratum, tanquam donum Spiritûs sancti, (hoc nomine à Jesuitis appellatum,) per defunctum Jacobitarum Priorem, Burgoinium, Confessorem & Martyrem, propter plurimas rationes, tàm Lutetiæ, (quod ego ipse, inquit Guignardus, *meis auribus tùm, cùm Juditham suam explicaret, audivi,) quàm coram egregio illo Parlamento Turonensi, jure laudatum sit. Id quod dictus Burgoinius (quod plus sit) sanguine suo contestatus sit, & morte propriâ confirmaverit: nec oportere fidem adhibere iis, quæ ab inimicis dicerentur; quòd nimirum ipse, ultimis suis verbis facinus illud, tanquam detestandum, improbaverit.*

7. Quòd diadema Gallicum in aliam, quàm Borbonicam familiam, transferri possit & debeat.

8. Quòd Bearnensis, licèt ad fidem Catholicam reversus, mitiùs tamen, quàm meritus sit, tractaretur; si corona monachalis in Cœnobio quodam benè-reformato ipsi daretur: ut ibi de tantis malis Galliæ illatis pœnitentiam ageret: & Deo, pro eâ gratia, quòd ante mortem suam ipsum recognovisset, gratus esset.

9. Si sinè bello deponi non possit: bellum ipsi inferendum. Si bellum inferri non possit, causâ mortuâ; clam è medio tollatur.

Parlamentum, cùm hæc scripta vidisset; authorque eorum Guignardus, de iis ipsi oblatis interrogatus, à se composita, & suâ manu scripta, agnovisset & confessus esset; Arrestum, quod sequitur, declaravit.

Viso per Curiam, Magna Cameræ & Turricularum Consiliariis congregatis, Processu criminali, per aliquem ejus Consiliarium formato, ad petitionem Procuratoris generalis Regis, contra Johannem Guignardum Presbyterum, Collegii Claromontani in hac urbe Parisiensi Rectorem, in carceribus custodiarum Palatii captivum: propterea quòd multi libri, ab ipso compositi, & ipsius manu scripti, apud eum inventi fuère; qui inter cætera, crudelissimi & immanissimi parricidii, in Rege antecessore commissi approbationem, & ad præsentem etiam Regem occidendum inductiones & persuasiones, continebant: Interrogatoriis & confessionibus dicti Guignardi, libris istis, quos composuerat & suâ manu scripserat, ipsi præsentatis, & ab eo agnitis: Conclusionibus Procuratoris Regis generalis, dicto Guignardo, coram Parlamento, super criminibus ipsi objectis, & in istis libris contentis, audito & interrogato; & omnibus consideratis: Decretum est, quòd Parlamentum declaravit & declarat, istum Guignardum criminis læsæ Majestatis reum & convictum; quòd istos libros composuit, & suâ manu scripsit, qui plurimas falsissimas & seditiosissimas regulas continent: quibus probare conatur, parricidium in Rege antecessore commissum licitum fuisse; & etiam præsentem Regem Henricum IV. occidere permissum esse. Ad cujus sceleris expiationem, damnavit & damnat dictum Guignardum; ut amendam faciat honorabilem, nudus, & indusio tantùm tectus, laqueo è collo pendente, ante principalem Ecclesiæ Parisiensis portam; ac ibi in genibus subsidens, facemq; ceream ardentem duarum librarum in manu tenens, dicat & declaret: quòd scelerate, & nefariè, & contra veritatem scripserit, Regem antecessorem per Jacobum Clementem jure occisum fuisse; & Regem nunc-regnantem, nisi in bello occumbat, è medio tolli oportere. horum autem se pœnitere, & gratiam à Deo, à Rege, & à Justitiâ precari. Hisce peractis, ducatur & rapiatur in forum Grevarium; & ad palum, qui ad hanc rem ibi erigetur, suspendatur & strangulетur: & posteà corpus mortuum per ignem, qui sub palo excitabitur, in cineres redigatur. Declaravit etiam & declarat, ut omnia ejus bona fisco regio addicantur. Pronuntiatum dicto Johanni Guignardo, & exsecutioni mandatum, 7. die Mensis Januarii, Anni 1595.

Johannes Gueretus, Chastelli præceptor, cum patre ejusdem, è Galliâ proscribitur.

Eodem die, instituto & peracto Processu contra Johannem Gueretum, Chastelli parricidæ præceptorem; & contra Petrum Chastellum patrem illius, & matrem, & sorores, præsertim contra unam ex illis: quæ cùm intellexisset, fratrem suum esse captum, & ipsa in carcerem duceretur, Jesuitas dicto fratri suo consilium aliquod malum dedisse, exclamaverat: istis, Guereto, Petro Chastello, uxore, & filiabus ejus, & ipsorum servis & ancillis, simi-

ſimiliter & Curiali D. Petri de Aſsiſiis, auditis: Arreſtum ſequens declaratum eſt.

Viſo à Parlamento, Magnæ Cameræ & Turricularum Conſiliariis congregatis, Proceſſu criminali, per Præfectum Prætorio regio formato, & poſteà informationibus productis, ad inſtantiam Procuratoris generalis Regis, petitoris & accuſatoris, contra Johannem Gueretum Presbyterum, de Congregatione & Societate nominis Jeſu ſe denominantem, in Collegio Claromontano habitantem, & antehàc Johannis Chaſtelli, non ità pridem, per Arreſtum dicti Parlamenti, morte affecti, Præceptorem; Petrum Chaſtellum, mercatorem pannarium, civem Pariſienſem; & Dionyſiam Hazardam, ipſius uxorem; parentes dicti Johannis Chaſtelli; Johannem Comitem, & Catharinam Chaſtellam, ejus uxorem; Magdalenam Chaſtellam, dicti Petri Chaſtelli & Dionyſiæ Hazardæ filiam; Antonium Villierium, Petrum Ruſſellium Thurinum, & Ludovicum Camum ipſorum ſervos & ancillas; Magiſtrum Claudium Allemantum Presbyterum, Clericum in dictâ Parochiâ; & Magiſtrum Lucam Morinum, Presbyterum in illa ordinarium; in carcere cuſtodiarum Palatii captivos: Interrogationibus, confeſsionibus, & denegationibus dictorum Captivorum, dicto Johanne Chaſtello cum patre ſuo Petro Chaſtello compoſito; Inquiſitione contra Petrum Chaſtellum inſtitutâ; Teſtibus in illâ auditis cum ipſo compoſitis: Proceſſu criminali Johannis Chaſtelli, propter exſecrandum & deteſtandum parricidium, in Regem tentatum; & Proceſſu verbali exſecutionis Arreſti, contra dictum Johannnem Chaſtellum, 29. proximi Decembris die declarati: Concluſionibus Procuratoris generalis Regis, dictis, Guereto, Petro Chaſtello & Hazardæ, ſuper criminibus ipſis objectis, & in dicto Proceſſu contentis, coram Parlamento auditis & interrogatis: aliis interrogationibus & denegationibus, per dictos Gueretũ & Petrum Chaſtellum, in quæſtione per inſtantiam Parlamenti ipſis exhibitâ factis, & omnibus conſideratis: Decretũ eſt, quòd dictum Parlamentum ipſis, propter crimina in illo Progreſſu demonſtrata, relegavit & relegat extra Regnũ Franciæ, dictos, Gueretum, Petrum Chaſtellum: Gueretũ quidem in perpetuum; & dictum Chaſtellum ad tempus & ſpatium novem annorum, & extra urbem & ſub urbia Pariſienſia in perpetuum. Indixit etiam illis, ut hanc ſuam relegationem obſervent, pœnâ ſuſpenſionis & ſtrangulationis, ſine ullâ aliâ judicii formâ indictâ. Declaravit & declarat, ut omnia & ſingula dicti Gueretì bona in Fiſcum regium redigantur. & damnavit ac damnat dictum Petrum Chaſtellum, ut Regi pro mulctâ bis-mille Coronatos ſolvat: qui ad panes, Captivis in cuſtodiis Palatii emendos & comparandos, applicentur & impendantur: nec ille è carceribus liberetur, priusquàm dictam ſummam pleniſſimè ſolverit; nec tempus Relegationis, niſi iſtâ ſolutâ, incipiat.

Statuit dictum Parlamentum, ut Domus illa, in quâ Petrus Chaſtellus habitavit, dejiciatur, deſtruatur, & penitùs exſcindatur: & locus ille ſeu area locis publicis annumeretur; ne in-poſterum quisquam ibi ædificare poſſit. quo in loco, ad perpetuam hujus ſceleratiſſimi & exſecrandi parricidii in Regem tentati memoriam, alta Columna, è lapide cæſo ſtructa, ponatur & erigatur: affixâ ſimul tabulâ, in quâ cauſæ dictæ demolitionis, & erectæ Columnæ, ſcribantur: quod eâ pecuniâ fiet, quæ ex demolitione domûs proveniet.

Et quantum ad dictos, Hazardam, Comitem, Catharinam & Magdalenam Chaſtellam, Villierium, Ruſſellium Thurinum, Camum, Allemantum, Bernardum, & Morinum,

attinet; statuit Parlamentum, ut carceres ipsis aperiantur. Pronuntiatum dictis, Hazarda, Comiti, Catharina & Magdalena Chastellis, Villierio, Russellio, Thurino, Camo, Allemanto, Bernardo & Morino, 7. die Januarii: & dictis, Guereto & Petro Chastello, 10. die dicti mensis, anno 1595.

Et tamen etiam FRANCISCUS VERONA Constantinus, in suâ Apologiâ pro Johanne Chastello, parte 5. cap. 8. 9. & 10. utrumque istum, Gueretum & Guignardum, eorumque seditiosa, nefaria, & parricidialia facta, defendere conatur: & justissima Parlamenti decreta, & supplicia de iis sumta, summæ injustitiæ accusat; imò crudelitatem & sacrilegium appellat, quod in personis ipsorum commissum sit. Ità videlicet omnia Jesuitarum scelera meræ virtutes sunt! nec quisquam propterea frontem corrugare debet!

Alexander Hajus itèm ex Galliâ proscriptus.

Inquisitiones insuper institutæ fuerunt contra Alexandrum Hajum Jesuitam, natione Scotum, qui tùm temporis etiam Parisiis agebat: quòd contra Regem Henricum IV. (quem, cum aliis, Bearnensem tantùm appellare solebat,) varias blasphemias effutivisset: juxtaq; docuisset, Eum, qui hunc è medio tolleret, siquidem & ipsum tàm sancto operi immori contingeret, rectâ viâ in Paradysum abiturum; animamque ipsius, tametsi veniali aliquo peccato sordidatam, non tamen propterea in Purgatorium venturam esse. Quòd si etiam irato Deo fieret, ut, Bearnensis ille urbem Parisiensem ingrederetur; velle se periculum facere, ut si is apud Collegium ipsorum præteriret, de summâ fenestrâ ipse in eum decidat, & collum ejus frangat; certâ spe, prolapsionem istam sibi ascensionem in cœlum futuram. Quumque intellexisset, eo die, quo Rex in fano S. Dionysii primùm Missę interfuisset, aliquos tunc etiam discipulorum suorum præsentes adfuisse: eos prostridie classe scholasticâ arcuisset, neque in illam redire permisisset; donec, ab aliquo Sacerdote Jesuitâ, pro eâ re absolutionem impetrâssent. Quòd itèm publicè docuisset, Oportere dissimulare, & Regi ad tempus per simulationem obedire: sicque meliorem auram pro Ligistis ac Jesuitis exspectare. Hisce verbis etiam sæpissimè usus dicitur; *Jesuita est omnis homo:* h.e. omni tempori se accommodare, ac quemvis ventum captare novit.

His & similibus de causis, quæstione capitali contra eum institutâ, & comperto, quòd pleraque ejus dicteria, durante adhuc bello, & ante reductionem Parisiensium, edita fuissent: mitiùs aliquantò, quàm Guignardus, tractatus fuit; ut ex sequenti Arresto apparet.

Viso à Parlamento, Magna Curia & Turricularum Consiliariis congregatis, Processu criminali formato, & juxta consuetudinem instructo, ad postulationem Procuratoris generalis Regis, petitoris, contra Alexandrum Hajum Presbyterum, de Congregatione & Societate nominis Jesu se dicentem, in carceribus custodiarum Palatii captivum; Inquisitionibus, Interrogationibus, & Testium compositionibus, Conclusionibus Procuratoris Regii generalis: dicto Alexandro Hajo, super criminibus ipsi impositis, & in dicto Processu contentis, coram Parlamento interrogato & audito; & omnibus consideratis: Decretum est, quòd dictum Parlamentum, propter crimina in dicto Processu demonstrata, dictum

Hajum

Hajum è Regno Gallico in perpetuum relegavit & relegat; ipsi injungens, ut relegationem hanc suam observet, sub pœnâ suspensionis & strangulationis, sinè ullâ aliâ judicii formâ inditâ. Pronuntiatum dicto Hajo, ad portulam dictorum Carcerum propterea alligato, 10. die Januarii, Anno 1595.

Plurima prætereà, in Jesuitarum Collegio, Parisiis, Scripta & Anagrammata contra Regem inventa sunt: non absimilia iis, quæ apud Johannem Chastellum reperta, & in scriptis Johannis Guignardi inventa sunt: sicut & quædam Themata, per Grammaticos dictata; quorum argumentum, de Morte constanter sufferendâ, & Tyrannis invadendis, erat. Prætereà cognitum est, quòd Magistri Collegii Claromontani Scholasticis suis, ne pro Rege precarentur, urbe Parisiensi jam sub potestatem Majestatis suæ redactâ, præceperint; & eos, qui ad Missam ejus irent, excommunicatos esse dixerint.

Compertum insuper fuit, à Jesuitis multos pueros, qui eos parentibus suis rapuerant, seductos fuisse; ut in longinquas regiones secum abirent.

Per Inquisitiones prætereà, Biturigibus transmissas, cognitum est; quendam, cui Francisco Jacobo nomen, Jesuitarum in dictâ Urbe Scholarem jactâsse: quòd Regem occidere vellet; nisi eum jam mortuum, & ab alio quodam occisum, existimaret.

In-primis etiam Processus institutus est contra quendam Johannem Belum Scholarem; qui non ita pridem literis in Collegio Claromontano operam dederat: quòd Franciscum Veroneum Scholarem Pictaviensem, literis operam dantem, contra patris sui, in Parlamento Procuratoris, voluntatem, seducere conatus esset; ut Jesuitas, contra inhibitionem per Arrestum Parlamenti factam, extra Regnum Galliæ sequeretur. Prætereà idem Belus accusatus fuit, quòd plurimas lectiones & compositiones, in Societate Jesuitarum dictatas, & ab ipso, cùm in eorum Collegio esset, exceptas, reservâsset, & apud se custodivisset: in quibus plurima præcepta damnata, de Regibus occidendis; & approbatio ac laudatio exsecrandi illius parricidii, in defunctum Regem designati, continerentur: ut ex Arresto sequenti manifestum est.

Johannes Belus, Scholaris Jesuiticus, è Galliâ proscriptus.

Viso à Parlamento Processu criminali, per quendam ejus Consiliarium, cui hoc negotium commissum fuit, facto & formato, ad postulationem Procuratoris generalis Regis, petitoris, contra Johannem Belum Scholarem, qui non ità pridem in hac Urbe, in Collegio Claromontano, operam dedit literis, in carceribus custodiarum Palatii captivum: Interrogationibus super certis literis, & aliis scriptis, quæ à se scripta agnovit, ipsi factis; Conclusionibus Procuratoris generalis Regis; dicto Johanne Belo, coram Parlamento, super criminibus ipsi impositis, audito & interrogato; & omnibus consideratis: Decretum est, quòd Parlamentum, propter crimina in dicto Processu demonstrata, dictum Johannem Belum damnavit & damnat; ut amendam faciat honorabilem, in Magnâ ejus Camerâ, Judicibus pro tribunali sedentibus; caput & pedes nudus, & indusio tantùm indutus, facem duorum pondo ardentem in manu tenens, & ibi in genibus subsidens, dicat & declaret: quòd temerariè, & malo consilio, Franciscum Veroneum, Scholarem, in Academiâ Pictaviensi literis operam navantem, pellicere & seducere voluerit; ut suprà-dictos Presby-

Presbyteros & Scholares Collegii Claromontani, & alios illorum Societatis, contra inhibitionem Parlamenti, extra Regni limites sequeretur. Et praetereà, quòd imprudenter servârit & custodierit multas lectiones, & compositiones, per quosdam dictæ Societatis dictatas, & ab ipso exceptas, & propriâ manu in dicto Collegio Claromontano scriptas; multas doctrinas damnabiles, de Regibus trucidandis, & approbationem & laudationem detestandi & nefarii parricidii, in Rege antecessore Henrico III. commissi, continentes. Horum verò se pœnitere; & gratiam ac condonationem à Deo, à Rege, & à Justitiâ, precari. Hisce peractis, eum in perpetuum è Regno Galliæ relegavit & relegat; ipsi injungens, ut hanc relegationem observet, sub pœnâ suspensionis & strangulationis, si deprehendatur, sinè ullâ aliâ judicii formâ indictâ. Declaravit & declarat, ut omnia ipsius bona in Fiscum regium redigantur: ex quibus inprimis centum Coronati, ad reparationes necessarias custodiarum Palatii sumantur, & impendantur. Decretum in Parlamento, 21. Martii; & pronuntiatum dicto Belo, & exsecutioni mandatum, in Magnâ Camerâ dicti Parlamenti, 10. die Aprilis, Anno 1595.

V. *Quid cum Jesuitis, indè à tempore proscriptionis, usque ad tempus receptionis eorundem in Galliâ, ibidem actum fuerit.*

Jesuitæ proscriptæ clanculùm in Galliam redeunt:

sed exinde iterum relegantur.

Tametsi Jesuitæ, utì dictum, publico Edicto è Regno Galliæ proscripti relegatique, maximam etiam partem ex eodem profecti essent; paulatim tamen iterum, quà privatim, quà publicè, rursus in id se-se intrudere conabantur: alii, mutatis suis nominibus & vestibus; alii, Ordinem ac sectam Jesuiticam se abjurâsse simulantes; ac petentes, ut recipiantur tantùm constituendarum Scholarum, vel prædicandi caussâ. Horum igitur subdolorum conatuum, Curia Parlamenti Parisiensis certior facta, Arresto omnibus Subditis totius Regni prohibuit; ne Jesuitas, in hos usus, vel publicè, vel privatim, recipiant. Arrestum de verbo ad verbum sic habet.

Postquàm Procurator Regis generalis ostendit ac demonstravit, se certiorem esse factum; quòd quidam eorum, qui antehàc è Societate illâ, de nomine Jesu dictâ, tam in Collegio Claromontano hujus urbis Parisiensis, quàm in aliis hujus Regni locis fuerunt, in plures Urbes, præsertim limitaneas, redivissent; ubi constituendarum Scholarum, & prædicandi caussâ, sub prætextu, quòd pristinam (ut præ se ferrent) prætensi Ordinis & Sectæ illius Societatis professionem abjurassent, reciperentur: ex quo periculum foret, ne Juventus, per pravarum doctrinarum blanditias & illecebras, corrumperetur; & Populus falsis prædicationibus circumveniretur: quodq;, si toleraretur, Arrestum Curiæ, 29. Decembris, anno 1594. declaratum, contemtui & illusioni exponeretur: Eâ de causâ requisivit, ut omnibus personis, corporibus & communitatibus, officialibus & privatis, cujuscunq; sint qualitatis aut conditionis, mandaretur; ne quenquam eorum, qui de dictâ nominis Jesu Societate se dicunt, sub prætextu cujuscunq; abjurationis, quam fecissent, aut facere possent, sive Scholarum, vel publicè, vel privatim constituendarum, sive in Ecclesiis

præ-

prædicandi, sive quâcunque aliâ de causâ, reciperent, aut recipi paterentur: iis, qui illos receperunt, recipient, aut tolerabunt, quòd læsæ Majestatis rei & convicti declarandi sint, pœnâ indictâ; Jesuitis etiam, iis, quæ in dicto Arresto continentur, suppliciis propositis. Dicta Curia, deliberatione super hac materiâ habitâ, decrevit ac decernit, ut dictum Arrestum, 29. Decembris, anno 1594. promulgatum, secundùm formam & tenorem suum, exsecutioni mandetur: & juxta illud mandavit, & mandat omnibus personis, corporibus & communitatibus Civitatum, officiariis & privatis, cujuscunq; sint qualitatis aut conditionis; ne quenquam Presbyterorum, aut Scholarium, de Societate nominis Jesu se dicentium, quamvis etiam pristinum Professionis suæ votum abjurârint, eiq; renuntiârint, sive Scholarum publicè privatímve constituendarum, sive quâcunque aliâ de causâ, recipiant, aut recipi patiantur: iis, qui secùs facient, quòd læsæ Majestatis rei & convicti declarari debeant, pœnâ indictâ. Injunxit & injungit Diœcetis & Præfectis, aut ipsorum locum-tenentibus; ut exsecutioni præsens hoc Arrestum mandari faciant: Gubernatoribus urbium; ut manum huic rei admoveant: & substitutis dicti Procuratoris generalis; ut diligentiam in his adhibeant, & Curiam intra 15. diem certiorem reddant, pœnâ proprio nomine respondendi propositâ. Factum in Curiâ, 21. Augusti, Anno 1597.

SIGNATUM,

BODIN.

Talia Arresta etiam deinceps, diversis vicibus, ac pro certis casibus causisque, repetita fuêre: in quibus notabile præsertim est illud Arrestum Parlamenti Parisiensis, 18. Augusti, anno 1598. à Rege ipso, sub nomine suo, publicatum, contra Dominum Turonensem, Jesuitas in suo territorio defendentem: quo prohibetur omnibus, cujuscunque sint statûs aut conditionis, Liberos suos ad Collegia Jesuitarum, quocunque in loco, literarum causâ mittere. Id sic de verbo ad verbum habet.

Dominus Turonensis propter Jesuitas condemnatur, bonisq; omnibus & honoribus privatur.

HENRICUS, gratiâ Dei Galliæ & Navarræ Rex, omnibus, qui literas præsentes videbunt, salutem. Notum facimus, quòd super iis, quæ Procurator noster generalis, à Magistro Ludovico Servino, & Simone Marione, Advocatis nostris, adjutus, Curiæ nostræ Parlamenti, per dictum Servinum, ostendit, quòd scilicet per Arrestum, 1. Octob. superioris die publicatum, Dominus Turonensis condemnatus fuisset; ut Presbyteros & Scholares, de Societate nominis Jesu se dicentes, intra duos menses, pro ultimâ dilatione ipsi à significatione præfixos, è finibus & limitibus urbis & dominii Turonensis discedere & abire faceret; & uno mense pòst, sub pœnis ibi constitutis, dictam nostram Curiam certiorem redderet: quodq; id Arrestum dicto Turonensi, in hac urbe Parisiensi, undecimo dicti mensis Octobris, personaliter significatum fuisset; & ille tamen nihilominùs non satisfecisset, neque obedivisset: Quòd etiam ipse, dictus noster Procurator generalis, certior factus esset; multos Subditorum nostrorum, contra Inhibitiones, per Arrestum, 29. Decembris, anno 1594. promulgatum, factas, Liberos suos in dictam urbem Turonensem, & Pontamussonium, & in alias regiones & loca, tam intra quàm extra Regnum, ad Collegia dictæ prætensæ Societatis nominis Jesu, studiorum & institutionis caussâ, emisisse: unde plurima & notabilia mala, & pericula, metuenda essent: præsertim cùm isti Presbyteri, & Scho-

lares, dictæ prætensæ Societatis, post dictum vicesimi-noni Decembris Arrestum, non solùm damnabilem, & per illud reprobatam doctrinam continuaverint; verùm etiam alias novas & magìs abominandas doctrinas, & institutiones, quas ubicunq; inprimis in Regno nostro, per libros exsecrandos spargunt, prioribus adjecerint: Et propterea postularet, ut dictus Turonensis pœnas, in dicto primi Octobris Arresto constitutas, incurrisse declaretur; & Inhibitiones, in Arresto, 29. Decembris, anno 1594. declarato, contentæ, reiterarentur, & denuò publicarentur; commißione inquirendi datâ in eos, qui contravenisse invenirentur: & ut omnes illi, qui, post illud apud prætensos illos dictæ Societatis, aut in ipsorum Collegiis, quocunque sint in loco, literis operam dedissent, privilegiis Academicis privarentur; & Gradus, quos postmodùm in quâcunque Academiâ obtenturi essent, pro nullis, nullius momenti & valoris, declararentur. Visis dictis Arrestis, 29. Decembris, 1594. & 1. Octobris proximi, declaratis, unà cum actione significationis illius, undecimo dicti mensis Octobris factæ; simul etiam Arrestis, 21. Augusti, & 16. Octobris proximi, editis; Re in deliberationem adductâ: Dicta NOSTRA CURIA, Conclusionibus Procuratoris nostri generalis consideratis, per Arrestum suum, dictum Turonensem pœnas, in dicto primi Octobris Arresto constitutas, incurrisse, declaravit & declarat. Decrevit & decernit, ut omnia ipsius bona occupentur, & in nostram potestatem redigantur. Injunxit & injungit nostri dominii Quæstoribus, singulis in eo, quod sui est officii: ut fructus & proventus recipiant; & de iis, ut & de aliis acceptorum suorum pecuniis, rationem reddant, juxta designationes, quæ per Thesaurarios Galliæ fient, & quas illi in manus dictorũ Quæstorum tradent: & Officialibus earum terrarum, quæ occupabuntur, sive clientelari jure, sive jurisdictione nobis obstrictæ sint; ut dictam jurisdictionem nostro nomine exerceant: sub pœnâ, quòd Processus, quicunque in aliâ, quàm nostrorum Officiariorum qualitate, ab ipsis fient, pro nullis haberi; impensæ, damna & versuræ partium, ipsorum proprio & privato nomine factæ, æstimari; & ipsi cujuscunq; officii nostri, aut alius muneris publici, incapaces declarari debeãt. Statum & officium Præfecti Auvergnensis, quo dictus Turonensis ornatus fuit, vacans & impetrabile; & eum Turonensem illius gerendi, aut exercendi, incapacem & indignum declaravit, & declarat. Mandavit & mandat Vicariis & Officialibus dictæ Præfecturæ; ne ipsi ullum ingressum, aut dignitatem, in suis sedibus permittant: & omnibus nostris Subditis; ut ipsum pro tali agnoscant: Notariis; ne ullas commißiones, sententias, & alias actiones, in ipsius nomine ampliùs concipiant: omnibus Rationalibus; ne ipsi ulla stipendia, aut jura, propter dictum officium solvant: omnia sub pœnâ repetendorum dictorum stipendiorũ & jurium, privationis officii, amendarum arbitrariarum, & aliarum majorum mulctarum; si secùs actum fuerit. Et præterea mandavit ac præcepit, mandat & præcipit omnibus personis; ne Scholasticos ad Collegia dictæ prætensæ Societatis, quocunq; tandem in loco & regione sint, studiorum caußâ emittant: pœnis, quæ in dictis Arrestis continentur, indictis; quæ denuò locis & regionibus consuetis publicabuntur, quò omnibus innotescant. Et dicto nostrò Procuratori generali negotium, in ea, quæ secùs agentur, inquirendi, committetur: ut, informationibus in dictâ Curiâ nostrâ factis, per eandem adversùs contravenientes, prout ratio postulabit, procedatur. Et de præsenti decrevit, & decernit, ut omnes nostri Subditi, qui in Collegiis dictæ prætensæ Societatis, vel intra vel extra Regnum, post Arrestum 29. Decembris, anno 1594. decretum,

infor-

informati aut instituti fuerunt, nullis privilegiis Academicis, tanquam Graduum incapaces, fruantur. Gradus etiam, quos jam obtinuerunt, aut in-posterum in quâcunque Academia obtinebunt, nullos, nullius momenti & valoris, declaramus: ut ratione eorum, nec docere, nec officiis ornari, nec beneficiis graduum affici; nec in dictâ Curiâ nostrâ, aut aliis quibuscunque locis, pro Advocatis recipi; nec ullis juribus, prærogativis & præeminentiis, fructibus, commodis, aut emolumentis dictorum Graduum frui possint. Decernit dicta nostra Curia, ut præsens Arrestum in omnibus municipiis & præfecturis promulgetur: injungit Substitutis dicti Procuratoris nostri generalis, ut exsecutionem ejus persequantur; & dictam Curiam certiorem reddant de iis, quæ contra dictum 29. Decembris, anni 1594. Arrestum agentur, se-se informent; & informationes intra duos menses ad Grapheum mittant, pœnâ illis proprio & privato nomine respondendi propositâ. Sic, ex Decreto dictæ nostræ Curiæ, mandamus omnibus Diœcetis, Præfectis, aut ipsorum locum tenentibus, singulis in suâ Diœcesi & Præfecturâ, & suo loco, ad quos hoc pertinebit: ut præsens Arrestum, juxta formam & tenorem suum, debitæ & integræ exsecutioni mandent; omnes eos, qui ad hoc cogendi sunt, modis & mediis debitis & æquis cogentes. Mandamus omnibus, ut hisce, sicuti decebit, obediant. Datum Parisiis, in Parlamento nostro, 18. die Augusti, anno gratiæ 1598. Regni nostri 10.

Signatum per CAMERAM.

Paucis annis post hæc, ac nominatim anno 1601. totis viribus, conatibus, ac modis variis, inprimisque prolixis ac falsis Apologiis, & supplicibus libellis, apud Regem tentârunt; ut reciperentur in Regnum denuó. Sed tunc quidem adhuc temporis tale responsum à Rege acceperunt. *Perlegi ego, Apologiam vestram, satis verbosam: ac diligenter mecum perpendi omnia, quæ satis scitè, innocentiæ vestræ gratiâ, collegistis. Quia verò negotium arduum est; nec res dijudicatæ temerè rescindendæ: breviter, & ut Regem decet, quid faciendum statuam, exponam. Totus jam in hoc sum, ut Regnum meum, bellis civilibus attritum, & viribus opibusque exhaustum, recèns cum Hispano pace initâ, pristino nitori restituam; legibus firmem; humanitate recreem. Id quando aliâ ratione fieri non potest; nisi ut æquali jure & benevolentiâ, Catholicos, & Huguenotas appellatos, complectar, tùm in ecclesiasticis, tùm in politicis, accuratè mihi, de vobis revocandis, cogitandum esse video. Novi ego vos Viros doctos & discretos: novi zelo Catholicæ & Romanæ doctrinæ inflammatos: novi, vos acerrimo Huguenotarum flagrare odio: novi, vos Sanctorum reliquias, cereos divini Agni orbiculos, Deiparæ Virginis numismata, Rosaria, vel aliud quidpiam à Pontifice consecratum, devotè venerari; quæ Huguenotæ, ut ridicula, aspernantur; ut idololatrica, exsecrantur. Metuo igitur, ne vehementiâ, quâ in concionando uti soletis, & condemnationum, quas scribendo iteratis acerbitate, multorum animos, nunc prorsus pacatos, denuò irritetis; atque ità, etiam imprudentes, turbarum auctores sitis. Jam, res ut sunt humanæ, levi aliquâ occasione fieri posset, (quod tamen nolim,) ut bellum inter me & Hispanum recrudescat. Quid tùm animi mihi futurum sit, malim vos cogitare; quàm me dicere. Quid autem ante quadriennium admissum fuerit, regium non est, vel vobis, vel aliis objectare. Sententiam igitur semel latam non muto. Vos, si verè Galli estis, magìs totius tranquillitati Regni, quàm vestræ utilitati, consulatis. Dixi, quæ volui. Abite, & valete.*

Jesuitæ in Galliâ recipi petunt: sed à Rege tunc repudiantur.

Nec tamen Regem urgere desinunt, donec illius animũ vincant.

Verùm ne sic quidem homines improbè importuni cessârunt; sed post hæc omnia, novis ac variis artibus usi, Regis denique animum lucrifacere atque expugnare studuerunt: donec ille tandem eò perductus ac persuasus fuit; ut de Jesuitarum in Galliâ receptione, cogitationes animo volvere inciperet. Quem in eventum accidit peropportunè pro Jesuitis; ut, anno Christi 1603. Rex, è Mediomatricibus revertens, per Virodunum iter faceret. Tunc enim ab Academicis Jesuitis rogatur; ut interdicto decreti Parisiensis, qui in Virodunensi ludo literario versarentur, eximantur: quòd ditionis Gallicæ non sit Virodunum. Rex, Arresto illos non comprehendi, respondet: eâ tamen lege, ut, qui in Pontamussinâ Scholâ literis darent operam, Virodunum redeant. In Galliam reversionis simul dat fiduciam: si in posterum sint fidi clientes; Regem quoque illis fore propitium.

Ut hæc secunda aura illis afflavit; mox deliberatum à Virodunensibus & Pontamussinis Jesuitis fuit, de Rege adeundo & alloquendo. Hebdomadâ igitur magnâ ante Pascha, Ignatius Armandus, Castellerius, Brossardus, & Turrius, à Sodalitio missi, opportunè adsunt, Feriâ sanctâ in Cœnâ Domini. Post prandium, Varraneo Jesuitis ad regium colloquium aditum faciente, Ignatius in hæc verba loquutus esse dicitur. *Cùm primùm avito Regno, Numinis stupendis auspiciis, potiri, Rex Christianissime, tibi cœlitùs tributum; summas in te virtutes, quibus Reges & Principes omnes, qui antecessêre, longè superas, agnovimus: ac potissimùm Regiæ Celsitudinis tesseram, & summum ornamentum, maximam virtutum Clementiam, quâ Perduellium gravissimas offensas condonâsti; eádemq; in nos quoq; æquanimiter usurum, confidimus. Sed ô secularĩu rerum spes lubrica! In primordiis Regni, cùm omnium nostrorum Sodaliũ vota & obsequia in te conspirarent, feralis casus, & nulli nostrûm præcognitus, contigit: quo veluti ingenti turbine perculsi, à te non solùm alienati; sed extorres facti sumus. Quócunq; tamen terrarum sparsi fuimus: nec in te Principem nostrum, nec in Patriam, ingenium, amorem, & debitum obsequium, nec spem tuæ mansuetudinis, exsuimus; quámvis congerie omnium scelerum malevoli nos apud te cumulaverint. Hac unâ spe securi, nostram innocentiam aliquando, discussis nebulis famæ insultantium, tibi exploratam fore, confidimus; rati, nostrarũ ærumnarum tempus esse medelam. Fiducia illa tuæ clementiæ, anteà obscurior, ut hunc Regni angulum tuo adspectu illuminâsti, liquidiùs affulsit; & ad tua genua advolvere cogit. Rogamus, ne morâ tuæ gratiæ beneficium diutiùs protrahas: cùm nobis nihil sit acerbius, quàm illâ excludi; finibusq; Patriæ semotos, quibus alienas & peregrinas gentes juvamus, non posse ingenio & industriâ natalem Galliam prosequi. Heu! nimis exploratũ nobis est, apud te longè alios, quàm simus, insimulatos habitosq; fuisse; h. e. omnium flagitiorum colluvie contaminatissimos, Regno & omnibus Ordinibus exitiales: gentem nostrã, ut novam, & nova molientem, Gallicanæ Ecclesiæ adversam: deniq;, quæcunq; deterrima livor & impietas cõminisci potuêre, in nos omnibus diris & devotionibus congestum. Sed Sodalitia nostra non semel, à proavis Regibus Galliæ, & Curiæ placitis, probata sunt: ut quæ longè anteà à Pontifice Max. Christianæ Reipub. salutaria sancita sint; ex quibus, tanquam ex instructissimâ officinâ, adversùs bacchantes hæreses tela promi possint. Privatæ constitutiones* Contubernii

nostri,

nostri, quæcunque nobis falsò tribuuntur, ut divinis præceptis & mutuæ dilectioni prorsus dissentanea, districtè prohibent. Quòd si vera sunt, quibus falsò inquinamur: nostra Societas non solùm ad salutem animarum esse non potest; sed ad præsentissimum exitium. At quis credat, ingenio & rerum scitu-dignissimarum scientiâ pollentes homines, ultrò se in Societatem nostram dedere; quæ, ut causantur malevoli, omnium facinorum sentina sit & vorago? Nam vero proximum est, qui salutem quærunt, in eum non appellere portum, in quo per tot scelera certum sit animæ naufragium. At inquiunt, nos penitissimo obsequio Generali nostro devinctissimos, eâq; cathenâ votorum; ut ei in omnibus, & per omnia, simus audientes. Non abnuimus, nos ut membra capiti nostro penitissimè obsequi. sed Regibus, Magistratibus, & Politico regimini nihilominùs esse obsequentes, non prohibemur: quin eo ipso adigimur & Apostolico præcepto, quo duris & minùs-æquis Dominis Subditos obtemperare necesse est. Adjiciunt, venari nos & inescare ad Sodalitium nostrum, ex Patriciis familiis, selectissimos adolescentes: ut, his accitis, hæreditatis suæ ad nos fiat accessio. Qui hæc de nobis fabulantur, minùs rectè & accuratè privatas nostras Leges noverunt: quæ severissimè distringunt, ne quemlibet ullâ arte ad institutum nostrum polliciamus; divino spiramini cætera relinquentes. abundè munus nostrum implevisse credimus; si Juvenes rectè & probè in Scholis nostris doceantur. Vel exemplis hoc liquet, in Galliâ nos non esse hæredipetas: cùm ex nullâ gente instituti nostri Professores sint, quàm Galli. Lutetianum, quod in Urbe regia ità proclamatur ab invidis fuisse opulentum, coacervatis Claromontani Episcopi, & Præsidum S. Andreæ & Hannequini, piis largitionibus, vix tria-millia Librarum annui redditûs adæquat. Quid tantillum illud, ad tot Professorum in omnibus disciplinis centurias? Ne magno Regi, in tot publicis negotiis, longior Oratio tædio aut damno sit: uno verbo, tuam illam nulli-negatam Clementiam deprecamur. Nos, qui tui indigenæ sumus, Hispanis, Italis, & Germanis, cæterarumq; gentium commilitonibus nostris, erga te inofficiosiores esse nolumus; nec eam tibi non-præstare fiduciam, vel cum præsenti vitæ discrimine, quam illi Regibus Principibusq; gentilitiis præstant. Sacra tempora, passi Christi (quæ nunc colitur) lugubris recordatio, nobis æqua-postulantibus patrocinari videntur: sanguis ab eo, in arâ crucis, pro noxiis mortalibus ultrò effusus, ad indulgendum nobis concitat. Tantâ gratiâ indignos nos fatemur. sed concessum indultumq; velis esse Christo: in cujus nomine, magìs de ejus gratiâ, quàm de meritis nostris, confidentes, nostra hæc postulata facimus.

Postquàm dicendi finem fecit Ignatius; Rex pauca hæc respondit: *Nihil à Senatu Parisiensi incogitatò in Jesuitas pronuntiatum esse: nullo etiam se in eos ferri odio; ne-dum in aliquem mortalium.* Jubet, verbis enunciata, scripto exarata sibi tradi. Habebât illi codicillum recitatæ orationis in promtu: quem ut Rex accepit, Villeregio tradit; præcepitque Ignatianis, ut in Aulâ solennia Paschæ peragerent. Postridie Dominicæ Resurrectionis, admissis in lararium, non levis benevolentiæ specimen dedit; palàm testatus, toto Regno esse reduces non solùm se cupere; sed eorum operâ etiam uti velle. Ignatio dat in mandatis, ut Lutetiæ cum Cottono ad se veniat.

Rex tandē in Jesuitarum reditū in Galliam consentit.

Paulò pòst, cùm Rex & Regina per Lotharingiam iter faciunt, ac Nancei divertunt, Sororem Principesque Lotharingos invisuri; Jesuitæ, regiæ polli-

citationis memores, cunctatione non ampliùs opus esse arbitrantur. Dum enim incalescit ferrum, tundendum: ut vulgò dicitur. Regem adeunt, rogant, urgent, per se & alios. Fronto Ducæus & Richeomus, apologeticis libellis, de objectis criminibus Sodalitium suum excusant purgantque: quàm sint Regno necessarii, ad Juventutis Christianæ educationem, stirpitúsque eradicandas hæreses, prædicant. Pontificio quoque Legato deprecatore utuntur. Nec ille parùm negotium maturavit: æmulorumque molitiones irritas fecit. Clementis quoque, Pontificis Rom. intercesio, cui Rex nihil unquam negatum esse voluit, Jesuitarum causam vehementer promovit. Et quanquàm reversuris in Galliam Jesuitis plurimi obluctarentur, ipsumq; etiam Parisiense Parlamentum multùm adlaboraret, ut Regem à consilio isto diverteret: omnia tamen jam frustrà erant; atque Rex, ut sibi uni reditum suum in Galliam deberent Ignatiani, edixit: ut Tholosæ, Auxis, apud Garites & Ruthenos, Burdegalæ, Petrogorii, Ratiasci, Turnoni, Albenati, & Bitteris, ubi anteà precariò tantùm agebant, nunc perpetuò & quietè illis esse liceret; Divione præterea & Lugduni antiquas sedes repetere; & novas Flexiæ instituere, vel in regiâ natalitiâ, in quâ Rex conceptus ac natus est. Et quia *Flesche* Gallis sagittam sonat; hinc salsè quidam ità in Jesuitas hoc disticho lusit:

Arcum DOLA *dedit Patribus; dedit alma* Sagittam
GALLIA: *quis* Funem, *quem meruêre, dabit?*

VI. *Qualiter Jesuitæ, post suum in Galliam reditum, se-se inibi gesserint.*

Jesuitarum reditus in Galliam.

Jesuitæ igitur ex Edicti regii tenore, mense Septembri, anno 1603. Galliæ Regno restituti; more suo, statim in præcipuas Regni illius Urbes se insinuare sunt conati. Quod ut faciliùs assequerentur; per suos fautores, Regi exposuerunt: Quandoquidem ipse communis quasi omnium pater in magno hoc Regno sit; æquum esse, ut, quemadmodum Subditis suis pacem restituisset, sic disciplinam quoque & institutionem bonam communiter omnibus restituat: miniméque convenire, ut Urbs sola Parisiorum, tàm jucundi gratiq; fructûs particeps reddatur. quo facto, ipsum Regem etiam plus honoris & amoris, à Subditis suis, recepturum. Specioso hoc petito commotus Rex, copiam illis fecit, passim per universum Regnum, ubi commodum ipsis foret, residendi. Quocirca illi sensim hinc & indè se-se effudêre; inque dies vires majores, quàm anteà unquam, acquisivêre. Avarici Biturigum, Rothomagi, Ambiani, Rhodonibus, antiqua Collegia repetunt; ac tùm suâ, tùm Ædilium Decurionumque intercessione, nova condenda impetrant. Lutetiæ verò, in mediâ Academiâ, non Scholam Claromontanam, in quâ docere non fuit permissum; sed Sacrarium & secessum Seniorum, Ludovici indigetis titulo insignitum, ac Borbonii senioris Cardinalis sumtibus conditum, repetunt.

Quia verò Pyramis, in memoriam Jesuitarum ejectionis ex Galliâ erecta, ejusque

ejusque Inscriptio, Jesuitas singulariter mordebat: ideò, ex singulari Regis clementiâ & gratiâ, in Galliam iterum admissi & recepti, quiescere noluerunt; donec eversionem hujus Columnæ, sive Pyramidis, à Rege impetrarent. in cujus locum posteà fons aquæ publicus repositus fuit. Eâ sic destructâ, Libellus quidam prodiit; in quo, per insignem prosopopœiam, Columna ipsamet ità loquens introducitur.

Pyramis, in memoriam ejectionis ex Galliâ Jesuitarum erecta, destruitur.

Comprime os tuum, Perverse; ut lapides loquantur. Attendite verò vos, ex Gallis meliores quicunq;: cùm alii aures ad audiendum non habeant. Sum, quod non eram anteà: Pyramis nempè seu Lapis mutus, vos ad audiendum excitans; & Columna auditu sensibusq; aliis destituta, quos vobis jam excitare conabor. Loquor jam, non exsistens ampliùs: & cùm adhuc essem, loquentem me nemo audiit. De bonitate & gratiâ plùs conqueror, quàm de sævitiâ & crudelitate: ut iisdem mediis elever iterum, quibus disjecta sum, & in memoriâ hominum excitem id, quod de terrâ delatum est. Per justitiam elevata ego, per misericordiam destructa, & in nihilum redacta sum. Misericordiam autem dico intempestivam: cùm æquè misericordiæ adversum sit, omnibus ignoscere; quam gratiam declarare nemini. Per Parricidam prognata ego, eâdem ratione, quâ bonæ ex malis moribus leges natæ sunt, surrexi. Ictus cultri, in faciem maximè-conspicui in hoc Orbe Regis, delatus, me in maximè-conspicuam hujus Orbis faciem statuit. Sed videte, quæso, rerum humanarum fluxibilitatem! Ego, quæ aliquot perdurare & numerare debebam secula, vix lustrum vidi unicum. Quid posteros dicturos existimem; cùm viderint, me fundatoribus meis superesse non valuisse? Quis non mirabitur, oblivioni tàm citò traditum esse; quod in monumentum perpetuæ recordationis excitatum erat? Et quis rebus mundanis fidei aliquid habebit in-posterum: cùm & firmissima consilia, mutationibus subjecta deprehendantur? Quod marmor, quæso, tàm solidum reperietur; ut tempori non cedat? Quæ consilia tàm firma sint; ut robur mihi perpetuum conferant? Quis credat, Gossypio tantam inesse vim; ut vel exigua ejus particula, tot lapides marmoreos demoliri & dissipare queat? Vix equidem hactenus Cottonii (h.e. Gossypii) virtus omnibus innotuit. Verùm dicite mihi, quæso vos, qui Cottonii sectamini Societatem, & Jesuitarum vobis nomen vendicatis: quando Galliæ Regno tanta officia exhibuistis; ut tantam promereri gratiam potuissetis? Condemnati haud ità pridem fuistis. rectène, an secùs? dicite. Si minùs rectè: iniquè equidem vobiscum actum est, cùm in exsilium ejiceremini. At si rectè: sententia semel pronuntiata quomodo mutata est? Injuria profectò nobis nulla facta est. Quid enim, ad hoc promerendum, unquam à vobis intermissum fuit? Certè non juventutem solùm corrumpere; sed & adultiores ad universalem aliquam seditionem inflammare, cordi vobis & curæ semper fuit. Quod quidem usque-adeò notum & manifestum omnibus est; ut nullo ullius Cottonianæ eloquentiæ colore, & fuco, obliterari obfuscariq; possit. Quòd igitur reversi in Galliam estis; misericordiæ Regis unicè acceptum referre debetis: qui, vel propriæ salutis immemor, vos in Majestatis suæ perniciem ab exsilio revocavit. Sed redire tamen absq; peculiari facinore, religio vobis fuit: nec Aulam ingredi regiam, quàm per interitûs mei portam, voluistis. Verùm enimverò, quid vulgò prædicari audio; Galliæ Jesuitas Regno prodesse? Certè, ut opinor, propter novæ hujus Sectæ religionem. Sed quid? propiúsne ad Catholicam religionem accedunt, quàm Sorbonistæ; à quibus

Hære-

Hæreticorum sunt adscripti numero? Ad offensionem equidem potiùs, quàm ad ædificationem, eos comparatos dixerim. At informandis puerorum ingeniis aptiores sunt, quàm tot Collegiorum per universam Galliam Rectores. Quid audio? Præstantiorésne ex illorum Collegiis, quàm ex Galliæ Academiis, prodière viri? At numquid non corruptores Juventutis declarati sunt? Cur ergo in me demoliendâ vires suas exercuerunt? At prudentiâ suâ Regi plùs, quàm Consiliarii aulici, profuère? Credo. Verùm, numquid non injuria ipsi facta, cùm in exsilium mitterentur? Si non: (quis enim hoc dixerit?) quid igitur in Galliâ vobis negotii est? Carere utique vestrâ operâ Galli facilè omnes possunt. Quòd-ipsum satis etiam superq; ex finibus vos suis ejicientes, declârarunt. Sed impudentiam vide! Verum esse, quod dico, nolentes credere; necessariò in Galliæ se-se Regno adesse oportere, toti persuasum esse Mundo expetunt. Quæ, quæso, impudentia est; si hæc non est? velle Gallis, præter & contra voluntatē eorum, admisceri; & per posticum reverti, ubi per anticum eos ejecerint. Sed quid? An' non hoc merita vestra Regno declarata effecerunt? An' non hinc probitatis vestræ argumentum egregium peti potest? Sunt equidem vel ex ipsâ prognati iniquitate aliqui, qui probi habentur: contra verò, qui vitam suam Dei Regisq; ministeriis postponere non dubitârunt, improbi existimantur. Qui sint illi, quæritis? Belli motuumq; variorum tempore, Deorum accensebantur numero: at pace jam compositâ, pro idolis iterum habentur. Regebant tùm temporis communem Populum, contra Regem eum inflammando: jam, Regem ipsum adversùs Populum armando, moderantur. Age: malè egerunt; & puniti sunt. Quid prodest autem, odiosa hæc repetere & renovare? Præstaret equidem, Lysandrum cum prolixo suo sermone sepultum esse. At non indignum videri columnis Gallicis, subverti se-se ab Hispanicis columnis, putatis? Quámvis enim pœnitere aliquem nunquam debeat eorum, quæ benè fortiterq; gessit: videtur tamen melius esse, mali aliquid interdum perpetrâsse; si melior reproborum, quàm piorum, conditio esse debeat. Quid Jesuitæ? quoties, quæso, & scriptis, & vivâ voce, licere Subditis Regem suum interficere, professi sunt? Nihilominùs tamen Regem, quasi devinctum sibi, deducunt; seducentq; in-dies magis magísq; si verbis ipsorum aures patentes diutiùs habuerit. Non quiescunt enim Jesuitæ; & petulantia eorum modum non habet. Cujus rei vel egomet testis sum: cujus eversionem donec impetrarent, quiescere nullâ ratione poterant. Reversi sunt itaque Jesuitæ in Galliam: non ut ab exsilio revocati Religiosi; sed ut triumphantes quasi de potentissimo Orbis hujus Rege: quem lenociniis suis demoliri, & subvertere coëgerunt; quod perpetuum laudis suæ monumentum, non ità pridē statuerat. Insolentiam hîc vide & superbiam! Recusabant redire in Galliam: nisi Galliæ Rex priùs statuas, magnanimitatis suæ monumenta, demolitus esset. Cæsar olim, superato Pompejo, superesse ejus statuas voluit; suas utì stabiliret rectiús. At vos superati & proscripti, jamq; ex merâ gratiâ iterum restituti, reditu vestro plùs abutimini; quàm si, libertate Regni superatâ, victores & superiores fuissetis. Quis enim credat: si Galliis Regno ejectis omnibus, Hispanos introducere vobis licuisset; ampliùs aliquid audere vos potuisse, quàm condemnationis & sententiæ in vos latæ monumentum tollere? Sed usq; adeò nihil hac ratione profecisse vos, persuasum vobis habeatis, velim: ut, pro desolatâ & eversâ Pyramide unâ, quæ conspici non nisi uno in loco poterat, aliquot hominum millia excitaveritis; qui per universum Orbem prædicent, & palàm profiteantur: justè vos & legitimè,

gitime, distinctis aliquot judiciis, Gallicæ Juventutis corruptores, Pacis tranquillitatisq; publicæ turbatores, Regis proditores, & Patriæ vestræ desolatores, declaratos pronuntiatosq; fuisse.

Alius etiam, in Pyramidis hujus destructionem, hæc scripsit:

At vos, ô Socii, quid vasta ruina juvabit?
Pyramidis læsæ marmora muta jacent.
Marmora muta jacent: sed facta nefaria, dum Sol
Fulgebit cælo, fama loquetur anus.
Vel, si comprimet hanc metus ingens fortè pericli;
Contemtrix hujus, charta loquetur anus.

Ità verò Rex optimus Henricus, quò Jesuitas magìs sibi conciliaret, non tantùm in demolitionem prædictæ Pyramidis consensit: (tametsi, ne id faceret, tàm Parlamentum ipsius, quàm alii fidi Consiliarii & Ministri, seriò ac sedulò ipsum dehortati fuerant; ut ne serò nimis posteà, irrecuperabili cum damno suo, ejusce rei ipsum pœniteret: Parlamento quoque in id minimè consentiente; ne-dum sententiam superiorem contra Jesuitas, è Protocolis suis, (in quibus etiamnum hodie illa exstat) quantoperè etiam Rex idjuberet, delere volente:) sed insuper & proprium cor suum illis promisso atque dono dedit; quod videlicet, post mortem suam, sub potestate suâ asservarent. Quanquàm autem, ex his omnibus, universo Mundo constat; Regem hunc, in Jesuitarum gratiam, plùs fecisse, quàm ullus unquam Rex alius, contra supremum Parlamentum suum, nisus fuerit: quippe quod post multas, at frustraneas, commonefactiones, denique non ampliùs audire, neque coram se admittere voluit; sed Præsidem summum, pro avertendo tàm præjudiciario instituto, ultimâ vice Parlamenti nomine ad se missum, talibus verbis à se ablegavit; *Omninò voluntati suæ obediri ac satisfieri oportere*: (quæ sanè res, confusionem omnis boni ordinis, atque impedimentum Justitiæ publicæ, peperisset: nî Parlamentum regium prudenter ei malo, & quàm pro illâ præsenti necessitate potuit optimè, occurrisset: illinc quidem, Regi aliquid indulgendo; hinc autem, neque in id factum consentiendo, neque decretum ac sententiam suam retractando; sicque & Regis majestatem, simul & suam authoritatem, conservando:) tantum tamen fidum istud clemensque adeò pectus, apud sanguinarios istos, obtinere non potuit; ut parricidialem doctrinam suam, quæ Henrico III. Regi vitam abrogavit, revocârint, aut eatenus saltèm correxerint: ne ipse quoque Henricus IV. tantus ipsorum benefactor, pater & dominus clementissimus, (qui omnes priores illis contumelias, adeóque necem ipsam vitæ suæ intentatam, tàm benignè ignoverat; vitamque, quam ipsi perdere debebant, condonaverat) nobilem preciosamque vitam suam per illam amitteret.

Henricus Rex Jesuitis cor suũ proprium dono dat: ac Parlamentum suũ propter illos ampliùs audire non vult.

Verùm, ut ad priora redeamus; Jesuitæ, post reditum suum in Galliam, è Societate suâ miserunt aliquem Aurelias, Quadragesimali tempore: ut is ibi concionaretur, confessiones audiret, & Missam celebraret. Sed factum hoc

Jesuitæ per æquivocationes ac

mendacia Aurelias invadere cogitant: magnâ cum civium indignatione. Namque, neglecto hoc suo officio, in id solum totus ille incubuit; ut superioris temporis Ligistas in suas partes pertrahere posset. Quod cùm ei ex animi sententiâ successisset: rumorem ipse & complices in urbe sparserunt; Regem omninò velle, atque jubere, ut Jesuitæ in urbem recipiantur. Regi contrà persuaserunt; Aurelianenses nihil magìs cupere & exoptare, quàm ut Jesuitæ in urbem intromittantur. Rex igitur annuit illis benignè, & concessit; ut Collegium in eâ urbe exstruerent: modò id cum licentiâ & consensu civium fieret. Hoc verò cùm primùm Cives resciverunt; in unum convenêre: ibique Turvilleus, Advocatus urbis, multis gravibusque argumentis in medium adductis, probavit; non sinè ingenti damno & periculo Jesuitas, irrequietum, superbum, & arrogans hominum genus, in urbem recipi posse. Id consilii placuit tunc præcipuis Senatoribus ac Civibus: qui unanimiter, non recipiendos illos esse, decreverunt.

atq; etiam Trecas in Campaniâ. In Campaniæ provinciâ, oculos animosque in urbem præcipuè Trecensem conjecerant Jesuitæ. Res à principio illis benè succedere visa: quod tres primarios Viros, sibi vehementer addictos, ibi offendissent; Episcopum, Præsidem seu Locum-tenentem generalem, & urbis Prætorem: qui, peculiares ob causas, id solicitè egerunt; ut Jesuitas Trecis collocarent. M. Jacobus Nivelleus, Scholæ ibidem Rector, atque ad viginti annos voto professioneque Jesuita, non parvam etiam ad id operam contulit. Quum igitur Jesuitæ confirmationem receptionis suæ in urbe Trecensi peterent: accidit, ut Johannes Dautruyus, ibidem Prætor, qui publicorum quorundam negotiorum caussâ Lutetiam venerat, in idem diversorium, in quo Vestierus, Ecclesiæ cathedralis Decanus, cum uno ex fratribus suis, urbis Senatore, jam erant, diverteret. Die quodam Veneris, rogat iste; num secum illi ad Aulam, Regem prandentem visuri, ire vellent? Cui annuentes illi, cum eo ibant; propositi ejus ignari, nihilque minùs cogitantes, quàm quòd ille præsentiâ ipsorum ad aliud quidpiam abusurus esset. Prætor, Aulam regiam ingressus, clanculùm alloquitur suæ factionis hominem, M. Renatum Breslæum; qui tùm regius Eleemosynarius, atque Episcopus Trecensis designatus erat. Regem igitur, à mensâ digressum ad conclave suum, manuque Reginam ducentem, Prætor ibi, quà transeundum erat, flexis genibus salutat. Idem facit Vestierus, & Prætoris frater; existimantes, habere Prætorem, quæ communis Civitatis suæ nomine ad Regem referret. Hic Breslæus verba facit, & ad Regem inquit; Prætorem, cum incolis urbis Trecensis adesse, humilimè Regi supplicantes, pro Collegio Jesuitico apud se habendo. Rex, Breslæo nihil respondens, statim ad Reginam; Eleemosynarius iste meus est, ait, ac vix-dum nominatus Episcopus Trecensis: & jam-nunc ibi Jesuitas introducere molitur. Vestierus Decanus, cum fratre Prætoris, mirati quidem breve ac subitum Regis responsum; factum tamen Prætoris insolens minùs probabant: quòd is proprio motu, cæteris Ordinibus civitatis non-consciis, Jesuitarum sibi copiam fieri, rogare ausus esset. eoque nomine cum ipso expostulantes cum Prætore, simul

etiam

etiam malam fidem ac tyrannidem, quam Ligæ tempore in cives suos exercuisset, exprobrabant. Breslæus, qui id agebat, ut Jesuitas sibi demereretur, negotium hoc apud Regem urgendum in se suscepit; idque ità egit: ut Rex, persuasus, petitionem Prætoris, Jesuitarum nomine factam, omnium incolarum Trecensium cõmunem esse, regium proptereà rescriptum, datum mense Februario, anni 1604. in hanc sententiam, illi tradiderit: *Nos dilectis ac fidelibus nostris, civibus & incolis urbis nostræ Trecensis, in omnibus possibilibus, gratiam & favorem nostrum declarare volentes, ad instantiam & supplicationem, Nobis per dilectum etiam ac fidelem nostrum, Renatum Breslaum, Consiliarium & Eleemosynarium nostrum, quem simul Episcopum Trecensem nominavimus, nomine prædictorum civium & incolarum, factam, permisimus, &c.* Continebat etiam hoc Rescriptum peculiarem, pro Jesuitarum favore, clausulam: *Ut omnia, tàm à communi civitate, quam à privatis personis, ipsis donata legatáve, mobilia & immobilia bona, acceptata validaq; esse debeant.*

Rescriptum hoc, per Prætorem Trecensem, in Curiâ ibidem publicatum, magnam apud præsentes omnes pariebat admirationem; exindè præsumentes, jam-jam de privilegiis suis actum esse: cùm Jesuitæ illis obtrudi deberent, tanquam id expetentibus; de quo nemo ipsorum vel minimum unquam verbulum fecisset. Omniumque communis opinio ferebat; Prætoris artibus & technis, qui privatum suum commodum, non publicam Civitatis salutem, eâ in re spectaret, ità cecidisse. Quia verò Prætor, primo isto rescripto, animos civium & incolarum, in partes suas pertrahere non poterat; Breslæum super eo per literas commonefecit; qui aliud, sub dato 18. Martii, ejusdem 1604. anni, obtinuit; in quo ista verba continebantur: *Regem, Jesuitarum receptionem, in urbe Trecensi, vehementer cupere; eamq; singulare ipsi beneplacitum parituram.* Sed, cùm neque hoc alterum Scriptum plus operaretur, quàm illud prius: tertium superveniebat, sequenti proximo 29. Junii datum; in quo, supremo Libellorum supplicum magistro, Trecensium Præfecto, aut locum ejus tenenti, exsecutio eorum, quæ scripto continebantur, mandata erat: nullâ ampliùs prætensæ supplicationis mentione; sed jussione severâ, de recipiendis Jesuitis, factâ.

Intereà temporis, Provincialis quoque Jesuitarum, cum nonnullis aliis Sociis, Trecas venit; significantes, singulari Regis mandato se, nõ autem civium petito, eò advenisse: quibus, pro itineris impensis, ducenti-viginti Coronati, cum sex solidis, ex urbis ærario, exsolvendi erant. Hi omnes in urbe opportunitates pro loco Collegii commodo deligendo, diligenter visebant; antiqui angustiam prætexentes, quod pluribus tamen quàm decies-mille Coronatis constiterat. Omnibus igitur accuratè visis & consideratis, tandem annuorum reddituum septies-decies-centena Coronatorũ deposcunt: cùm jam-pridem etiam bis-mille Coronatos, pro ampliatione Collegii sui; nec multò minorem summam, pro Bibliothecâ libris, ac Domo supellectilibus instruendâ, accepissent. Quo impudenti postulato, civium nonnulli offensi, (Jesuitæ chari hospites sunt.)

haud parùm indignabantur. Alii verò jocos indè faciebant, dicentes; Videri omninò pauperes hosce Patres, pro expilandâ alterâ Trojâ, advenisse: nullâ habitâ ratione, quam extremè Civitas ista, extremis illis bellis, exhausta esset; ut jam ad octogies, imò centies-centena Coronatorum millia, deberet: cujus dimidii paulò minorem summam Domini Jesuitæ, pro sui sustentatione, postularent. quæ, scilicet, expromta via esset, Civitatem debitis suis exonerandi. Denique verò, Cives hoc responsi dabant: Quòd si Rex omninò vellet, ut Jesuitæ reciperentur; paratos se quidem esse ad obtemperandum: eâ tamen conditione, ut Majestas ipsius de sufficientibus redditibus, ac sustentatione illorum prospiceret. Cum hoc responso, Provincialis & Socii tùm quidem abibant: neq; aliud quid effecerunt, quàm ut locum viderint; Civitatis sumtibus convivati sint; & causas nonnullas Visitationis suę scripto comprehenderint: quibus, quæ placita fuerant, inseruêre; nominatim autem, quòd multa magnaque sibi oblata fuissent. Quæ licèt conficta ab ipsis essent; postmodùm tamen illis, quasi testimoniis, contra cives Trecenses, niti volebant.

Cur tàm libenter Trecis fuissent.

Ex non-nemine familiarium ipsorum cognitum est; quatuòr inprimis causas fuisse, quòd, præ aliis Campaniæ urbibus, de Trecis invadendis cogitârint. Prima, est egregia commoditas urbis istius; unde, propter transitum viamque regiam, literæ ad Parisios, Lotharingos, Burgundos, Flandros, Germanos, mitti, indeque recipi, perfacilè possunt. Secunda; quòd spem illi sibiipsis fecerant, duas cum tempore ibi domos exstruendi: Domum nimirum professam, in Hospitali ad S.Trinitatem, loco urbis elegantissimo, non procul à foro frumentario & vinario, atque etiam collybo publico; Collegium itèm, eo loco, ubi in-pręsens exstat, quod amplificare, pluribusque habitaculis frequentare, sibi proposuerant. Tertia causa, fuit patris Merati hæreditas, Domini Drovii filii natu-maximi: quem Jesuitæ, anno 1585. ætatis illius 17. Parisiis clanculùm secum abduxerant; quorsum, Pontamussio evocatus, à patre suo, studiorum causâ, missus fuerat. Hinc illi sibi imaginabantur, fore, ut, pede Trecis fixo, actionem suam contra hæredes Drovianos facilè obtinerent. Non desunt multi, qui ex ipsismet auditu acceperunt, partem hæreditatis, Merato debitæ, summam triginta-millium Coronatorum superare: eamque illos, ad exstructionem Collegii in urbe Trecarum, destinâsse. Quarta causa erat; quòd postremis Ligæ motibus bellicis comperissent, nullum per universam Galliam Populum, prætextu Religionis, Trecensibus faciliùs concitari posse: hocque ipsis certissimum medium fore, totius civitatis regimen ad se trahendi; si duos modò, aut tres alios, ad suas partes pertraxissent: quales quidem jam-tùm pro voluntate suâ habebant, Episcopum, Præsidem, atque Prætorem.

Jesuitæ filios parētibus suis suffurantur; ac posteà illorum hæreditates petunt.

Ideoque etiam mora, Trecis nidificandi, Jesuitis adhuc objecta, permolesta illis accidit: utì vel ex quæstionibus colligere est, quas Jesuita Cottonus Diabolo, qui Adrianam Fresnæam obsederat, proposuit; in quibus etiam hæc una est: *Quid Ambianense Collegium impediat? quid Trecense?* Cumq; nihil sibi à Civibus datum iri cernerent: eo tandem se contentos fore, obtulerunt; si isthic

Diabolum consulunt, quum non pro voto res successit.

si isthic sibi esse liceret. quod postulatum verò majorem adhuc de illis suspicionem excitabat.

Quibus receptio Jesuitarum in urbe illâ curæ erat, animadvertentes, ad propositum obtinendum nihil magis deesse, quàm ut Jesuitis de amplis redditibus prospiciatur; negotium eò-usque distulerunt, donec novus Episcopus Breslæus confirmatus in urbem appulisset. Hic igitur, quum eò pervenisset, omnes mox Civitatis ordines ad se, domũ suam, convocat. Ludovicus Bobussius Blæsensis, Vicarius Judicii Trecensis, officii nomine ad id deputabatur; & juxtà cum eo Dionysius Gombaultius, Consilii Præses. Verùm, quia Episcopus deputatos in aulam episcopalem accersiverat; Bobussius, sibi non integrum esse ibi comparére, dicebat: quippe qui Curiæ, non autem Episcopi aulæ, designatus esset. Cæteri tamen illûc se-se contulerunt. Ibi illis Episcopus literas, sigillo appenso munitas, prælegit, in eam sententiam: *Regem, cognito, quòd cives Trecenses adhuc instanter Collegium Jesuiticum apud se expeterent, velle, ut ibi loci illi recipiantur, &c.* Quâ occasione captatâ, Episcopus ampliùs proponebat: agnoscere quidem Jesuitas, grave illud æs alienum, quo civitas premeretur, non permittere, ut primis ipsorum petitis satisfiat; contentos tamen futuros, si bis-mille libræ Gallicæ, pro annuo redditu, ipsis constituerentur. hortari igitur se, ut de mediis ac rationibus, summæ istius pecuniariæ conquirendæ, secum cogitarent. Deputati respondebant unanimes; Civitati de nullis ejusmodi mediis cõstare: quæ quia nimio aliàs ære alieno gravata esset, eam utique nihil istius solvere posse. Multi addebant ampliùs; Civitatem Jesuitis facilè carere posse: ut qui jam anteà Collegium ibi habuissent, quod antecessoribus ipsorum satis fuisset. Quòd si igitur omninò Rex Jesuitas illic receptos vellet; sed & necessarios ipsis sumtus constitueret: id se minimè impedituros. Sin Majestati illius, rem hanc civium arbitrio committere, placeret: se in novationes istas consentire non posse. Ibi etiam Dionysius Gombaultius subjiciebat; sibi à Consilii Præsidibus in mandatis quidem datum fuisse, super Jesuitis rogationem facere. cui tamen Collegæ contradixêre: quę contradictio tabulis quoque publicis inserta fuit.

Re ad istum modum ab Episcopo propositâ; illi, qui Jesuitis favebant, caussam habuerunt, de viâ mediisque cogitandi, quibus Collegio de sumtibus ac redditibus necessariis prospiceretur; interque alia id consilii in medium attulerunt: ut justa aliqua summa ex Clericis illius Provinciæ colligatur; ad eamque rem, novus certarum personarum ordo, sub Officii nomine, instituatur, penes quem bona illa, quæ Judicium ad se traxisset, custodienda deponantur: assignato solido uno in singulas libras, de mobilibus, quæ illi sub custodiâ suâ habuissent. Sed quoniam utrumque hoc consilium nescio quid periculi secum tracturum videbatur; satius visum fuit, certam pecunię summam, pro pauperibus, infirmis, ac mendicis, indicere. Super quo Præses Angenustius articulos formavit; dicens fore, ut, pro cautione illorum, aliqui benèditati, quiq; ad bis-centena-millia Coronatorum possiderent, designarentur.

Inter alia & hujusce mentio injiciebatur, fieri posse, ut Leprosorium, in suburbio Breviandæo situm, ad Collegium istud pertrahatur. Et quia Prætor, cum Scabinis civitatis, indè ab immemorabili tempore, semper illud curatelę suæ subjectum habuerāt; cujus redditus ad mille, aut etiam ad mille-ducentas libras, excurrunt: Jesuitarum fautores prætexebant; Prætorem cum Scabinis, bonâ conscientiâ, & absque Simoniæ crimine, curam ejus Leprosorii ampliùs agere non posse. Veruntamen Cives Trecenses in consilia ista consentire, eaque rata habere, nolebant; quocunque etiam fuco illa pingerentur: publicéque dicebant, omnium consultissimum fore, ut nulla innovatio rerum fiat; sed omnia illo statu, quo antè fuissent, relinquantur. Itaque, istâ quidem vice, Trecas invadere, ibique nidificare, Jesuitis negatum fuit.

Jesuitę etiā Sedanū invadere conantur; sed frustrà.

Anno 1606. post transactionem Henrici IV. Regis, cum Duce Bullioneo factam, quum Rex Lutetiam rediisset; supplici libello eum exceperunt Jesuitæ: quo, de successu prospero expeditionis istius, ei gratulabantur; simulque, Scholam ut sibi Sedani aperire liceret, petebant. Quibus Rex brevibus respondit: Se quidem assensurum ipsis facilè; modò id etiam à Duce obtinere possint. Conatu igitur hîc quoque irrito discedere, Sedanumque quietum relinquere, coacti sunt.

VII. *De Parricidio, in Henrico IV. Galliæ & Navarræ Rege, patrato.*

Tituli honoris, Henrico 4. à Jesuitis tributi.

Venenum doctrinæ parricidialis Jesuitarum, quâ non modò Gallos universos, sed omnes quoque alios homines, adversùs istum Henricum IV. Regem concitaverant; appellantes ipsum *Pestem, Impium, Hæreticum, Relapsum, Tyrannum, Sacrilegum, Impurum, Incestuosum, Homicidam, Excommunicatum &, quantúmvis jam se Romano-Catholicum professum, Hypocritam; modis omnibus a Regno excludendum, imò conterendum ac perdendum; ideóq; ab omnipotente Deo postulandum, ut omnes omnium vires, in exsecrandum istud caput, ejusq; assertores, colligantur; quò anathemata ista è medio Ecclesiæ universæ abigantur. Hunc præclarum, non operis hujus tantùm, sed vitæ etiam ac mortis fructum fore: ut, quod factum est in ejiciendo Henrico III. id optimi quiq; æmulentur; ut Henricones illi, qui id factum improbant, confusi & elingues reddantur, ac tacere compellantur: utq; etiam alter Henricus IV. tollatur; & sic Ecclesiæ hostes penitùs conterantur; Regnum a gente in gentem* (à Galliâ in Hispaniam) *transferatur; & utilis Rector in tempore suscitetur:* (quæ verba αὐτολεξεὶ à Jesuitis, in famoso illo de Abdicatione Henrici III. libro, ac pręsertim Pręfatione illius, usurpata, typisq; publicis excusa, exstant:) Hæc, inquam, doctrina & exhortatio Jesuitica, passim per Galliæ regnum disseminata, & in Jesuitarum Collegiis studiose plantata propagataque fuerat: ut, secundùm illam, non unus, sed plures reperti sint; qui, veneno illo imbibito, tale parricidium animo conceperint: donec tandem, singulari Dei permissione ac pœnâ, uni cuidam propositum hoc ità cecidit; ut præclarum istum Heroëm, cultro

duobus

duobus parricidialibus ictibus datis, confoderit ac sustulerit; quem anteà nulla, quàmvis potentissimorum hostium, vis, quâ sæpenumerò circumdatus fuerat, superare unquam ac devincere poterat.

Rex Henricus 4. etiã confoditur.

Cùm namque Henricus Rex, ingenti exercitu collecto, expeditionem extra Regnum suum, in Juliacensem Ducatum, decrevisset: & verò mortalitatis suæ, periculorumque multorum, recordatus, quid Deus in se statuisset, nesciret: Reginam, conjugem suam Regni gubernatricem inaugurare; Filium verò suum natu-maximum, futurum Regem declarare statuit. Indictis igitur Comitiis, & convocatis ad solennitatem istam Regni Proceribus; cùm tempus inaugurationi constitutum adesset: Rex ascenso curru, ut & arcus triumphales, aliaque ad solennitatem illam facta præparamenta, perlustraret, & armariam deinde domum pro more suo ingrederetur; hinc-indè per vicos & plateas urbis Parisiorum vectus est, die 4. Maji, veteris Calendarii, anno 1610. horam circiter quintam vespertinam.

Accidit autem, ut, cùm ad plateam Ferroneriam (quam vocant) Rex, in curru, Monbansonio & Espernonio Ducibus assidens, columnam adversam contemplaretur; & impedimentum quoddam, ab occursu alterius cujusdam currûs, fortè-fortunâ ei objiceretur; Sicarius quidam ex turbâ currum subitò involârit, & venenato ad eam rem peculiariter parato cultro, utrinque acuto, Regem, in sinistro pectore, sub quintam costam, ubi cordis domicilium est, geminato ictu percusserit, tantâ velocitate: ut ipsum citiùs latrocinium, quàm latro agnitus fuerit; & Regem, lethaliter vulneratum, sermo statim & vires defecerint. Duces, ei assidentes, & comitatus qui erat reliquus, tàm atroci & subito facinore stupefacti, ad Arcem statim properare aurigam jusserunt: ubi Rex animam statim exhalavit, & mortuus est.

Sicarius auctor hujus tàm atrocis parricidii, peracto facinore, comprehensus statim, & in carcerem conjectus est. Reperta sunt apud ipsum frustula quædam Panis consecrati, itemque schedulæ quædam, variis characteribus & litteris insignitæ: in quibus ipse spem omnem positam habuerat. Interrogatus deinde, & quæstioni subjectus, aliud nihil respondit; quàm *nomen sibi Francisco Ravaillaco esse: qui, natione Gallus, & quidem ex urbe Angolesmiâ oriundus, ante annos aliquot nomen suum Franciscanorum mendicantium Ordini dedisset, & Monachus factus fuisset. Cæterùm, ad facinus hoc perpetrandum, peculiaribus quibusdam revelationibus & visionibus incitatum & impulsum, à præterito Paschatis festo, occasionem Regis interficiendi quinquies nequicquam captâsse: lætari verò, quòd tandem ex voto res successerit: nec de corpore suo solicitum esse, quicquid Proceres velint de eo statuere.* In istum igitur perditum ac deploratum Parricidam, sequens à Parlamento regio Parisiis sententia lata, & exsecutioni mandata est.

Viso Processu criminali, per Præsidem & Consiliarios, quibus hoc negotium commissum fuit, facto & formato, ad postulationem Procuratoris generalis Regis, petitoris, contra Franciscum Ravaillacum Angulesmensem, nunc captivum: Testimoniis conquisitis, Interrogationibus ipsi factis, Confeßionibus & denegationibus auditis, Testibus cum ipso

Sententia in Regicidam Ravaillacum.

compe-

compositis, conclusionibus super criminibus ipsi reo objectis, aliisq; confessionibus in quæstione per instantiam Parlamenti exhibitâ, 25. die mensis hujus, ad inquirendum de Sociis ipsius, & omnibus consideratis: Curia regia, Magnæ Cameræ, Turricularum, & Edicti, Consiliariis congregatis, decrevit ac pronuntiavit, dictum Ravaillacum, reum criminis læsæ Majestatis divinæ & humanæ, in supremo capite, per abominandum, maledictum, ac detestandum parricidium, in defuncti Regis Henrici IV. laudatissimæ ac beatissimæ memoriæ, personâ patratum, commisisse. Ideóq; prædicta Curia condemnavit, & condemnat illum: ut ante portam Ecclesiæ primariæ Parisiensis ad S. Mariæ, curru per carnifices eò vectus, nudus, solâ interulâ albâ indutus, & facem ardentem duorum pondo manibus tenens, ore-tenus ibi & publicè confiteatur; se dictum detestandum, abominandum, ac maledictum parricidium, infelici ac proditorio ausu sibi propositum, commisisse, prædictumq; Regem duobus ictibus, cultro in corpus illius adacto, peremisse: ideóq; apud Deum, Regem, & Justitiæ administros sive judices, veniam deprecetur. Indè in aream, Greve dictam, perducatur, & in ponte, ibidem eam ob causam excitato, manus ejus, sicam parricidialem tenens, cubito-tenus admoto igne & sulfure comburatur, & in cinerem redigatur: ipse forcipibus candentibus, in utroq; femore, brachio, pectoreq; convulsus; iisdemq; membris liquefacto plumbo, ac fervente oleo, cum ardente pice, cerâ, & sulfure permixto, perfundatur; corpus posteà totum, quatuor equis in frusta raptatum discerpatur; frusta igni objecta in cinerem redigantur; cinisq; per aërem sparsus dissipetur. Declaravit etiam Curia dicta, ut omnia Parricidæ istius bona Fisco regio addicantur: ac vult, ut Domus, in quâ Parricida ille natus est, diruatur; neq; alia in ejus locum, perpetuo tempore deinceps, exstruatur; indemnitate tamen præsenti possessori præstitâ: atq; ut intra quatuordecim dies, post pronuntiatam hanc sententiam, Parentes illius, solito more, tubicinibus explosi, publico clamore ex urbe Angulesinensi exigantur ac proscribantur, nunquam in perpetuum, sub pœnâ strangulationis atq; aliis, in eam reversuri. Prohibet etiam Fratribus, Sororibus, Agnatis, aliisq; Propinquis ipsius, ne in posterum Ravaillacorum nomen usurpent; sed, mutato illo, aliud sibi assumant, sub eâdem pœnæ severitate. Mandat deniq; Vicario Procuratoris generalis regii, ut sententiam istam debito modo publicari & exsecutioni mandari faciat; aut, nisi id fiat, ipse in propriâ personâ luat. Priùs tamen, quàm exsecutio cum dicto Ravaillaco instituatur, Judices volunt; ut semel adhuc torturæ criminali subjectus, super sociis & complicibus suis manifestandis, examinetur. Decretum ac pronuntiatum Parisiis, & exsecutioni mandatum, die 27. Maji, Anno 1610.

SUBSIGNATUM,

VOISIN.

In mediis cruciatibus, Parricidæ isti mater sua, ad interfemineum usque denudata, ob oculos posita est; stipatoribus acclamantibus, uterum eum caussâ ipsius maledictum, exquisitissimisque jam cruciatibus destinatum esse: si fortè hac ratione, ad agnitionem & detestationem perpetrati à se facinoris, commoveretur. at omnia frustrá. Tandem igitur, cùm nullum pœnitentiæ signum ederet; sed atroci ac minaci vultu, nisi perpetratum facinus esset, etiámnum id se perpetraturum diceret: corpus illius quatuor equis in frusta discer-

discerptum est; Populo frusta illa per plateas raptante, dirisq; ac maledictionibus funus tàm infandum prosequente: donec frusta omnia demùm à carnifice in cinerem redacta sunt.

Cùm verò apud Bonos quosque communis opinio esset; Ravaillacum, si non à Jesuitis authoribus ad parricidium istud instigatum, saltèm ex diabolicis ipsorum dogmatibus illud hausisse, & in eo confirmatum fuisse: ideoque Jesuitæ non levia incommoda & pericula sibi imminere animadverterent; posteà præsertim, quàm Parlamentū regium, ad perceptam Facultatis Theologicæ in Sorbonâ, super doctrinâ ejuscemodi, censurâ, die 8. Junii, anni istius, judicio publico, non dogma solùm illud generatim, sed etiam nominatim Jesuitæ JOHANNIS MARIANÆ librum, *de Rege & Regis institutione*, quo parricidialis illa doctrina approbatur commendaturque, tanquam hæreticum & impietatis plenum, condemnâsset, ac per carnificem publicè concremari jussisset: quò periculis istis tempestivè obviàm iretur; Jesuita COTTONUS, Confessarius regius, in publicum prodiit, editoque Scripto (cui titulus est; *Epistola declaratoria ad Reginam Matrem, & Galliæ Rectricem, quòd Jesuitarum doctrina Decreto in Concilio Constantiensi facto sit consentanea:*) universum Ordinem suum eo prætextu excusare est conatus; ac si unus ille dictus Mariana, prçterque illum nemo usquam Jesuita, docuerit aut probârit, Subditis Reges atque Principes suos perimere licitum esse. Quod scriptum, quia non adeò prolixum, dignum etiam est, quòd integrum hîc recenseatur, & cum subjecto responso conferatur. Ità igitur Epistola illa Cottoni habet.

Jesuitæ cōmuniter culpā parricidii istius sustinere putantur.

Cottoni Jesuitæ Epistola declaratoria ad Reginam.

REGINA clementissima: In Veteri Testamento constituit Deus, ut ne hœdus in lacte suo materno coqueretur: quo nos commonefaceret, (uti id Philo Hebræus exponit) eum non ampliùs contristandum esse, qui jam antè miseriis & angustiis sit gravatus. Ac nos quidem in Societate nostrâ, ejusce constitutionis vigore, (quæ per naturam quoque ipsam nobis insita esse videtur) bonâ illâ spe fuimus, præteritum istum miserabilem casum, quo uterq; Christiani orbis terminus vehementer concussus est, tantum saltèm liberi spiritûs nobis relicturum; ut super illo irreparabili damno & jacturâ, citra cujusquam impedimentum, suspirare nobis licuisset: quippè quæ nos peculiariter æquè attigit, ac alios omnes communiter pervasit. Verùm enimverò, idem nobis hac in re evenit, quod illis solet; qui improvisâ ædificii alicujus ruinâ comprehenduntur: ubi nullus lapis, alterum consequens, locū facit; quin omnes illi, quos casus ille attingit, prorsus obteguntur obruunturq;. Etenim, dum nos, non personis & corporibus nostris solùm, sed multò magis animis ac pectoribus nostris, multùm laboravimus, admodumq; soliciti fuimus, super omniū preciosissimo pignore, ac deposito insigni munere, (Regis nimirum peremti Corde) *quod Majestas Vestra, per Illustrissimum Principem ac Dominum Condæum, ad fidas manus nostras transmisit; & cui præcipui Regni istius Proceres supremū atq; ultimum honoris officium detulerunt: nonnulli, Catholicæ religioni nostroq; Ordini sinistrè affecti, quò suspensâ hederâ nos traducerent, nostramq; absentiam in commodū suum verterent, ausi sunt inconditos adeò, & ab omni verosimili conjecturâ alienos sermones, de nobis spargere: ut nemo crederet, ejuscemodi calumnias, vel per somnium, ulli unquā sanæ menti obrepere potuisse.*

Jesuitis peremti Regis Henrici 4. cor dono traditur.

Occasio ex malo quodã Libro arrepta fuit; qui jure optimo ac meritissimo, per laudatissimum Parlamentum regium, condemnatus est: dicentibus ac contendentibus quibusdam, doctrinam, libro illo traditam, consentientem omnium Jesuitarum sententiam esse; aliis illam Authori suo remittentibus: quòd non solùm aliqui ex Ordine isto contra scripsissent; verùm etiam universi, in provinciali conventu congregati, non ità pridem eam improbâssent. Quam quidem controversiam atq; litem illi, qui minimis eâ de re præjudiciis praeoccupati erant, huc remiserunt: ut rejectio Libri istiusce causam componeret; nostraq; super eo declaratio propterea perciperetur. Ego igitur, Regina clementissima, peculiariter ac nominatim ad hoc agendum rogatus, calamum arripui: quo Majestati Vestræ, veræ religioni addictissimæ, & cujus vel maximè salus Regni hujus interesset, quæq; asylum innocentiæ securissimum præstare posset, per me ob oculos subjiceretur, ecquid nostræ Societatis doctores de materiâ istâ perscripsissent. cùm præsertim haud me lateat, aliæ maximi momenti negotia vix permissura esse, ut Majestas Vestra per se-se in istam rem inquirat: multóq; minùs ipse, considerans, quàm parum boni a maledicis linguis nobis exspectandum sit, sperare ausus fuerim, veritatem aliâ viâ illi propositum iri. Quocirca paucissimis quoque ipse expositurus sum, quæ'nam communis, cùm aliorum, tùm etiam nostræ per universum Orbem propagatæ Societatis, sententia de controverso illo articulo sit, atq; fides. Quod quidem omne super ejusmodi vero fundamento exstruetur, cui ne quidem à virulentissimis hostibus, hujus tàm bellè-florentis Coronæ, contradici queat; isto videlicet: quòd quæstio illa, tàm in Concilio Constantiensi determinata, quàm multis postmodùm doctoribus Catholicis, per omnes circumstantias, fusiùs exposita, quantum ad ejectionem Tyrannorum pertinet, memoriam laudatissimam gloriosissimamq; illius personæ ne minimũ quidem attingat, cujus nos obitum tantoperè dolemus, amaréq; lugemus: quippè cujus vita & mores tantum ab omni tyrannide abfuêre; quãtum iidem, cunctis per Orbem terrarum Monarchis, in posterũ, pro exemplari perpetuo ac formâ omnis pietatis, justitiæ, clementiæ, fortitudinis, fidei, ac paterni affectûs erga Subditos suos, meritò esse debet ac potest.

Ante omnes autem alios, inter nos se-se ostentat illustrissimus Cardinalis TOLETUS, *apprimè doctus Vir, natione quidem Hispanus; animo tamen verè Gallus. Docet hic, lib.5. summæ suæ, cap.6. expressis verbis*; Haudquaquam licitum esse, vitæ Domini sui insidias struere; ut maximè is potestate suâ abutatur. *Additq; insuper*; Contrariam sententiam hæreticam, & à Concilio Constantiensi jam-pridem condemnatam fuisse.

Illustrissimus ac doctissimus BELLARMINUS, *ad eundem hunc articulum sibi objectum respondens, in Apologiâ adversùs Magnæ Britanniæ Regis librum, scribit*: Nunquam audivi, neque legi, Vitam æternã illis promissam fuisse, qui Regum vitæ insidiantur. Sed contrà legi, articulum hunc, qui dicit, Tyrannum licitè occidi posse ac debere, jam-olim in Concilio Constantiensi, Sess.15. condemnatum esse. Johannes quidem Wiclefus in Angliâ, quem Protestantes tanti faciunt, & cujus laudem primæ paginæ suorum Gestorum illiverunt, docuit: Posteaquàm Magistratus, spiritualis aut secularis, in peccatum mortale incidisset: neque hunc, neque illum ampliùs mandandi potestatem habere. Quem errorem modò-dictum Concilium, Sess.8. condemnavit.

GREGORIUS de VALENTIA, summæ doctrinæ Vir, (confirmantibus id Italiæ, Hispaniæ, & Germaniæ testimoniis,) scribens super Partem 2. Thomæ, quæst. 64. conformat se cum cæteris Scholasticis, & concludit: Nequaquam licitum esse, Principis vitæ insidiari; etiamsi is potestate suâ abutatur.

Idem docet ALPHONSUS SALMERON, Tom. 13. super caput 13. ad Romanos scribens, & Concilium Constantiense allegans: Factumque Ehudis contra Eglonem, Moabitarum Regem, inter manifesta Dei mandata numerat; de quibus homo nullus privatim judicium sibi sumere ausit.

MARTINUS DELRIO, & ipse variis Scriptorum generibus celebris, in Commentariis super Herculem furentem Senecæ, num. 920. ità scribit; Poëtæ istius sententiam periculosam esse. *Et in contrarium allegat Constantiensis Concilii decretum; quod Populo, quantum ad hanc materiam, nunquam satis inculcari, repeti, aut declarari posit.*

SEBASTIANUS HEISSIUS, in Declaratione Aphorismorum, doctrinæ Jesuiticæ imputatorum, ipsiusmet Marianæ verbis comprobat, doctrinam illam ex proprio ejus cerebro enatam fuisse: cúmque animadvertisset, se ità à consuetâ & usu receptâ sententiâ abire, agnovisse, quòd errare posit; eoque omnium judiciis se-se subjecisse. *Post quæ suam ipse sententiam mox profert, quæ omnium Theologorum nostræ Societatis communis est; eamq; doctrinæ Marianæ e diametro opponit.*

Similiter etiam MARTINUS BECANUS, in Responsione suâ ad IX. Aphorismum, Lectorem ad Constantiense Concilium remittit; ac docet, Legitimum Principem aut Magistratum majestatem suam non amittere, licèt in Tyrannum degeneret.

JACOBUS GRETSERUS, Theologiæ Professor Ingolstadii, in Vespertilione suo, eodem modo respondet, quo Heissius, ad objectam sibi Marianæ opinionem: Consuetam usuque receptam sententiam tenendam, Marianæque relinquendam esse; quippe qui se-ipsum aliorum judiciis subjecerit.

LEONHARDUS LESSIUS, Theologiæ Professor Lovanii, lib. 2. de Justitiâ & Jure, cap. 9. consid. 4. pariter se quoque ad communem usitatamq; sententiam conformat: nimirum, Haud licitum esse, vitæ Domini sui insidias struere; tametsi is potestate suâ abutatur. *Atq; doctrinam suam fundat in exhortatione Principis Apostolorum:* Servi subjecti estote Dominis vestris, non solùm bonis ac lenibus; sed etiam malis & asperis. *Post quæ etiam prædictum Concilium Constantiense allegat.*

Ità & NICOLAUS SERERIUS, super caput 3. Judicum, ad quæst. 1. confirmat; Ehudis exemplum, nequaquàm maledictis parricidis Regum pro exemplo, aut prætextu impii facinoris ipsorum, esse posse.

JOHANNES AZORIUS, parte 2. Institutionum moralium, cap. 5. quæst. 10. magìs adhuc irascitur audaciæ, temeritati, ac profanitati eorum, qui Magistratibus suis vit... eripere conantur: ibidemq; docet, N[illegible] quidem illis licitum esse vim inferre qui i[illegible] justis modis Rempublicam invaserint. *suamq; sententiam in hoc præcipuè fun[illegible]* Quòd nemo inaud[illegible]us, aut sinè sufficiente causæ cognitione, de q[illegible] privatus judicium sibi sumere posit, condemnari debeat.

Ad LUDOVICUM RICHEOMUM *quod attinet; Apologia ipsius edita irrefragabiliter evincit, quòd capitalis eorum hostis fuerit, qui doctrinam suam contra Regum potestatem ac majestatem dirigunt: idq; tanto zelo facit, ut etiam Pasquerius ipse, accuratissimus alias perscrutator scriptorum illius, allegatis propriis verbis ejus, ex cap. 3. lib. 5. eum commendans, fateatur, benè se propterea erga illum affectum esse debere, hisce verbis:* Meritò nihilominùs honorandus mihi venis; quòd videam, aliquam formam obedientiæ te depingere, quam subditus Regi suo præstare debeat. *Quam quidem laudem, multis adhuc aliis ex hac Societate nostrâ tribuere potuisset; qui, post diligentem considerationem materiæ istius, post S. Thomam, & universos Scholasticos, æquè ac ipsa Sorbona, cum Constantiensi Concilio concludunt, atq; idem illud tenent.*

Cùm igitur, Regina clementissima, sensus, sententia atque doctrina, modò-allegatorum præclarissimorum doctissimorumq; Doctorum Societatis nostræ, ità se-se habeat: qui, quæso, privata Marianæ opinio, totius Ordinis dignitati & authoritati derogaret? qui quidem Ordo, indè à primâ fundatione suâ, vehementer zelosus ardet, ut sanctæ constitutiones Ecclesiæ conserventur: nec minùs etiam potestatem authoritatemq; Regum illorum, qui, propter politicum suum magistratum, solum Deum superiorem habent, maximoperè honorat ac observat: ac jam-dudum levitatem aridæ ac siticulosæ istius pennæ, præsertim verò in Congregatione Provinciali Parisiis, anno 1606. reprobavit condemnavitq;. ubi reverendus quoque Pater, Claudius Aqua-viva, Ordinis nostræ Generalis, rogatus est: ut illi, qui in præjudicium aut damnum Coronæ Francicæ aliquid scripsissent, rejicerentur, ac libri ipsorum supprimerentur. Id quod etiam dictus Pater postmodùm, singulari studio, effectum dedit: ut, qui magnâ cum molestia intellexit; parùm prudenter, se absente, libroq; non satis perspecto, nomen & approbationem suam in eo usurpatam fuisse. Hisce enim verbis ipse in Responso suo utitur: Collaudare se studium judiciumque Congregationis; ægerriméque tulisse, quòd libri illi antè emissi essent, quàm ejus rei quicquam ad se deferretur: cæterùm, ubi primùm rem accepisset, mandâsse, uti corrigerentur; & sedulò daturum operam, ne quid ejusmodi in-posterum accideret. *Undè nunc etiam difficulter vel unum libri Marianæ exemplum inveniretur; nisi perniciosa liberalitas hæredum Wechelianorum, reformatæ Religioni (uti palàm est) addictorum, id effecisset: qui librum illum sumtibus suis, non quidem (ut facilè conjicere est) publici commodi promovendi studio, sed Ordini potiùs nostro incommodandi, denuò excuderunt. Ac fuerunt sanè, qui existimârint, aliquid illos de suo assuisse; alii contrà primam editionem deteriorem putârunt: quæ tamen opinionum diversitas, ad rem nihil conducit. Ut maximè enim ità esset, nihilq; gratiæ huic malè-acuminatæ pennæ tributum fuisset: nullâ tamen specie, liber ille Ordini nostro magìs incommodare deberet; quam Johannis Parvi aliorúmve scripta, Universitatibus & Ordinibus illis, in quibus isti studuerunt, gradusq; honorum consecuti sunt.*

Et quoniam, Regina clementissima, paulò superiùs recepi, me clarè & perspicuè, quæ nostra fides de hoc articulo sit, ostensurum ac professurum esse; pergam igitur nunc, eoq; declarationem istam concludam.

1. *Principiò, Jesuitæ omnes ac singuli fatebuntur, adeòq; sanguine suo testabuntur; se,*

se, in hoc articulo, nullam aliam fidem, doctrinam, aut opinionem tenere, quàm eam, quæ Catholicæ sit Ecclesiæ.

2. *Ex omnibus Rerumpublicarum formis, Monarchiam & unius capitis regimen optimum esse.*

3. *Ita comparatum esse regimen spirituale Ecclesiæ, quod Vicarium Jesu Christi, & S. Petri successorem, respicit: ità quoque regimen temporale Coronæ Francicæ, quod in Regis, supremi Domini nostri, personâ terminatur.*

4. *Reges (ut Homerus eos appellat) filios & lactentes Dei; aut potiùs (ut Menander ait) vivam illius effigiem, esse.*

5. *Unctos illos esse; ideóq; Christos Domini nuncupari: ut omnes nôrint, (inquit Simeon, Archiepiscopus Thessalonicensis,) eos minimè violandos; sed tanquam sanctos, rerumq; Deo consecratarum instar, venerandos.*

6. *Damnatam hæresin esse, (quod etiam S. Irenæus, ante 1400. annos, observavit,) quando Reges fortuito aliquo casu dari Populo creduntur: cùm omnis potestas à Deo veniat. Hinc etiam videmus (scribit S. Isidorus Damiata) in picturis antiquissimis, manum cœlitùs extensam, & coronam capitibus ipsorum imponentem.*

7. *Eum, qui Regibus resistat, aut contra illos insurgat, condemnationem suam (Apostolo docente) sibi-ipsi accersere.*

8. *Obedientiam illis deberi, non quia virtute præditi, sapientes, potentes, aut aliis donis singularibus instructi; sed quia Reges sint, & à Deo ordinati.*

9. *Reges nostros primogenitos Ecclesiæ in Galliâ esse; ac, præ aliis Regibus Orbis terrarum in universum, peculiaribus privilegiis dotatos.*

10. *Non licitum esse, obedientiam illis denegare; nedum adversùs illos rebellare: quantúmvis vitiis occupati, graves, adeóq; intollerabiles essent; ut prædictus Apostolus ait.*

11. *Eo casu pro illis orandum esse; prout etiam Propheta, pro salute Regis Nebucadnezaris, ac filii illius Balthasaris, oravit. Tribulationes etiam, jacturam temporalium rerum, persecutiones, aliaq; gravamina, quæ patienter ac citra seditionem contra Magistratum sustinētur, Deo grata opera, illi laudi, quam S. Paulus Hebræis tribuit, conformia, ordiniq; Ecclesiæ præscripto consentanea esse; dum ille inquit, Omnem hominem Magistratui subjectum esse debere.*

12. *Ideóq; non modò non permissum, ut quis in personas ipsorum peccet; sed etiam detestandum parricidium, dirum portentum, & maledictum sacrilegium id esse.*

13. *Decretum Constantiensis Concilii, Sess. 15. ab omnibus acceptandum, & inviolatum retinendum esse.*

14. *Declarationes Sorbonæ, anno 1413. & 4. Junii hoc anno 1610. factas & publicatas, justas, sanctas, ac salubres esse.*

15. *Omnes monendos, ut sibi à libris quibuscunque Edicto contrariis caveant; quos, quoad præsentem materiam præsertim, legere, non solùm per se valdè periculosum, sed etiam eò magìs suspectum est: quòd authores illorum (ut qui à Catholicâ Ecclesiâ, maximo cum dolore animi nostri, separati sunt) Concilium Constantiense, Censuram Catholicorum, & suprà-allegatos Doctores, nihili faciunt; ideóq; (quod magnopere miseran-*

dum) per ejuscemodi oppositiones, tantùm pertinaciores redduntur: quippe qui sibi, apud suos, hac ratione tantò majorem favorem, fidem & existimationē, conciliaturi videntur.

Equidem ipse loca hùc citarem, dicta exprimerem, & propria ipsorum verba assignarem: nisi melius longè foret, in abysso perpetuæ oblivionis illa demergi utiliusq; censeretur, omnibus id cognitum esse, quòd innocentia multò melioribus armis, quàm recriminationibus, nitatur. Quam ob causam ipse quoq; Commonefactione hac penitùs abstinuissem: nisi ostensurus fuissem, Societatem nostram, unius Viri opinione, ab illa publicè rejectâ, tàm non infici contaminarive posse; quàm illi, qui reformatam Religionem profitentur, eorum errorum se participes agnoscunt, quos suorum aliqui in medium proposuerunt; ipsi verò rejecerunt ac damnârunt; adeóq; una nobis-cum sub communibus Statutis bujus Regni, obedientiâ & subjectione, quam Sceptro nostro regio declaramus ac præstamus, vivere cupiunt. Neque dubium mihi est, eos-ipsos, si hunc calamum meum capere deberent, iisdem sermonibus mecum usuros, & consentiente voce, contra abominandos ejuscemodi Scriptores, maledictionem proclamaturos esse. Quo etiam factum est, ut neq; celeberrimum Parlamentum, neque sanctissimum Collegium Theologicum, in Decretis & Arrestis suis, doctrinæ Jesuiticæ ullam mentionem fecerint: quòd ipsis, tanquam justis judicibus ac doctoribus, satis constet, delicta soli delinquentis personæ adhærere: neque alias quemquam in toto Mundo innocentem esse posse; si unius delictum cuivis etiam alteri imputandū foret: primi tamen Hominis peccatum, aliâ miserabili & peculiari conditione fuisse, ideóq; ad alios etiam se-se extendisse; quòd is, in suâ personâ totam simul posteritatem suam repræsentârit. Insuper illos, vel ex ipsâ infausti illius hominis confessione, minimè latet; Marianā ad crudele istud facinus nihil contulisse, aut conferre potuisse: quandoquidem latro iste nullam sufficientem linguæ illius cognitionem habuit, quâ liber ille perscriptus fuit. Ex quo absurdum etiam eorum propositum satis æstimari potest, qui totum illum librum memoriter ipsum calluisse spargunt: si fortè sic acerbitatem hujus infortunii in alios, quàm in verè-sontes, derivare possent.

Quocirca regia Majestas Vestra super hoc quam-subjectissimè rogatur: ut, intercedente supremâ potestate & authoritate suâ, faciat, omnia ejuscemodi scripta, quæ mox initiò fomitem rebellioni præbere, at paucis horis in flammam seditionis ac tumultùs excrescere possunt, ex oculis Populi Francici aboleri. Est Vestra Majestas summa Domina & Rectrix nostra, plùs quàm maximâ prudentiâ, talibusq; virtutibus, divinitùs prædita, quæ pares alias vix inveniat: ideóq; clarè & perspicuè satis dispicere potest, quantum intersit, ut in bonâ concordiâ, si, ob temporum malignitatem, in unâ fide id fieri nequit; at pari saltèm fidelitate, obedientiâ, inclinatione & amore pacis, juxtà invicem vivamus. Talis quoque nobis Rex est, qui in minorenni adhuc ætate suâ, spiritum nobis animumq; Regis olim nostri Henrici Magni, Patris sui, ac Majestatis Vestræ dilectissimi Mariti, ostendit ac demonstrat: quiq; etiam, cum annis, (ubi Deo placuerit, benignâ influentiâ suâ ipsum porrò etiam prosequi) suam non minùs fortitudinem, sapientiam, felicitatē, atq; experientiam, assequetur & obtinebit. Nostrum proinde fuerit, tantum thesaurum magni æstimare; obsequente animo huic, magno simul ac parvo Domino, servire; Majestati quin-etiam Vestræ, Matri illius honoratissimæ, Regenti nostræ, obtemperare. Quò minùs autem aliquid concordiam istam destruat; quæ sola, post Deum, potentem istam Monarchiam defendere.

re, hostesq́; illius in perpetuo metu retinere potest: quantoperè optandum esset, Regina clementissima, nullas inter nos obtrectationes exaudiri; dolos omnes averti; homines fraudulentos meritâ pœnâ affici; veterem animorum rancorem eliminari; ac, sicubi sinistris præjudiciis gravaremur, judicia nostra differri; sicq́; juxta doctrinam Apostoli, charitatis vinculum non-interruptum inter nos conservari. Magnoperè quidem certè, Regina clementissima, ab otacustis & prosagogidis, hoc rerum statu, metuendum est: certum tamen est, penes Majestatem Vestram non stare, quò minùs id mercedis virulentæ hæ linguæ reportent, quæ olim quadruplatoribus & calumniatoribus exspectanda erat. Qui quidem si ab hominibus nullas pœnas extimescant: inevitabilem tamen ab eo exspectandam habent, qui omnis innocentiæ principium, tutela atque merces est.

Nostra exigua Societas, proh dolor! inter, imò ante alios Ordines omnes, eorum invidiæ atque insidiis exposita est; quos piget illius statum rectè cognoscere. Neque Majestatem Vestram latet, quàm sæpè Rex olim noster, ac fidus Dominus, eam nobis gratiam præstiterit; ut nos tueretur, nostramq́; dignitatem assereret. Sed & testis Majestas Vestra nobis esse potest, quippe cui id meliùs, (quàm cuiquam alii, cognitum est) quòd, ubicunque locorum magnus hic Princeps fuerit, semper nos illo, non tàm Rege, quàm Patre ac Vindice, usi simus. Verùm is jam, eheu! nobis óccidit: Magnus iste Henricus, proh miseriam! nobis ereptus est. O` præclara Gallia, Christiani orbis ocelle, Regnorum omnium rosa, totiusq́; Mundi margarita, quàm magna hæc jactura tua est! quàm naufragium istud tibi funestum ac terribile est! Quis te, ô Gallia, cœli amor, Deiq́; amica, quis te gloriæ illius pallio destituit, quo tegebaris? Quis te honoris coronâ privavit, quæ capiti tuo supereminebat? Quis te, ô electum Domini Regnum, quis (inquam) miserè adeò te perturbavit? Ac tu misera Societas, quæ nullo alio præsidio, quàm hujus Monarchæ gratiâ & beneficentiâ, nitebaris; quis te adeò vastavit? tàm crudeliter dejecit? tamq́; miserabiliter conquassavit? Infortunium quidem certè istud, omnes; te autem in-primis ante alios percussit: atque ictus iste universum quidem statum Coronæ hujus attigit; te verò penè lethaliter vulneravit. O` quàm nimis, proh dolor! verum est, tuq́; in te-ipsâ nimis sensibiliter experiris; dolorem & luctum illum, quem effari non licet, indignum esse, qui cordolium appelletur! Quàm evidentes autem mihi, qui hæc scribo, præ aliis causæ sunt, lamentabilem & corpenetrantem vocem meam cum tristi sono emittendi, ac dicendi: Vale, ô inauditum miraculum omnium Regum! Vale, ô mirum decus istorum temporum! ô gaudium nostrum! gloria nostra! honosq́; noster! Vale, ô Reipublicæ Pater; qui statum Regni hujus reparâsti ac redintegrâsti; Societatemq́; nostram denuò fundâsti; sed ante omnes alios summis beneficiis affecisti! Vale, ô Rex meus, Princeps meus, ac Protector meus! qui quoniam in hac miseriarum lacrymarumq́; valle tantum nobis requietis procurâsti, quanta in eâ comparari unquam potest: faxit Deus, te quoque vicissim molliter quiescere; & in suavi liliorum delectabiliq́; rosarum odore, ab aculeatis curis atque molestiis Monarchiæ istius, securum ac liberum agere! Exhilara te, non ampliùs in terris; sed in cœlis. Hic inferiùs quidem, tu evidens spectaculum, atque testimonium fuisti divinæ bonitatis: ibi verò nunc superiùs, perpetuus scopus misericordiæ illius esto. Etenim, quia laureæ victricia signa, in Orbe hoc inferiore, nimiùm citò marcescunt; caput tuum alia longè pulcriora, perpetuúmq́; viridantia, exspectavit: modisq́; omnibus justum fuit, ut hic inferiùs obtentæ victoria,

ctoriæ, parati ac meriti triumphi, regnaq́; occupata, in multò-superiorem gloriam commutarentur. Age igitur, & istâ tàm diù exoptatâ possessione fruere. Tua felicitas nobis causam præbebit nostrî recolligendi: ut, qui jam in profundis gemitibus, propter absentiam tuam, agimus; ad locum illum, quem tu, spe nostrâ, nunc tenes, omni studio contendamus. Divinâ quippè miseratione confisis, miserabiles abitûs ex hoc mundo tui circumstantiæ, spem nobis præripere nequeunt, nos invicem in sereno illo universali die revisendi; caput illîc, cum restantibus censibus, hujus tàm gravis abitûs tui, recepturis. Vestra interim Majestas, unà cum Rege, vivâ effigie illius, in seriâ exspectatione temporis istius, partem aliquam lacrymarum nobis absterget: Nosq́; vicissim personam ipsius in personis vestris, coronam ipsius in coronis vestris, majestatemq́; regiam ipsius in vestris, recognoscemus ac venerabimur. Ad quod debitum, tametsi omnes Subditi vestri, multis modis obstricti sunt: nostra tamen Societas, ad hoc peculiariter obligata, mihi id in mandatis dedit; ut, ad pedes Majestatis Vestræ, intimum votum ac desiderium fidei suæ, devotissimumq́; affectum subjectionis ac officii sui, referrem atq́; deponerem. id quod tantò lubentiùs in me recepi; quantò magìs ipse esse ac perseverare cupio,

Vestræ Majestatis

subjectissimus Servus, obsequentissimusque & fidelissimus Subditus,

P. COTTONUS, de Societate JESU.

Ecquid autem de hac Declaratione sit existimandum, ac num per eam Jesuitæ, suspicione imputati sibi Regicidii illius, sufficienter exsolverint: è duobus sequentibus ad eam consecutis Scriptis publicis, rationabiliter cernere est ac judicare. Prius illorum est, *Celeberrimæ Universitatis Parisiensis fidelis commonefactio, ad Reginam Viduam & Regentem, Principes regii Sanguinis, aliosq́; Magnates & Coronæ Francicæ Consiliarios, de Jesuitis ac doctrinâ ipsorum*: atque in hunc sensum habet.

REGINA clementissima; Majestati Vestræ Universitas Parisiensis quàm-subjectissimè recognoscendum subjicit; Doctrinam illam de parricidiis Regum, per Sicarios institutis, qui cum zelo ac devotione, tanquàm Martyres Deoq́; accepti homines, mortem proptereà subeunt, venenatam ac pestilentialem progeniem esse: de quâ ne minimum quidem, in ullis vetustis literis, visum perceptúmve; eaq́; nec Ethnicis, nec Christianis, unquàm cognita fuerit. Unicus quidem certè, Mahometicæ sectæ addictus, quem Vetulum de Montanâ vocitant, eam sibi arrogârat; sed ille mox ab aliis suæ Sectæ asseclis oppressus ac deletus: neque homines isti unquàm posteà doctrinâ eâ sunt usi; tametsi odium illorum adversùs Christianos nequicquam defecerit. Attamen venenum istud, proximis bis sexaginta plus-minus annis, in orbe Christiano sparsum fuit; atque etiam in Angliâ, & Galliâ, vires suas exseruit. Hîc verò Regni Angliæ proptereà mentionem facimus: quòd, quantum ad civile ac temporale obsequium erga Reges, securitatemq́; personarum ipsorum, pertinet, omnes Reges, sive Christiani, sive Ethnici, Hæretici, Idololatræ, Infideles, Excommunicati, aut Apostatæ, apud nos sancti unctiq́; sunt, ac esse debent. prout hoc & Apostoli, & vetus Christiana Ecclesia, & sancti illi nunc in Paradyso regnantes, ac priùs etiam in Galliis Prælati & Episcopi exsistentes, exemplo suo nos edocuerunt.

Jam

Jam verò infernalis doctrina ista, super aliâ non minùs erroneâ doctrinâ, Omnipotentiâ nimirum Papæ, est fundata: quem quidem nos pro Ecclesiæ capite agnoscimus, eâ conditione ac modo, quo ipsum Majores nostri agnoverunt habueruntq;. Doctrina verò, de Omnipotentiâ & absolutâ ejusmodi potestate, neq; in scriptis Theologorum Parisiensium, neq; in gremio Universitatis ibidem, reperitur: sed in Jesuitarum concionibus & scriptis, atque in Sicariorum confessionibus, quando hi à Judice propterea examinantur. Quod ut ampliùs constet; illorummet verba de hac re percipere oportet. Ac Parrius quidem ille, qui Elizabetham Angliæ Reginam è medio tollere instituerat, Se licitè cædem illam patrare potuisse, *professus est*; quòd Regina à Pontifice excommunicata, ideóq; vita ipsius omnium prædæ exposita esset. *Eodem modo Catesbius, qui Magnæ Britanniæ Regem, unà cum Reginâ, Progenie regiâ, cunctiśq; Statibus Regni, pyrio pulvere in aërem displosurus erat, super eo interrogatus, respondit*; Sanctum id propositum fuisse: eò quòd Clemens IIX. editâ Bullâ mandâsset, ne ullis modis Rex ille admitteretur. Quantò igitur magis ex ipsius sentẽtiâ fuisse; ut, posteaquàm is ex contrario jam susceptus & admissus esset, throno illo rursum dejiceretur? *Consimiliter Johannes Chastellus*, Meritorium opus esse, Regem quondam nostrum occidere, *est confessus.* Quanquam enim Episcopi Galliæ illum in Ecclesiam recepissent: ad eam tamen non pertinere; quoniam à Papâ receptus non esset. *Breviter, Ravaillacus, postremus ille Sicarius, dixit*; Regem, contra Pontificis voluntatem, bellum suscepisse. Deum autem esse Pontificem, & Pontificem Deum, vi verborum istorum: Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. *Quo fine etiam Episcopus Claromontanus, progenies ac discipulus Jesuitarum, non destitit, apud Congregationem in Sorbonâ habitam, (quum ibi, Majorum nostrorum exemplo, doctrina de Parricidiis sicariorum condemnanda esset) se-se intrudere, ac viritim, ante consessum, singulos monere, atque dicere:* Considerate, quid facturi sitis; duo hîc Nuntii apostolici præsentes adsunt. *Idem quoque, post consessum, conclusit:* Variis modis super eâ quæstione disceptatum fuisse; ideóque cum Nuntiis Papalibus de eo communicandum, qui ad Pontificem eâ de re perscriberent. *Ac si verò nulli Regi vivere liceret, nisi qui Papæ placeret.*

Fundamẽtum doctrinæ parricidialis Jesuiticæ.

Ità, postquam multi boni Concionatores ex hac Universitate, Regicidas ejuscemodi, unà cum iis, qui in doctrinam istam consentirent, diris devovissent; tandem P. Cottonus Majestati Vestræ, Declarationem doctrinæ Jesuiticæ, quo-ad articulum istum, in scripto exhibuit: quâ omnes illos rejicere instituit, qui conquererentur, quòd Scripta ipsorum, tria ista proximè se-se consequentia dogmata, nimiùm-quantum stabilirent; quæ nimirum de Omnipotentiâ Papæ, ac propter illam de rebellione adversùs Reges & Principes, eóq; etiam de propriæ vitæ contemtu, quandocunq; hominibus istis, Reges pro Tyrannis habere, visum est, tractant atque commonent. Ac multis quidem certè æquivocationes ac fraudulentæ locutiones cognitæ sunt, quibus Jesuita iste, pessimam doctrinam suam se obtegere posse, arbitratur. Quâ in re consuetudinem Sectæ suæ æmulatur, libris publicis, & ab ipso Generali ipsorum approbatis, expressè traditam & edoctam: utì ex Apologiâ pro Henrico Garneto Jesuitâ, capitulo de Aequivocationibus, pluribus apparet. Quanquam autem nos non præsumimus illi esse, qui hanc fraudẽ retegere, aut spe alicujus ad nos redundantis

lucelli impedire instituamus, quò minùs improba ipsius moneta publicè valeat: quia tamen Secta ista, mediante hoc dolo, tantum lucrari, atque id obtinere molitur; ut, contra ultimam ac decisivam Regis quondam nostri sententiam, Juventutem in hac Universitate Parisiensi, suæ institutioni publicæq; disciplinæ subjiciant: Universitas utiq; ista, Regum Galliæ primogenita filia, perfidiæ ac perjurii rea agi posset; nisi Majestati Vestræ dolum hunc malũ aperiret, neq; ab eâdem quàm-subjectißimè contenderet: ut ne hanc Regibus obsequentißimam, adeóq; fidelem Filiam, quæ nullis unquàm artibus seduci aut superari potuit, nunc-temporis communione ac societate Sectæ hujusmodi contaminari patiatur; quæ, tot ac tàm variis experimentis, Regibus perniciosißima periculosißimaq; deprehenditur.

Æquivocatio Jesuitica de Regicidiis.

Summa quidem eorum, quæ ille Majestati Vestræ, Regina clementißima, persuadere nititur, huc redit: Doctores ac primores Ordinis sui docere, Tyrannum occidendum minimè esse. *Veruntamen ipsi illi ab eo allegati Authores (Valentianus præsertim, qui ultimus magnorum Doctorum inter illos est) hanc conditionem attexunt;* Nisi publica cognitio aut judicium ad hoc accedat. *Ac ne Majestas Vestra dubitare ampliùs poßit, quid per publicam ejuscemodi cognitionem, & judicium potestatémve, accipiat: ex eâdem illâ doctrinâ, mox posteà nonnullos articulos, de Regum potestate, arripit; quorum ea est sententia:* Monarchiam, sive Regimen sub uno aliquo capite, omnium optimum esse. Papam *itèm*, monarcham & absolutum dominum in Ecclesiâ esse, quantum ad spiritualem jurisdictionem pertinet: Regem autem, monarcham in Regno suo, quantum ad jurisdictionem secularem. *Quo-ipso satìs indigitat, Regem ipsi, in proprio regno suo, Regem aliter esse non debere; nisi si Papa, in spirituali regimine Ecclesiæ, sit monarcha, liberisq; ac minimè-ligatis manibus utatur. Id quod tamen, Regina clementißima, (nempè quòd Papa in Ecclesiâ monarcham & absolutum dominum agat) doctrinæ ecclesiasticæ, quam Majestatis Vestræ Universitas Parisiensis perpetuò tenuit, è diametro adversatur. Apertè siquidem hæc invicem contrariantur: Concilium supra Papam esse, (quod Universitas semper asseruit,) &, Papam absolutum dominum ac monarcham in Ecclesiâ esse. Jam verò, Regina clementißima, eò (proh dolor!) res rediit: ut, si unquam hæc Universitatis Parisiensis sententia & doctrina necessaria fuit; eadem illa hoc tempore, non Regibus duntaxat nostris, sed universis etiam per Orbem Christianum Regnis & Imperiis, summè-necessaria & maximoperè-observanda exsistat. Quòd si enim quis penitiùs cognoscere aveat, ecquorsum absoluta hæc monarchia spiritualis, ac jurisdictio ecclesiastica, collimet atq; tendat: idem hic Jesuita, in alio libello, quem Majestati Vestræ, juxtà cum Principibus & Consiliariis Regni, obtulit, manifestè satìs id indicat; atque illud in Institutione ipsius, sub finem secundi tomi, sub quæstiane 35. cernere est, ubi scribit:* Papam nullatenus restrictam potestatem, Regna conferendi auferendique, non obtinere. *Omnis hìc fraus sub verbis illis* (Nullatenus restrictam) *latet; quibus ille apertè innuit ac ponit: Habere quidem Papam potestatem Regna auferendi conferendiq; sed non habere illam per omnia liberam, aut citra cujusquam contradictionem expeditam. Atqui neq; Majestas Vestra, cæteriq; præsentes eidem Principes, ità dicunt; quòd libera minimèq; impedita potestas sibi adsit, Subditos suos bonis poßeßionibusq; privandi: sed tantũ duntaxat, quantum æquitatis jurisq; ratio permittit.*

Prætereà

Præterea, paulò post illa, Cottonus inquit: Papæ, virtute spiritualis suæ jurisdictionis, propter communionem, quæ, in rebus fidei ac politiæ, inter regimen spirituale ac seculare intercedit, fas potestatemque esse, conjunctim de Regnis & Imperiis disponere; quoties videlicet illud, sive in Religionis & Cultûs divini, sive in Ecclesiæ commodum, Animarumque salutem, cedat. *Quâ quidem in re Cottonus nullam privatam opinionem foret, verùm Societatē suam totam manifestè consentientem habet. Doctrina verò ista, quâ res illæ fidei ac politiæ, spirituales ac seculares, conglomerare ac commiscere studet, doctrinæ Domini nostri Jesu Christi penitùs contrariatur; qui, semel pro semper, Religionem & Politiam, longè ab-invicem discrevit, inquiens:* Date Deo, quæ Dei sunt; *quantum nimirùm ad Religionis cultum pertinet:* ac Cæsari, quæ Cæsaris sunt; *civile nimirùm obsequium, honorem, servitium, tributum, & quæ sunt his similia. Id quod etiam Majestatis Vestræ Universitas ità, juxta Conciliorum, tenorem retinuit; tantumq; novitios rejecit, quantum hi à salutari istâ doctrinâ abiverunt.*

Jesuitarum doctrina Christi doctrinæ è diametro est contraria.

Atque hoc ipsissimum fundamentum est, (censentibus sic semper Regibus, Episcopis, Prælatis, Consiliariis, Doctoribus ac Universitatibus per Galliam) quo libertas, tàm Ecclesiæ quàm Coronæ Francicæ innititur ac consistit. Non res nihili agitur: sed totum Regnum atque Imperium Regis ista doctrina attinet; quippè quod Papa (ut isti homines dicunt) eripere ipsi possit. Isti homines, inquam; quibus tamen hodie Juventutis institutio in omnibus urbibus, Populi conscientia in omnibus confessionibus, adeóq; disciplina tàm superioris, quàm inferioris sortis hominum, committi vult atque credi. Agitur præterea, Regina clementissima, & Vestræ Majestatis, & Regis filii vestri, vita. Quàm-primùm siquidem Papæ visum est, Regem aliquem jure suo destituere: mox homines isti pro Tyranno illum habent; qui, contra publicam ejusmodi censuram, Regno se-se obtrudat. quæ quidem censura, juxta Jesuitarum doctrinam, tantum potest; ut ex Rege Tyrannum efficiat. Quin longiùs adhuc eunt, atque dicunt; Licitum Subditis esse, adversùs Regem suum rebellare; tametsi is non excommunicatus foret: dummodò ipsi existiment, ob magnam potentiam suam illum tutò excommunicari non potuisse.

In hunc modum expressè etiam concludit Suarezius Jesuita: quo Principum omnium vitam & regimen in periculosissimo ponit. Idq; ipsum aliquot Sicariorum ausis, atque horrendis facinoribus, in regiis personis patratis, satis comprobatum fuit: qui omnes ità sentiunt, omnem omninò potestatem Papæ deberi; prorsus utì Jesuitarum doctrina habet: neque ullum alium Magistratum recognoscunt, nisi quantum & quamdiù Papæ complacitum fuerit. Præsertim verò postremi illius Parricidæ scelus super hoc Jesuitico fundamento nixum fuit: utì id satis superq; ex maledictis sermonibus ejus liquet, quos erga Ecclesiasticos ipsi adjunctos effutivit; quibusq; ostendit, se in omnibus effugiis, dolis & æquivocationibus sophisticis, quantum ad hanc materiam pertinet, apprimè institutum ac versatum fuisse: cùm, extra hæc, in aliis omnibus puer appareret, req; vera merus idiota imperitusq; esset.

Non equidem dubitamus, Regina clementissima, quin Papa, bonis consultoribus usus, officium suum in eâ re sit facturus: confidimus potiùs, quòd per Bullam Sicarios hujusmodi in abyssum infernale sit condemnaturus, taliq; facto, uno quasi verbo, (quod facere potest)

magnum istud malum amoliturus; quod innocentiæ religionis ac fidei Christianæ summum dedecus inurit. Etenim postquam animadversum est, quot & quanta homines isti Romæ possint: nonnullis ausa subministrata fuit, haud dissimulanter ità pronuntiandi; quòd, qui improba ejuscemodi facinora inter eos non cavet & abrogat, in quos plena ipsi potestas est, quosq; simplici rejectione ac improbatione arcere potest, ipsemet author ac patrator sceleris exsistat. prout etiam Jura scripta de hoc clarè loquuntur ac statuunt.

Ratio, quam Cottonus assuit; Papam videlicet potestatem Regnorum auferendorum conferendorumq; obtinere, quando id in Ecclesiæ commodum cedat; merus fumus & falsus est prætextus. Posteà enim, quàm Christus Dominus, semel pro semper, discrimen inter Religionem ac Politiam, in omnibus Mundi partibus, in quibus fides ipsius prædicaretur, constituit; omnes ac singuli tenemur atque obligamur, (non attentâ ullâ censurâ ecclesiasticâ, excommunicatione, prohibitione, remissione jurisjurandi ac fidei, præceptione Papali adversùs Regem nostrum insurgendi,) Regibus illis nostris omnem civilem atque secularem obedientiam præstare, ac, pro defensione vitæ ipsorum, propria corpora nostra objicere. Est namq; istud mandatum atque lex talis, qualem natura ipsa animis hominum in hunc Mundum natorum insculpsit; quamq; Filius Dei, in assumtâ carne & humanâ naturâ, comprobavit, & sanctificavit; ac Christianos in-primis arctiùs ad eam, quàm Paganos per solum Naturæ lumen unquam, adstrinxit obligavitq;: præsertim autem ecclesiasticos, quorum officii est, Laicis puram hanc doctrinam, verbis & factis, instillare atque imprimere: atque in his magis adhuc Episcopos, quàm simplices Sacerdotes. Eoq; etiam ante omnes, primus omnium Episcopus summoperè ad id tenetur: ut qui, hoc casu, Christiano Orbi, bono exemplo suo plùs, quàm reliqui omnes Ecclesiæ Ministri, prælucere commodareq; debet.

Atq; hæc etiã causa est, quâ Magnæ Britanniæ Rex, ut quadamtenus à Sicariis ejusmodi tutior esset, adactus, à Subditis suis peculiare juramentum fidelitatis & obsequii, in civilibus ac secularibus rebus, exigit, ac vitæ suæ, adversùs omnes censuras & excommunicationes Papales, hoc modo asserendæ, expostulat. Quod quidem juramentum ità comparatum est: ut hodierna doctrina, magnusq; maledictorum Sicariorum numerus, exposcat, illud per universum Orbem Christianum necessariò observari; atq; hac ratione, tàm vitæ Unctorum Domini, juxtà cum imperio ipsorum, securitatem præstari; quàm etiam Catholicam-apostolicam & Romanam religionem, apud omnes Reges ac Principes seculi hujus, ab isto scelere, indéq; exsistente odio, vindicari ac liberari: tantoq; majorem illi apud alios Principes, qui diversæ religioni addicti sunt, dignitatem honoremq; conciliari. Ante omnes autem Provincias, sana illa doctrina Regno huic Francico summè necessaria est: quoniam (proh dolor!) ipsi hoc videmus & sentimus, quòd contraria opinio, ejusq; virtus & operatio, vitam præcipuè nostrorũ Regum, hancq; Coronam Gallicam, petere atque invadere soleat. Præsertim verò, ac meritò, falsa hæc doctrina, durante adhuc minorenni Regis nostri ætate, confutari; ejusq; authores ac defensores rejici ac removeri debent. Cùm experientia & praxis doctrinæ istius adhuc nos docuerit; quoties censuræ & excommunicationes contra politicum Regum statum stringendæ erant, maximè infirmos ac imbecilles illis petitos fuisse.

Ob expositas igitur rationes universas & singulas, Regina clementissima, Majestati

Vestræ,

Veſtræ, juxtà cum Principibus, Magnatibus, & Conſiliariis Regni hujus, Univerſitas Pariſienſis, Regum Galliæ filia primogenita, quàm-humilimè ſupplicat, rogatq; Jeſuitis, qui de Papæ omnipotentiâ & abſolutâ poteſtate, deq; Regum jurisdictione, ſtatu & vitâ, doctrinam ejuscemodi ſovent, quæ ſanæ doctrinæ, ab Univerſitate adhuc conſtanter aſſertæ, è diametro repugnat, non permitti, ut Juventutem in hac urbe Pariſienſi inſtituant; multò minùs, ut in Univerſitatem iſtam, tanquam membra ejusdem, recipiantur: ne animus moresq; illius, contra Regium ſtatum, æquè inficiantur occupenturq; atq; Secta hæc & Societas eidem adverſatur. Id quod cùm ex ſcriptis, à P. Cottono Majeſtati Veſtræ oblatis, quotidieq; Sectæ hujus nomine offerendis; tùm verò ex iis, quæ huc-uſq; experti ipſi ſumus, quæq; paßim in Orbe Chriſtiano in-dies patrătur, ſatis eſt cognoſcere ac pervidere. Deum omnipotentem ardenter oramus, ut Regem noſtrum, unà cum Majeſtate Veſtrâ, cæteriſq; Principibus, Magnatibus, & Conſiliariis Regni iſtius, clementer protegat, atq; ad felix pacatumq; regimen paternè quàm-diutißimè conſervet.

Præter hanc Univerſitatis Pariſienſis fidam Commonefactionem, etiam alius quidam magnæ authoritatis Vir, ac Patriæ ſuæ amans Gallus, *ſolidam Confutationem Cottonianæ iſtius Declaratoriæ*, ad Reginam Viduam ac Regentem inſtituit: in quâ per circumſtantias evidenter comprobatur, Jeſuitas horribilis illius ac deteſtandi parricidii, in perſonâ Regis Henrici IV. patrati, culpam, tanquam veros authores illius, ſuſtinere. Quod ſcriptum latinè ità ſonat.

Galli φιλοπάτριδος Anticottonus, & ſuperioris Declaratoriæ confutatio.

REGINA clementißima: Quandoquidem non ſolùm Majeſtatis Veſtræ Subditi, verùm etiam Extranei, in communi hac opinione verſantur, Jeſuitas cædis illius, quâ ſimul & pii quondam Regis noſtri Cor, & Coronæ Francicæ jugulum, petitum ac læſum fuit, unicos veroſq; authores eſſe; contrà Patres iſti multùm querulantur, ac de innocentiâ ſuâ proteſtantur, dictitantes, hæc à ſuis adverſariis ac hoſtibus ità in vulgus ſpargi, ad odium duntaxat Societati iſti ſuæ conciliandum: neceſſarium ego duxi, ut cauſæ inſimulationis iſtiusce Majeſtati Veſtræ exponantur: quò & Ipſa (ſiquidem vera illa eſſe comperietur) judicare faciliùs rectiúsq; poßit, conſultúmne ſibi, atq; è ſecuritate Regis, vitæq; illius, futurum ſit; ut Patres iſti perſonæ illius adjungantur, ſicq; adeò Subditi ipſius in perpetuo metu, ſolicitudine ac diffidentiâ, eſſe cogantur. Quòd ſi enim in Veteri Teſtamento probibitum fuit, (P. Cottono id-ipſum à principio Declaratoriæ ſuæ allegante,) hœdum, à matris ſuæ uberibus adhuc pendentem, unà cum lacte illius coquere: quantò magis prohibitum fuerit, Filium in illorum manus tradere, qui Patris ſanguine adhuc infecti ſunt ac contaminati! Quam ad rem, ſinè evidentißimâ demonſtratione, nullam mihi fidem adjungi poſtulo: ut qui adversùs perſonas ipſorum ne minimùm quidem exacerbatus ſim, aut ſiniſtris præjudiciis occupatus, adeóq; nihil de ipſis conqueri haberem; ſi modò ipſi, ad-inſtar aliorum Religioſorum, inſtitutione Populi, & præſtatione Miniſterii eccleſiaſtici, contenti viverent. Neq; verò, Regina clementißima, hoc, quod propoſiturus ſum, ab Hæreticis mihi ſuggeſtum eſt; ſed vox eſt Parlamenti Majeſtatis Veſtræ, majoriſq; partis Eccleſiaſticorum, & Facultatis Theologicæ, adeóq; communis totius Populi clamor. Qui quidem univerſi ac ſinguli, artem Oblivionis (à P. Aubignio profectam) lubentes addidiciſſent, ac patientibus animis in ſilentio nihil, præter ſuſpiria mera, emiſiſſent: niſi oculis

nostris cerneremus, Regicidia propemodùm in consuetudinem trahi, remq; eò devenire, ut (nisi Majestas Vestra malo isti maturè obviàm eat) proditiones inter præcipuas virtutes Christianas censeantur, ac pro viâ compendiosissimâ ad cœlum perveniendi habeantur. Quòd si igitur Majestati Vestræ, pauculum tempus aliis negotiis suis necessariis subtrahere, huncq; libellum perlustrare, placuerit: haud-difficulter illa deprehendet, quantum ad hanc causam pertinet, Populi vocem ipsius Dei vocem esse; qui utinam lilia super capite Filii Majestatis Vestræ virere atq; efflorescere, Vestramq; utriusq; Majestatem omni bono abundare, faciat!

I. Quòd Jesuitarum doctrina, Regum cædes, Subditorumque rebelliones asserat atque defendat.

Quò dubium omne præveniri, quæstioq; hæc satis dilucidè explicari possit; rem totam paulò altiùs repetere est necesse. Chronica & Historia Gallorum testantur; Anno 1407. die 22. Novembris, Ludovicum, Aurelianensem Ducem, Regisq; Caroli VI. fratrem, per submissos ad id à Johanne, Burgundiæ Duce, (cui cum Aurelianensi, super administratione Regni, controversia erat) Sicarios, cæsum fuisse: Ducem verò Burgundiæ, cùm factum negare non posset, minimè veritum, in præsentiâ omnium regii sanguinis Principum, Consiliariorum, aliorumq; Officialium, facinus illud, tanquam justè-factum, defensare. quo nomine causam istam, à quodam Theologiæ Doctore, cui JOHANNI PARVO *nomen, patriâ Nordmanno, ità actam fuisse; ut is, tàm ex divino quàm humano, Canonico ac Civili Jure, demonstrare præsumserit,* Tyrannum quocunque modo ac viâ occidere, unicuique licitum esse. *sicq; partim vi, partim disputationibus ac persuasionibus hujuscemodi, factum; ut facinus illud impunitum sit dimissum. Vivebat tunc temporis* JOHANNES GERSON, *Universitatis Parisiensis Cancellarius: qui, tanquam Vir (utì secula illa ferebant) doctus, doctrinæ atq; opinioni Johannis Parvi se-se opposuit. Et quia paulo tempore pòst, anno videlicet 1415. & 16. Concilium generale Constantiæ celebrabatur; Gerson ille, à Rege Carolo VI. ad illud ablegatus, simulq; ei injunctum est; ut quæstionem illam controversam à Concilio definiri faceret. Concilium igitur, utrâq; parte sufficienter auditâ, in Sessione seu Congregatione XV. hanc Doctoris Parvi opinionem condemnavit, ac definivit;* Nulli Subdito licitum esse, sub Tyrannidis prætextu, vitam Principis sui invadere.

Hic per Concilium condemnatus ac sepultus error, per Jesuitas refossus, ac denuò in scenam productus; alio duntaxat, Religionis putà, colore pictus est: quando videlicet necessitas postulare videretur, ut Rex quispiam, pro Ecclesiæ defensione, è medio tolleretur. *Cui fini multos passim libros editos sparserunt: quibus* unicuilibet Subditorum permittunt, Regem suum, si is potestate suâ abutatur, occidere. *Ac primùm quidem Jesuita Hispanus,* RIBADENEIRA, *librum, de Religione & Virtutibus Principis, emisit; in quo doctrinam illam apertè tradit. Ejus namq; voluminis libro 1. cap. 15. de Jacobi Clementis regicidio, sequentia verba usurpat:* Quoniam Regis Henrici III. propositum, politicum ac Machiavellicum, legique divinæ non consenta-

sentaneum opus fuit! ecce, justo etiã Dei judicio, Rex ille Henricus, per miserum, simplicem, ac juvenem Monachum, occisus, & cultro est confossus. *Atq; ad hanc opinionem suam palliandam, fragmentum quoddam è libro Gallico, quo Maria Scotiæ Regina martyr cognominatur, ibidem allegat; & in hanc porrò sententiam subjicit:* Nihilominùs quiddam notatu dignum, in hunc finem, ex vitâ illius habemus; quod causa hujus miseri interitûs illius esse videtur: quòd nimirum in Regno suo, contra piorum virorum, adeóque doctoris ac concionatoris sui consilium, (qui propterea etiam officio suo renuntiavit) hæresin tulerit; nec permittere voluerit, ut spurius ille Stuardus, quámvis rerum novarum cupidus, caputque Hæreticorum esset, occideretur: cùm tamen mors illius, Hæreticorum in Scotiâ interitus fore videretur. *Ità Jesuita iste Principis cædem, absq; ullo processu judiciario, approbat.*

CAROLUS quoque SCRIBANIUS, Jesuita Flander, (qui transpositis literis se CLARUM-BONARSCIUM scribit) Amphitheatrum honoris *edidit; in cujus lib.1.cap.12. hanc doctrinam parricidialem propugnat, interq; alia sic ait:* Dionysii, Machanidas, Aristotimus, sæculorum portenta, Galliam premant: nemo Pontifex Bionem, Timoleontem, Philopæmenem, Helematum, securus animaverit? *tales videlicet, qui Tyrannos è medio sustulerunt. Et paulò pòst, Tyrannũ Galliam opprimentem describens, subjicit:* Nullus tamen in hanc belluam homo miles erit? nullus Pontifex nobilissimum Regnum securi eximet; vitæ donabit.

BELLARMINUS quidem, lib.2. contra Angliæ Regem, proditionem seditionemq; adversùs Principem suum, videri vult damnare: sed æquivocatione utitur, req; ipsâ eam probat, & unumquemq; ad eam cohortatur. Garnetum siquidem Jesuitam ob id laudat; quòd, tametsi per Confeßionem de conspiratione illâ contra Regem cognovisset, eam tamen non reveláßet. Cur denique, *inquit,* Henricus Garnetus, vir doctrinâ omnis generis, & vitæ sanctitate incomparabilis, ultimo supplicio affectus est: nisi quia revelare noluit, quod salvâ conscientiâ revelare non potuit? *Hæc igitur Jesuitarum doctrina est: si quis alicui de grege ipsorum, propositum suum de occidendo Rege, confiteatur: hunc illud occultum servare debere, potiúsq; Regem occidi, totumq; Regnum subverti, permittere; quàm Confeßionis secretum revelare. Quam tamen sententiam Sorbona Parisiẽsis minimè tenet. Dei siquidem lex est; Ut quis Principi ac Domino suo fidelis sit. Omniumq; gentium jura ferunt; ut receptatores æquè, ac latrones ipsi, puniantur,* l.13.D.de offic.Præsid.& l.1.D.de Receptat. *ac præsertim in casu criminis læsæ majestatis, conscii cum authoribus simili severitate censentur.* l.5.§.Id quod.C.ad Legem Jul.majest. *Idemq; BELLARMINUS, & cum eo cuncti Jesuitæ, Papæ hanc potestatem arrogant; ut Regnum uni auferre, & alteri, cui velit, conferre; Subditos itèm ad rebellionem contra Dominum suum concitare, eosq; juramento ac fide suâ exsolvere poßit. Verba Bellarmini de hoc, lib.5.de Pontifice, cap.6. ità sonant:* Papa potest mutare Regna, & uni auferre, atque alteri conferre, tanquam summus spiritualis Princeps. *Sic etiam Jesuita GRETSERUS, in Vespertilione suo hæretico-politico, scribit:* Tàm timidi ac trepidi non sumus, ut asserere palàm vereamur; Romanum

num Pontificem posse, si necessitas exigat, Subditos catholicos juramento fidelitatis solvere; si Princeps tyrannicè illos tractet. *Additq; insuper*; Si Pontifex prudenter id agat, meritorium opus hoc esse. *An non autem probè notandum est novum hoc Meriti genus; quo seditiones excitantur, & perjuria mandantur? ex quo nihil aliud consequitur, nisi ut Subditi Dominorum suorum vitam invadant. Neq; enim credibile est, quin Princeps contra rebelles hujusmodi se defensurus, vimq; vi repulsurus sit: id quod sinè periculo vitæ ipsius fieri nequit.*

TOLETUS, lib. 1. de Institut. Sacerd. cap. 13. ità scribit: Excommunicato Subditi non tenentur juramento fidelitatis. *Itèm:* Excommunicatus non potest jurisdictionis actum exercere. *Juxta quam regulam, Henricus III. non ampliùs Rex fuit: atq; is, qui illum occidit, nullum Regem occidit.*

MARIANA, Jesuita Hispanus, tractatum edidit, de Rege & Regis institutione, excusum primò anno 1599. Toleti, apud Petrum Roderigium; postmodùm Moguntiæ, apud Balthasarum Lippium, anno 1605. recusum; in cujus lib. 1. cap. 6. posteaquam Jacobum Clementem Regicidam vehementer laudâsset, hæc verba subjicit: Cognito à Theologis, quos erat sciscitatus, Tyrannum jure interimi posse. *Descriptoq; modo, quo juvenis iste Monachus ictum illum patrâsset, exclamat:* Insignem animi confidentiam! facinus memorabile! *Et paulò pòst:* Suo sanguine Patriæ communis & gentis libertatem redemtã, inter ictus & vulnera impensè lætabatur. Scilicet cæso Rege ingens sibi nomen fecit. Cæde cędes expiata; & Manibus Guisii Ducis, perfidè peremtis, regio sanguine est parentatum. Ità Clemens iste, ætatis anno 24. periit, homo juvenis, mitis naturæ, nec firmo aliàs corpore: verùm major virtus robur illi ac vires subministravit. *En sic de hac re loquitur Jesuita. Eodem illo capite, de legitimo Rege, & non violento possessore, sed cui fides jurata sit, agens, ista ponit:* Si sacra Patrię pessumdet, publicosque hostes in Patriam attrahat; qui, votis publicis favens, eum perimere tentârit, haudquaquam eum iniquè fecisse existimabo. *Et sequente capite, longiùs adhuc procedit,* Tyrannumq; veneno interimendum probat. *Ubi tamen observandum, quàm severam conscientiæ rationem habeant isti, quámq; accuratè casus discernere nôrint. Etenim, ne fortè Tyrannus, intoxicato cibo aut potu, se-ipsum vitâ privet, Mariana id contra remedii suppeditat.* Hoc tamen temperamento *(inquit)* uti, in hac quidem disputatione, licebit; si non ipse, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo intimis medullis concepto pereat: sed exteriùs ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo, qui perimendus est. nimirùm cùm ea vis est veneni; ut, sellâ eo aut veste delibutâ, vim interficiendi habeat. Et hoc artificio Reges in Mauritaniâ sæpiùs usos comperio. *Ecce, ità cum Jesuiticâ pietate comparatum est, ut eam à Mauris & Aethiopibus addiscere oporteat.*

Liber quoq; hic Marianæ, à GRETSERO Jesuitâ, in prædicto Vespertilione, pag. 160. commendatur. Ac scribit iste, injuriam Marianæ fieri; dum scripsisse is arguitur, unumquemque Principem Papæ inobedientem perimendum esse. Hoc enim solùm illum scribere; Principem, Papæ inobedientem, à nullo privato occìdi posse, nisi sententia super eo lata sit; aut communi voce Populi id expetitum; simulque

ſimulque approbatio eruditorum aliquot Virorum impetrata. *Ubi tamen obſervandum; per ſententiam latam nihil ab ipſo aliud, quàm Papa excommunicationem ac depoſitionem; per approbationem autem eruditorum, conſilium ac judicium Jeſuitarum, intelligi. Nec minùs etiam* GRETSERUS *illud de veneno, quo veſtis aut ſella delibuta eſſe debeat, ex Marianæ ſententia per omnia probat: dum* Marianæ immeritò id tribui *gravatur*, ac ſi is Tyrannum veneno perimendum ſcripſiſſet; cùm tamen è contrario dicat, Tyrannum veneno legitimè perimi non poſſe; ſiquidem Tyrannus ipſe id haurire & concipere cogatur. id quod cibo potúve intoxicato fieri oporteat. *Ità Jeſuita iſte, dum Marianam excuſare ſtudet, idem ipſum, quod Mariana, ſcribit.*

Atq; ut conſtare poſſit, eam non aliquorum tantùm Jeſuitarum ſententiam eſſe: ſtatim à principio libri Marianæ, approbationem & conceſſionem Generalis Jeſuitarum Ordinis AQUAVIVÆ, *ac* STEPHANI HOJEDÆ, *Viſitatoris in Provinciâ Toletanâ, cernere licet; in quâ expreſſè dicitur*, libros hos Marianæ approbatos priùs, à Viris doctis & gravibus, ex ordine Jeſuitico, fuiſſe. *Ex quo conſequitur: Tametſi Generalis Aquaviva, eâ in re, circumventus ac deceptus fuiſſet; (quod P. Cottonus nobis perſuadere inſtituit; eiq; ſuas literas Aquavivæ, ad lubitum ſuum compoſitas, allegat) Viſitatorem tamen, aut doctores Jeſuiticos, qui librum illum antè, quam in publicum ederetur, perluſtrarunt, hoc nomine minimè excuſari poſſe, ac ſi in judicio ſuo falſi eſſent. Ecquid autem longa probatione opus eſt? cùm vix quatuor menſibus ante hoc poſtremum Regicidium, per idem Conſiſtorium Romanum, per quod ſententia contra Johannem Chaſtellum lata, itemq; Hiſtoria Præſidis Thuani, cenſuræ ſubjecta ac retractata fuit, alius quidam Marianæ liber, quo de Monetis tractat, ſuppreſſus; de hoc verò, quo de Regicidiis docet, nihil pronuntiatum, aut ulla de eo querela facta fuerit. Quin potiùs ipſe exiſtimem, Pontificem, aſtu quodam Jeſuitico eorum, qui Romæ ſunt, circumventum fuiſſe; quò minùs hunc potiùs parricidialem Marianæ librum ad cenſuram vocârit, ac publicari prohibuerit.*

Hoc quidem certum eſt, ſæpè-dictum Marianæ librum, Toleti primùm excuſum, ante annos octo circiter in Galliam allatum, & Regi tùm noſtro præſentatum; dogmata quinetiam ſeditioſa, in eo contenta, ſub animum Majeſtatis ipſius revocata fuiſſe; quâ re etiam P. Cottonus à Rege accerſitus, ac, num librum eum approbaret, requiſitus fuit. Veruntamen, ut Jeſuita iſte torrenti cedere, ac vento velificare, aſſolet; ſic etiam tunc, ſe illum probare haud velle, reſpondit. Ad quam ejus declarationem Rex, conſilio generalis Advocati Servini, Cottono mandavit, ut contra illum ſcriberet, id quod iſte deprecatus tamen fuit; conſcius, nihil à ſe contra ſcribi poſſe, quin ſimul & Generalem Ordinis ſui, & Provincialem Toletanum, cum magno numero Jeſuitarum, qui librum illum jam approbâſſent, damnaret, eiq; contraveniret. Nunc verò, poſteaquam Jeſuitas, ob Regis noſtri cædem, in omnium odium incurriſſe videt; ipſiq; etiam per Parlamentum ac Sorbonam neceſſitas imponitur; Declaratoriam quidem edidit, in quâ Marianam ſocium ſuum condemnat: interim tamen lenibus adeò ac lubricis verbis utitur, è quibus facile eſt animadvertere, quòd invitus illum offendat; dum eam levitatem avidæ ac ſiticuloſæ pennæ eſſe *ſcribit. cùm multò potiùs illum hæreſeos, & perjuræ ac barbaricæ proditio-*

nis,arguere; doctrinam verò illius profanam & maledictam,Deoq; & Hominibus inimicam,damnare debuisset. Quòd si tamen etiam pro merito suo Marianam taxavisset: id nunc demùm(utì Abbas Boisensis ait) fieret,cùm jam Medicus demortuus esset. quin-imò tunc temporis contrà scribere ipsum decuisset,quo Rex illi hoc mandârat; neque virulentam adeò opinionem, in hominum animis radices ut ageret, permittere, quæ paucis pòst annis Regis vitâ constitit. Sed ad plura etiam exempla progrediamur.

Præter ea,quæ jam dicta sunt,ultra bis-mille testes Parisiis præstò sunt, qui testari hoc certumq; facere possunt; Jacobum Clementem assiduè cum Jesuitis conversatum, eorumq; aliquibus ultra Urbis valla comitatum, Parisiis cum infando proposito suo egressum esse. Sesqui-mense etiam posteà,in publico Consistorio,Parisiis,ad 11.Septembris,anno 1589. Sixti V.Papæ Oratio lecta fuit: in quâ is Jacobi Clementis parricidium,cum mysteriis Incarnationis & Resurrectionis dominicæ,heroicis itèm Eleazari ac Judithæ facinoribus,comparat; &,post exaggerata summoperè occisi Regis vitia,tandem subjicit: Propter hæc & similia manifesta impœnitentiæ indicia,decrevimus,pro ipso non esse celebrandas exsequias. *additis ad Deum quoque precibus: ut,* quod misericorditer hoc modo cœpisset, benignè prosequeretur. *Typisq; mandata est Oratio ista, Parisiis, per Nicolaum Nivellium & Rolinum Thierrium, S.Ligæ Typographos; idq; cum trium Doctorum,Boucheri,Decrelii & Ancelini,approbatione. Non quòd credam,impia istiusmodi verba unquam à sancto Patre prolata fuisse: quin potiùs pro indubitatâ fraude habeam; quòd Jesuitæ,aliiq; Doctores & Clerici, qui cum Jesuitis tunc faciebant,chartas illas commenti sint: quò videlicet parricidio illi laudem aliquam conciliarent; eâdemq; operâ adhuc alium, ad Regem successorem pari modo interimendum, inducerent.*

Jesuitæ Guignardi scripta, & processus.

Et quidem omnia hæc eodem tempore gesta sunt,quo P. GUIGNARDUS Jesuita, Parisiis in Collegio Claromontano agens,Tractatum in laudem Jacobi Clementis,cum multis exhortationibus, ad Regem quoque nostrum postremum è medio tollendum,composuit: utì postea nimiùm verè (proh dolor!) è Guignardi illius Processu criminali constitit,Deiq; permissu ad eum modum innotuit. Nam,cùm Parlamenti assessores super Johannis Chastelli processu consultarent; quidam eorum in Collegium Claromontanum ablegati,varias literas scriptaq; ibi deprehenderunt: in quibus etiam repertus est libellus, propriâ Guignardi hujus manu exaratus, ac varias Theses,harumq; probationes continens,ad demonstrandum,licitum fuisse Regem occidere; & consequenter concludendum, haud aliter etiam Successorem illius tractandum esse. Earum aliquas,è libello isto,qui hodieq; apud Acta publica asservatur,hìc recensere visum est. ut: Quòd crudelis Nero, per Clementem *(quod nomen Mitem sive Benignum sonat)* occisus; & Monachus hypocrita,per manum veri Monachi,è medio sublatus sit. *Itèm:* Quòd facinus illud heroicum, per Jacobum Clementem patratum, tanquam donum Spiritûs sancti,(hoc nomine à Theologis appellatum) per defunctum Jacobitarum Priorem,Burgoinium, Confessorem & Martyrem, propter plurimas rationes,tàm Lutetiæ, cùm Juditham suam explicaret, quàm coram egregio illo Parlamento Turonensi, jure laudatum fuerit. *Itèm:* Quòd Bearnensis, *(sic Henricum IV.Regem cognominat)* licèt ad fidem catholicam reversus,mitiùs

tamen,

tamen, quàm meritus sit, tractaretur; si corona monachalis, in cœnobio quodam benè-reformato, ipsi daretur. *Itèm:* Si sinè bello is deponi non possit; bellum ipsi inferendum: si bellum inferri non possit; clàm è medio tollendum esse.

Domini igitur de Parlamento, visis Scriptis istis, Guignardum, coram se accersitum, super iis examinârunt; eiq; illa proposuerunt: & quia, se composuisse, suâq; manu scripsisse, confitebatur; die 7. Januarii, Anno 1595. ipsum dictum Guignardum Jesuitam, criminis læsæ majestatis regiæ reum decreverunt, ac pronuntiârunt, eoq; condemnârunt; ut publicè, laqueo collum indutus, ac nudipes, ante fores templi primarii Parisiis, veniam deprecatus, postmodùm in areâ Grevensi suspenderetur, corpusq; concrematum in cineres redigeretur. Quod ità etiam factum, & exsecutioni datum fuit. Nunc autem mihi considerer aliquis diligenter, qui volet; num ullus unquam Jesuita, Guignardum istum, proditionis ac perjurii reum egerit! Ex contrario potiùs deprehendet, Jesuitã RICHEOMUM, *in Apologiâ suâ, quanto potest opere, illum excusare; idq; hoc prætextu:* Guignardum theses istas disputandi solùm gratiâ, utrùm videlicet theologicè sustineri possent, ità versâsse. *Quâ quidem in re facilè illi assentior: cùm liquidò constet,* Reges occidere, *omni tempore Propositionem atque thesin Jesuiticæ theologiæ fuisse. Quòd si quando etiam Jesuita quispiam, eam docendi rationem, sive potestatis, sive infamiæ metu, non probat: evenit illud propterea, quòd vel non versutus satis exsistat, vel alterius consimilis causæ ergò. ut vel ex eo quoq; cognoscere datur; quòd Jesuitæ Guignardum istum inter Martyres suos reposuerunt: catalogo id ipsorum testante, Romæ excuso; duplici quanquam exemplo: in quorum uno Guignardus exstat; in altero verò minimè: illo haud-dubio fine, ut posterior ista species, citra periculum, in Galliis divendi queat. Quid? quòd etiam Jesuita* BONARSCIUS, *in Amphitheatro suo, Guignardum super astra extollit; tametsi illum, metu Regis nostri, nomine-tenus non exprimit; sic tamen graphicè, ut facilè agnosci possit, istis verbis describit, lib. 1. cap. 8.* Tacebo ego te, clarum cœlo terrâque sidus, ultimumque nil ampliùs dolituræ domûs innocuum piamentum? Sæviant magna ingenia; quorum acrior semper vis, quò fortuna clarior: nullus tui sanguinis vestigia dies exteret; nullus cursus recursusque temporum; nullus livor edax; nullus excinerabit ignis. *Majus ab exsequiis nomen in Orbe venit.* Totaque in hæc vota mea ibit Gallia, *Spirantesq; crocos, & in urnâ perpetuum ver.* Et proluant licèt flumina; non delebunt: devehant in Oceanum; patentior erit area famæ & immortalitati. Et tamen premo te nunc. *Quæ verba in nullum alium, præter Guignardum, quadrant; ut Jesuitarum postremum, qui in Galliâ publico supplicio affectus fuit.*

Ex consimili officinâ, eodem propè tempore, detestandus ille liber, de justâ Henrici III. abdicatione, *in publicum exivit: cujus author nunquam resciri potuit; nisi quòd Lugduni, cum præfixo à fronte Jesuitici Ordinis signo, fuerit excusus. Sed &* FRANCISCUS VERONA *Constantinus, Apologiam pro Johanne Chastello edidit, atrociorem ipso Marianæ libro; in cujus Parte 2. cap. 2. contendit:* Quòd, non obstante Decreto Constantiensis suprà-dicti Concilii, privatis & singulis licitum sit, Reges & Principes, hæreseos & tyrannidis condemnatos, occidere. *Atqui*

exemplo utriusq; nostri Regis trucidati patet, Principes illos, qui neci destinantur, priùs ut Hæreticos, aut Hæreticorum fautores, traduci, propterea quòd non ipsi regnum suum succendant; neq; bella intestina, ad Hispani placitum, foveant; neque vicinis suis, quò minùs ab Austriacâ potentiâ opprimantur, auxilia denegent. Prorsus ut vastus ille apud Homerum Polyphemus, quum nullam causam contra Ulyssem & Socios illius inveniret, & tamen eos devorare vellet, eos tanquam piratas, reos peregit, & condemnavit. In eâdem Apologiâ istâ, etiam Jacobi Clementis parricidium defenditur, quasi contra hostem publicum, & juridicè-condemnatum, *susceptum. Ibidem etiam, cap. 3. Johannis Chastellii facinus, his verbis, excusatur:* quòd, vulnerando Henricum Borbonium, non voluerit lędere Regem; etiamsi is se talem diceret; & in quo, præter imaginem, nihil regii, quàm quòd genere regio ortus, esset. *Ac subjicitur*; Henricum Borbonium, etiam pôsteà, quàm ad Ecclesiæ obedientiam rediisset, Regem dici non potuisse.

Jesuitæ crimen læsæ majestatis committere non possunt.

EMANUEL SA Jesuita, in Aphorismis suis de Confessione. verbo, Clericus. *ait:* Clerici rebellio in Regem, non est crimen læsæ majestatis; quia non est Subditus Regis. *Consimiliter scribit BELLARMINUS, de Clericis, cap. 25.* Summus Pontifex Clericos exemit à subjectione Principum. *Itèm:* Non sunt ampliùs Reges Clericorum superiores. *Ubi insignis impostura notanda venit. Quæstio namque est*; Utrùm Subdito licitum sit, Regem suum occidere? aut, sub prætextu, quòd is Tyrannus sit, adversùs illum rebellare? *Hîc Jesuitæ, ne turpiter nimis se dent, odiumq; publicum incurrant, si dicant. Clericum licitè Regem occidere posse; istud solùm respondent*; Clericos Principum Subditos non esse. *Ex quo postmodùm, subtili suâ Logicâ, istam conclusionem eliciunt; Eos proinde nec læsæ majestatis reos agi posse: propterea quòd is, contra quem conjurârint, dominus ipsorum non fuerit.*

Henrici Garneti Jesuitæ praxis Æquivocationis.

HENRICUS GARNETUS Jesuita, cum Socio suo HALLO, aliàs OLDEKORN dicto, in Angliâ supplicio affectus fuit: quòd Rebellium nonnullorum proditionis participes essent; qui, Domui publicè, in quâ Regni Ordines cõvenire solent, pulvere fulminali subjecto, Regem, unà cum conjuge & progenie suâ, omnibusq; ab Ordinibus eò deputatis, durante ibi consessu, in aërem displodere volebant. Cúmq; Garnetus, ad confessionem unius ex authoribus illis, captus quoq; esset; constanter sanctéque negavit, sibi quicquam de conjuratione illâ cognitum esse. Judices igitur animadverso, quòd comminationibus nihil effecturi essent, astu rem sunt aggressi; aliumq; Jesuitam reum, Hallum nomine, haud longè à Garneti custodiâ poni jusserunt, cum mandato ad carceris præfectum: ut Garnetum solaretur, omnemq; illi benevolentiam præstaret; simulq; indicaret, socium Hallum proximè ad suam custodiam collocatum; atque inter utramq; custodiam foramen esse, per quod pro necessitate colloqui invicem possent. Id quod isti quotidie posteà faciebant. Quidam autem secretò quoque ibi disponebantur, qui arcana ipsorum colloquia exaudirent; exindeq; illa cognoscerent, quæ uterq; coram Judicibus adhuc infitiati essent. Post quæ iterum accersitus Garnetus, seq; circumventum ac deprehensum videns, initiò quidem fateri cœpit, de proposito illo sibi constitisse; verùm illud, in secretâ confessione sibi creditum, manifestare ausum non fuisse. Nonnulli igitur testes ipsi objiciebantur, qui confirmabant, eum in concione quâdam Catholicos exhortatum; ardenter Deum orarent, ut

gratiam

gratiam suam incepto cuidam dubio ac periculoso instituto tribueret, quò illud in Catholica Ecclesiæ commodum ac salutem vergeret. Super quibus rogatus Garnetus; eccur pertinaciter adeò id, quod verum tamen esset, pernegaret? respondit: quæsitum quidem, num de prædictâ proditione aliquid cognitū haberet, id negâsse; verùm in animo suo ità sensisse: Nihil cognitū habeo, quod vobis ipse dicam. *simulq́; etiam fassus est, libellum à se de Aequivocationibus editum; quo docuerit modum, Judices verbis decipiendi, omniaq́; interrogatoria æquivocis responsionibus eludendi, atque sic evadendi.*

Pro hoc tamen bono (scilicet) Garneto, Jesuita quidam, JOHANNES HEUREUX *nomine, (qui se hieroglyphicè* Andream Eudæmono-Johannem Cydonium *vocat) nuper adeò Apologiam emisit, hoc-ipso anno 1610. Coloniæ per Johannem Kercken excusam, & à Generali Aquavivâ, aliisq́; tribus Doctoribus Jesuitis approbatam: in quâ constanter & acriter contendit;* Judicem coram judicio æquivocis verbis decipere, licitum esse. *Itemq́;,* Sacerdotem, nullam prorsus ob causam, nec si vita Regis alicujus, aut interitus Provinciæ agatur, nullam confessionem revelare debere. *De priore, hæc ipsissima ejus verba sunt:* Cùm quis nullis justis indiciis in jus vocatur: quia nemo tenetur se-ipsum Magistratui prodere; idque lex Naturæ satis docet: apertè & liberè, sine ullâ tergiversatione, negare potest id, cujus gratiâ accersitur, quia semper clausula illa intelligitur; Ut tenear dicere. *Ubi inter alia etiam istud observandum; quòd Jesuita iste, Regum Angliæ jurisdictionem in Jesuitas, injustam cognominat; quasi qui coram tali judice comparere minimè deberent.*

Quomodo Jesuitæ Judices decipere doceant.

MARTINUS NAVARRUS Azpilcueta, Hispanus, è parili disciplinâ egressus, peculiarem libellum de hujusmodi Aequivocationibus edidit, in cujus paginâ 352. num. 16. docet: Licitè posse aliquem occultare, quòd sit Catholicus. *Idemq́; etiam responsum æquivocum* Francisci *Monachi probat:* qui interrogatus à lictoribus, homicidam persequentibus, an illâc, ubi S. Franciscus erat, talis homicida transîsset? immissis manibus intra manicas, respondit, hâc non transivisse: subintelligendo tacitè, contra communem intelligentiam; non transîsse per illas manicas. *Et addit:* Hanc doctrinam de Æquivocationibus, fundari in illo insigni facto magni illius patriarchæ Francisci. *Quo ipso tamen virtuti & sanctitati vitæ tanti Viri contumelia inuritur; dum inventio tam-abominandæ deceptionis ac mendacii eidem adscribitur.*

Prædictus Jesuita ANDREAS EUDÆMONO-JOHANNES, pag. 40. fundat se in Papâ Sylvestro, c. Accusatum. 13. caus. 2. qu. 5. dicens: Quando Judex juridicè non procedit; vel quia accusatus ei non est subjectus simpliciter, vel in hoc casu, vel aliâ quâcunque de causâ: tunc, licèt mendacium sit illicitum; non tamen est mortale: quia nec contra debitum justitiæ; nec est in judicio vero, sed in usurpato. Imò non erit etiam veniale: si, respondendo cautelosè & (ut ajunt) sophisticè, dicat aliquid falsum, apud sensum judicis; & apud suum, verum. Cùm in hoc casu, quia Subditus illius non est, non obligetur, ei veritatem juxta suum intellectum dicere. *Ubi hoc sciendum est; Per judicium non verum, sed usurpatum in eos, qui Subditi non sunt, ab eo hîc intelligi magistratum & judicium poli-*

ticum, cui in Clericos, præsertim autem Jesuitas, nulla jurisdictio sit: quin-imò isti ne ipsis quidem Episcopis sunt subjecti.

In eandem sententiam scribit etiam TOLETUS *Jesuita, lib.4. de Institut. Sacerd. inquiens:* Si crimen omninò occultum est de quo quis interrogatur: tùm æquivocatione uti poterit, respondendo, Nescio; intelligendo tamen intra se, Ut dicam tibi: vel respondendo, Non feci; intelligendo intra se, Nunc non feci.

Jesuitica æquivocatio Arrium hæreticum authorem habet.

Enimverò jam olim ARRIANI, *Jesuitis viam istam straverunt. Refert namque* NICEPHORUS, *lib.8. cap.15. Arrium, cùm manu sua Symbolum Nicænum subscriberet, aliam, & quidem contrariam Confeßionem, à se-ipso scriptam, in sinu gestasse; ac postmodùm Imperatori jurejurando affirmâsse, ità se credere, prout scripsisset: intelligendo de scripturâ illâ, quam occultè apud se gestasset. Ad hunc autem modum facilè quis religionem suam, fidemq; in Deum, abnegare posset; atque Judici, qui eum interrogaret, respondere; Non credo in Jesum Christum: intelligendo tantùm ità, Ut tibi dicam. Quin & Petrus Apostolus, Christum Dominum coram ancillâ abnegans, subtilitate istâ se tueri, ac dicere potuisset: Non novi illum: occultè secum ità cogitando, Ut tibi dicam.*

Hisce verò technis, medium invenêre Jesuitæ, animum iis addendi, quos ad regicidia instigare, eorumq; operâ abuti volunt; aut etiam modum illis suppeditandi, ne complices suos unquàm prodere cogantur. Hanc siquidem ipsis doctrinam tradunt: Istâ vel illâ æquivocatione effugere potestis, dicendo; Non vidi, neque audivi istud: subintelligentes: interim occultè conditionem aliquam, quâ mendacium caveatis atque evitetis; eâque ratione conscientiam vestram minimè gravetis. *Quo etiam fit, ut Regum sicarii tàm cordatè pertinaciterq; coram Magistratu factum negent, ac dejerent, sic instituti videlicet, tametsi id ità faciant, dum aliud modò secum ipsi cogitent, Deum propterea non offendi aut irritari. Ex quo istud quoque consequitur; neq; P. Cottoni protestationem tutò acceptari posse, quâ Marianam ille rejecisse vult videri. Quis etenim sciat, num alium adhuc occultum sensum ipse secum teneat? aut quis nobis caveat, ne forteau dicat quidem,* Marianæ librum condemno; *intra se-ipsum autem cogitet,* Quia nimis parum adhuc de materiâ istâ dixit? *Vel sic:* Privato licitum non est, manus Regi suo injicere; *sed hac occultâ conditione,* Si Papæ is placeat: *aut,* Si legitimus Rex est. Iste autem vel ille non est legitimus Rex; quoniam hoc illúdve committit quod Papæ ac Jesuitis displicet. *Ad summam: Opus hîc foret, ut, quemadmodum olim consuetudo ferebat, fœminas Senatusconsulto Vellejano, itemq; Authentica, Si qua mulier, &c: renuntiare, ac privilegiis istis suis cedere; sic etiam noster P. Cottonus, siquidem fidem sibi adhiberi cupiat, privilegio in-primis suo mentiendi & æquivocandi renuntiaret, prorsusq; eo cederet. Ubi tamen nihilominùs idem scrupulus anxium haberet; ne fortè, in eâ-ipsâ renuntiatione, ejuscemodi technis atq; dolis uteretur.*

Alterum, quod prædictus Jesuita JOHANNES HEUREUX *contendit, est: Henricum Garnetum, cum sociis Jesuitis, proditionem contra Regem, totamq; Domum illius, à se cognitam, nequaquam revelare, sed occultam servare debuisse. Quâ de re, in Apologiâ, pag.262. hæc ipsius verba sunt:* Adde Catholicorum scandalum & offensionem; si Sacerdos, idemque Jesuita, conscientiæ causâ consultus, idque interpositâ religione confessionis, (quâ nulla major inter Catholicos esse potest) consul-

Utrùm nihil omninò rerum confessarũ sit revelandũ?

tores

tores suos detulisset. Quem enim in-posterum, in rebus suis dubiis, adire; aut cui ampliùs fidere posʃint: si ne in Sacerdotibus quidem fidem inveniant? *Et paulò pòst, pag. 290. ait*; Rem sacrosancto confesʃionis arcano obsignatam, sinè immani sacrilegio, prodi non potuisse. *Cujus materiæ totum quoque caput 17. plenum est; ac summatim denique concludit:* Nullum tantum potest esse malum, cujus vitandi caussâ confesʃionem prodere liceat. *Ejusdemq; sententiæ est* SUAREZIUS *Jesuita, lib. de Pœnitentiâ, disput. 13. sect. 1. num. 2. scribens:* In nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro totâ tuendâ Republicâ, ab ingenti malo, temporali & spirituali, violare illud *(Confesʃionis sigillum)* liceat. *Sic nuperrimè adhuc, post Regis nostri cædem, Pater* FRONTO *Jesuita, (quanquam is non rebellis adeò ingenii cum cæteris videatur) alio Jesuitâ socio comitatus, in Bibliothecam regiam apud Franciscanos venit, ibiq; in D. Casaubonum Bibliothecarium incidit. quumq; isti in Colloquio materiam quoque istam attigissent; P. Fronto studiosisʃimè contendit:* Præstare, Reges omnes perire, quàm si vel semel Confesʃionis sigillum violaretur.

Ecquorsum autem res tandem devenient? Num ergo Filius Patrem perire patiatur; si per confesʃionem acceperit, alium quempiam vitæ illius imminere? Númve Jesuita Regem suum occídi, totumq; Regnum sanguine inundari patiatur; quàm confesʃionem sibi factam revelet? Atqui (ajunt) Confessarius fideliter cum suo Confessore agere debet. Et verum hoc est. Sed vicisʃim, inquam ego, idem Deo suo. Regiq; suo, majorem adhuc fidem debet; cui, ex divino mandato; obedire tenemur, &, ad hoc fideliter illi præstandum, juramenti religione obligamur. Sanè quidem, Scripturas sacras, tanquam Dei verbum, scrutantes, multa dicta reperiemus, fidem & obedientiam erga Regem & Magistratum nostrum nobis demandantia: sed quod occultationē Confesʃionis doceat jubeátve, nec unum inveniemus. Est quidem id præceptum Ecclesiasticum, quod observari debeat: verùm ità, ut ne mandatis divinis præjudicio sit. Prout etiam providè cavendum est, ne, dum præstare silentia volumus, proditores fiamus; perfidâq; ac perjurâ disʃimulatione causam Regicidii præbeamus. Perindè siquidem id foret, ac si dicerem: Adest hîc, qui domum Fratris mei succendere, ejusq; Conjugem & Liberos inibi concremare satagit: veruntamen illum sinam; propterea quòd, illud me nemini revelaturum esse, promisi. An non verò è contrario extra omne dubium est, in ejuscemodi casibus, violationem promisʃi silentii laudabilem, opusq; Deo acceptum esse? Qui namq; malum præcavere potest ac debet; nihiloq; minùs illud permittit; ipse illius, reus constituitur. Unde & Homerus, à principio Iliados suæ scribit, Achillis iracundiam adversùs Agamemnonē, multas insignes animas orco, corporaq; volucribus præda, exposuisse. Quæ causa etiam est, cur Leges imperatoriæ, conniventiam ac permisʃionem hujusmodi, parili pœnâ cum facto ipso censeant. l. 1. §. Occisorum. cum seqq. D. ad SC. Syllanianum. l. 9. §. 1. D. ad Legem Corneliam de falsis. l. 1. C. de falsâ monetâ. l. Quisquis. C. ad Legem Juliam majestatis. *Id quod non modò in communibus delictis; sed præcipuè etiam ac peculiariter in crimine læsæ Majestatis, docentibus Jurisconsultis, locum habet. Ac ne quis fortè bonus Marianista dicat, ab Ethnicis Leges illas ortum accepisse: Papæ quoque ipsi antehàc, cum omnibus Canonistis, quantum ad hanc materiam, ejusdem hujus sententiæ fuerunt.* cap. Quicunque. de Sententiâ excommunicationis. in 6. & Can. Non in inferendâ. caus. 23. quæst. 3.

quæst.3. *Rationem quoque illius hanc reddunt: Magnam aliàs suspicionem pátere, quòd author & dissimulator, qui aliquid inhibere potuerit, consensum mutuum inter se habuerint. Magnoperè itaque, & Jesuita iste* EUDÆMONO-JOHANNES, *& Cardinalis* BELLARMINUS, *in eo peccant; quòd Garnetum & Oldekornium defendunt, quasi qui rectè fecissent: insuper & hoc attento, quòd (præter ea, quæ adhuc pluribus deducta sunt) illi facinus istud, citra cujusquam hominis insimulationem, praeoccupare, Regemq́ vel per schedulam præmonere potuissent; sui curam ut is ageret, aut infra domum suam inquiri faceret. Quo medio proditio ista, citra confessionis revelationem, manifestata fuisset.*

De voto cæcæ obedientiæ Jesuiticæ.

Origo autem omnis mali istius, est ex voto illo, quo Jesuitæ Superioribus suis jurant ac promittunt; se ipsis, & Generali Ordinis sui, citra omnem exceptionem contradictionémve, in omnibus rebus, voluntariam promtissimamq́ obedientiam præstituros; neq́ in rationem mandati ipsorum inquisituros esse. Quam proindè Obedientiam, non Voluntatis solùm, sed etiam Intellectûs; adeóq́ cæcam obedientiam & obsequium, appellitant. Id quod, præter alia multa, etiam ex libello quodam videre est, Lugduni, anno 1607. apud Jacobum Roussin excuso, sub titulo, Regularum Societatis Jesu. *Ad cujus finem, prolixa Epistola Ignatii Lojolæ, militis Hispani, & fundatoris Ordinis istius, appensa est: in qua Ignatius iste Fratribus suis hancce doctrinam tradit:* Superioris vocem ac jussa non secùs, ac Christi vocem excipite. *Et paulò pòst:* Statuatis vobiscum ipsi; quicquid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem. Atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quæcunque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sinè ullâ prorsus disquisitione, feramini. *Ac ne quis hic fortè propter comparationis voculam* UT, *effugium aliquod captet; alia insuper in eâdem Epistola sunt loca, in quibus vocula illa prorsus est omissa. puta, cùm inquit:* Perit celebris illa Obedientiæ cæcæ simplicitas; cùm apud nos-ipsos in quæstionem vocamus, recténe præcipiatur, an secùs. *Nam, quia facilè contingat, ut quis Superioris sui jussum pro injusto & absurdo habeat: Sanctus iste profanus Jesuitis suis præcepit, captivum ducant intellectum suum, suorumq́ Superiorum mandata disquirere minimè præsumant.* Sicut etiam Abraham (*inquit*) egisse credendus est, filium Isaac à Deo immolare jussus. *aut,* ut Johannes Abbas; qui, quod erat ei à Superiore imperatum, non reputabat, utiléne esset, an inutile; ut cùm aridum lignum, tanto ac tàm-diuturno labore, per annum, frustrà irrigavit: nec, utrùm fieri posset, nécne; ut cùm conatus est, tàm ex animo, ingens saxum solus dimovere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent. *Cum istâ igitur doctrinâ res eò redit: ut, si caput Jesuitarum, (quorum Generalis semper Hispaniæ Regis subditus est) Novitio alicui Jesuitæ Gallo, rem quamcunq́, aut facinus mandet; hic illud exsequi teneatur, nequicquam disquirendo, periculosum, an difficile, aut etiam Patriæ perniciosum exsistat. Quæ regula, ubi semel radices egerit, tantum potest; ut Regum nostrorum vita non longiùs in tuto sit, quàm dum nullus Jesuiticus Superior suis Novitiis, illum invadere, atque è medio tollere, jusserit. Cùm, si illi jussi id fuerint, prohibitum simul sit inquirere, justum injustúmve illud sit, quod jubetur: quippè quòd nonnunquam*

nunquam in Ecclesiæ commodo, in satisfactione pro gravi aliquo delicto, in spe coronæ Martyrii, aut singularis alicujus prærogativæ præ aliis in cœlo consequendæ, fundari possit.

Idem illud votum in causâ præterea est, cur Jesuitæ nullis sint Episcopis subjecti. Fieri siquidem non potuit, Jesuitas Superioribus suis in omnibus obedire: si in Episcoporum potestate fuisset, illud, quod Jesuitici Superiores mandâssent, retractare aut impedire. Quærat autem aliquis: Cùm omnia quidem ista clara sint ac evidentia; testimoniorumque satis in promtu, è quibus Jesuitarum fides atque vocatio recognosci queat: undè igitur fiat, quòd alicubi Regum ac Principum cædes illi condemnent; nullumque Subditum contra vitam Regis sui quicquam, quantùmvis hic vitiorum plenus, suâ quoque potestate abutatur, moliri debere, contendant? *Hîc ego respondeo: Jesuitarum quidem aliquos in eâ sententiâ esse, quòd Subditus contra Regem suum, quantùmvis Hæreticum aut Tyrannum, rebellare prohibeatur; prius-quàm is, per cognitionem ac sententiam Papæ, aut aliorum doctorum Virorum, (in quibus illi se primas tenere ducunt) abdicatus; Subditíq; juramento suo expressè soluti fuerint. Quo de Jesuita Andreas Eudæmono-Johannes, dicti sui libri capite 3. fusissimè disputat. Interim verò in universum omnes id pro certo habent, statim post abdicationem ejusmodi, (quam Patres isti technis suis facilè impetrare possunt) Regem talem non ampliùs Regem esse; verùm ab alio solium illius occupandum; neq; Subditos ullam fidelitatē ampliùs præstare illi debere. prout hoc quoq; à Jesuitâ isto, in modò-citato capite, ad longum deducitur: & nos superiùs quoque ostendimus, istam Bellarmini atque Gretseri, utriusq; Jesuitæ, doctrinam sententiamq; esse: præterquam quòd Gallia universa, summo cum damno & incommodo suo, id-ipsum est experta.*

Cur Jesuitę nullis Episcopis subjecti sint?

Quo sensu Jesuitæ nonnunquam Regicidia improbent.

Prædictis ego istud nunc addo. Quotquot Papæ authoritatem potestatemq; hanc, Regna auferendi conferendiq;, cui ipse velit, atque etiam Subditos Coronæ Francicæ fide ac juramento suo solvendi, asserunt; eos simul per necessariam consequentiam docere, Gallos Regem suum occidere posse ac debere. In proclivi siquidem est, ut Rex ille, cui Regnum adimendum esset, armis correptis jus suum asserturus, rebellantesq; Subditos suos in ordinem sit redacturus. Fieri autem non potest, quin ejuscemodi bello, interq; tot armatos Subditos, Rex vitæ periculum incurrat; dum, pro defensione sui, vitam simul & regnū suum impendere est paratus. Meræ itaque strophæ Jesuiticæ sunt istæ, quibus illi hominibus aliis oculos præstringere conantur. Hinc etenim clamant quidem, Regicidia sibi haudquaquam probari: illinc autem neminem pro Rege habent, nisi qui ipsis gratus sit ac probatus: in eaq; sunt opinione, eum, qui Regem, cujus ipsi sint adversarii, occiderit, non Regem, sed hominem duntaxat larvâ specieq; regia præditum, occidisse.

Æquivocatio Jesuitica de Regicidiis.

Sed & alia superest causa, quâ Jesuitæ Regū nostrorum, & Coronæ ipsorum, jurati hostes esse, convincuntur. Nunquam Galli fateri voluerunt, Coronam istam a Sede Romanâ dependere; Papæ've potestatem esse ejus auferendæ, aut conferendæ, cui ipse velit. ideóq; Canonem Alius. caus. 15. quæst. 6. in Decretis, *nunquam approbârunt; cujus verba sunt:* Alius itèm Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum, non tàm pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ potestati erat inutilis, à Regno deposuit; & Pipinum, Caroli Magni Imperatoris patrem, in ejus locum substituit; omnesque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi

Jesuitę sunt Coronæ Francicæ jurati hostes.

Hhh

fecerant, absolvit. *Quo canone Papa potestatem sibi vendicat, Regibus nostris Coronam auferendi, sive Hæreticis, sive Catholicis; sontibus aut insontibus: si modò ipsi videantur inutiles, aliaq; ad regnum magis idonea persona prastò esse. Hujus qui est sententiæ, is utique etiam sentit, Reges nostros titulo ac nomine-tenus esse; Papam contra re-ipsâ potestatem, de regno disponendi, obtinere. Atqui credunt Jesuitæ, Papas in doctrina errare non posse: omniaq; ad minimum usque articulum tenent, quæcunque illi docent. Sentiunt proindè etiam, Papam in hoc Decreto suo verum scripsisse.*

Unum adhuc punctum doctrinæ Jesuiticæ hîc addam, ex quo humor spiritusq; eorum ampliùs dignosci possit. Ex Actis judiciarii Processûs Henrici Garneti constat; inter alia hunc fassum esse, quòd Catesbejus (caput & architectus horrendæ illius proditionis) aliquando in conscientiæ difficultates inciderit, quum jam tempus adesset, quo Domum regiam, cum omnibus in illâ præsentibus, pulvere tormentario in aërem disploderet: Utrùm nempè rectè id fieret, si, cum Hæreticis, tot etiam Catholici ex Ordinibus Regni, simul perirent? *Quo scrupulo ut se-se liberaret; Jesuitam Garnetum consilii gratiâ adiit:* Licitúmne esset, quò mali è medio tollerentur, nonnullos etiam bonos unà perdere? *Ad quod Garnetus respondit:* Bonâ conscientiâ utrosque simul tolli posse; modò id pro incremento ac salute Ecclesiæ faceret. *Num verò ulla unquàm deploratior crudelitas præ istâ inveniri queat; quâ quis, Regicidii perpetrandi caussâ, ne fratribus quidem & propinquis parcere instituit? Atqui hoc, quod dixi, non in modò-dicto processu Garneti solùm; sed in ipsâ quoq; Jesuitarum confessione, fundatum est: quippe qui illum, post mortem, scriptis suis tantoperè celebrârunt. Nam & suprà-dicta Apologia* JOHANNIS HEUREUX *(per Generalem Aquavivam, cum aliis tribus doctoribus Jesuiticis, approbata) idem hoc contendit; & Garnetum propterea excusat: adeóq; fatetur, pag. 265.* Garnetũ monuisse omnes, qui ad solennem Ecclesię cœtum convenerãt; ut obnixè orarent Deũ, pro felici successu gravissimæ cujusdam rei, in causâ Catholicorum, sub initium Comitiorũ. *Fatetur idem, pag. 269. Jesuitam Hallum, captivum & examinatum, dixisse:* Ex hoc infelici successu, & frustraneo proposito, judicari non posse, utrùm causa per se justa sit, an injusta. *Pag. 273. fatetur; posteaquàm Proditores, proditione jam detectâ, arma corripuissent,* Hamondum Jesuitam, pro eo, quòd ad deponendũ illa exhortari debuisset, eos plenariè à peccatis absolvisse. *Ibidemq; ait,* Omnes Proditores illos religiosâ admodùm conscientiâ fuisse. *Testatur præterea Apologia ista, pag. 310. Garnetum Jesuitam paratum fuisse, ad vitam suam propterea profundendam; & in Epistolâ quâdam sic declarâsse,* Quòd melius sit unum hominem pro Populo mori: *sicq; verba summi Sacerdotis Cajaphæ, qui tunc quidem spiritu prophetiæ, pro testificandâ redemtione totius generis humani, divinitùs præditus fuit, ad suam personam transtulisse. Ex confessione quoque ipsius patet, Garnetum Commissariis, ad eam rem deputatis, fassum fuisse,* Quòd Deo, pro amoliendâ proditione istâ, sacra fecerit; *sed cum hac conditione appositâ:* Nisi propositum illud in singulare commodum Ecclesiæ Catholicæ cederet. *Quo nomine jam-dicta Apologia ipsum solenniter in hac verba excusat:* Garnetum, factum quidem ipsum non probâsse; sed eventum duntaxat ei placuisse. *Quod perinde est, ac-si ego dicerem: Non probavisse ipsum, ut Rex cum suis mactaretur; & tamen*

Jesuitæ ne Papistis quidẽ ipsis parcunt, dum regicidia sua perficiant.

& tamen factum illud unicè desiderâsse. En, tales sunt technæ ac subdolæ orationes istorum hominum: quibus nunc aliquid affirmant; idemq; mox illud iterum negant. Atque hæc insignia illa & heroica facta sunt, ob quæ Garnetus & Oldekornius Jesuitæ, quippè ob proditionem illam supplicio affecti, tàm à Bellarmino, quàm istâ, à Generali Aquavivâ, cum tribus aliis Jesuiticis doctoribus, approbatâ Apologiâ, MARTYRES *indigetantur: prout etiam catalogo Martyrum Jesuiticorum, Romæ nuper excuso, inserti sunt; cujus exempla Parisiis in Palatio, è regione custodiarum, & quidem indè à Regis nostri cæde, divendita fuêre.*

Ad quæ nunc omnes Christiani Reges ac Principes ipsi secũ reputent, num vita deinceps ipsorum in tuto esse queat: dum Populus à Doctoribus istis ità instituitur, & ad hoc inducitur; ut, per cædem ipsorum, Martyrii coronam quærant, obtineantq;. Ac meritò piis quibusq; Catholicis acerbè id dolendum est, sanctum istud, & in Ecclesiâ antehàc honoratum adeò, Martyrum nomen, Regum parricidis ac percussoribus hodiè, atq; illis, qui Principibus suis perfidi ac perjuri facti sunt, tribui, propriumq; fieri. Ubi & hoc considerandum venit, quid sibi distinctio atque discrimen illud velit, quod Jesuitæ communiter inter Catholicos ipsos faciunt: dum eorum alios veros Catholicos, *alios contrà* Regios sive Politicos Catholicos, *cognominant. Quanquàm enim isti, in omnibus fidei articulis, Romanam-Apostolicam-Catholicam religionem profiteantur; pro dimidiis tamen Catholicis ab illis habentur: propterea quòd à technis & fraudibus alieni, proditiones rebellionesq; probare nolunt. Quæ quidem distinctio, procul dubio, schisma in Ecclesiâ paritura est; nî Deus per bonitatem suam clementer illud avertat.*

Regicidæ, Jesuitici sunt martyres.

Jesuitæ duplices Catholicos cõstituunt.

Ex quibus omnibus, quæ in capite isto fusiùs exposita nobis sunt, abundè constat; Errorem illum, non unius Marianæ proprium, sed omnium in universum Jesuitarum communem esse: quos P. Cottonus generatim non ità facilè absolvere ac justificare poterit; quin priùs ad omnia, quæ adhuc è pluribus scriptis allegata sunt, & in quibus Regicidia non minùs clarè, imò clariùs adhuc disertiúsq;, quàm in Marianæ libro probantur, secundùm omnes & singulas circumstantias, directè, citra ullam æquivocationem, nobis responderit.

2. Quòd Jesuitæ, ipso facto & opere, idem illud comprobent ac demonstrent.

Hactenus, Jesuitarum ipsorum scriptis ac testimoniis, sufficienter ostendimus ac evicimus, communem hanc doctrinam fidemq; eorum esse; Quòd Privato etiam cuique licitum sit, Reges eos, quos ipsi pro Hæreticis ac Tyrannis habent, occidere. *Nunc idem illud etiam factis & eventis, hujus tàm abominandæ ac detestandæ doctrinæ ipsorũ, comprobemus. Magna quidem certè per se præsumtio est, ab eodem hoc Ordine maledictum dogma istud introductũ esse: quòd, ante Sociorum horum adventum, nemo quicquam de eo inaudierit, quasi sub religionis prætextu Reges occidere fas esset. Ac videmus tamen ipsi, Galliam, per damnatam hanc institutionem, continenter jam duobus Regibus orbatam: ità ut verendum sit, nî maturè malo isti obviàm eatur, in consuetudinem illud tractum iri. Meritò etiam Gallia hoc experimentum nobis monstrare debet, quàm perniciosa imperiis evaserit Secta ista: quæ, tametsi jam ante quinquaginta annos ex Hispaniâ*

in Galliam ingressa sit; tanto nihilominùs tempore, induratum pectus suum, amabili aurâ Franciâ, nondum emolliri passa fuerit. Quæ res sanè insolens jureq; miranda accidit: cùm olim efferi Leones, crudelesq; Tigrides, vix Adonis Templum in Perside ingressi, nativam suam ferocitatem cum admirabili mansuetudine commutârint.

Summaria repetitio practicarũ parricidialium in Galliâ.

Equidem si Regiæ Majestati, & Principibus de Sanguine regio, per otium placeret, diligentem inquisitionem instituere, & à Præsidibus Assessoribusq; Parlamenti, aut etiam Advocatis & Procuratoribus suæ Majestatis generalibus, requirere; quid tempore quôque contra Sectam istam actum fuerit: ipsimet hæc, cum omnibus circumstantiis suis, vera comperturi essent, quæ jam sequuntur; quæq; breviter, tam ex Arrestis publicis, quàm Examinibus judiciariis, extracta, in Registris ibidem adhuc deprehenduntur. Nimirùm, quòd anno 1594. die 27. Decembris, JOHANNES CHASTELLUS, *Scholasticus in Jesuitarum Collegio educatus, cùm Regis nostri os, cordis illius tundendi proposito, vulnerâsset, captus, rerum criminalium Præfecto traditus, & in carcerem Aulæ episcopalis ductus, ibidemq; examinatus, confessus fuerit:* Jam-dudum hoc animo sibi conceptum fuisse, ictum illum facere; dolere infectum; &, si liceret, rursus aggressurum; ratum, id Religioni Romanæ-Apostolicæ-Catholicæ conducturum. *Quodq; indè in custodiam Palatii deductus, & à Parlamento ad id Deputatis denuò examinatus, inter alia, etiam ista profatus fuerit:* Cùm ea sibi feralis insideret cogitatio, se à Deo oblivioni datum, certóque statueret, cum Antichristo devotum esse inferorum cruciatibus: ex duobus malis levius sibi eligendum duxisse; ut qui, si omninò damnandus foret, mallet damnari ut quatuor, quàm ut octo. *Quòd rogatus,* Unde hanc novam Theologiam hausisset? *responderit,* Ex Philosophiâ. *Rogatus,* Utrùm Theologiæ studuerit in Jesuitarum Collegio? *responderit,* Studuisse; idq; sub P. Guereto, qui-cum ad annos duos cum dimidio sit versatus. *Rogatus,* An non fuerit in Jesuitarum conclavi meditationum? *(quò graviores peccatores illi intromitterent, ut illic figuras spectarent hi Diabolorum crudelium horrendas, specie revocandi eos in meliorem vitam: ut commoverent animos ipsorum, & monitis ejusmodi, ad patrandum grande aliquod facinus, excitarent:) responderit,* Sępiùs se in eo fuisse. *Rogatus,* An non sermones, de occidendo Rege, apud Jesuitas essent ordinarii? *responderit,* Se audivisse dicentes, licere Regem occidere: eum extra Ecclesiæ communionem esse; nec ei obsequendum, eúmve habendum pro Rege, donec à Papâ fuerit approbatus.

Johannes Chastellus.

Johannes Guignardus.

Durante hoc modò-dicto Processu criminali, quidam Dominorum, à Parlamento deputatorum, se in Collegium Claromontanum ad Jesuitas contulerunt; ibiq; P. GUIGNARDI *literas scriptaq; ad se receperunt. In illis liber repertus est, in laudem Regicidæ Jacobi Clementis conscriptus; cum adjectâ exhortatione, ut successori Henrico IV. idem fieret: uti ex aliquot locis ejus libri, præcedente capite 1. allegatis, patet. Parlamentum igitur, visis rebus istis, Jesuitam Guignardum accersiri, examinariq; super illis jussit: qui propriâ suâ manu illa conscripta, seq; eorum authorem, est confessus. Quâ de causâ mortis condemnatus, 7. Januarii, anno 1595. supplicio affectus fuit.*

Johannes Gueretus.

Sic etiam, per aliud Arrestum, P. JOHANNES GUERET, *Chastelli Præceptor, in perpetuum ex regno Galliæ proscriptus; omniaq; bona illius Fisco regio adjudicata sunt.*

Sed

Sed & constitutum est, ut ante majorem portam Palatii, Columna pyramidalis erigeretur; in eáq; causa Jesuitarum è Regno proscriptionis incideretur: ubi illi Haeretici, Seditiosi, & Corruptores juventutis, cognominati sunt. Et sanè quidem, si de Pyramide istâ unus quandoq; , dum illa superstes esset, quibus de causis illic posita foret rogârit; decem hodie ex contrario quaerunt, ecquâ de causâ illa iterum destructa fuerit?

Consimile facinus Meloduni deprehensum fuit, ultimo Aprilis, anno 1593. cùm judicium capitis de PETRO BARRERIO *agitaretur. Iste, ex indicio pii cujusdam, Regiiq; fidelis Religiosi, captus, confessus est; Ideò tantùm aulam regiam se insecutum, quò Regem interimeret: quam ad rem à Jesuitâ quodam, Varadâ nomine, fuisse instigatum; qui quotidie pessimè de Rege loqueretur: ejusq; hortatu, etiam cultrum huic instituto emisse. Cùm namq; priùs super eo negotio, Pastorem ad S. Andreae, Aubrium, consuluisset, eiq; propositum suum detexisset; ab eo ad Varadam istum, Collegii Jesuitici Rectorem, ablegatum esse: qui ipsum in proposito Regis occidendi confirmârit; spe factâ, si caperetur, aut capite proptereà plecteretur, martyrii coronam in cœlo consecuturum. quin dictum Varadam, cùm se confitentem audivisset, sub confessionis religione, corporisq; dominici communione, adjurâsse, ad facinus istud perpetrandum.* Petrus Barrerius.

Observatum quoque fuit, cùm, post Regis à Chastello vulnerationem, custodiae circum Collegia illorum dispositae essent; Jesuitarum nonnullos, ad fores conclavium invicem acclamasse, ac dixisse: Surge frater; agitur de Religione. *Sic & in Collegio Jesuitarum multa themata, à Praeceptoribus in classibus dictata, sunt reperta, quorum argumenta exhortationem continebant:* Tyrannos invadendos; mortemque ob id constanter perferendam esse. *Comprobatum quoque fuit, post redactam sub obsequium Regis nostri Lutetiam, praecipuos Jesuitarum in Collegio suos discipulos prohibuisse, pro Rege preces facere. Inquisitione itèm contra Jesuitam* ALEXANDRUM HAJUM, *natione Scotum, institutâ, compertum est, publicè eum docuisse;* Quòd oporteat dissimulare, & Regi ad tempus per simulationem obedire: *huiq; verbis saepissimè usum,* Quòd Jesuita sit omnis homo, *h.e. temporibus se accommodare nôrit. Prætereà accusatus fuit hic Jesuita; quòd saepè dixisset,* Se optare, si Rex apud ipsorum Collegiũ praeteriret, ut ipse è fenestrâ in eum decideret, & collum ejus frangeret. *Quibus de causis dictus Jesuita Alexander Hajus, à Parlamento, die 10. Januarii, anno 1595. sub poenâ suspendii, ex Regno Galliae in perpetuum est relegatus.* Alexander Hajus.

Convicti quoque sunt saepè-dicti Patres isti, quòd multos pueros, invitis parentibus, in peregrinas regiones seduxerint. Ac nominatim quidam, JOHANNES BELUS *nomine, Collegii Claromontani socius, anno 1595. die 10. Aprilis, in magnâ Camerâ Parlamenti, Judicibus pro tribunali sedentibus, caput & pedes nudus, & indusio tantùm indutus, facem duorum pondo ardentem in manu tenens, & ibi in genibus subsidens, publicè deprecaturus, fateri factus est; quòd temerariè ac malo consilio Franciscum Veroneum, Scholarem in Academiâ Pictaviensi, pellicere instituerit, & extra limites Regni seducere: quódq; imprudẽter multas lectiones, per quosdam Jesuitas dictatas, & à se, propriâ manu, in dicto Claromontano Collegio, exceptas scriptasq;, apud se asservârit; in quibus multae doctrinae damnabiles, de Regibus trucidandis, atq; etiam approbatio parricidii, in Rege Henrico III. commissi, continerentur.* Johannes Belus.

Et quidem omnia ista, tàm communia sunt, publicéq; constant; ut, qui illis aliquid seu adjicere, seu demere velit, fidem nullam sit inventurus: qui verò pernegare, impudens futurus. Totum siquidem Parlamentum, de omnium horum veritate, contestari potest. Nemoq; adeò est, qui non experientiâ didicerit, Jesuitas omni tempore juratos Regum nostrorum hostes fuisse. Cùm in postremis nostris bellis civilibus, quibus Gallia propemodùm in Hispaniam translata fuit, multi ex omnibus Ordinibus sint reperti, qui cum Rege nostro fecerunt; sed ne unicus quidem Jesuita ad illum se contulit; donec tandem, merito suo, ex Regno proscripti fuêre. Breviter: Rex quondam noster, tantus heros, qui in nullo unquam bello timidum se præbuit; pacis tamen tempore ab hominibus istis sibi metuit. Id quod Dux Sullius testari potest; quando Majestas ipsius, cùm hic restitutionem Jesuitarum ei dissuaderet, hoc responsi dedit: Tu ergo securitatem vitæ meæ præsta.

In bellis Gallicis cõtra Ligistas, ne unus quidem Jesuita pro Rege fecit.

Quòd si etiam longiùs, & extra Galliæ regnum, eamus: plura exempla consimilia se-se nobis offerent. Omnibus namq; conspirationibus contra Elisabetham Angliæ Reginam initis, Jesuitæ aliqui se immiscuerunt; eamq; etiamnum post mortem conviciis proscindunt: propterea quòd se ab illis occidi non passa fuerit. BONARSCIUS *præsertim Jesuita, Amphitheatri sui lib.1.cap.4.* Lupam anglicanam; *&* EUDÆMONO-JOHANNES, *in Apologiâ pro Garneto, pag.116.* Sororis filiam, Patris neptem *cognominat. Pronuper etiam Jesuitæ,* Garnetus, Hallus, Hamondus, Gerardus, *&* Grenwellus, *horrēdæ illius proditionis, quâ Rex Angliæ, cum omnibus suis, in Parlamento per pulverem tormentarium displodendus erat, conscii atq; rei deprehensi sunt: ipsomet etiam Jesuitâ* HEUREUX, *in Apologiâ suâ, fatente, sceleris istius conscios eos quidem fuisse; sed manifestare illud minimè debuisse. Compertum quoq; est prædictos Jesuitas, per literas, cùm* BALDUINO, *Jesuitâ Anglo, tùm Bruxellis agente, familiariter communicâsse; qui non adeò pridem, per Palatinatum iter faciens, deprehensus est: ac, dubio procul, si justâ severitate cum eo actum fuisset, multa apud illum peregrina secreta, ac fortean etiam quòd cum Francisco Ravaillaco (qui paulò ante horrendum suum parricidium in Flandriâ fuerat) familiariter notus fuerit, ipse inventus esset.*

Encomia Jesuitica, Reginę Angliæ demortuę tributa.

Jesuitæ pulverariæ conspirationis in Angliâ participes sunt.

Quòd si in Poloniam ire animus est: animadvertentur Jesuitæ Regem illum totum possidere, & ad ejusmodi consilia instigâsse; ad quæ publica tandem seditio est consequuta; quâ parum absuit, ut Rex imperio suo exsutus fuisset. Prout etiam calidæ ipsorum technæ in causâ sunt, cur Sueciæ regnum, tàm pro Poloniâ, quàm pro Sede apostolicâ, sit amissum: dum Poloniæ Regem illi eò perpulerunt, ut patruum suum, Ducem Carolum, nunc Regem, bello aggredi, ac Jesuitas per vim regno illi obtrudere, moliretur.

Turbas dant in Poloniâ & Sueciâ:

Neque etiam Transsylvania quieta per illos fuit. Præstò enim est Epistola Baronis Zierotinii, 2. die Maji proximè data: quâ scribitur, quendam præcipuæ nobilitatis Virum, in familiâ ibi suâ Jesuitam aluisse; per quem ille instigatus fuerit, ad insidias vitæ Principis Transsylvaniæ struendum: sed hunc eo-ipso die, quo conspiratio ista effecta dari debuisset, eandem rescivisse: ideóq;, sub venationis prætextu, urbe egressum, ac dispositis hinc-indè insidiis, conspirationis complices in potestatem suam redegisse; qui, unà cum Jesuitâ authore, & omni comitatu, trucidati, morte suâ culpam luerint.

itemque in Transsylvaniâ.

Unica Domus Austriaca hoc privilegio gaudet, quòd à Sociorum istorum conspirationibus adhuc tuta fuerit, ac Principum illorum vita Jesuitis sancta & inviolata. Etenim,

Domûs Austriacæ adhuc amici fuerunt.

cùm

cùm author Ordinis illius, utì & Generalis ipsorum, Hispanus sit; cui, voto religioso, cæcam obedientiam suam præstare tenentur Jesuitæ: nullum periculum est, ut ab illis, contra Hispaniæ Reges, eorúmve consanguineos, machinandi aliqua causa captetur.

Verùm non sinè gravibus causis factum est, ut prudentißima Respublica Veneta, Ordinem istum, Urbe ac ditione suâ totâ ejecerit: quòd satìs didicisset, homines istos, instar crudelißimarum belluarum, meras belli faces esse; quos proindè satius sit extra, quàm intra provinciam suam, agere. Sanè quidem etiam motus illi Veneti à Jesuitis originem suam traxerunt. Cùm enim Senatus ibi rescivisset, singularibus dolis ac technis, Jesuitas, multa testamẽta & legata ad se-ipsos direxisse, multaq; dominia, cum Reipublicæ incommodo, attraxisse: decretum in Senatu fuit, ut prohiberentur Clerici, ulla posthàc bona immobilia, absq; Magistratûs consensu, testamentario titulo acceptare. Cui quidem decreto, omnes alii Clerici obsequentes se-se præbuerunt: soli Jesuitæ se opposuerunt, Romaq; illud refigere conati sunt; ideóq; etiam ditione omni Venetâ in perpetuum sunt proscripti. A' Republicâ Venetâ proscribuntur.

Consimili de causâ, neque Aurelianensis civitas, multùm quámvis laborantibus Jesuitis, illos unquam admittere voluit. Miserant quidem illi ex suâ Societate, qui tempore Quadragesimæ ibi concionaretur; sed factum id est magnâ cum Civium indignatione. Nam pro eo, quòd studiis ille suis vacare deberet, in id totus incubuit; ut superioris temporis Ligistas pernoscere, atq; in suas partes pertrahere posset: per quos rumorem Jesuitæ sparserunt, Regem omninò velle, ut ipsi in urbem illam intromittantur. Jamq; fama percrebuerat, Monachos ad S. Samsonem illis cedere, suumq; templũ Jesuitis tradere; adeóq; etiam Mareschallum Castrensem, urbis gubernatorem, domum suam concedere debere; quâ illi, juxtà cum aliis interjacentibus, ad prædictum templum conjungendis, uterentur. Durante hac famâ, Regi interim persuaserunt, maximoperè suam præsentiam à Civibus desiderari: eóq; illum perpulerunt, ut Domum ibi eos habere concesserit; modò id cum licentiâ & consensu civium fieret. Civibus autem super eâ re in unum convenientibus, Dominus Tourvilleus, celebris Advocatus urbis, vir apprimè doctus & ingeniosus, forti animo exposuit, quanta incommoda illos mansura forent, Sociis istis in urbem suam receptis: evidentibusq; argumentis comprobavit, in Galliâ Reges ac Jesuitas simul nequaquam diligi posse. Consilio huic præcipui ex Senatoribus, Civibus cunctis in id consentientibus, paruerunt; decreveruntq; unanimiter, Jesuitas minimè recipiendos esse. Biberat quidem certè etiam ista Civitas antehàc, exemplo aliarum multarum, è poculo rebellionis: verùm posteà, quàm in Regis obsequium illa rediit, semper in fidelitate suâ perstitit; atque ut in nupero communi infortunio, præ aliis cunctis, dolorem suum est testata; sic hodieq; talis perdurat, nec minùs aliis, in fide ac obedientiâ istâ porrò quoq; se perseveraturam, ostendit. Etiam Aureliis se-se exosos reddunt.

3. Quòd Jesuitæ parricidii, in Regis Henrici IV. personâ patrati, culpam sustineant.

Qui fundamentum abominandi illius facinoris, à Ravaillaco patrati, paulò diligentiùs ponderare velit; is haud-difficulter deprehendet, Jesuitas ludi illius participes esse; atque infortunium istud non aliundè, quàm ex institutione ac doctrinâ ipsorum, manavisse.

Cottonus Jesuita ex Dæmone sciscitari cupit, quæ scire avet.

visse. Anni circiter quinq; sunt, quòd apud S. Victorem ancilla quædam à dæmone obsessa fuit; quâ is pro instrumento, ad multa mira prædicenda, usus fuit. Eò etiam P. Cottonus, seu curiositate, seu familiaritate cum geniis ejuscemodi, concessit, Dæmonem de multis, quæ scire avebat, rogaturus, quæq; ille, memoriæ gratiâ, in schedulâ consignaverat. Inter illa etiam hæc continebantur: Quis exitus foret conversionis Domini Lavalii, & consiliorum de Genevensi urbe? Quamdiù Hæresis duratura esset? *Itèm:* de conditione Dominæ Acaririæ: *ac deniq; etiam* de vitâ Regis: *cum aliis consimilibus articulis pluribus. Accidit autem, quum P. Cottonus Domino Gilloto, magnæ Cameræ assessori, librum, quem ab eo mutuum habuerat, redditurus esset; ut in illo, per incuriam, memorialem illam schedulam reliquerit: sicq; ista in dicti Domini Gilloti manus devénit; qui eam aliis nonnullis, in quibus etiam Dux Sullius est, monstravit: adeóq; res tandem vulgò innotuit. Quòd si id aliis, & iis quidem temporibus contigisset, quibus major animus fuisset: suffecisset hoc sanè, ad Jesuitam merito supplicio afficiendum. Capitale siquidem crimen habetur, de exitu vitæ Principis sui inquirere: ut non modò in Romanis legibus, ab Ethnicis olim latis, sed etiam in divinis, Deuteron. 18. videre est. Cujus ratio à Tertulliano redditur, in Apologetico: Quòd is, qui super Principis sui salute scrutatur, aliquid adversùs illam cogitet, aut post illam speret.*

Cottonus sicariū Regi suo commendat; eumq; salvum dimitit.

Biennio pòst evenit, Dominum Delaforceum, in Bearniâ Proregem, per familiarem quendam, quem in vicinâ Hispaniâ habebat, rescire; quòd Hispanus quidam (cujus statura, forma, capillus & vestitus, ipsi innotuerat) constituto die Barcinone in Galliam profecturus esset, animo Regis, seu veneno, seu quovis alio medio, interimendi. Venit Hispanus ille Lutetiam, P. Cottonum salutans: à quo ad Regem adductus, & honorifico admodùm encomio commendatus fuit. Adferuntur autem etiam brevì posteà Domini Delaforcei literæ: quibus resignatis, Rex Cottonum coram se accersit, literas ei ostendit, atq; ut Hispanum illum semel adhuc ad se adducat, injungit. Ad quæ Cottonus, se ista credere non posse, respondit; delationem illam falsam esse: nihilominùs se ad Hispanum illum iturum, eumq; Regi sisturum esse. Hisq; dictis abit quidem: sed post satis longum tempus reversus, Hispanum jam discessisse, ideóq; à se non ampliùs offendi potuisse, ait. Qui verò actûs istius penetralia pervidere vellet, eum non usque adeò acutum cernere opus esset.

Idem Regis secreta & confessionem in Hispaniâ prodit.

Nec multum supra annum excurrit, quando idem Cottonus, ad Jesuitam Provincialem in Hispaniâ, de variis rebus sibi à Rege in privatis sermonibus, adeóq; etiam in secretâ confessione creditis, (quantúmvis illæ in Regis dedecus cederent) perscripsit: quo cognito, ipse per sesqui-mensem in Regis offensâ fuit. Et tamen Rex noster pro eâ clementiâ, quæ interitum illi acceleravit, Jesuitæ ignovit, eumq; in gratiam pristinam recepit. Ac reminisci poterit Cottonus, non adeò pridem à juvene Rege nostro, cui ille molestus erat, ac nescio quid arcani extorquere nitebatur, hanc perfidiam sibi dignis verbis exprobratam, idq; responsi datum fuisse: Nequaquam hoc tibi dicam: nam citra dubium id in Hispaniam perscripturus esses; prout etiam Patris mei confessionem eò perscripsisti.

Atq; ut propiùs ad Ravaillaci parricidium accedam: quemadmodum post Regis Henrici III. cædem, aliud Parisiis exauditum nihil fuit, præter tumultuosos Jesuitarum clamores & conciones, quibus auditores suos, ad successorem illius consimiliter perimendum,

illi instigabant; (*quomodo Jesuita Comoletus, inter cæteros, ad Populum declamans, in ista verba erupit:* Ehudo nobis opus est; sive monachus is sit, sive miles: hoc solùm necessariũ est, ut Ehudum habeamus:) *sic postremæ Quadragesimæ tempore, Jesuita P.Hardius, institoris supra pontem Nostræ-Dominæ habitantis filius, in templo S.Severini, publicè pro concione dixit:* Hunc quidem morem Regibus esse, ut ingentes thesauros, ad sui amplitudinem, & aliorum terrorem, colligant: at etiam unicum rusticulum, ad Regem supprimendum, sufficere. *Quorum ego, præter alios multos, Dominos Legrandium & Delavaum, Consiliarios aulicos, præsentes testes sistere possum. Circa idem illud tempus, etiam P.Gontierus seditiosas tales, & in Regem contumeliosas conciones, effudit: ut Mareschallus tùm Dornanus, zelosus admodùm, si quisquam alius per Galliam, Catholicus, à Rege super iis rogatus, responderit:* Si Gontierus Burdegalæ tantum effutivisset, se illum in præterfluentem præcipitem daturum fuisse. *Certè quidem jam-tùm omnes magnum quoddam infortunium metuebant, deq; eo inter fideles Gallos varii sermones ac susurri exsistebant: ut ipse quodam loco, ubi mentio illius rei inciderat, honestum & exceptione majorem virum, Dominum Grangeum, Principis Condæi Secretarium, dicentem inaudierim; Se P.Gontiero in faciem dicturum, atque evicturum quòd aliquando, quum ipse Grangeus, præteritis bellis, Petrocorii captivus teneretur, Gontierus iste, in præsentiâ P.Saphorii, Rectoris Collegii ibidem, contra se Grangeum disputando, contenderit; Rectè factum iri, siquidem Rex ille è medio tolleretur.*

Jesuitarum seditiosæ conciones Parisius habitæ.

Veruntamen nondum omnia huc-usque nobis percepta sunt. Jesuitæ namque, quò funem incendiarium (ut ità dicam) utrinq; insufflarent, ope Domini Guronii, magnæ religionis prætextu, Pastoribus Parisiensibus formulam præscribere conati sunt, juxta quam conciones illi suas, postremo Quadragesimali tempore, conformarent: traditis etiam in scripto discursibus ejusmodi, ad quos seditio facilè excitari posset. Multi igitur boni Pastores ad Ducem Sullium adierunt, rogantes, ut sua intercessione ipsis audientiam apud Regem impetraret: cui quidem conquesti sunt, sibi necessitatem imponi, de talibus rebus conciones instituendi, quæ parùm illi gratæ futuræ essent. Verùm nimia Regis clementia in causâ erat, ut non nisi leviculâ expostulatione contentus esset: adeóq;, ut istius Gontieri animum expugnaret, eum sibi à concionibus esse voluit, stipendiumq; constituit. Ut igitur ante feralem fulminis ictum, magni sonitus strepitusq; in nubibus exaudiri solent: ità conciones quoque istæ seditiosæ ac turbulentæ, prænuntiæ fuerunt horrendi fulminis, quod Coronam istam in personâ Regis nostri percussit: quod quidem damnum nos hoc tempore lugemus; at in futurum fortè gravius multò sensuri sumus.

Istis nunc etiam adjungatur Ravaillaci ipsius confessio, qui P.Aubignio in faciem dixit, se falsum illi fuisse, quòd gravissimum aliquem ictum facere in animo haberet; simulq; etiam cultrum illum ostendisse, qui cordis figurâ insignitus fuisset. Ad quod Jesuita vehementer dejeravit, sibi de istu nihil constare: Deum namq; eam sibi gratiam fecisse, ut mox omnium, in Confessione sibi creditorum, oblivione capiatur. Quibus dictis ita hic evasit: qui si in aliâ terrâ fuisset, artem memoriæ rectiùs utiq; edoctus esset. Sanè quidem, cui cum Ravaillaco negotium fuit, quiq; eum diligentiùs inquirendo cognovit; is facilè deprehendit, Regicidam istum in materia illâ probè-informatũ confirmatumq; fuisse. Cùm

Jesuita Aubignius parricidam Ravaillacũ cõfitentem audivit.

Ars oblivionis Jesuitica.

enim, in omnibus aliis Theologiæ articulis, planè rudis ac infans esset; quantum tamen ad hanc quæstionem, utrùm Tyrannum occídere licitum sit, omnia effugia distinctionesq́ Jesuiticæ apprimè illi cognitæ fuerunt: testantibus hoc deputatis ad eam rem Commissariis, D. Cæsseteo Theologo, & aliis, qui super his rebus examen cum Ravaillaco instituerunt. Ipseq́ parricida iste, rogatus, à quónam ad ejuscemodi facinus patrandum persuasus esset? *non semel respondit:* Ex concionibus doctorum suorum satis ipsos causas percipere potuisse, ob quas necessarium esset, Regem occidi. *Quibus utiq́ indigitavit, prædictas conciones ad hoc facinus stimulos sibi addidisse. Ita verò in materia illa etiam versatus erat: ut facilè appareret, præter illas publicas exhortationes, aliam quoq́ privatam instructionem institutionemq́ accepisse.*

Cottonus Ravaillacũ in carcere visitat.

Neque etiam hæc contemnenda circumstantia est; quòd P. Cottonus, quum Ravaillacum in carcere visitare permissum illi esset, inter alia his quoque verbis erga ipsum usus fuerit; Caveas diligenter, ne innocentes prodas: *metuens procul dubio, ut Jesuitas ille nominaret. Franciscani contrà, Carmelitæ, aliiq́ boni Religiosi, quibus conscientia non gravata erat, ab ejusmodi proditione nihil sibi metuerunt.*

Bruxellis & Pragæ rumor de obitu Regis, aliquot diebus ante cædem illius, fertur.

Unde autem, quæso, profectum fuit, ut Bruxellis & Pragæ, ubi Jesuitæ dominantur, duodecim aut quatuordecim diebus ante casum istum, rumor de obitu Regis spargeretur? Sic enim Rothomagi multis literæ Bruxellis allatæ sunt; quibus significari petitum, utrum Rex mortuus esset? tametsi is tunc temporis adhuc viveret. Dominus quoq́ Argenterius, Trecis, literas accepit Pragâ, à filiorum suorum præceptore; in quibus inter alia scriptum fuit: Jesuitam quendam sibi, paulò ante parricidium hoc, indicâsse; Regem mortuum esse; nec Delphinum, post obitum ipsius, sed Hispaniæ Regem, Galliæ quoque Regem creatum iri. *Cujus rei causas easdem ille allegârit, quas P. Gontierus, tempore Adventûs & Quadragesimæ proximè-præterito, publicè pro concione exposuit. Neque etiam prædictio, & quasi vaticinium Prætoris Pictaviensis (qui postmodùm in custodiâ suspensus inventus est) hic reticendum est; quando is Pictavii, quod bidui itinere Parisiis distat, in ludo pilæ coram omnibus dixit:* Rex noster, hodierno die, aut mortuus, aut graviter vulneratus est. *Ac fuit Prætor iste Jesuitarum familiarissimus; quibus ille etiam filium suum tradidit, qui hodieq́ Jesuitam agit.*

Jesuitę post regicidium hilares se ostentant.

Animadversum quoque est, quantoperè omnes commoti & exacerbati fuerint; cùm postridie, post perpetratum miserabile hoc parricidium, Jesuitæ in Arce regia, Luparâ, ridente ore ac hilari vultu obambulantes visi essent; quasi qui cuncta jam obtinuissent: præsertim cùm per Dominum Varenneum, singularem patronum suum, ad Reginam retulissent; audacter & impudenter, in communi hoc luctu, & cruento adhuc dolore, miseri hujus interfecti Regis cor postulantes. id quod etiam, ceu singularem prædam, sibi retulerunt. Sed & æquum fuisset, dentem quoq́, quem discipulus ipsorum, Johannes Chastellus, antehàc Regi excusserat, unà cum corde ab ipsis sepeliri. Quis itèm non obstupuit, cùm videret, omnes Monachorum aliorum ordines, unis Jesuitis exceptis, ad exsequias funeris regii convenisse, & in luctu hoc publico suum quoq́ dolorem testatos esse: solos Jesuitas, licèt longè plura & majora beneficia, quàm reliqui Ordines omnes, à Rege isto acceperant, in funeris comitatu non apparuisse? Quod multis bonis, qui id observârunt, suspicionem non-levem, variaq́ judicia, movit: nonnullis existimantibus, ideò illos non convenisse,

Occisi Regis cor petunt, atque obtinent.

Non sequuntur processionem funebrem Regis.

nisse, quòd alios Ordines minoris facerent, atq; contemnerent. Oculatiores autem, non exiguam eam prudentiam interpretabantur. Nam neq; Tiberius & Julia, cùm Germanicum veneno sustulissent, publicè in luctu Romæ comparère voluerunt: ne Populus animadverteret, luctum & dolorem ipsorum tantummodò simulatum esse. Omnem quoq;, post Regis mortem, operam dedère Jesuitæ, ut exsecutionem voluntatis regiæ impedirent; retractarentq; quod is Coronæ bonum commodumq; arbitratus fuerat. Concluserat enim is secum, Principibus Germanis auxilia in Ducatum Juliacensem submittere; jamq; Mareschallus Castrensis, generalis copiarum illarum dux, in procinctu erat. Ad eum igitur duo Jesuitæ itabant, significantes, illæsâ conscientiâ expeditionem illam suscipi, ac Hæreticis auxilia ferri non posse: minis etiam terrentes, quòd si aliter faceret, salvus esse nequeat. Advertentes autem, parvam se ita gratiam apud eum inisse, lenioribus posteà dictis usi, eundem sibi reconciliandum sumserunt. Expeditionem Juliacensem impedire conantur.

4. Examen & consideratio Epistolæ declaratoriæ Cottoni Jesuitæ.

Principiò dico, extortam hanc Epistolam nimis intempestivè ac serò post malum jam admissum in publicum venire. Contra Marianam siquidem stylus stringendus fuerat, ut primùm ille in medium prodiit; atq; etiam tùm, cùm Rex quondam noster vellet, ut Cottonus contra ipsum scriberet. Similiter dico, constare nobis non posse, utrùm seriò cum Epistola ista agat, an verò, juxta Societatis suæ doctrinam, æquivocatione utatur, sententiamq; suam ex parte secum reticeat. Quòd si etiam seriò rem ageret: quis, amabò, non cernat, fratres illius non ejusdem cum ipso sensûs esse? Etenim nullus eorum cum ipso subscripsit; uti autem, in causâ communi tantiq; momenti, extrema necessitas postulabat. Juxta verò etiam frustra est, quòd numerum aliquem Jesuitarum allegat, qui Regicidia condemnârint. Omnia namq; loca hujusmodi, de illis Regibus loquuntur, quos Papa & Jesuitæ pro Regibus agnoscũt. Nos contra superiùs, magno etiam numero testimoniorum Jesuiticorum, ipsâq; facti evidentiâ, demonstravimus, Jesuitas, quando jam vitæ Regis cujuspiam periculum machinati sunt, id effugium sibi retinere, ut dicant: Se talem non pro Rege habuisse, tametsi Regis nomen ille gesserit; quoniam excommunicatus, aut Ecclesiæ hostis sit. *Quomodo etiam maledictus Ravaillacus, principem hanc causam sui parricidii dedit;* quia Rex contra Papam bellum fuerit gesturus: quia verò Papa Deus sit; consequi indè, quòd Rex contra Deum arma sumere voluerit. *Hinc Abbas Boisensis in responsione suâ ad Cottonum, benè probeq; observavit; Jesuitam* GREGORIUM *de* VALENTIA, *ubi* haudquaquam licitum esse *scribit*, manus Principi suo inferre, tametsi is potestate suâ abutatur, *hanc tamen conditionem adjecisse:* Nisi id cognitione publicâ, aut sententiâ latâ, fiat. *Jam verò cuncti Jesuitæ, Generalis sui judicium, pro publicâ cognitione ac sententiâ habent: cui non minùs, ac Christi Domini mandato, parère teneantur. Sic & Papæ cognitionem, pro publicâ sententiâ illi habent. Ac suprà quoq; nos jam vidimus, Jesuitæ* EUDÆMONO-JOHANNIS *Apologiam, à Generali Aquavivâ, cum aliis tribus doctoribus Jesuiticis, approbatam, expressè scribere;* Jesuitas, tametsi cædem in regiis personis non pro-

bent, eventum nihilominùs sibi gratum habere. *Ut propterea P. Cottonus nihil juvet, si maximè authorem mortis Regis nostri condemnet; cùm ipsi interea eventus, ipsa videlicet mors Regis placeat.*

Sic, verè loquendo, mera impostura & fallacia est, cùm protestatur, se Constantiense decretum acceptare, & Johannis Parvi doctrinam condemnare: *additâ etiam hac declaratione;* Nulli subdito licere Tyrannum interficere. *Jesuitis namq; ad manus paratum est, idq; verum effugium:* Constantiense illud decretum de hujusmodi Tyrannis loqui, qui legitimi Reges sint; non verò de illis Regibus, qui publicâ cognitione abdicati, aut Subditi eorum à Papâ fidelitate ac juramento soluti; neque etiam de Regibus, qui hostes Ecclesiæ declarati sint. *Quando enim semel Jesuitis propositum est, Regem aliquem occidere; facile quoq; illis est causam invenire, vulgoq; persuadere, Regem illum non esse; ideóq; excipere, quòd nihil contra Concilium Constantiense, neque etiam contra Jesuitarum doctrinam, prout illa à P. Cottono exposita est, commiserint.*

Quod verò Cottonus addit, eam solius Marianæ, non itèm totius Ordinis sui, sententiam fuisse; *id jam antè, cap. 1. satis confutatum est; ac multorum Jesuitarum, quorum nomina Marianæ libro præmissa sunt, approbatione, aliorumq; Jesuitarũ scriptis, qui idem, quod Mariana, affirmant, ipsumq; insuper Marianam commendant ac defendunt, evictum. Ut taceam, Cottonum tàm frigidè Marianæ rejectionem in medium proferre; ut adulationis potiùs speciem ea præ se ferat. Quin & ementita declaratio ipsius, dum persuadere nobis vult,* Marianam in Provinciali quâdam congregatione à Jesuitis condemnatum fuisse, *causam illius tantò deteriorem facit: quòd Jesuitæ condemnationem istam clàm habuerunt, nihilq; de eâ in publicum emiserunt. Cur enim, obsecro, istud clàm habitum fuit? Num veriti fortè sunt, studiosiores eo Gallos redditum iri, ad curam pro Regis sui vitâ gerendam? An metuerunt offensam Jesuitarum per Hispaniam, ex eâ Marianæ condemnatione? Ex quibus indubiè apparet, aut fictitiam eam Marianæ prætensam condemnationem esse; aut, si qua facta fuerit, æquivocationis effugium eidem subesse. Id quod magìs indubiè adhuc credi potest; si Jesuitarum propria confessio, quantum ad materiam istam, diligenter inspiciatur: quam Cottonus quidem ad XV articulos redigit; sed qui reverà nihil sunt, præter obscura verborum ambiguorum involucra, & quæ Jesuitarum doctrinam de articulis illis, de quibus nulla quæstio est, exponunt. Hæc siquidem capita illa sunt, de quibus confessionem fidei suæ nobis edere debuisset:*

1. *Utrùm, si Jesuitarum Præfectus mandet, ut Regem suum interficiant, parére ipsi in eo teneantur?*

2. *Utrùm Papa Subditos à juramentis suis, quæ Regi præstiterunt, absolvere ac liberos pronuntiare possit?*

3. *Utrùm Rex à Papâ abdicatus & excommunicatus, adhuc Rex sit; Subditiq; illi, quanquam excommunicato, obedientiam nihilominùs præstare debeant?*

4. *Utrùm, si bonus Catholicus Jesuitæ in confessione aperiat, se Regem occisurum esse, Jesuita confessionem illam manifestare, an reticere, debeat?*

5. *Utrùm Papa regna adimere, dare & conferre possit, cui ipsi placeat? Et nominatim,*

tim, utrùm Jesuitæ Canonem illum probent, qui Papæ potestatem tribuit, Coronam Regi adimendi, tametsi is nihil deliquerit?

6. *Utrùm Reges Clericorum superiores magistratus sint? h.e. Utrùm Rex jurisdictionem in corpus & bona Clericorum obtineat, veluti in alios Subditos suos?*

7. *Utrùm fides, hostibus Ecclesiæ jurata, servanda sit?*

8. *Utrùm Jesuita captivus, & proditionis reus, in responsionibus suis æquivocare, & aliud ore dicere, aliud in animo sentire, licitè possit?*

9. *Utrùm licitum sit, ut quis hostes suos perimat, juxtà cum illis etiam amicos suos perdere?*

10. *Utrùm Clerici rebellio contra Regem suum, crimen sit læsæ Majestatis?*

11. *Utrùm quis simul, & regicidium odisse, & eventum (h.e. Regis mortem) gratum habere possit?*

12. *Utrùm Garnetus & Oldekornius martyres sint? Guignardus itèm justè ad mortem condemnatus fuerit?*

Hæc sunt vera illa capita, de quibus ut Jesuitæ lectiones suas publicè recitent, omnes boni Catholici desiderant: atque ut per Reginam rectricem, Principesq; regii sanguinis, cum aliis Coronæ Consiliariis atq; Officiariis, P. Cottono & Sociis ipsius injungatur, clarè & apertè suam de his sententiam explicare, ac confessionem edere; quò sic nova illa opinio & imaginatio, quâ Regum nostrorum majestas & potestas imminuitur, vitaq; in præsentissimum discrimen adducitur, ex Populi animis eximeretur: non autem ejuscemodi responsis nos deludere, quæ cardinem rei nihil attingunt, & amphiboliis ludunt, adeóq; lanii cultro utrinque-acuto similes exsistunt. Ità enim primus Cottoni articulus habet: Omnes & singulos Jesuitas fassuros, ac, si opus sit, sanguine suo subscripturos esse; quòd in hac materiâ, cunctisque aliis, nullam aliam fidem, quàm Romanæ Ecclesiæ, teneant. *Hìc verò contra conscientiam suam ille loquitur. Namque, si Jesuitæ omnes ac singuli inter se consentiunt: Cottonum quoque & Marianam invicem consentire, sequitur; ideóq; Cottonum injustè hunc condemnâsse. Quod verò prætexit, Jesuitas omnes sanguine suo subscripturos, quòd nullam aliam, quàm Catholicam Ecclesiæ fidem, teneant; ad illud respondeo: Jesuitis haud difficile esse, omnibus subscribere, quæ ab ipsis petantur; cùm interim secum omnis generis reservationes, & occultos intellectus, secretò retineant. Hoc autem certus ego sum, Catholicam Ecclesiam nulli ejusmodi absurdo abominandoq; articulo, quales multos suprà ex Jesuitarum libris allegavimus, subscripturam; multóq; minùs attentata factaq; illorum approbaturam esse.*

Secundus articulus ipsius est: Inter omnes formas & status Rerumpublicarum, eam, in quâ unum caput dominatur, optimam esse. *Ecquorsum autem istud spectat? Nihil utique opus est illis, qui dominatum unius capitis magìs probant illo, qui per plura capita exercetur, multum conscientiæ scrupulum injicere, si Reges occidant, aut occidere cogitent; cùm regiminis mutationem desiderant: sed alium duntaxat Regem illi exoptant, quando ille, qui nunc regnat, ipsis non placet.*

Tertius articulus per omnia Jesuiticam scaturiginem redolet: cùm nihil sit aliud, quàm meræ æquivocationes, & secreti intellectus ac interpretationes, quas Pater iste secum in animo retinet; dum ait: Ità comparatum esse cum spirituali regimine Ec-

clesiæ, quod Vicarium Domini Jesu Christi, & S.Petri successorem, respicit: ità quoque cum seculari statu ac regimine Coronę Francicæ, quod in personâ Regis, supremi Domini nostri, terminatur. *Verba ista summam rei haudquaquam attingunt, nimiúmq; implicita sunt. Neque enim Jesuita iste totum edicere ausus est: Regem per omnia in regno suo æquè dominum esse, atque Papa in Ecclesiâ suâ sit. Istud namque tantùm Jesuitæ sentiunt, quòd Papæ potestatem habeant Regum deponendorum: id verò haud credunt, quòd Papæ quoque à Regibus deponi poßint. Credunt, quòd Papa Regum subditos à juramēto & obedientiâ ipsorum absolvere poßint: non credunt autem, quòd Reges etiam alios Christianos à Papæ obedientiâ solvere poßint. Credunt, quòd Papa in temporalia Regum bona potestatem habeat; idq; seu directè, ut nonnulli; seu indirectè, ut alii sentiunt: non credunt autem, quòd Reges, sive directè sive indirectè, in Paparū spiritualia vel secularia, ullam jurisdictionē habeant. Credunt, quòd multi homines in Galliâ, judiciis ac potestatibus regiis minimè sint subjecti: non credunt autem, quòd unicus homo in S.Petri territorio sit, qui non teneatur coram Officiariis Papæ respondere, ab iisq; jus accipere. Credunt, quòd Papa potestatem habeat, de bonis ecclesiasticis in Galliâ pecunias annatas exigere: non credunt autem, quòd Galliæ Rex potestatem habeat, à personis & bonis in Italiâ, & ad Petri patrimonium pertinentibus, quicquam exigendi. Neque enim credibile est, P.Cottonum Cardinali* BELLARMINO *se opponere velle: cùm omnes hodie Jesuitæ illius discipuli exsistant. Ita verò ille, lib 5. de Pontifice, cap. 6. scribit:* Papam habere potestatem Regna mutandi, eaque, tanquàm supremum spiritualem Principem, uni auferendi, & alteri conferendi; quando necessitas animarum salutis id postulet. *Sic etiam ab eodem hoc Rabbino superiùs didicimus,* Reges Clericis mandandi potestatem nullam habere. *Idem, lib. de Exempt. Clericor. cap. 2. omnes Reges atque Principes* profanos *cognominat: ac porrò in diversis locis contendit,* Principatum secularem institutum ab hominibus, ac de jure solo gentium esse. *Quicquid contrà dicat Apostolus, Roman. 13.* Nullam esse potestatem, nisi à Deo; quæque sint potestates, eas à Deo constitutas esse. *Proindè neutiquam hæc Jesuitarum fides est; Reges pari ratione Reges esse, quâ ratione Papa Ecclesiæ caput est: sed illos humanâ duntaxat ordinatione Reges esse, Papam contrà, divina ordinatione, Catholicæ Ecclesiæ caput esse. Atque ut paucis dicam; P.Cottonus ad summam dimidio tantùm ore loquitur: neque ex eo, quod dicit, facilè, quæ fides ipsius sit, cognosci potest. Et sic cum cæteris quoque articulis res comparata est.*

In ultimo articulo, eos, qui reformatæ Religioni addicti sunt, recriminari vult; prætendens, multos illorum libros hac opinione infectos esse, quòd Reges occidere licitum sit. *tandemq; addit:* Loca ipsa allegarem, propriaque eorum verba citarem; nisi melius esset, illa in abysso perpetuæ oblivionis sepulta & obliterata manere. *At, quomodo Adversariis meliorem gloriandi occasionem subministrare potuisset? dicturis quippè hoc loco: Si P.Cottonus talia dicta locaq; scivisset; illa utiq; omnium oculis subjicere non omisisset. Quin-imò satius fuisset, tales libros nominatim indigitasse: quò & ipsi abrogarentur; & authores eorum, siquidē adhuc viverent, pro merito punirentur. Curiositas tamen mea fecit, ut majorē hujus rei notitiam comparare voluerim: cumq; nonnullis non-indoctis diversæ religionis Viris de eo locutus essem, id responsi ab illis retuli.*

In

In Constantiensi quidem Concilio, Sess. 8. in recensione hæresium Wiclefi, inter alia hoc quoq; ipsi tributum; quòd crediderit, nullum in civilibus Dominum aut Magistratum esse, quamdiù in peccato mortali esset. *Itemq;*, Populum, ad arbitrium suum, Dominos delinquentes corrigere posse. *Buchananum quoque, Poëtam & Historicum Scotum in libro de jure Regio apud Scotos, aliquid hujusmodi habere*; quòd Reges puniendi & abdicandi sint, quando tyrannos agant. *At verò Constantiense Concilium, non in hoc solùm; sed etiam in pluribus aliis articulis, Wiclefo injuriam facere: neque in scriptis illius tale quid inveniri: ipsum quoque Constantiæ non adfuisse, ut se defendere potuisset: pariq; adeò falso, ab eodem Concilio accusatum, quasi docuisset; Deum Diabolo obtemperare oportere. Quantum ad Buchananum; Theologum eum non fuisse, eaq; duntaxat, quæ in Scotiâ, ante Religionis mutationem, contigissent, descripsisse: neq; verò dogmata aut regulas præscripsisse; sed mores tantùm & consuetudines suorum Popularium designâsse. Fortean apud doctores suos verba aliqua, de libertate Reipublicæ contra Reges Ecclesiam persequentes, inveniri; prout etiam scribant, tales, non obstante malitiâ ipsorum, opus nihilominùs Domini necessariò promovere; ac similia quædam alia: sed ne minimum quidem verbulum apud illos repertum iri, quo suadeant Reges ac Principes interimere; aut contra eos rebellare jubeant. Lutherum quidem certe, indomitâ immodestiâ & contemtu, contra Henricum IIX. Angliæ Regem, scripsisse: eundem tamen Lutherum illius subditum non fuisse; nec quicquam de Regicidiis, aut rebellionibus contra Magistratum, dicere. Sicq; adeò exempla ista huc minimè quadrare. Quod ideò hic recito: non quòd in excusatione istâ acquiescam, quam hîc in medio relinquo; sed tantùm, ut P. Cottonum impellam, ad sententiam suam de his rebus paulò disertiùs explicandam: ne Adversarii nostri conquerantur, se, absq; testimonio ac probatione ullâ, temerè accusatos fuisse.*

Quæ reliqua sunt in Cottoni declaratoriâ, longam duntaxat perorationem continent, ad causam principalem nihil pertinentem. Ac præsertim ea, quæ de Otacustis, Prosagogidis, ac Quadruplatoribus ingerit, nihil ad nos attinent; qui tàm boni Franci esse studemus, quam Jesuitæ boni sunt Hispani.

5. Bonúmne sit, ac Regno proficuum, ut Jesuita Cottonus præstò semper cum Rege, aut cum Reginâ rectrice sit? Et, an Jesuitæ in universum ferendi sint?

Si totus Mundus est miratus, cùm, post ictum à Johanne Chastello patratum, post condemnationem Jesuitarum in Parlamento factam, post Pyramidem in perpetuam ejusce rei memoriam erectam, exiguo elapso tempore, Patres isti denuò in Galliam recepti, ejusq; cor possidentes, visi sunt, cujus os paulò antè vulnerâssent: non minore quoq; admiratione dignū est, quòd hodieq;, post horribilem Regis interitum, illi, qui dogma de Regicidiis excitârunt, & in Regnum introduxerunt, ac de quibus certò constat, quòd illiusce consilii participes fuerint, adhuc in oculis, adeòq; cum ipsâ junioris Regis nostri personâ, obversari animad-

animadvertuntur. Esto, P.Cottonus ab isto scelere immunis sit: P.Gontierus & Aubignius nihil de eo ipsi revelârint; nihilq; ipse cum Jesuitis Bruxellensibus communicârit. Mores tamen illius, professio & vocatio, ità sunt: ut neque proficuum, neque honorificum videatur, eum ad personam regiæ Majestatis attrahi.

Ac primò quidem extra dubium mihi est; Cottonum, qui Religiosum se profitetur, (ejusmodi præsertim religiosum, qui de nomine JESU *dicatur) universæ Ecclesiæ scandalo esse: propterea quòd assiduè Aulam consectetur. Est namque istud, non institutioni solùm omnium Ordinum monasticorum, sed etiam in-primis Jesuitarum Regulis, planè adversum ac repugnans; teste vel ipso* Richeomo *Jesuitâ, in Expostulatione apologeticâ. Quin &* Toletus *Jesuita, lib.1. de Institut. Sacerd. cap. 40. communiter tenet;* Religiosum, Principum aulam sectantem, quàmvis id cum consensu Superioris sui fiat, excommunicatum esse.

Jesuitæ aulici sunt excommunicati.

Deinde verò, ut Virtus in Principis alicujus animo implantetur; ejusmodi homines personæ illius adjungi oportet, qui vitia oderint; neque illi, in imperfectione ac defectibus suis, abblandiantur. Atque hoc unum ex Cottoni vitiis fuit; quòd voluptatibus Regis quondam nostri indulsit: cùm potiùs eum dehortari ab illis debuisset. qui quidem Rex ità affectus erat; ut, si alius quispiam, vitiorum hostis, Cottoni loco fuisset, facilè in ordine retineri potuisset. Atque hæc etiam nupera querela fuit Patris Castiliani, in concione funebri, ad S. Jacobum prope macellum habita, & postmodùm typis excusa. Verùm tantum aberat, ut Regem sit dehortatus: ut potiùs eundem plùs instigaverit, pro concionibus publicis asserens; Majestatem ipsius peccata sua multis meritis compensare. Etiam Davidem plurimùm genio indulsisse; nec-minùs tamen virum secundum cor Domini fuisse. *Ac, quod pejus adhuc est, ipse Cottonus internuntius ac leno erat, qui amoris verba ad gynaceum referebat. Magnusq; Princeps etiámnum hodie in Aulâ agit; qui cùm miraretur, Cottonum in notoriâ muliere ad Regem adducendâ, operam suam præstitisse, id responsi à Jesuitâ retulit:* Peccatum quidem istud esse; sed potiorem valetudinis Regis rationem habendam, in cujus vitâ tàm necessarium multumque positum esset: idque peccatum multò majori bono compensatum fuisse.

Cottonus adulator;

Leno & scortator;

Hypocrita;

Quod porrò ad mores vitæ illius pertinet, evidentem in eo hypocrisin animadvertere licet. Namque is, præsentibus multis illustribus Aulicis, qui quidem adhuc in vivis sunt, gloriari ausus fuit, intra viginti-duos annos nullum à se peccatum mortale commissum esse. *Cùm tamen Abbas Parisiensis ipsi objiciat, atque evincere paratus sit; non adeò pridem Avenione sententiam contra eum latam fuisse, quòd Monialem quandam impregnâsset. Bordesius, Grignii Dominus, (cui nihil præter Catholicam fidem deest) literas adhuc penes se habet, à P.Cottono, propriâ manu, ad Dominam Claresaciam Nemausii, exaratas; in quibus, post magnam officiorum & amicitiæ testificationem, hæc verba subjicit:* Sperare se illam brevì visurum; & capitalem summam, juxtà cum usuris absentiæ suæ, exsoluturum: tantumque esse affectum, quo erga ipsam feratur; ut non credat, gaudium suum in Paradyso plenum futurum, nisi ipsam quoque ibidem offendat. *Et quidem fœmina ista etiam in memoriali schedulâ eorum designata erat, super quibus Jesuita ille Diabolum consuluit.*

Quis

Quis verò etiam incredibilem impudentiam Jesuitæ istius non admiretur? qui passim apud omnes se-se ingerit; ac si vel centies repellatur, nihil tamen absterreri se patitur: ardelionem agit, atq; etiam Principibus se associat: in Meditationibus autem suis, prælo excusis, ità simulat, ac si Deo ipsi oculos præstringere, ac fallacibus verbis eum decipere vellet. Quotusquisq; non cum maximo cordolio intueri coactus est, sordidum Jesuitam Regi assiduè aures fricare, eiq; (ut sic dicam) à cingulo dependére? cùm interim Principes etiam, ac illustres personæ, quæ multò majora officia Regi præstiterant, vix magno labore aditum ad illum sibi compararent. Equidem ipse causam excogitare non queam, cur alii Clerici (qui, indè à tot seculis, columnæ Ecclesiæ Regni hujus exstiterunt; neq; illam in afflictionibus, his præsertim ultimis bellis, unquam destituerunt) non tantum gratiæ obtineant, quantum Novitii isti, qui nulli tamen Episcopo subjiciuntur, sed immediatè Hispano suo Generali & Consistorio subditi sunt, atq; obedientiam præstant; quiq; jam semel, ob attentatum regicidium, è Regno proscripti fuerunt. Num verò non etiam alii Religiosi justiùs Regis confessarios agerent? aut num non meliùs illi meriti essent, ut Reginæ à concionibus sacris sint; quàm isti, qui confessiones illius Provinciali fortè alicui per Castiliam, aut Generali suo Romam, perscribant? Impudens socius.

Quia verò etiam, ab eo tempore, quo in Galliam recepti sunt, (h. e. intra octennium istud) tàm probè rem suam fecerunt; ut hinc-indè per Galliam, ultra centena-millia aureorum Coronatorum, pro annuo redditu, acquisiverint; præter egregia illa ædificia, quæ passim locorum, inprimis autem Flexiæ, exstruxerunt, & plùs bis-centenis-millibus Coronatorum constiterunt: ecquid igitur deinceps non consequentur, si viginti adhuc annos istic morari debeant? Sunt enim cancri instar, qui continuò latiùs serpit. Jam-nunc etiam hîc Parisiis, in suburbio S. Germani, Scholam exædificant, in cujus ambitu vel urbs consisteret: quorsum è totâ civitate Juventutem, ni Rector Universitatis assiduè vigilet, pellicient. Multò namq; subtiliores technas nôrunt, se-se passim per domos insinuandi; devotas mulierculas irretiendi; pueris blandiendi; neque à discipulis suis pecunias candelásve recipiendi: cùm interim hæreditates ac dominatus integros deglutiant. Ex quo consequetur, ut Universitas nihil ampliùs, quàm umbra inanis futura, extremumq; interitum minimè sit evasura. Sed & intra decennium, Consilium secretius, Parlamenta, ipsumq; magnum Consilium, meris Jesuitarum discipulis repletum erit; reliquus contrà Clerus nihili futurus. Id siquidem etiam agunt, ut nervos illius succidant: ideóq; de illis, ut indoctis sociis, quàm-contemtim loquuntur. Et tamen ipse ex multis doctis viris, Cardinali præsertim Perronio, accepi; ipsosmet rudes asinos esse, qui bonas artes successu temporis sint corrupturi. Quare hic, pro earundem sustentatione ac conservatione, novum Collegium in Universitate erigere sibi proposuit, sicq; honestas artes suffulcire constituit; quas Jesuitæ tàm fœdè contaminarunt: ut nihil, nisi scholasticas nugas, & hinc-indè consutos centones, è cerebro suo exortos, ex illis confecerint. Quod quidem leve adhuc esset: ni, sub prætextu magnæ eruditionis, ac speciosæ scientiæ, etiam Politias aggrederentur; Regibusq; tutores dare, Populumq; ad rebellionem concitare, præsumerent. Neque enim negari potest, si illum ad seditiones tàm proclivem offendissent, quàm calidè & solicitè illum instigare solent; quin tota jam Gallia sanguine redundásset; atque inaudita strages cædesq; utriusq; Religionis hominum, Regis mortem exceptura fuisset. Spes siquidem ipsorum, in

Jesuitarum paupertas per Galliã.

Jesuitæ Juventutem inprimis ad se pertrahunt:

Cæteros Clericos præ se contemnunt:

Politias invadunt:

Sanguinolentarũ seditionũ authores sunt.

hoc infelici parricidio, non nisi eò directa fuerat. Quod autem nunc ipsis non ex animi sententiâ cecidit id alio tempore probè compensare noverint.

Interim autem Domini Consiliarii, juxta cum Parlamentis, considerabunt, utrùm bonâ conscientiâ Confeßiones hominibus ejuscemodi concredere poßint, qui jurati sunt, nihil etiam eorum, quæ ad Regis salutem necessaria sunt, manifestare? & an non multò magis isti adigendi sint, ad damnabilem hujusmodi doctrinam, per quam proditionum ac parricidiorum se-se participes ipsi faciunt, abjiciendam? Ecquid enim prodest, librum aliquem carnifici concremandum dare; & illius authores interea fovere? Quid juvat, chartas pœnis afficere; Jesuitas contrà, ne fortè irascantur, ne-quidem nominare? Cogitabunt etiam, num conniventiâ suâ Parisiensem Universitatem funditùs perditam velint; quæ indè à Caroli Magni temporibus, præcipuum decus urbis istius exstitit? Númve interea, dum homines istos numero & authoritate in Aulâ excrescere sinunt, bonos Regiq; fideles Catholicos, in perpetuâ diffidentiâ, curâ & metu, esse velint; ut fortean etiam tertium adhuc infortunium ac regicidium cernere cogantur? Interdicatur illis, ut ne se in negotia politica immisceant; sed Euangelium, dogmataq; ecclesiastica, pro concionibus tractent. Parentibus injungatur, ut filios suos ad Scholas & Collegia Universitatis mittant: idq; agatur, ne duæ diversæ Universitates in unâ civitate exsistant. Inquiratur in finem, cui Jesuitæ tanta bona impendant: cùm illorum paucos esse constet; nec superfluis vestimentis, equis, aut ministris, se-se onerare soleant. Quorsum igitur tàm ingentes redditus impénderent; quàm ut hinc-indè in peregrinas regiones suos emissarios mittant, qui apparatum faciant, unde hujus Regni hostibus stipendia solvant, sumtusq; ad rebellionem in parato habeant? Id quod etiam ultima Ligæ tempore fecerunt. Rectè enim Polonum illum pronuntiâsse video: Societatem Jesuiticam gladium esse, cujus vagina sit Gallia; manubrium autem, Hispania, vel Roma, ubi Generalis Jesuitarum degit. *Mandatum siquidem, de gladio illo evaginando, exindè venit.*

Atque hæc, de materiâ istâ, dicere nunc habuimus: ad quæ optârim aliquem articulatim respondere; vel potiùs nos-ipsos, ad ejuscemodi commonefactiones, Sole meridiano clariores, tandem aliquando oculos aperire. Tametsi enim, dum ista ageremus, plus invidiæ atq; odii, quàm commodi, indè fortè referremus: hoc tamen solatii ex eo exspectandum haberemus; quòd nos-ipsos non neglexissemus, sed quæ ad Regni salutem, pacemq; & securitatem Ecclesiæ, faciunt, monuissemus, ac publicè edidissemus.

AD REGINAM.

Tigridas è Regno cunctas eliminet isto,
Illius imperium qui velit esse diù:
Queîs ideò, Regem quòd vitâ destituissent,
Cum corde: hæc meritis gratia danda fuit.

VIII. *Quid, post Regis Henrici IV. obitum, porrò à Jesuitis actum in Galliâ fuerit.*

* fol. 394. Enarratum superiùs * est, quibus technis Jesuitæ moliti sint, Trecas, Campaniæ

paniæ urbem,subintrare; semper verò etiam à civibus ejus loci fuerint rejecti. Neque-dum tamen illi à practicis suis destiterunt. Factum igitur est anno 1611. cùm Jacobus Nivelleus, Rector Collegii ibidem, tempus officii sui propè elapsum videns, intelligeret, locum in Collegio illo ampliùs sibi non futurum: ut se quidem cedere paratum indicaret; id tamen intereà ageret, quò Jesuitis, per abitum suum, locum concederet, quo nomine etiam, aliquot annis, negligenter officium fecerat, exercitationesque Collegii prorsus intermiserat. Hic, per Jesuitarum fautores, susurros spargebat; toti Provinciæ, præsertim autem Urbi illi admodum proficuũ fore, si Collegii administratio illis commendaretur: nihilque eos aliud, præter Collegium, desiderare: se pro suâ parte, ob insignem affectum, quo erga Patriam suam teneretur, paratum, ad 14000. librarum Gallicarum, in Jesuitarum sustentationem, de suis bonis contribuere. Episcopus loci, cum Præside Angenustio, (qui & ipsi hoc agerent, ut, per Nivellei discessum, Jesuitæ intrò admitterẽtur) in vulgus spargebant, Nivelleum è Collegio abitum moliri; sibique multum indè negotii esse quò illum abstinerent. Interim verò ad Jesuitas, qui Parisiis erant, perscribebant exhortantes, ne occasionem hanc ipsi negligerent; sed aliquem ex suis eò mitterent, qui Populum lucrifaceret, amoremque ac desiderium aliquod suæ Societatis ibi excitaret. Ad id ergo *P. Binetus* designatur; qui gestibus suis, theatrum potiùs, quàm suggestum condecentibus, animos Populi conciliaturus esset. Trecas hic venit, sub initium Maji mensis: primamque concionem suã habet pridie festi Ascensionis, die 11. Maji, in templo S. Magdalenæ: quam concionem vulgus, de carne salitâ, cognominare solebat. Ibi ille, objectioni cuidam civium (quòd Jesuitis apud eos nihil opus esset; quia Hugenotos apud se nullos haberent) responsurus, dicebat: *Nullos quidem Hugenotos eos habere; cùm tamen intereà civitas Atheistarum, Libertinorum, & malorum Catholicorum, plena esset. Agarem, filiumq; ejus Ismaëlem, divortium inter Abrahamum, & uxorem hujus Saram, facere instituisse, ut igitur paterfamiliâs pace in domo suâ frueretur, (quæ res typus Ecclesiæ fuerit) oportuisse ejicere ancillam, & filium ejus.* Quæ oratio ad publicam seditionem directa fuerat. Posteà semel adhuc in eodem templo, die Nativitatis Dominæ nostræ, ille concionabatur, dicens: *S. Dominicum, per somnium, vidisse Deum Patrem lumina in capite gyrare, cum vultu igneo, atq; ore præ irâ spumante.* Hæc propria ejus verba erant; quibus Auditores adeò offendebantur; ut publicè multi, plena illa blasphemiarum esse, dicerent; neq; permittendum, ut talia effunderentur. Resciens autem ille, dicterium suum de malis Catholicis, Libertinis & Atheistis, multis etiam eorum, qui Jesuitarum Societati faverent, ingratum cecidisse: errorem istum in aliâ concione corrigere voluit; cives & incolas Trecenses supra modum commendans, illisque affabrè assentans, dicendo: Se, dum vitia taxaret, eos minimè intelligere; sed Turcas, Persas, aliasque barbaras gentes.

Novę artes, Jesuitas Trecis in Campaniâ collocandi.

Die 14. Maji, in exsequiis ultimò-defuncto Regi, die videlicet illius emortuali, celebratis, concionem funebrem in Templo cathedrali, præsentibus

D.Praslino,loci Præfecto,cunctisque civitatis Ordinibus, instituit: indeque captatâ occasione, de amore,fide,& obsequio,quod Socii sui Regi & Coronæ Francicæ vovissent,dicere cœpit. Quòd verò metueret,cogitare nonnullos, ipsum æquivocationibus & effugiis ludere velle; summoperè dejerando protestatus est: *Optare se fulmine tangi, atq; in cineres redigi; nî id,quod diceret,verum esset.* insuper addens; *Societatem suam nequicquam se Regni negotiis immiscere; neq; Hispanos,sed bonos & natos Gallos esse.* Edita quidem posteà fuit funebris hæc concio: sed cavit diligenter, ne protestationes illas ac dejerationes,quas in concione ore-tenus effutiverat,illi insereret. Cùm itaque Jesuitæ istius conciones civibus in-dies magis displicerent; factum,ut, ad octavam Festi Corporis Christi,omnia Templa parochialia illi præcluderentur,ac negarentur: adeò ut Episcopus, ignarus quorsum aliò illum transferret, concionem ad S.Nicerii,exiguo ad finem Urbis Templo, ei demandaret. Ibi ille clariùs, quàm anteà,bilem suam evomuit,dicens; *Solos malos Catholicos,Atheistas & Libertinos, Jesuitis obsistere,quò minùs Trecis reciperentur: omnes alios Sacerdotes indoctos asinos esse: vixq; intra decennium,vicennium,aut etiam tricennium,exstitisse unicum,qui ritè ac decenter confessiones fecisset.* Arrogantes hujuscemodi sermones apud nonnullos suspicionem,apud alios turbas movebant;& in causâ erant, cur multi,qui adhuc, in causâ receptionis Jesuitarum,neutrales fuerant,oculos aperire cœperint, ac Societatem istam valdè periculosam ac seditiosam agnoverint. Hæcque tùm communia judicia primariorum & honoratissimorum Civium erant,ex cunctis ordinibus Civitatis.

Jesuitæ locis duntaxat primariis esse gaudent.

1. Omnibus notoriè constare, quòd Jesuitæ in cunctas præcipuas Galliæ civitates se-se insinuare molirentur: quódque jam-tùm apud Garites,Chaumontenses,Auxenses,pluraq; loca alia,per clandestinas pactiones technasq; alias, subingredi cogitarent: cúmque apud Trecenses adhuc omnes dolos, quos excogitare potuissent, pertentâssent, nunc vi rem aggrederentur, contraque incolarum voluntatem se intrudere conarentur.

Triplices homines Jesuitis addicti sunt.

2. Quòd ubivis locorum,ubi suscepti essent,non aliter, quàm assentando, aut importunè ac seditiosè agendo,fidem sibi facerent: eosque,qui ipsis addicti essent,in triplici differentiâ deprehendi. Nonnullos cauti ac meticulosi ingenii esse: qui in Jesuitarum technas non inquirant,neq; illas scrutari velint; sed eos magni faciant; quòd aliquid laude-dignum apud eos viderint. Alios, ut plebejos maximamque mulierum partem, externam tantùm speciem attendere,neque ulteriùs cogitationes suas protendere. Tertios esse illos,qui ipsi aliquid machinentur: ad quod faciliùs assequendum,Sociorum istorum operâ utantur; quorum potentia & versutia,omnis generis machinationes promovendi,ipsis perspecta est; quippè qui omnes actiones suas,Religionis prætextu,egregiè palliare nôrunt.

Jesuitę sunt seditiosi.

3. Quòd nullâ conscientiâ afficiantur, etiam turbas ac seditiones concitandi; quò suos in primariis Urbibus intrudere queant. idque cùm Trecis, tùm alibi etiam locorum, experimentis constare. Atque ut solius hujusce Provin-

Provinciæ mentio fiat; civitatem Rhemensem satis testimonii præbere posse: quomodo videlicet Jesuitæ, clandestinis technis, & contra incolarum voluntatem, in eam ingressi sint; ac nefandis, miniméque Christianis artibus ac dolis, Prioratum S. Pauli, Fratri Petro Jaboto, qui justo titulo illum possederat, è manibus extorquere sint conati. Ideóque multos, illis locis, quibus Jesuitæ resident, & qui priùs, cùm de communi tantùm famâ notos haberent, mille Coronatos pro iis suscipiendis tribuissent, nunc pro illis iterum exigendis bis-mille daturos. Quòd Jesuitæ, ut aliquo loco recipiantur, cœlum terræ misceant: id cùm in dies singulos facto ipso comprobari; tùm verò P. Cottonum clarè demonstrâsse, in catalogo quęstionum suarum, Diabolo proponendarum: in quibus, juxta alias, etiam hęc disertis verbis exstat: *Quid Pictaviensis Collegii fundationem maximè impediat? quid Ambianense Collegium impediat? quid Trecense?* Quòd si igitur in parvis rebus, quæ Societatis ipsorum haud ità multum intersunt, tàm abominandis miniméque Christianis mediis utantur; quid igitur excogitari queat, quod illi non tentent, quò apud Principes & Magnates favorem ac promotionem consequantur, & singulari eorum gratiâ perpetuò fruantur? Sed & hæc una ex præcipuis eorum technis est: quòd, cùm alicubi se insinuârint, aut aliquid violenti, cum aliorum detrimento & exitio, aggressi fuerint, (neque enim aliter emergere solent) injustas semper possessiones suas, pietatis ac religionis pallio, contegant.

4. Verum & extra omne dubium esse, quòd falsa miracula, falsosque martyres confingant: quò majorem fidem authoritatemque apud simplices mereantur. Atq; ità P. Henricum Garnetum, qui, pulverariæ conjurationis in Angliâ conscius & fautor, justo capitis supplicio affectus est, magno zelo à Societate istâ pro martyre haberi ac proclamari. Eoque cœcitatis etiam dictam Societatem prolapsam esse; ut falsum miraculum, sub abominandi proditoris ac latronis nomine, excogitârit: qui, prætextu religionis Catholicæ in Angliâ promovendæ, barbaricam prorsus diabolicamque conspirationem, cujuscemodi vix unquam animo concipi potuisset, bonam piamque esse duxerit: quæ quidem ità comparata fuerit; ut, nisi Dei singulari bonitate retecta esset, Regem ipsum & Reginam Angliæ, Principemque Walliæ, unà cum plùs-quàm millibus præcipuorum nobilissimorumque totius Regni Magnatum, præter ingentem Populi turbam, (in quibus multi tamen Catholici fuerant) miserandâ, violentâ, & subitaneâ morte peremisset. Ità ut inhumanũ illud Ethnici cujusdam dictum hîc repetitum, & effectum datum fuisset: *Pereant amici, dum simul pereant inimici!* Scopum autem, in quem falsa ista miracula & martyria directa sint, unicum esse; ut, Populo sic decepto, Novitii Jesuitarum, aliiq; homines simplices, qui se totos Patribus Societatis istius submittunt, incitentur ad aliquid, contra regimen atque vitam magnorum Principum, facto ipso moliendum; qui ab ipsis Hæretici, Hæreticorúmve amici ac fautores, habentur; h. e. qui non quidlibet ad Jesuitarum placitum facere sunt parati. In Flandrię urbe Borburgo, aliud miraculum ab iis confictum, falsóque de Puellâ

Falsa miracula & martyres confingũt.

quâdam duodecenni relatum; ac si eam ipsi, appositione nonnullarum reliquiarum institutoris sui Ignatii, persanâssent, quæ intra viginti-septem dies urinam nullam reddere valuisset. Id quod tamen, experientissimorum Medicorum testimonio, fieri prorsus nequeat. Ad summã; Apud Societatem istam, Religionem universam in externo tantùm habitu gestuque consistere: quo ipso probitas, simplicitas, veraque pietas cuncta tollatur, quæ omnibus dolis, æquivocationibus, & evasionibus mentalibus aliis, Patribus hisce valdè usitatis, est contraria; quippè ab ipsis etiam honestis Gentilibus improbatis. Ut enim Veterum quidam inquit; *Totius injustitiæ nulla fraus capitalior est; quàm eorum, qui tùm, cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni viri esse videantur.*

Utrùm Jesuitarum Scholç cum utilitate publicâ cõjunctç sint?

5. Quòd omne id, quod ex Jesuitarum receptione apud Trecenses sperari posset, præcipuè Juventutis institutionem, commodumque illud attineret; quod ad Provinciam, ex accursu quingentorum aut sexcentorum Scholasticorum, redundaturum esset: dum hi in Urbe habitantes facerent, ut frumenta & merces rectiùs divenderentur, & cum pecuniâ paratâ commutarentur. E' contrario autem, si speciosum id commodum, cum inevitabili damno, exindè consecuturo, comparetur: plures causas fore illorum rejiciendorum, quàm admittendorum. Ut enim non omnis fert omnia tellus; sic urbi Trecensi pluris esse mercimonia, quàm Scholas: adeóque opifices quinque aut sex plus certi commodi allaturos, quàm mille, aut etiam bis-mille Scholares; si maximè pro tot illorum satis spatii in Urbe foret. Quin quòd inter Juventutem scholasticam, & opifices manuarios, multæ lites contentionesque obor iturae essent: ut quibus, cum hominibus manu promtis, haud facilè conventurum esset. Prætereà, cùm Urbi, quippè ex meris lignis constructæ, ab incendio periculum sit: multa etiam incommoda, per Scholasticorum incuriam, exoritura. Ad-hæc, quia Provincia non admodùm frugifera sit; Scholasticos quoque rerum, ad annonam & habitationem pertinentium, caritatem causaturos: unde opifices manuarii occasione arreptâ, ad alia loca, ubi viliùs mercari, victumque cum domo faciliùs comparare liceret, concessuri essent; sicq; mercimonia, in quibus potiores civitatis divitiæ positæ, sisti; Urbemq; ipsam ad extremam paupertatem, aut magnum certè defectum, redigi posse. Quò accedat, quòd illi, qui re lautâ sunt, filios suos Lutetiam, aut ad alias celebres Universitates, emittere malint; ubi civilitatem morum, rerumque civilium experientiam aliquam sibi comparent: quàm ut semper illos domi secum retineant. Qui ergo Scholastici in Urbe mansuri essent, pauperum hominum liberos futuros: à quibus Provinciæ gravamina plura; honoris autem sive commodi parum, exspectandum foret.

Jesuitç passim reformare volunt.

6. Si verum sit, quod Jesuitæ prætendunt; potissimum ipsorum scopum esse, ut Hugenotis se-se objiciant: Civitatem jam priùs non solùm propriorum suorum Pastorum, sed etiam Franciscanorum ac Dominicanorum Monachorum operâ, ab eis liberam esse. Quibus Religiosis, utì & Capuchinis, si necessaria, utì hactenus, porrò etiam sufficiantur: hoc-ipso illos, ut in so-

litis

litis suis exercitiis pergant, obligatum; eoque medio claustra illorum conservatum iri. id quod multò sit facilius & æquius, quàm ut Jesuitæ introducantur; qui parvo minimè contenti vivant. Multùm præterea alucinari eos, qui putent, Jesuitas, si in urbem Trecensem intromittantur, certum constantemq; Concionatoré daturos; aut extra Urbem per pagos Populum instituturos: uti Mendicantes Monachi semper fecerint, & adhuc faciant; Provinciæque, in prioribus bellis, caussâ religionis exortis, de sex aut septem præclaris Doctoribus & Concionatoribus prospexerint. Contrà unicuivis constare, quòd Jesuitæ ex omnibus Galliæ Provinciis, ubi resideant, vix tres aut quatuor bonos Concionatores sufficere possint, ad dignitatem suam Parisiis & alibi conservandam: ut quibus duntaxat in commodum suum utantur, ad authoritatem Societatis suæ augendam confirmandamque. Summa: Franciscanos ac Dominicanos, qui tantis bonis Provinciam affecerint, Jesuitarum caussâ minimè pessundandos; qui id agant, ut alios Religiosos suis artibus extrudant, eorumque bona prædentur.

Paueo contenti non vivunt.

Concionatores habēt non usqueadeò insignes.

7. Tot Jesuitarũ Collegia, quæ in primariis Galliæ urbibus illi excitârint, haudquaquam in Regni commodum; sed eò tantùm facere, ut suam Societatem extollant & magnificent, seque adeò roborent; ut quivis alius ab ipsis metuere debeat; nemoque ipsorum conatibus obviare, aut contrariari ausit. Cui fini passim locorum, ubi pedem figant, regimen formamque Politiæ commutare studeant: quod Civitati longè periculosius accidat, quàm si propugnaculum in eâ exædificari permittatur. An non enim hoc unum è præcipuis ipsorum artificiis est; quòd Catholicos clanculùm ab-invicem separent, discordiasque inter eos excitent: quò minùs, durante hujusmodi divortio ac dissensione, ipsorum negotia atque technæ observentur? Quin tunc illi plurimùm dominantur, quum turbæ sunt atque discordiæ; è quibus Societas eorum ortum suum & originem traxit. Ad quod aliud adhuc artificium consequitur: ut nullus ipsis bonus Catholicus habeatur, nisi qui Societati eorum fidem dederit. Qui verò Societatis voluntati, ac sententiæ, non cum omni veneratione assentiuntur; hi certò secum colligant, quòd ceu Atheistæ, Libertini, mali Catholici, Hæretici, Hæreticorúmve amici & fautores, sint traducendi, omniumque odiis exponendi. Experta est Germania operationem technarum istarum; neque sinè horrore fando id explicari potest: ut taceatur jam plùs quàm tertiam Germanorum partem ad defectionem adductam esse; ità ut hodie apud illos vix ulli Catholici inveniantur, quàm qui Jesuitis se totos nuncupârint, Hispanoque fidem & gratiam jurârint. Quo horrendo ac miserando exemplo, Galli meritò sapere deberent: quibus idem omninò eventurum est, nî machinationibus ac sectis Societatis istius obviàm eant, easque retundant. Et quoniam Jesuitæ omnes actiones suas specie pietatis tegunt: multò illi Hugenotis periculosiores exsistunt; à quibus, ut primùm monstrantur & innotescunt, facilè quis sibi cavere potest.

Ad quid Jesuitarum Collegia conducāt?

Jesuitæ per discordias atq; turbas dominãtur.

Jesuitis bonus Catholicus nõ est; nisi sectæ ipsorum addictus.

Technarũ Jesuiticarum operatio per Germaniam.

8. Quòd per pacem Galliæ, ab Henrico Magno procuratam, Civitas Trecensis

censis bono ac tranquillo statu se esse sentiat, & ab omni distractione & sectis libera sit. Sin autem Jesuitæ in illam ingrediantur; procul dubio vetera dissidia, odia & inimicitias, quæ per Ligam excitatæ, & per pacem suppressæ fuerunt, resuscitaturos. Unde periculosæ duæ factiones exstituræ essent: una Jesuitarum & asseclarum ipsorum; qui boni ac zelosi Catholici ab eis appellarentur: altera Atheistarum, Sectariorum, Politicorum, Libertinorum & malorum Catholicorum; uti eos P. Binetus in concionibus suis cognominavit, sententiamque contra eos pronuntiavit: *Ejice ancillam, & filium illius.* Ex quo facile sit colligere, quorsum Jesuitæ tendant: quoniam tàm apertè jam se declarârint; omnesq;, quos possunt ad se per practicas istas attrahant & alliciant; occulta interim conventicula agant, aliquosque è numero fidorum suorum emittant: qui domatim animos civium & incolarum expiscentur; iisque persuadeant, ut subscriptione suâ, quòd Jesuitas appetant, contestentur. quoniam etiam ejusmodi mediatoribus utantur; qui præ aliis, in postremis illis motibus, per turbas & seditiones, se insignes reddiderunt. denique, quoniam eadem media, in civitatem perveniendi, reassumant; quorum usus antehàc, tempore institutæ ac subscriptæ Ligæ, solennis fuerit.

Jesuitæ, ubicunque sunt, sectas atq; turbas dant.

9. Quàm-primùm anchoram suam in loco aliquo jecerint Jesuitæ; mox velle regimen illius in suâ potestate esse. quod ut clanculùm, ac citra malevolentiam, consequantur, Confessione illos abuti; nemine advertente, factiones inter Populum excitare; semperque malum suum propositum specie Religionis obtegere: quasi qui illi essent, qui se Hæreticis, Libertinis, malisque Catholicis, opponere deberent. quo ipso sensim, in quavis Civitate, inquisitionem invehant, Hispanicâ multò periculosiorem; quæ non nisi privatis nonnullis hominibus periculum creat. Processum Jesuiticum ad universalem rebellionem tendere: quò ipsi, cum tempore, politicum regimen pro suo sensu ac placito constituant. Quod iis probè notandum, qui magistratu defunguntur. Quòd si qui technas & practicas eorum, quas cognitas habent, approbare nolint: statim prædictis malis cognominibus notari; quàmvis sint aliàs viri honestissimi, probissimi, optimique Catholici. non aliter, quàm si Jesuitarum actiones, norma veritatis, aut fidei articulus, essent: neque ulli, vel minimum illis contradicere, aut damnabilibus horribilibusq; practicis eorum se-se opponere liceret! Hocque postremum, constituere supremum gradum technarum, ac versutiarum ipsorum. Quando namque alicui infamem ejuscemodi titulum, Libertini, Atheistæ, Hæretici, aut Hæreticorum fautoris, affricuerint: facilè postmodùm eidem omnem authoritatem atque fidem abrogare, apud fideles suos, illosque, qui, ob parvum intellectum ac simplicitatem suam, pro oraculo habent, quod semel ipsis fuerit instillatum.

Regimina politica in suâ potestate esse volunt:

10. Quòd sub eodem prætextu, divinæ gloriæ promovendæ, non modò se negotiis Regni ingerant; sed etiam secreta cuncta cujusque familiæ, & quæ nonnunquam inter conjuges ipsos fiant, cognoscere velint. Præterea, matrimonia contrahant inter Liberos, contra Parentum ipsorum voluntatem: testari,

Etiam secreta privatarũ familiarũ cognoscere.

testari id valentibus multis, per Flandriam, Italiam, atque Germaniam, peregrinatis. Quorum etiam exemplorum nimiùm jam multa in Galliis exstent: nec minùs etiam primogenitorum atque unigenarum filiorum, quos Parentibus illi subducant, quò bona eorum ad se transferre, præsidioque & favore frui queant. Quæ causa fuerit, cur in Hispaniâ, ad Constitutiones suas immutandas, adigi debuerint: quò primores sive majores familiæ alicujus ab ipsis tuti esse possent.

11. Quantum ad Doctrinam eorum; valdè illam nocivam ac seditiosam esse. Et quoniam à solo Papâ illi dependeant: quò magìs etiam hic eis indulgeat; nimiam quantam potestatem eos ipsi transscribere, supra secularia quoque Christianorum Regum ac Principum, & consequenter etiam supra vitam ipsorum, se-se extendentem. Docere siquidem; Papæ potestatem esse, Reges deponendi; Subditosque à fide, quam illis naturaliter debeant, absolvendi. Ex quo porrò sequatur, Regem aut Principem, à Papâ excommunicatũ, jure ac licitè interimi posse. Quocirca, justis, æquis, gravissimisq; de causis, Parlamentum Parisiense, librum Marianæ Jesuitæ fecisse concremari; alterumque Bellarmini Cardinalis, contra Barclajum scriptum, prohibuisse: in quo ille, omni artificio adhibito, abominandam doctrinam hanc, per varias sophisticationes, obtinere sit conatus; omnibusque audacibus ac insanis hominibus ansam subministrârit, miserabili & maledicto exemplo Clementis Monachi, Ravaillaci, aliorumque similium, qui ad-instar pestilentiæ alicujus per civitatem grassantis sunt, insistendi. Jesuitarum doctrina nociva & seditiosa.

12. Denique etiam communiter dici, Civitatis cujusque salutem & commodum ex pace, concordiâ, bonâque fide Incolarum, dependére; atque, per pacem, pietatem ac honestos mores conservari, omniaque bona & commoda abundanter inferri; uti ex contrario, per dissensionem ac discordiam, omnigenas confusiones, seditiones, atque miserias, creari: idque ex cruentis ac dolendis signis, quæ Liga per civitatem post se reliquisset, gravissimoque ære alieno, quo illa adhuc prematur, animadverti posse. Pacē proinde atq; concordiam scopum esse debere, ad quem unusquisque, tàm publicè, quàm privatim, contendat: eosque pro juratis hostibus habendos, qui cives ad discordiam concitarent, sub quocunq; id prætextu fiat; aut etiam qui novationes rerum, hac præsertim minorenni Regis ætate, invehere studerent. Jesuitis verò semel in urbe Trecensi receptis, quemq; armis suis instructum esse oportere: præsertim cùm Populus illìc per se ad seditionem propendeat; jamq; aliqui ipsis addictorum publicè in ea verba proruperint: ad decem-millia eorum præstò fore, qui vitæ discrimen, pro Jesuitarum introductione, subire sint parati. Cui proin Patriæ suæ tranquillitas, fidesque Regi debita, cordi sit; eum se introductioni illi, quam Episcopus, cum Præside Angenustio, nimiùm calidè urgerent, omnibus viribus opponere debere. Istos enim, quippe in Provinciâ non natos, sed post extrema bella demùm ibi residere incipientes, non tàm benè de negotii gravitate conditioneque judicare posse; atque illos, qui naturali Ubi pax & concordia; ibi nullus debet adesse Jesuita.

charitate Patriæ suæ obstricti essent; magnamque illam miseriam & calamitatem, quam durante Ligâ sustinuerunt, recenti adhuc memoriâ tenerent.

Atque istæ hactenus enumeratæ rationes, à multis primariis optiméq; meritis Viris, tàm Clericis, quàm Senatoribus ac Civibus, in medium collatæ, tantæ fuerunt efficaciæ: ut præcipui gravissimique Civium atque Incolarum Trecensium concluserint, Jesuitarum introductioni se-se opponere; neque permittere, ut M. Jacobus Nivelleus ex toto Rectoratu suo in Collegio dimittatur: eò quòd is hoc-ipso id ageret, ut technas Jesuitarum tegeret ac suffulciret.

Ad diem itaque tertium Junii, Conventus publicus in aulâ Episcopali fuit institutus: in quo Deputati omnium Ordinum civitatis, singulari cum plenipotentiâ, comparuêre, ad novum Rectorem, in locum Nivellei, eligendum. Singulis autem loco suo considere volentibus; ecce, nuntius celer, ad id peculiariter destinatus, intromittitur: qui literas à Reginâ se habere dicebat. Roganteque Episcopo, num illæ Jesuitarum receptionem attinerent? se ità existimare, respondit: literas verò Domino Praslino inscriptas esse. Ibi Episcopus cum Præside, consultum sibi videri, dicebant, ut Conventus in aliud tempus differatur; donec certum evaderet, quæ Reginæ de eâ re voluntas sententiaq; esset. Deputati contrà, citra ulteriorem moram, negotium promoveri petebant. Rursum Episcopus præsentes Dominos in universum rogare: ut aliquem Rectorem proponerent eligendum; siquidem M. Nivelleus officio suo ampliùs adesse nollet. Deputati nomine Capituli S. Petri, gratiis Nivelleo actis, M. Antonium Drovotum, ex civitate oriundum, nominant. Præses, tametsi mane illo in Camerâ Præsidentiæ dixisset, Nivelleum à se persuaderi non potuisse, ut officio suo diutiùs fungeretur; eum nihilominùs de novo proponit. Febureus Præfectus, ejusdem erat sententiæ: quòd si tamen Nivelleus manere nollet, Drovotum proponebat. Deputati à Capitulo S. Stephani, in mandatis sibi datum ajebant, ut Drovotum eligerent. Hennequinus Decanus, hanc quidem conditionem (si Nivelleus, ut maneret, persuaderi non posset) sibi non improbari, inquiebat: sibi tamen, ac socio suo mandatum, Drovotum simpliciter & absque ullâ conditione proponere. Trutatus, Consiliarius Cameræ Præsidentiæ, gratiis Nivelleo pro laboribus ejus actis, exponebat primùm, officium ipsius, quo adhuc Rector in Collegio functus esset, ad proximum Remigii festum exspirare: deindè, tria ipsum officia in Ecclesiâ Trecensi obire, Doctoris Theologi, Confessarii, & Archidiaconi; quorum unumquodque uni soli satis negotii facesseret, qui Dei gloriam, & Ecclesiæ ministeriũ, sibi curæ haberet. quantúmvis igitur Nivelleus, homo diligens ac laboriosus, Rectoratu, juxtà cum cæteris officiis, defungi posset ac vellet: Deputatos tamen prudenter, & per conscientiam suam, cogitare debere; utrùm is ab eo, quod sibi, ut Confessario ac Theologo, quotidie in Ecclesiâ obeundum incumberet, abstrahi deberet: præsertim cùm Rectori cum officio suo satis negotii sit. Se proinde, Dominorum Consiliariorum nomine, votum

suum

ſuum in Drovotum conferre. Prætor & Scabini diſertis verbis profitebantur; ſe Nivelleum non ampliùs expetere; tempus officii ipſius exſpiràſſe: Drovotum ſe deſiderare.

Dum electio iſta ſic agitur, Dionyſius Latrecejus, Paſtor ad S. Magdalenæ, & S. Petri Canonicus, intervenit; &, quámvis non deputatus, nec requiſitus, coram Conventu apparens, nomine Paſtorum Urbis, quaſi ab illis miſſus, in medium proponit; Omninò conſultius eſſe, ut perpetuus Rector pro Collegio eligeretur; quàm ſi tales aſſumantur, quibus id officii ad certum duntaxat tempus delegetur: Jeſuitas, quibus jam conſtaret, unde ſuſtentationem ſuam, citra gravamen Civitatis, repeterent, onus atque laborem illum libenter in ſe ſuſcepturos: Paſtores omnes ſub Epiſcopatu eo indoctos; Jeſuitas contrà benè-doctos, atque idoneos eſſe, ad Populum erudiendum. Ad quæ Febureus Præfectus ex Latrecejo quærit; Num ejuſce rei à Jeſuitis mandatum accepiſſet? Eo id negante; D. Trutatus, temerarium hoc factum eſſe, ait, quòd ſinè mandato iſta proferret: nec Jeſuitas ipſos id æqui conſulturos, ſi operam ſuam minimè deſiderari intelligerent. Poſteà ad Epiſcopum converſus, (cum quo tamen Latrecejus ex compoſito agebat,) ut diligenter notaret, rogabat; quòd, quæ Paſtor ad S. Magdalenæ, de ruditate omnium Paſtorum ſub Epiſcopatu ipſius dixiſſet, in ipſummet dicta eſſent: cujus officii ſit, illos erudire. & Latrecejum quidem, tanquam Theologiæ Doctorem, ſibi-ipſi hac in parte injuriam feciſſe; dum eodem numero ſe quoque cenſuiſſet, Jeſuitarum duntaxat tantò magìs commendandorum & extollendorum cauſsâ. Epiſcopus, Deo in teſtem advocato, nihil ſe in officii ſui diligentiâ omiſſurum, reſpondebat. Poſt quæ Præſes ad Conventum dicebat; Certò ſibi conſtare, Reginæ voluntatem ac juſſum id ferre, ut Jeſuitæ recipiantur: eamque in Parlamento ſuo dixiſſe, Omnes eos, qui Jeſuitas cædis ultimò-defuncti Regis inſimularent, cuſtodiæ mancipandos; donec culpam illam de ipſis demonſtràſſent. Trutatus, hanc Reginæ declarationem nondum promulgatam eſſe, reſpondit: ſecundùm jura autem communia, de rebus, quæ non eſſent, & quæ non apparerent, idem judicari debere. Præſes replicando ait; Trutatum nunc ſuam de eâ re relationem inaudiiſſe. Hic reſpondet; ſe nullam ipſius in hoc negotio relationem expetere; ut qui nimiùm ſuſpectus & partialis in eo verſaretur: mandatumq; Reginæ, de Jeſuitarum receptione, de quo ille diceret, nullum adhuc prolatum eſſe. quòd ſi tamen etiam factum eſſet; Reginæ adhuc ſuper eo ſupplicatum ac deprecatum iri. ſin & eo facto nihil impetraretur; tunc futurum neceſſariò, quod facto opus eſſet. Adhæc Domini Deputati unanimiter, non quæſtionem eſſe, dicebant, Utrùm Jeſuitæ admittendi, aut excludendi eſſent? ſed, Quiſnam in locum Nivellei, cujus tempus jam exſpiràſſet, Rector Collegii ſubſtituendus? Abrahamum Drovotum electum eſſe, conſentientibus votis: id ſolum ſupereſſe, ut actus iſte concludatur. rogare proin Epiſcopum, tanquam Congregationis caput, ipſe ut id faceret. Hìc Epiſcopus, excogitatâ novâ concludendi formulâ, ità infit; *Cognito, in hac causâ, & Regi debitum officium,*

& commune commodum agi; denominatione Drovoti nos-ipsos non ampliùs morari volumus; sed deliberationem istam, ad proximum S. Barnabæ festum usque, ampliavimus, universos Dominos tunc ad eam revocaturi. Interèà temporis Nivelleo in mandatis dedimus, pergeret ille in officio suo principali, eoq; sicuti huc-usque, defungeretur; officia illius, tàm communi Civitati, quàm nobis singulariter oblata, simul grata nobis habentes. Quæ artificiosa & elegans conclusio, apud totam Congregationem, partim risum, partim indignationem, commovit: mirantibus cunctis, Episcopum ità suis affectibus excœcatum, in communi causâ, ad suum duntaxat commodum respicere; nimiamque affectionem suam erga Jesuitas, totius Congregationis judicio, anteferre ausum; Incolas, cum universis ordinibus Civitatis, naturali suâ libertate jureque electionis destituere velle; quæ ipsis, in causâ ad se peculiariter pertinente, & in quâ Episcopi pro se-ipso, ac sinè totius Civitatis consensu, partes statuendi nullæ essent, meritò competeret.

Vix solutus erat Conventus iste, cùm Episcopus cum Præside, relationem, pro suo placito scriptis comprehensam, per Latrecejum, ad Reginam, Fontebellaquæum mittunt; Incolas atque Cives Trecenses magno Jesuitarum desiderio teneri, dictitantes: submisséq; petentes, faceret Majestas illius universam Civitatem convocari; auditisque votis per singulas opificum tribus, aliquando tandem certi aliquid in negotio isto concludi. Relatio hæc tàm citò expediebatur; ut Latrecejus, eodem illo tertio Junii die adhuc, cum imâ nocte proficisceretur; ad præveniendum eos, qui fortean Civitatis nomine mittendi erant. id quod etiam factum est. Nicolaus namque Guichardus, Consiliarius Præsidentiæ & Scabinus Urbis, ad hoc deputatus erat; ut veram relationem eorum, quæ in Congregatione illâ contigissent, ad Aulam regiam perferret. Qui cùm, post Latrecejum, Fontebellaquæum advenit; omnia jam in Aulâ, ad Jesuitarum in urbe Trecensi introductionem, inclinare comperit: adeò ut etiam à primario quodam, & summæ in Regno authoritatis Viro, ex ipso quæreretur; *Cúrnam bonos illos Socios non admittere vellent; qui tamen Civitati ipsorum magnum commodum allaturi, Liberos ipsorum instituturi, semperq; in Provinciâ mansuri essent?* Guichardus, mandato suo apud Reginam defunctus, & ab illâ iterum secedens, in P. Cottonum incidit, eique dixit: *Valdè mirum videri, quòd Socii ipsius, contra Civium voluntatem, in urbem Trecensem recipi peterent. perinde namque id esse, ac si privatus quispiam se in alterius domum, contra istius voluntatem, ingerere vellet: id quod cum Euangelii doctrinâ minimè congrueret.* Cui Cottonus respondit: *Ipsummet Guichardum illum solum esse, qui Jesuitis obstaculo esset, quò minùs Trecas pervenire possent; eumq; Diaboli insignia in fronte suâ gestare.* Hæc nempe pudica, & Clericum de Societate Jesu condecentia verba ipsius erant. Latrecejus ex Aulâ dimissus, omnem, quam poterat, operam impendit, ut ante S. Barnabę festum Trecas rediret; ac Opificum tribus, Jesuitarum caussâ, congregari faceret. Atque observatum est, quòd, quemadmodum Latreceji pater, ad diem 11. Junii, anno 1588. Urbem eam Ligæ prodiderat; Cardinalem Guisium, per portam quandam, ad quam ipse tanquam Capitaneus dispositus fuerat,

fuerat, intromittendo; sic filius iste illius, eodem die 11. Junii, anno 1611. urbem Jesuitis tradere voluerit: dum versuto consilio id egit, ut de plebe vulgus, ad Jesuitas per tumultum ac seditionem introducendos, in unum cogeretur.

Episcopus cum Præside certam spem conceperant, fore, ut ad S. Barnabæ diem, in plenâ Congregatione, de receptione Jesuitarum concludatur: eamq; ad rem perficiendam omnis generis præparatoria, miraque machinamenta, jam instituerant. Ipso igitur S. Barnabæ die, quo novi Prætores & Scabini creari solent, Præses maturè admodùm in dicto loco comparet; animo Prætores cum Scabinis cogendi, ut, civitate nondum plenè congregatâ, Jesuitarum negotium tractandum sumerent. Cui fini literas quasdam ostentabat, quas Latrecejus Fontebellaquæo attulisset. Prætor se-se excusans dicebat; In schedis, quæ ad Opificum tribus missæ essent, negotii Jesuitici nullam mentionem factam fuisse: ideóque, istâ quidem vice, de illo tractari nihil posse. Civitate jam congregatâ, sub ipsum actionis initium, Præses orationem instituit; quâ principiò statim, absque ullâ causę specie, in Prætorem invehebatur, (id quod omnibus audientibus valdè displicebat.) deinde verò zelum suum commendabat, in gloriâ & cultu Dei propagando; quo tantum laboris sibi sumsisset, in Capuchinis ad eos introducendis. nihil ampliùs nunc restare, quàm ut nomen JESU ibi etiam plantaretur. & ad id faciendum, se totam eam Congregationem, ex intimis animi penetralibus, exhortari; ut id (quod facturam speraret) curæ cordique sibi esse sineret.

Qui præcipui & maximâ authoritate inter Cives erant, mirabantur; Præsidem, antehàc Jesuitis valdè adversarium & infestum, eorum causam nunc tantâ cum contentione, ac supra modum, agere; adeò ut, vulgi more, (in quo nihil moderati est) ex unâ immoderatione in aliam se præcipitaret; qui meritò, in hoc & alio negotio, eum modùm tenere deberet, quem jura à talis statûs Viro expostulant. Multi existimabant, (quia Prætor cum Scabinis ante id temporis causas exhibuissent, quibus ille officio movēdus videretur,) eum de mediis cogitare, quibus se, ante discessum suum, de Civitate illâ vindicaret: ideóque Jesuitas civibus imponere velle; per quos discordias inter ipsos sereret, eosque inter se-se committeret. Nonnulli certò se comperisse ajunt, ad quingentos Coronatos Pestoleros, intercessione Nivellei, dono oblatos ei fuisse; quibus in Jesuitarum partes pertraheretur. Prout etiam Dominus Episcopus tàm grati animi erat, ut passim plurima Jesuitarum in se collata beneficia deprædicaret; ideóque diceret: *Quicunq; etiam eventus foret, se tamen non desiturum, Jesuitarum causam agere; quibus nempè tantoperè obligatus esset.*

Ordines cuncti civitatis, & præcipui Incolæ illius, cognito eo, quod Fontebellaquæi gestum esset; Reginæque falsò persuasum fuisse, quasi à Trecensibus Jesuitæ expeterentur; ad diem 16. Junii, publicum Conventum egerunt: in quo conclusum fuit, de instrumento publico conficiendo; quo retractaretur ac revocaretur, quicquid egissent illi, qui sinè mandato ac potestate, omnibusque adeò Civitatis ordinibus insciis, pro Jesuitis intercedere ausi fuissent:

deque instrumento illo Fontebellaquæum mittendo,&,sicubi opus esset,exhibendo; de Reginâ item certiore faciendâ,concionum seditiosarum P.Bineti,technarumque clandestinarum; quibus ipse,cum nonnullis sibi addictis, Incolas civitatis ad se pertrahere conarentur,processum nimirum istum cunctis magnoperè displicere,ac tumultum exindè metuendum esse. Quo fine aliqui, tàm Cleri, quàm Senatûs ac Civitatis nomine,ad id negotium deputati delectique fuerunt. His igitur adventantibus, Dux Niversius, Campaniæ Gubernator,id honoris detulit; ut eos ad Reginam adduceret. Dominus Vestierius,Decanus ad S.Petrum,dux sermonis erat, in hanc sententiam: *Universos Cives Trecenses nihil petere,aut petitum cupere,nisi quod Majestati regiæ placitum foret: quæ si subjectissimis suis precibus ac supplicationibus locum dare velit,rogare se quàm-humilimè,ut obtrudendis sibi Jesuitis parcatur; quòd non modò Trecensium nemo illos expeteret; verùm etiam Regis, totiusq; Civitatis,plurimum interesset,ne illi ibidem reciperentur. Quòd si etiam Majestati ipsius, privatorum quorundam relatione, obrepsisset,quasi cives Trecenses Jesuitarum desiderio tenerentur: factum id dolosè,citra totius Civitatis ac membrorum illius,scitum atque voluntatem,à quibus ipse,juxtà cum hisce præsentibus,delegati essent,ad Majestati ipsius humilimè supplicandum,eiq; submississimè significandum; quòd animi civium ad receptionem illam nullatenus inclinarent.* His Regina respondit: *Non ità se sentire,ut Jesuitæ, invitis Civibus, introducantur.* Pater Cottonus ipse præsens huic actioni intererat; sed quomodo egregiè dissimulare novit; sic tùm temporis nihil movebat,tempus loquendi jam non esse cogitans: ne fortè scandalosæ Bineti conciones,cum practicis,quibus Jesuitæ in urbem Trecensem immitti deberent, penitiùs Reginæ innotescerent.

Quàm-primùm Deputati illi Trecensium, versùs Fontebellaquæum,profecti essent; Episcopus illos insequebatur; unoque die viginti milliaria emetiebatur,quò illos anteverteret. Quæ quidem insolens celeritas ipsi tàm opportunè cessit: ut coràm Deputatorum illorum petitum, & Reginæ ad illud responsionem, auribus exciperet; quantúmvis non sinè tædio ac molestiâ: quòd videret,fraudem falsamque persuasionem,quâ priùs ipse, cum P.Cottono,Reginam circumvenisset, sic manifestatum iri. Responsione autem illâ à Reginâ Deputatis datâ,Episcopus & Cottonus deliberationem,quid eam ad rem facto opus esset, instituunt; ac de sequentibus mediis inter se conveniunt. Primùm,Trecis spargendum esse,Deputatos Civitatis per neminem alium,quàm Hugenotum aliquem,ad Reginam adduci potuisse. Secundò, causam,de Jesuitarum introductione,non amissam; sed in aliud tantùm tempus dilatam esse. Tertiò,P.Cottonum simulare debere, ex singulari erga S.Bernhardum devotione, peregrinationem, intra paucos dies, Clarevallum versùs,suscepturum: quo in itinere per Trecas iret; ibique in S.Petri festo,ad 29.Junii,quo encænia Trecis celebrantur,concionaretur; animumque illis, qui à partibus suis essent,denuò inspiraret. Id ità conclusum,& factum est.

Episcopus,domum reversus,ad Præsidem venit; eique de suo & Cottoni con-

consilio renuntiat. Præses mox Notarium accersit, Matthæum Sotum nomine, (qui, durante Ligâ, aliorum furiosorum turbatorum antesignanum præbuerat) & ad eum inquit: *Amice Domine Sote, non ampliùs jam tempus est silendi, ac dißimulandi: Dei gloria & Religio agitur. Abi igitur, & in Audientiâ confidenter affirma, egregios illos Deputatos neminem alium reperire potuisse, per quem ad Reginam adducerentur, quàm miserum Hugenotum: neq; id responsi eos retulisse, quod desiderârint.* Sotus iste jussum diligenter exsequitur, ac die Veneris, 24. Junii, in Audientiam venit: ubi clarâ & immodestâ voce, quod in mandato habebat, proclamat; hac insuper appendice additâ: *Eos, qui Jesuitas in Urbe ferre nollent, Atheïstas, Libertinos, & Hugenotorum falcones esse: pluresq;, quàm decies-mille Viros, in Urbe reperiri; qui vitæ discrimen, pro Jesuitarum immißione, subituri essent.* Postridie, qui 25. Junii erat, ad locum illum, ubi pridie fuerat, redit, eosdemque sermones repetit. Cúmque in Trutatum, Præsidentiæ Consiliarium, incideret, his verbis illum aggreditur: *Constare sibi, quòd in causâ capitali testimonia contra se conquireret: ne proin ampliùs se-ipsum fatigaret: vitam suam cum Trutati æquivalere.* Respondebat iste: *Valdè inconsideratè ipsum loqui, eos, qui Jesuitas in Urbe ferre nollent, Hugenotorum falcones dicendo; & quòd Trecensium Deputati neminem alium reperire potuerint, præter miserum Hugenotum, qui ipsos ad Reginam adduceret: ipsumq; dicta hæc luiturum.* Sotus contrà: se id semel dixisse; & libenter etiam facturum esse. Die Lunæ, qui erat 27. illius mensis, Sotus in immodestiâ suâ continuabat, Præsidis authoritate confisus; & ad Dominum Pithoum, Prætorem urbis, adiens, planè impudenter eadem verba illa repetebat, quæ bis jam in Audientiâ effutiverat.

Notarium istum Sotum alii quidam ipsius similes imitabantur, sibique omnia licere arbitrabantur; in-primis ob Cottoni præsentiam, qui Trecas jam advenerat: incipientes & ipsi de Deputatis, qui iter Fontebellaquæum fecerant, contumeliosè loqui, eos calumniari; & singulis privatim loqui, quæ Sotus publicè dixisset. Unus horum inventus est, qui palmam in eo cæteris præripere nitebatur: *Arma corripienda*, inquiens, *pro Jesuitis introducendis: scire se, utì gladius vibrandus esset.* Isti igitur malo ut tempestivè obviàm iretur, periculumque, quod ex ejuscemodi furiosis actionibus exsisteret, præcaveretur: eodem illo die 27. Junii, Prætor, Scabini, & alii quidam veterum Officialium Civitatis, in aulâ Episcopali convenerunt, ibique concluserunt; Peculiarem actionem adversùs Sotum instituendam, & judicio contra ipsum, ob insolentem istam vesaniam exercitam, experiendum esse. Quia verò ille Præside fretus, multis locis, priùs quàm turbas istas moveret, dixisset, Bono se patrono illo usurum: prudenter Congregatio illa decernebat, Præsidem adeundum, &, quid conclusum esset, ei significandum; petendo simul, ut pro eâ authoritate, quâ, virtutum & meritorum suorum nomine, apud cives Trecenses polleret, gliscentes illos per Civitatem motus componi, animosque distractos ad bonam sinceramque concordiam redigi faceret. Hoc fine Pithous Prætor, cum sex Scabinis, aliisq; nonnullis Officialibus Civitatis, ad Præsidem se contulerunt,

lerunt, causas adventûs sui eidem exponentes; scriptoque exhibentes delicta, quæ à Matthæo Soto illo admissa essent. Prætore finem dicendi faciente, respondit Præses: *Se, audito etiam Soto, quid è re futurum esset, dispecturum: Judicium unicuiq; liberum patére.* Atque ut indicium faceret, quàm ægrè ferret, Jesuitas à Civibus recipi nolle; post alia subjiciebat: *Ad decem-millia Trecis esse, qui illorum præsentiam desiderarent; solos contrà quindecim aut sedecim Libertinos: quibus nihilominùs invitis eos introducendos. Quòd si ipse apud Aulam fuisset; facilè ora illis obturaturum fuisse, qui Civitatis nomine illûc profecti essent. Optare, sibi quartâ sanguinis sui parte constare, si ibi fuisset, ad calumnias Reginæ propositas retundendas.* cum aliis adhuc contumeliosis dictis, pro amicâ gratiarum-actione; quòd illi honore isto, eum domi suæ conveniendi, dignati essent.

Cottonus Trecis turbas ciet.

Pater Cottonus, cùm dicto tempore Trecas venisset, die Mercurii, 29. Junii, qui S. Petro festus erat, in Templo cathedrali concionem habuit: iterumque sequente die dominicâ, 3. Julii, in Templo ad S. Magdalenam. Præsentia Jesuitæ istius his, qui pari cum Soto affectu ac sensu essent, tantum animi addidit; ut à multis parum abfuerit, quin ad arma concurrissent, turbasque publicè dedissent. Multi boni & honesti Viri ex civibus, magno periculo, quod ex seditione Civitati immineret, perspecto, apud se-ipsos ingemiscebant; nec committere poterát, quin Episcopi ac Præsidis processum vituperarent: quòd ipsi, qui pacem propagare deberent, discordias atq; seditiones cierent; quò sic, per turbam ac tumultum, Jesuitis ingressum in Urbem pararét. Ut ergo Civitati, à seditionis & armorum periculo imminente, securitas præstaretur: Prætor & Scabini ad Dominum Praslinum, Campaniæ tùm Gubernatorem, refugiũ sibi sumserunt. Hic statim eò profectus, præsentiâ ac prudentiâ suâ, cuncta iterum pacata tranquillaque præstitit: utì id ex tenore literarum sequentium, quas Regina ad ipsum, super relatione ejus de itinere Trecensi, dedit, cognoscere licet.

Domine Prasline: Cognito, quibus de causis Trecas profectus esses, quamq; diligentiam adhibuisses, turbis illis, quæ illîc loci, ob dissidia & animorum exacerbationes, inter Cives exorituræ videbantur, sedandis; (id quod etiam feliciter cesserit:) his literis tibi significandum duximus, eo facto, Regi filio meo, mihiq;, gratissimum officium abs te præstitum fuisse; quod non minùs cum singulari nostro beneplacito, quàm Urbis illius tranquillitate, sit conjunctum. Equidem constitueramus, Episcopo ac Præsidi ibidem per te mandare, quò modestiùs paulò deinceps, quàm adhuc fecissent, illîc agerent, suoq; zelo moderarentur; literasq; ad eos propterea directas tibi transmittere. Verùm, quia P. Cottonus summoperè nobis promisit, fore, ut in-posterum rectè, & ad placitum nostrum, se-se gerant; eoq; minùs opus esse, ad illos literas dare: facere id intermisimus. Non tamen inconsultum quoque duximus, illis, oblatâ occasione, per te significari, quæ nostra sententia esset, quidq; cùm dignitas ipsorum & officii administratio, tùm etiam pacis & concordiæ in dictâ civitate conservatio, postularet: quam tibi semper benè-commendatam esse cupimus. Conclusum namq; nobis est, in omni casu, adeóq; etiam præsente isto, id præcipuè agere & curare; ut pax stabiliatur. Neq; verò sententia nostra erat, Jesuitas Trecis alia conditione

tione

tione, quàm ad petitionem & instantiam, nomine Civium & Incolarum ibidem nobis factam introducere: id quod nec in-posterum, nisi ad postulatum eorundem, facere cogitabimus. Dictus P. Cottonus consimiliter nobis significavit; Notarium Sotum, quorundam scandalosorũ ac seditiosorum sermonum causâ reum peractum, à nonnullis malevolis ad id inductum, magìs ex irâ & incogitantiâ, quàm malo affectu, commisisse; nec proindè pœnâ aliquâ afficiendum: præsertim cùm nihil contra ipsum statui possit; nisi & alii, qui pluris ipso sint, præcipuisq; officiis defungantur, simul implicentur: ad quos ille provocet, quòd ab ipsis ad hoc subornatus esset: quin & similia dicta eorum proferre posse, quæ ab adversariis suis promanâssent. ut, siquidem hæc causa movenda foret, novæ turbæ, prioribus à te sedatis pejores, metuendæ essent: ideóq; satius existimari, ut obortæ istæ discordiæ penitùs sopiantur aboleanturq;: rogando simul, id à nobis tibi in mandatis dari. Quamquidem in re, ob causas, quas ipsemet æstimare possis, illi acquiescere nolumus; sed, quæ nobis proposuisset, ad te perscribere, recepimus: ut ipse, cui præsens Civitatis status, conditio rerum, quidq; ab uno alteróve reverà gestum sit, quisq; eventus illius esse queat, optimè notum est, de causâ illâ dispicias; sicq; in eâ procedas, uti id justitiam, Regisq; filii mei, ac sæpè-dictæ Civitatis Incolarum, salutem, postulare cognoveris. Atque hæc scribere ad te nobis visum est: qui, nostro quoque nomine, Procuratori regio indicabis; singulariter nobis satisfactum fuisse, modestâ ac providâ curâ ipsius, quam in negotio isto, (juxta testimonium tuum) utì & aliàs, adhibuerit. Simul & Prætori dices; fidem atq; diligentiam ipsius, in eodem hoc negotio præstitam, gratissimam nobis accidisse. Utrosq; verò seriò nostris verbis monebis, ut sic benè ac fideliter nobis servire pergant: prout facturos eos minimè dubitamus. Hisce vale. Datum Parisiis, 14. Julii, anno 1611.

Literæ istæ in archiva Civitatis relatæ sunt: ex quibus clarè patescit: primùm, Jesuitas nullâ conscientiâ tangi, quò minùs discordias atq; sectas excitent foveantque; dummodò id in Societatis suæ commodum vergat. Secundò, Patrem Cottonum nulli arti & eloquentiæ suæ pepercisse; ut technas, quibus Episcopus atque Præses Trecensis, ad Jesuitas ibi introducendos, usi essent, coram Reginâ oblineret ac tegeret. Tertiò, eundem seditiosi Soti patrocinium suscepisse, atque id egisse; ut culpam delicti illius in eos transferret, quos adversarios ipsius cognominat; quique ejus, quod ipsis imputare studuit, prorsus sunt insontes. Hoc certum quidem est, negarique non potest, Sotum nihil, nisi instinctu jussuque Præsidis, locutum fuisse. id quod Sotus ipse, apud multos primarios Viros, fassus est; atque etiam conjux ipsius ultrò, coram Domino Praslino, est confessa, cùm ad pedes illius supplex pro viro suo, deprecaretur. Idem ille postmodùm etiam coram judicio non est infitiatus. Sicuti ergo Præses, cum Soto, nequam probrosumque facinus admiserunt, (ille, istum jubendo; iste, illius jussa acceptando) contumeliosa & Christianos haud-decentia dicta in vulgus spargendo: ità in magnum dedecus Jesuitæ Cottoni cedit; quòd impudenter adeò Reginam circumvenire, insontesque accusare instituerit, sontes ut excusaret.

Prætor porrò, juxtà cum Scabinis Trecensibus, sæpenumerò Episcopum convenerunt; ut, quod justum æquumque esset, calculo suo probaret, petentes:

rogitantesque, ut, quod die 3. Junii, in plenâ Congregatione, de Abrahamō Drovoto, Rectore Scholæ suæ nominato, conclusum esset, exsecutioni mandaretur. Verùm ille per omnia negavit. Cúmque ejus rei nomine iterum per scripta compellaretur; ipse, die 12. Julii, anno 1611. vicissim in scriptis respondit: Reginæ mandatum esse, ut negotium amplietur; cujus proin declarationem ulterioré exspectaret: interim se de Scholæ rectoratu providisse. Post hæc iterum rogatus fuit, tandem ipsi aliquando cum Abrahamo Drovoto conveniret; hac conditione: nî id faceret, nihilominùs in causâ illâ perrectum iri. Ad quæ Drovotum ille, qui tamen Sacerdos ac Theologiæ Baccalaureus esset, ad se accersit; eique, præsente Jacobo Nivelleo, excommunicationem minatur; siquidem officium illud in Collegio acceptaret. Drovotus respondet; Ab ejusmodi excommunicatione non multùm sibi metuendum esse. Hîc Nivelleus, pro Episcopo dicturus, etiam injustam excommunicationem metuendam esse, ait. Cui Drovotus: Per appellationem, contra ejuscemodi censuras, remedio locum superesse. Contra quod Episcopus protestatus; Si maximè à Parlamento, inquit, ipsum absolvere juberetur, se tamen id minimè facturum: Drovotum autem ista omnia facilè prævenire posse; si scripto se-se obligaret, Collegio cessurum, quando Regina Jesuitas Trecis introductura esset. Prætor igitur & Scabini, practicarum istarum pertæsi, Drovotum tandem vocationi suæ ad Rectoratum, de quâ 12. Julii inter ipsos convenerat, subscribere fecerunt: sicque Jesuitis spem, Trecas perveniendi, omnimodam præciderunt.

Atque hanc de civitate Trecensi relationem, prout illa antehàc seorsim quoque publicata est, paulò altiùs hoc loco repetere est visum; ut Lector ingenuus ex illâ rationabiliter secum recognoscat, quibus technis & clandestinis practicis Jesuitas usos esse oporteat; donec tandem se in aliis quoque locis, per universam propè Galliam, insinuârint, illisque dominari cœperint.

Jesuitæ nova bella intestina in Galliis côcitant:

Qui etiam minori illâ ætate Regis Ludovici XIII. ad institutum suum astutè abuti noverunt; neq; verò cessârunt; donec illum ad cruentum bellum, contra suos naturales ac fideles Subditos, exstimulârunt; sicque iterum Galliæ Regnum, per intestina ista bella, suorum sanguine inundare fecerũt: quò faciliùs denuò Hispanorum prædæ sit expositum; ubi priùs per se-ipsum infestis armis ad ruinam dispositum fuerit. De quo postremo bello hæreticus ille Jesuita, CORNELIUS CORNELII, in Collegio Romano Professor, in præfatione suâ, *ad increatam & in Christo creatam Trinitatem*, farragini suæ super duodecim minores Prophetas præfixâ, nuperrimè adhuc itâ scripsit, ac tripudiavit. *Aperuisti: (S Trinitas increata & creata) Regum oculos, ut id liquidò cernerent, ideóq; singuli in Calvinismum, ut Regni sui pestem, insurgerent. Ità dedisti Christianissimo Galliarum Regi Ludovico XIII. Sancti Ludovici hæredi & æmulo, supra ætatem, animos & vires: ut urbes & arces plurimas, quas Hugonoti insederant, armata manu eis extorqueret; cæteras penè omnes ad deditionem cogeret: (quod nemo Majorum cogitare, nedum aggredi, ausus fuerat,) ut jam ipse Franciæ totius sit Rex; qui ante triennium dimidiatus*

diatus & precarius ejus tantùm Rex esse videbatur. Num verò bello isto, Regi ipsi, totique ipsius Regno, plus commodi ac salutis, quàm damni & exitii, attractum fuerit; id boni & Patriæ suæ fidi Galli meliùs, quàm sanguinem-sitiens iste Jesuita Hispanicus, testabuntur. Quocirca etiam Rex ille, de omnibus rebus rectiùs edoctus, intestinis istis bellis finem imponere; verosque hostes suos extra Regnum suum bello persequi; ac fidos Amicos suos, in eorum calamitatibus ac necessitatibus, juvare cogitavit simul atque constituit. Cujus autem consilii sui nullum eventum alium, quàm quem Pater ipsius, Rex Henricus IV. à parricidiali hac Jesuitarum sectâ, certò exspectare poterit; nî Deus Optimus-Maximus Regem meliùs, quàm is se-ipsum, tutabitur. Numquid enim jam, proximè-elapso anno 1625. Jesuita G.G.R. trium videlicet literarum homo, vehementissimâ Admonitione, Regem Ludovicum XIII. multis speciosis, at mendacibus, argumentis instigavit: ut non modò nulla Affini suo, Sabaudiæ Duci, auxilia submitteret; verùm etiam omni communione cum Germanis Euangelicis, in extremis angustiis nunc constitutis Principibus ac Statibus, (tantùm quia Jesuitæ illos pro Hæreticis traducunt: nullâ ratione habitâ meritorum, ab illis antehàc in Galliæ Coronam collocatorum) se-se abdicaret: secùs si faxit, per sequentes quæstiones, Regi parricidialem cultrum, totidem verbis, ad jugulum applicuit? *Jam scriptæ quæstiones* (scribit Jesuita) *passim circumferuntur; quas multis lectas etiam Regi offero.* Regi Ludovico 13. excidium minantur.

1. *An Rex, fœderatus Hæreticis contra Catholicos, publicè sit monendus à Statibus?*

2. *An Catholici Principes, qui ad ista connivent, peccent mortaliter?*

3. *An Rex, inferens bellum Catholicis, & hæresin inducens in alienas Provincias; sit ipso facto excommunicatus?*

4. *An non eâdem in censurâ suasores, adjutores?*

5. *An Rex armis compelli possit, ut à persecutione Catholicorum abstineat?*

6. *An Regi, Religionem pessumdanti, & Regnum affligenti, possit armis resisti?*

7. *An Catholici Principes possint, ad Religionis tutelam, se alicui vicino Principi jungere; sicut se Hæreticis Rex junxit?*

8. *An in tantâ perturbatione consultum, constituere Religionis aliquem & miserorum protectorem, & quasi conregnantem?*

9. *Quis ille esse possit?*

Hæc & alia (inquit Jesuita) *ex gubernationis vitio oriuntur: dum, ad unius alteriusq; libidinem, tota moles Regni, non ex æquo bonoq; vertitur.* h.e. ubi non omnia fiunt, quæ Domini Jesuitæ volunt ac jubent.

Quòd verò Jesuitæ, cum istâ admonitione simul & comminatione seriò egerint; neque hæc inania verba fuerint: id re-ipsâ quoque demonstrare, testatumque facere, voluerunt, uti ex sequente Epistolâ primarii cujusdam Viri in Regno Galliæ, de abominãdo proposito parricidiali Francisci Marteli, Sacerdotis Estranensis prope Diepam, consilio & instinctu duorum Jesuitarum, contra Ludovicum XIII. nunc Galliæ & Navarræ Regem, suscepto, vel palpando cognoscere est. Epistola illa in hunc modum habet. Institutum parricidiale contra Regem Ludovicum 13.

Domine & Amice: Constat tibi, proh dolor! maledictum illud genus parricidarum ac regicidarum, Castelli (inquam) & Ravaillaci, cum eorundem igne ac cineribus, nondum penitùs eradicatum, & excisum fuisse. Septicipites enim istæ Hydræ sunt; quæ in media morte & interitu suo reviviscunt, succrescunt, & adolescunt: sic, ut, uno capite præciso, mox aliud suppullulet, inq; locum ejus succedat. Ultimus (atq; ò utinam ultimus!) maledictorum & abominandorum istorum Regicidarum, instinctu & suasu omnium malorum atq; infernalium Dæmonum, cultro in gehennâ cuso, antiquissimiq; illius Draconis sanguine illito, Magni illius Regis Henrici, beatissimæ memoriæ, cor heroicum transfodit, cum extremo luctu & incommodo totius orbis Christiani: idq; eodem illo tempore, quo potentissimus ille Princeps, justo ac necessario bello, veterum ac juratorum hostium suorum terras ac ditiones invisere vellet; illiq; jam-jam, ad fulgorem justi ac victoriosi sceptri ipsius, expavescerent tremerentq;. Igitur & hoc tempore, cernentes, Regem nostrum, Domini Parentis sui, beatissimæ memoriæ, heroicum propositum, divino beneficio, feliciter admodùm prosequi; idq; pro quiete & conservatione Regni sui; pro liberatione ac redemtione suorum miserorum, multisq; locis crudelissimè-oppressorum, amicorum ac fœderatorum; pro justâ denique recuperatione hæreditariorum suorum Regnorum ac Provinciarū, per insatiabilem avaritiam Hispanicam, præter jus fasq;, Majestati suæ ereptarum, & adhuc per vim detentarum: ecce, iterum nullam aliam spem ac refugium, quàm ad detestandam Judæ proditoris desperationem, habent; nimirum, ut unctum Domini, sanctumq; & justum caput Christianæ istius diúq; exoptatæ confœderationis, proderent, atq; è medio tollerent.

Novorum loco, recens admodùm ejusce rei exemplum hîc tibi referam; quod inter multa alia, quæ ipsi, pro versutissimâ astutiâ suâ, tam artificiosè adhuc obtecta, clanculùm habuerunt, singulari Dei providentiâ, contra ipsorummet, ac perniciosissimæ Sectæ suæ voluntatem atque exspectationem, in clarissimam omnium lucem productum est: multùm licèt illis impudentibus ac dolosis hypocritis repugnantibus; nihilq; eorum intermittentibus, quæ ad detestabile ac diabolicum istud facinus palliandum, aut etiam supprimendum, facere poterant. O' utinam Regia Majestas, pro exoptatissimâ salute suâ, nunquam non recogitet triste illud ac lamentabile exemplum Patris sui! nec minùs etiam utilissimam simul, ac laude-dignissimam, resolutionem multorum Principum ac Statuū; qui semel pestilentibus istis viperis (quarum hoc proprium est, ut ventrem, in quo fotæ sunt, mordendo perforent) se-se abdicàrunt ac liberàrunt! Quanquàm enim magnum istud malum cuncti ob oculos cernant; feréq; nemo sit, qui non eo angatur, quotidiéq; queruletur: nemo tamen, proh dolor! animum sibi sumere audet, aliquid de salubri illo medio, ante annos aliquot, pro perpetuâ Jesuitarum proscriptionis memoriâ, positæ marmoreæ Pyramidis, (jam-nunc extremo quasi luctu atq; oblivione sepultæ) quo deceret studio atq; zelo, publicè in medium proponere: ne-dum facto ipso attentare. Et, quidnam boni, obsecro, in omnibus statibus & actionibus, certò exspectari possit: quamdiù Hispanicæ istæ muscæ atque erucæ in medio cordium Francicorum circumrepunt, & (quod dolendum, atque adeò cruentis lacrymis lugendum est) in intimas usque cameras arcanissimorum consiliorum penetrant; ibiq;, ad Regni damnum ac perniciem, pro lubitu suo sedes agunt?

Sciat

Scias igitur velim, paucos ante dies, Sacerdotem quendam, Franciscum Martelum nomine, propterea quòd, præter alia multa crimina & facinora capitalia, ex consilio & instinctu Jesuitarum duorum, etiam Regem nostrum trucidare atque è medio tollere instituerit, de sententiâ & judicio regii Parlamenti Rothomagensis, rotæ supplicio affectum, vivumq; posteà in ignem conjectum, cinere per aërem disperso; nec-non etiam servum ipsius suspendio suffocatum, simul cum eo concrematum fuisse. Desperatus ille nequam, Franciscus Martelus, Sacerdos Estranensis, prope urbem Diepensem, primùm Advocatum egerat coram judicio Diepensi; eiq; nomen Nicolao fuerat; per decennium conjugato viventi. Post mortem autem uxoris, Clerum sectatus, & Sacerdos factus, nomen Francisci usurpavit; hisq; artibus parœciam Estranensem obtinuit. Hic ergo pronuper in celeberrimum illud emporium Rothomagense delatus, supremum ibi Parlamenti Præsidem convenit; in animo sibi esse significans, ad ipsummet Regem proficisci, Majestatiq; ejus secretò manifestare, maledictum quendam militem Hispanicum, è Flandriâ oriundum, sibi confessum: quòd, cum aliis quatuor sui similibus stratiotis, dictum Regem, Parisiis in novo ponte, occidere ac trucidare vellet. Existimabat nimirùm nequam Sacerdos iste, medio illo falsò-oblatæ secretæ manifestationis, liberum ac non-impeditum ad Regis personam aditum se impetraturum; quò sic lethali ictu faciliùs illum percutere posset. Dominus Præses, bonum Sacerdotis affectum erga Regem commendans, mox illum in proprio suo curru, rectâ via Parisios versùs, ad Dominum Concellarium, vehi curat: qui, ut-primùm Sacerdotem audivisset, regio Vigilum præfecto custodiendum tradit. Quin & iste Sacerdotem liberaliter habet, ac per dies aliquot, partim per se-ipsum, partim per suos, in urbe Parisiensi circumducit; Hispanicos illos milites ac regicidas inquirendi, ac comprehendendi causâ.

Interea temporis Sacerdos, ut causæ suæ fucum aliquem faceret; falsas literas scribi curat, tanquam à Milite illo ad se missas, qui de parricidio illo sibi confessus esset: quibus Miles multùm de Sacerdotis perfidiâ conquereretur; quasi qui confessionis secretum violâsset, sicq; ipsum in præsentissimum vitæ discrimen adduxisset. Literæ istæ ad Sacerdotem, per servum ipsius, Galeranum nomine, Parisios perferebantur; ab eoq; mercenario cuidam lignatori tradebantur: qui eas Domino suo Sacerdoti, ubicunque loci, in manus redderet. Quod ut à mercenario illo simplici consequeretur faciliùs; militem se ex regiâ custodiâ Parisiensi simulabat. Miser is lignator, cum literis illis deprehensus, mox tenetur, &, à quo literas illas perferendas accepisset, severe interrogatur. Hic juvenem fuisse respondet, qui eas in ponte Dominæ nostræ, tutò Sacerdoti reddendas, sibi tradidisset; quartâ insuper Coronati parte pro mercede datâ: simul addens, facile se Socium illum recogniturum, ubi videre denuò contingeret. id quod postmodùm etiam fideliter præstitit. Quo indicio dictus servus Galeranus, cum Domino suo Sacerdote, Francisco Martelo, captivi ducti, ac per duos Consiliarios regios examinati fuerunt.

Principiò quidem Sacerdos primum suum sermonem repetebat, testificans, id sibi in confessione retectum fuisse: postea tamen, cuncta hæc, juxtà cum literis, conficta esse, fatebatur. Ad quam dictorum ipsius inconstantiam, ambo isti, unà cum lignatore, datis literis patentibus & commissionibus, Rothomagum sunt remissi; ut ibi loci Processus judiciarius cum ipsis institueretur. Illùc loci ubi perventum est; statim fama percrebuit, præ-

dictum Franciscum Martelum jam anteà multorum malorum facinorum suspectum, ac reum factum fuisse. Quo nomine Consiliarii regii, de præteritâ illius vitâ & moribus inquisitione institutâ, testes, cùm ipsi Martelo Sacerdoti, tùm Galerano servo illius, coràm produxerunt. Ad hæc illi, à supremo Præside, duobus Officiariis regiis, & quatuor Consiliariis Parlamenti, diligenter examinati sunt: ac intra octiduum causa Judicibus cognoscenda, atque decidenda, commissa est. Ibi tùm constabat primò, Martelum, intereà dum Estrani Sacerdotem egisset, à Vicario ibidem quadraginta libras mutuò accepisse: quas cùm reddere debuisset, coram Judice regio, Locum-tenente, & Decano, tertiâ vice perfidè negâsse: fratrem postmodùm ipsius, cùm in extremis esset, Vicario accersito pecuniam illam reddere jussisse; fatendo, sibi cognitum esse, quòd frater suus Sacerdos eam ab ipso Vicario mutuò accepisset.

Secundò constabat, ipsum Martelum, præterito mense Augusto, coram Officiali Rothomagensi, Sodomia accusatum fuisse. Quibus actis judiciariis prolatis, ipsoq; ad confessionem adacto; abominandum illud ac diabolicum scelus, cum Jacobo Guineto & Nicolao Galerano, servis suis, se commisisse, atque etiam cum alio adhuc quodam committere voluisse, fassus est.

Tertiò, Juveni cuidam, domi suæ, scamnum, alicujus rei petendæ gratiâ, scandere jusso, laqueum in collum injecisse; scamnoq; subducto ac remoto, præfocare ità voluisse: nisi homines quidam alii intervenissent. Quo nomine, coram Judicio quidem accusatum, cum actore transegisse. Quæ inhonesta quoque transactio requisita, & publicè exhibita est. Dicto etiam Sacerdoti vicinum, Christophorum Auvrajum, fuisse; quem per servum suum Galeranum, ex mera invidia & odio, clanculùm è medio tollere voluerit: adeò ut Galeranus, ante annum, in nominatum Christophorum exploso sclopeto graviter eundem læserit. Quâ de causâ quidem captivus duci debuerit: sed à Domino suo Sacerdote Parisios fugere jussum, ibidem propriis sumtibus, ad semestre tempus, se sustentasse.

Quartò confessus est Martelus, cùm servum suum Galeranum Parisiis ad se revocâsset, ambos Rothomagum profectos, funes incendiarios cum pulvere coëmisse: quibus Galeranus noctu prædicti Christophori Auvraji ædes succensas, operâ duorum adhuc aliorum adjutus, in cineres redegerit. Quo facto, Ambrosium Guyotum Jesuitam, cum Francisco Martelo, Diepam abiisse: Galeranum verò noctu, equo conscenso, qui à Domino suo Sacerdote in eum finem conductus fuisset, aufugisse, manéq; Rothomagum venisse; ubi herus suus posteà rursus ipsum inviserit.

Quintò, ac pro complemento omnium suarum nequitiarum, (quarum una semper aliam elicit, ac post se producere solet) tùm, cùm Rothomagi esset, ad supremum quidem Præsidem se contulit Martelus, eiq; supra-dicta proposuit: nunc autem fassus est, id reverà propositum habuisse, ut ipse Regem occideret; eamq; ad rem duos Jesuitas, Ambrosium Guyotum & P. Chapuysium, consultores & instigatores sibi fuisse. Quo fine etiam, undiquaq; exploratus, in femore, ad nudam cutim, magnum cultrum, ad-instar Ravaillaci, alligatum habere, deprehensus est. Jesuita Chapuysius, apud Rectorem in custodiam datus, proximis diebus Judicio tradendus dicitur. Alter verò Jesuita Ambrosius in carcere est. Miser autem lignator, insons ac liber judicatus, cum honorario etiam Parisios est remissus.

Gale-

Galeranus servus, de Regicidio quidẽ sibi nihil constitisse, ait: alios autem fore, qui illius conscii sint. Herum namque suum Sacerdotem, & Jesuitam Ambrosium, familiariter admodùm invicẽ usos ac conversatos fuisse: pauló que anteà, quàm Martelus Estrano Parisios profectus esset, Jesuitam Ambrosium duos Hispanicos milites è Flandriâ secum adduxisse; qui diù apud Martelum & Ambrosium hæserint; quibusque ipse etiam aliquid fuerit pollicitus. Ad quæ sæpè-dictus Sacerdos Martelus liberè professus est, Ambrosium Jesuitam duos illos milites secum adduxisse; statimque initiò malè de Rege, ac regimine illius, loquutum esse, sui procul dubio instigandi gratiâ: seque etiam ab eodem, ad Jesuitas Diepenses, in Refectorium ipsorum, deductum fuisse.

Præterea, literæ adhuc aliæ, apud Cognatum quendam Sacerdotis, repertæ sunt, præterito mense Majo datæ: quibus Martelus Jesuitam Ambrosium salvere jubet: significans, Deum se Virginemque Mariam deprecari, ut opus, de quo ipsi sub discessum suum peculiariter dixerit, promoveant, ac perficere juvent. rogare quoque Cognatum suum, & adhuc alium, ut suis votis respondeant. Rex *(subdens)* Parisiis abiit; sed brevì reversurus: seque Martelum, à quindecim diebus, nunquàm illinc discessisse; sed necessariò ibi commorari. *Præter alia plura, ex quibus clarè colligitur, sæpè-dictum Martelum, cum Jesuitâ illo Ambrosio, eandem remegisse, ac tanquam regicidas conspirâsse. Aliorum quoque discursuum ibi mentio fiebat, quos Martelus cum alio Jesuitâ instituisset; dictitante, Mariam Virginem quadricornutum biretum Jesuitis Parisiensibus ipsammet attulisse.*

Atque hæc sunt, mi Domine, quæ de isto negotio certa veraque comperire potui: ex quibus videre licet; quibus sociis Diabolus pro servis utatur: Regicidiaque, ac similes Majestatum læsiones, non facilè à quoquam suscipi; cujus animus non priùs multis, iisque gravibus & abominandis sceleribus, sit contaminatus, & quodammodo conditus. Concludo autem epistolam istam, animitùs vovens precansque; ut omnipotens ille & misericors Deus, ac cœlestis Pater, Regem nostrum, tanquam dilectum Unctum suum, magis atque magis protegat; suâque cœlesti custodiâ, & præsidio sanctorum Angelorum suorum, contra omnes malas hostium & inimicorum ipsius machinationes & practicas, clementer diúque conservet atque tueatur. Qui idem Deus Majestati illius in dies singulos, contra omnia obstacula & impedimenta, sanctam hanc bonamque voluntatem ampliùs infundat: ut omni studio id agat, quò edicta sanctionesque Pacis à cunctis, per universum Regnum, cum omni obedientiâ observentur, fideliterque custodiantur! Fortunet idem Majestatis ipsius arma, legitimaque belli consilia, in recreationem, consolationem, ac liberationem, omnium ipsius fidelium Amicorum, ac dilectorum Fœderatorum: qui in multis ac diversis locis oppressi sunt, maximisque angustiis arctantur: quò pristinis suis benè-acquisitis privilegiis, paci ac securitati, restituti, ab omni deinceps injustâ tyrannide & impressione tuti degant! prout etiam illi, omni oblatâ occasione, pro salute Coronæ Francicæ pugnare, eamque, cum discrimine etiam vitæ fortunarumque suarum, fideliter vindicare, studio habuerunt. Faxit denique, ut Rex noster avitas suas Ditiones atque Regna, diversis vicibus ac sensim ab Hoste occupata, recuperet; eis cum æterno triumpho, & immortali gloriâ, ad salutem, tranquillitatem, ac solatium totius Orbis Christiani, imperet; eorumque bonis perennè perfruatur! Parisiis, die 11. Februarii, anno 1625.

Quan-

Quanquam autem, posteaquàm miser iste Sacerdos Martelus, justam propositi sui parricidii mercedem tulit, Jesuitæ suis technis rem eò adduxerunt; ut Processus, contra duos Socios suos, Marteli instigatores & complices, Rothomagi jam institutus, irritus fieret, neq; in exsecutionem veniret: *Admonitio* tamen illa ad Regem Ludovicum XIII. instituta, cujus anteà mentionem fecimus, sic erat comparata: ut non modò à Facultate Theologicâ Parisiensi, contra illam, tanquam *seditiosum libellum*, censura stringeretur; verùm etiam à totâ Congregatione Ecclesiasticorum Parisiis habitâ, Cardinalium inquam, Archiepiscoporum, Episcoporum, cæterorumque, qui, ex universis Regni Provinciis, Comitiis illis ecclesiasticis interfuerunt, ad diem 13. Decembris, anno 1625. *eò potissimùm spectare* judicaretur: *ut, improbato Regis consilio, ejus authoritatem minueret, majestatemq; deprimeret; Optimates ad diffidentiam, Populum ad seditionem, concitaret; & una cum Mysteriis politicis, quæ ab eâdem officina prodierunt, Galliæ perniciem & excidium molitetur; ideóq;, ceu seditiosa, & plurima contra fidei puritatem, & pacis tranquillitatem, continens, atque ita Bonis omnibus exsecranda & detestanda, damnaretur.*

Admonitio Jesuitica ad Regē Galliæ, ab Ecclesiasticis & Theologis Parisiis rejicitur & condemnatur.

Censura Facultatis Theologicæ verbotim ita habet.

Cùm omnium vulgari passim sermone percrebuisset rumor, de fatali & ominosâ quâdam, ementiti cujusdam Theologi, ad Ludovicum XIII. Regem Christianissimum, Admonitione; quâ perduellis & exitiosus homo posuit signa sua, signa quasi in exitu super summum, ad aspergendam fœdâ labe faciem, & famam Regis nostri Christianissimi, Ludovici XIII. speciosam & gloriosam; & subindè ad sollicitandum corda Principum hujus Regni, ut discessionem & vorsuram meditentur; deniq; ad divellendos Subditos, à sinu Regis, Parentis optimi, & à fideli propensione animi, & obnoxietate erga illum Dominum suum, cui arctissimâ naturæ & conscientiæ Lege divinâ tenentur inhærere: Syndicus sacræ Facultatis Parisiensis, pro sui officii ratione & munere, perquisito, & vix tandem reperto famoso isto libello, postulavit a Domino Decano; ut diem Comitiorum indiceret: quo urgentibus Bonorum omnium, de salute Regis & Regni sollicitorum, justissimis votis maturiùs satisfieret; & impendentibus, quæ diem non recipiunt, ingentibus malis prospiceretur. Nempe ad sacram Theologorum Parisiensium Facultatem pertinuit semper, tanquam ad fidam custodem de nocte, intercipere vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini; & significationem dare timentibus Deum, ut præcaveant sibi à sagittantibus in obscuro, & a facie arcûs pravi: in cujus obliquatione & circuitu, Impii ambulant juxta proprias conscientias, homines inquieti, sibi placentes; præscripti in hoc judicium ut, quæcunque ignorant, blasphement; arbores autumnales, dominationem spernentes, majestatem autem blasphemantes: quippe qui, sub ovinâ pelle, luporum avidorum rabiem & rapacitatem contegunt.

Anno igitur Domini 1625. die 26. mensis Novembris, post Missam de Spiritu S. ex more celebratam, congregatâ Facultate in Collegio Sorbonæ, M. Georgius Froger, præfatus Syndicus, acerbissimo affectus dolore, propter abortivum nixum, & feralem partum istius monstri hominis, penitùs exitialem Christianissimo Regi nostro, & Optimatibus Regni, quorum rectis, salutaribus, secretis & sacris utitur consiliis, impensè rogavit singulos Magistros

gistros & Doctores: ut lentè-festinâ censurâ suâ, & prudenti oraculo, respondeant de hujusmodi opere tenebrarum; hortentur conscientias omnium Regis subditorum, sibi cavere à viru & toxico istius Admonitionis; eam Censurâ editâ omninò condemnent & profani authoris, filii Edom, pessimam mentem, piaculare ingenium, exsecrentur: ne subjecti Domino nostro Regi fluctuent, aut circumferri & abripi sinant se, Africo pestilentis istius doctrinæ vento. Auditâ verò justâ postulatione, & querimoniâ prædicti Syndici, & gratâ habitâ; commisit eadem præfata sacra Facultas negotium istud, discutiendum nonnullis selectis Doctoribus: qui, diligenter & ad amussim recognito istius authoris libello, referrent ad Facultatem, Calendis Decembribus, omne id, quod censoriâ virgulâ dignum in eo deprehendissent, & animadvertissent.

Die itaq; primâ mensis Decembris, ejusdem anni, post Sacrum de S. Spiritu, more solito celebratum, eadem Facultas, in aulâ Collegii Sorbonæ solenniter congregata, Libellum præfatum, cui titulus, G.G.R. Theologi ad Ludovicum XIII. Galliæ & Navarræ Regem Christianissimum, Admonitio, *ab iisdem illis selectis Doctoribus, Comitiis extraordinariis suprà-dictis, ex ipsius Facultatis mandato, examinatum & excussum, auditâ eorundem relatione, censet, Libellum istum, ab ignoto licèt authore, veruntamen pestilentissimo homine, incredibili astu & calliditate scriptum, in summum Pontificem, & in Ludovicum Regem nostrum, pietatis, justitiæ, clementiæ, exempli maximi Principem, ejusq; sanctius secretiusq; Consistorium, planè calumniosum & contumeliosum, seditiosissimum; Regni Optimates & Proceres ad fœdissimam desertionē, Populum ad generalem defectionem atque seditionem, specioso quidem, sed fucato, Religionis Catholicæ retinendæ ac conservandæ prætextu, hortantem, excitantem, impellentem; Galliæ universæ pestem perniciemq; minitantem; ac proinde Regibus & Potestatibus seculi exhibendæ à fidelibus fidei, obsequio, honori, atque adeò charitati Christianæ, impiè repugnantem; quin & sacras Scripturas à sensu, per Spiritum S. intento, malitiosè detorquentem; multaq; contra veram ac sanam Ecclesiæ doctrinam continentem; penitùs exsecrandum & detestandum. Quapropter eadem Facultas orat & obtestatur reverendissimos Antistites, ac seculares Magistratus æquissimos hujus Regni: ut, post vindemiam parricidarum, racemationem istam superstitem, pro suo in pientissimum & justissimum Regem nostrum Ludovicum, nec-non communem Regni Gallici salutem, fidelissimo affectu, quacunque ratione coërceant. Actum loco, die, & anno, præfatis.*

Ad censuras istas ecclesiasticas, accessit etiam sententia politici Judicis: quâ sæpè-dicta *Admonitio ad Regem Ludovicum XIII.* cum alio adhuc libello impio & seditioso, *Mysteria politica* inscripto, publicè Parisiis condemnata, & per carnificem concremata est: uti ex sequente Prætoris Parisiensis sententiâ patet.

Libelli seditiosi Jesuitarū Parisiis condemnati, & igne cremati.

Quòd à Procuratore regio verba facta sunt, libellos duos prodiisse nuper: unum inscriptum, Mysteria politica; *alterum,* G.G.R. Theologi ad Ludovicum XIII. Galliæ & Navarræ Regem Christianissimum, Admonitio: *ambos verò dogmata continere damnanda, scelerata, seditiosa; quibus Civium animi ad rebellionem, Regni perniciem, Regiæ majestatis violationem, excitentur: ideóq; postulare se, uti periculo provideatur; ac sibi in eos, qui ejusmodi libellorum authores, quive eos vendere aut publicare*

dicentur, inquirendi potestas fiat: De eâ re nobis, adhibito consilio, libellis inspectis perlectisq; ita fieri placuit: Eos libellos perniciosos, sceleratos, seditiosos, falsis insimulationibus calumniosos, Regum à Deo ordinatorum majestati & saluti pestiferos, publicæ securitatis perturbatores, falsoq; ac simulato religionis prætextu rebellionũ incentores, in plateâ Domûs urbicæ, per capitalium judiciorum exsecutorem, lacerari, comburi; eorum exemplaria, quotquot penes quoscunque erunt, intra horas viginti-quatuor, ad Actuarium nostrum, supprimenda deferri. Præterea interdicimus, ne quis eos habere, legere, servare velit; néve quis Typographus, aut Bibliopola, excudere, vendere, proponere ausit. Qui adversùs ea fecisse arguentur, sciant, se capitali supplicio obnoxios fore. Procuratori regio, ut in ejusmodi scriptorum Authores, inq; Typographos, diligenter inquirat, injungimus. Atque ut ignorantiæ causam nemo jure prætendat; hancce sententiam nostram proponi, ac Typographorum Syndico notam fieri scripto, volumus jubemusq;. Data, pronuntiata, proposita, exsecutioni mandata, propridie Calend. Novemb. 1625.

Nihilominùs tamen Jesuitæ, (qui tàm resipiscere didicerũt, quàm Æthiops nigram cutim suam dealbare) in parricidiali suâ doctrinâ ac libris impudenter spargendis, etiam in mediis istis turbis perrexerunt. Inventus est siquidem, etiam hoc eodem 1625. anno, ANTONIUS SANCTARELLUS Jesuita; qui *Tractatum* edidit, *de Hæresi, Schismate, Apostasiâ, Sollicitatione in Sacramẽto Pœnitentiæ; & de Potestate summi Pontificis, in his delictis puniendis*: in quo sequentes articulos de novo proponit, impudenterque propugnat.

1. *Papa habet in Principes potestatem directivam: ergo & correctivam. Non enim potest habere directivam, sinè correctivâ. Cur igitur non poterit Principes iniquos punire, per censuram ecclesiasticam?*

2. *Hinc infero: quòd summus Pontifex potest hæreticos Principes punire, etiam pœnis temporalibus: quapropter non solùm eos excommunicare; sed & Regno privare, eorumq; Subditos ab eorum obedientiâ liberare.*

3. *Papa deponit Imperatorem, propter ipsius iniquitates: & dat Principibus curatores; quando ipsi fuerint inutiles, ad regendum Subditos.*

4. *Papa, sinè Concilio deponit Imperatorem: quia Papæ & Christi unum est tribunal.*

5. *Papa quantumcunque exemtum, si expedit, punit, & deponit.*

6. *Papa potest deponere Imperatorem & Reges, pro delictis. Et: quòd summam, supremam, & absolutam potestatem habeat Papa; videtur esse multùm æquum, & Reipublicæ expediens: scilicet, ut sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum ejusmodi excessus possit corrigere, & de ipsis justitiam ministrare.*

7. *Possunt Pontifices ex causâ amovere Reges, & deponere Imperatores; sicut sæpiùs accidit, & visum est: quando scilicet eorum malitia hoc exigit; & Reipublicæ necessitas sic requirit.*

8. *Ratione fidei, aut peccati gravis aut manifesti, si incorrigibilis fuerit Imperator aut Rex; potest eum Papa deponere.*

9. *Papa potest deponere Reges, non solùm propter hæresin aut schisma, aut aliud crimen tolerabile in Populo; sed etiam propter insufficientiam.*

10. Papa

10. *Papa potest Regem deponere, ratione iniquitatis, & inutilitatis suæ personæ. Potest Imperatorem deponere, & Imperium alii dare; si non defendat Ecclesiam.*

11. *Papa potest deponere Reges negligentes.*

12. *Sicut Petro concessa fuit facultas, puniendi pœnâ temporali, imò etiam pœnâ mortis, dictas personas, ad aliorum correctionem & exemplum: sic etiam concedendum est Ecclesiæ, summoq; ejus Pastori concessa est facultas, puniendi pœnis temporalibus transgressores legum divinarum.*

13. *Potest Papa Reges movere, & mortis pœnâ punire.*

14. *Petro, ejusq; successoribus, dictum est;* Pasce oves meas. *Sed ad Pastores pertinet, punire oves suas eâ pœnâ, quâ ratio indicat illas esse puniendas. Ergo, si, propter bonum commune, aliquando prudentia & recta ratio exigit, ut Principes inobedientes & incorrigibiles pœnis temporalibus afficiantur, regnoq; priventur: potest summus Ecclesiæ Pastor pœnas imponere. Nec enim Principes sunt extra ovile Ecclesiæ.*

De hoc Scripto Jesuitico, Facultas Theologica Parisiensis istam Censuram tulit.

Si quis, in nos fines seculorum devenisse, (ut loquitur Gentium Apostolus) fortè dubitet; postrema hac tempora tantisper expendat, eaq; cum prioribus componat: is facilè deprehendet, humani generis hostem, in utrâq; politiâ, & ecclesiasticâ, & civili, nihil intentatum reliquisse; quò minùs utramque, non tàm labefactare, quàm omninò pessumdare, videretur. Ecclesiam, Christi sponsam, quà stylo, quà ferro, conficere conati sunt impii illi, qui posuerunt in cœlum os suum. Politiam illam civilem, aliâ viâ sunt aggreßi dementati homines. Cùm enim Potestatem seculi, non sinè causâ, gladium portare viderent: libris nefandis, quasi per clanculares insidias, è medio tollēdam existimârunt. Hos S. Judas, epistolâ canonicâ, non aliâ notâ nobis dignoscendos proponit; quàm quia dominationem contemnāt, & majestatem blasphement. Atq; utinam de solo contemtu, & maledicâ oratione, ageretur! Quin malè-feriati Scriptores id genus, potestatis cujusdam in Ecclesiâ temporalis prætextu, Reges, arbitrio & nutu ecclesiastico, leviβimis etiam de causis, ac planè ridiculis, de solio deturbandos; aliosq;, vel annuos, vel etiam diarios, si ità libuerit, substituēdos, contendunt. Quod cùm in universa civilis politia, ac potiβimùm Gallica monarchia, sub Christianiβimo, clementiβimo, & justiβimo Rege nostro Ludovico, perniciem eversionemq; meditatum confectumq; videret Facultas Theologica Parisiensis: ut, Majorum vestigiis inhærendo, suum, erga pientiβimum Regem nostrum, istudq; præsertim Christianiβimum Regnum, animum studiumq; declararet; Bonorumq; omnium votis satisfaceret: præ cæteris, nuperum librum* Antonii Sanctarelli Jesuitæ, de Hæresi, Schismate, Apostasiâ, &c. *à quibusdam selectis Doctoribus examinandum censuit, in Congregatione generali extraordinariâ, 16. Martii immediatè præcedentis, habitâ. Sed quoniam multa in eo pertractantur, quæ ad rem, quâ de potiβimùm agitur, minimè spectarent: duo duntaxat capita, 30. & 31. Tractatûs de Hæresi, excutienda selegit.*

* 1 Cor. 10.

Itaque anno Domini 1626. die primâ Aprilis, post Missam de S. Spiritu, habitis solenni more & usitatis Comitiis, in aulâ Collegii Sorbonæ, audita est relatio Magistrorum, ab eâdem Facultate selectorum: qui exposuerunt, in duobus illis capitibus, istas Propositiones contineri. Summum Pontificem posse pœnis temporalibus punire Reges &

Principes, eosq; deponere, & suis regnis privare, ob crimen hæresis; eorumq; Subditos ab illorum obedientiâ liberare: eamque semper in Ecclesiâ fuisse consuetudinem. *Et propter alias etiam causas: ut* pro delictis; si expedit; si Principes sint negligentes; propter insufficientiam, & inutilitatem suarum personarum. *Item:* Pontificem jus & potestatem habere, in spiritualia simul, & omnia temporalia: & in eo esse, de jure divino, utramque potestatem, spiritualem & temporalem. Credendum esse, Ecclesiæ, summoque ejus Pastori, concessam esse facultatem puniendi pœnis temporalibus (PRINCIPES) transgressores Legum divinarum & humanarum; præsertim si crimen fuerit hæresis. *Dixerunt etiam, eundem Sanctarellum asserere:* Apostolos fuisse subjectos Principibus secularibus de facto; non de jure. *Quin-etiam* statim, atque constituta est Pontificia majestas, cœpisse omnes Principes esse illi subjectos. *Deniq; retulerunt, eum explicare verba Christi,* † Quodcunq; ligaveris super terram, &c. non tantùm de potestate spirituali; sed etiam de temporali: *ipsumq; S. Paulo imponere, verba illius,* * (Potestatem dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem) *detractâ negatione, immutando; & multis authoribus ab ipso citatis. Alia etiam multa similia retulerunt, quæ sibi videbantur, gravi Facultatis animadversione, & censurâ, dignißima.*

† Matth.16.

* 1 Cor.10.

Re itaque in deliberationem à D. Decano adductâ; auditis omnium & singulorum Magistrorum maturis deliberationibus: Facultas improbavit & damnavit doctrinam, his Propositionibus, & horum capitum corollariis, contentam, tanquam novam, falsam, erroneam, Verbo Dei contrariam; Pontificiæ dignitati odium conciliantem; schismati occasionem præbentem; supremæ Regum authoritati, à Deo solo dependenti, derogantem; Principum infidelium & hæreticorum conversionem impedientem; pacis publicæ perturbativam; Regnorum, Statuum, Rerumq; publicarum eversivam; Subditos ab obedientiâ & subjectione avocantem; & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia, excitantem. Datum in Sorbonâ, die & anno præfatis; & recognitum die 4. Aprilis, anno 1626.

Hanc Censuram Facultatis Theologicæ, alma Universitas Parisiensis, anno salutis 1626 die 12. Calend. Majas, Decreto suo comprobavit, facto in Maturinensi Collegio: cui scribendo adfuerunt, Rector, Decani, Procuratores, Magistri, Universitas Studiorum. Illud verò Decretum ità habet.

Quòd verba fecit Rector. sapientißimum Ordinem Theologorum, pro suâ in rem Christianam, Regem Christianißimum, ejusq; imperium, fide ac pietate, boni atque recti constanti amore, Majorum solenni more, Antonii Sanctarelli Jesuitæ, de Hæresi, Schismate, Apostasiâ, &c. *librum inspexisse; & deprehendisse in ejus libri capitibus 30. & 31. tractatûs de Hæresi, has Propositiones:* Summum Pontificem posse pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosq; deponere, & suis Regnis privare, ob crimen hæresis; eorumq; Subditos ab illorum obedientiâ liberare: eamq; semper in Ecclesiâ fuisse consuetudinem. Et propter alias etiam causas: ut pro delictis; si expedit; si Principes sint negligentes; propter insufficientiam, & inutilitatem suarum personarum. *Item:* Pontificem jus & potestatem habere, in spiri-

in spiritualia simul, & omnia temporalia: & in eo esse, de jure divino, utramq; potestatem, spiritualem & temporalem. Credendum esse, Ecclesiæ, summoq; ejus Pastori, concessam esse facultatem, puniendi pœnis temporalibus Principes, transgressores Legum divinarum & humanarum; præsertim si crimen fuerit hæresis. *Eundem Sanctarellum asserere:* Apostolos fuisse subjectos Principibus secularibus, de facto; non de jure. *Quin-etiam* statim, atque constituta est Pontificia majestas, cœpisse omnes Principes esse illi subjectos. *Denique eum explicare verba Christi*, Quodcunque ligaveris super terram, &c. non tantùm de Potestate spirituali; sed etiam de temporali. *Ipsumq; sancto Paulo imponere, verba illius, detractâ negatione, immutando; & multis authoribus ab ipso citatis: alia etiam multa similia. Eaq; propter, die 4. Aprilis, publicâ, justâ, legitimâq; animadversione, notâ, censurâ, pestiferi ejus libri Propositiones istas improbâsse; & eam doctrinam, quam continent, tanquam novam, falsam, erroneam, Verbo Dei contrariam; Pontificiæ dignitati odium conciliantem; schismati occasionem præbentem; supremæ Regum authoritati, à Deo solo dependenti, derogantem; Principum infidelium & hæreticorum conversionem impedientem; pacis publicæ perturbativam; Regnorum, Statuum, Rerumq; publicarum eversivam; Subditos ab obedientiâ & subjectione avocantem; & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia, excitantem, damnâsse. De eâ re ità censuerunt: Laudandum amplissimis verbis sacrum Ordinem Theologorum, qui de improbâ & exitiali doctrinâ istâ piè, religiosè, salubriterq; statuerint, generi Christiano, Galliæq; inprimis, priscæ veræq; doctrinæ lumen opportunè ostenderint; Majorum virtutem retulerint; remq; adeò fecerint, illâ professione tuendæ veritatis, & Studiorum universitate, dignissimam.*

Utq; novæ ac pestilenti doctrinæ aditus omnis intercludatur; & omnes, qui è disciplinâ nostrâ sunt, eamq; in-posterum amplectentur, aut in eam nomen dabunt, maturè intelligant, sensus sibi animosq; è sacri Ordinis illâ sententiâ comparandos; à damnatâ doctrinâ istâ longissimè disjungendos: utiq; eam omnes aversentur, detestentur, & abhorreant, privatim ac publicè dedoceant, confutent, coarguant: faciendum, ut Supplicationum solenni primo, tùm quotannis, in eo cœtu, qui, publicè supplicandi & procedendi caussâ, statim ab instauratis Scholis, mense Octobri agitur, priusquàm cuiquam postulare quid liceat, à Procuratore Universitatis, ea Censura publicè recitetur; tabulis librísve omnium Ordinum Nationumq; inscribatur; ejus exempla duo, Actuarii sacræ Facultatis manu distinctâ subscriptaq;, in commune tabularium inferantur; totidem ad singulos Collegiorum & Domorum moderatores, primo quôq; tempore, mittantur. ut omni ope ac studio, ab istius doctrinæ contagio atq; peste, omnes, qui eo contubernio domiciliove utentur, arceant: operamq; dent, ut ne cui contrà, quàm sapientissimus Ordo decrevit judicavitq;, dicere facereve quicquam liceat. Si quis eorum quid migrârit, secúsve fecerit, Doctor, Professor, Magister, Discipulus, Literarum civis; aut laudatissimam censuram ullo quovis pacto, dicto scriptóve, quacunque tandem de causâ obtentúve, sollicitârit, moverit, attentârit: is, ignominiæ caussâ dimissus, gradum, ordinem, tribumq;, perpetuo interdicto amittat.

Sed & nuperrimè adhuc, alia Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis,

de libro quodam consimilis farinæ, FRANCISCI GARASSI Jesuitæ, sequentis tenoris, publicata est.

Anno Salutis 1626. die 2. Martii, quum Rector Universitatis Parisiensis comparuisset in sacro conventu Theologico, solenniter pro more congregato, in aulâ Collegii Sorbonæ; ac narrâsset, complures non-exiguæ notæ, magnæq; authoritatis Viros, apud ipsum conquestos de libro quopiam, qui vulgo fuerit expositus, atque in omnium manibus versetur, cujus titulus : Summa theologica, de veritate præcipuorum capitum Religionis Christianæ, per R.P. Franciscum Garassum, Theologum è Societate Jesu; Lutetiæ, apud Sebastianum Capelletum, in vico S. Jacobi, ad signum Chapelet, 1625. cum privilegio Regis, & approbatione. *Eaq; propter rogâsset, ut sacra Facultas Theologica deligeret quosdam Doctores, qui librum illum perlustrarent & examinarent: ne, si fortè quidpiam in eo occurreret, quod fidei catholicæ aut bonis moribus adversaretur, diutiùs id, in perniciem animarum, scandalum quinetiam & infamiam Religionis, publicè toleraretur: Totus Conventus justo ejus postulato assensit; ac librum Doctoribus quibusdam delectis examinandum, & recognoscendum, tradidit. Qui quidem, elapsis duobus mensibus, videlicet die 2. Maji, Facultati Theologicæ, solenniter ut anteà congregatæ, relationem fecerunt; produxeruntq; complura ex hoc libro excerpta: quæ, in præsentiâ omnium, collata fuerunt cum libro ipso impresso; ac deinceps talia æstimata, quæ nullo modo probari aut tolerari possent. Posteaquàm autem ii, qui librum antè approbaverant, indicâssent; fieri non posse, ut è vestigio ad tàm multos objectos articulos responderetur; ideóq; & moram, & copiam articulorum objectorum flagitâssent: utrumq; obtinuerunt; eisq; denuò, ad primam Junii mensis diem, spatium ad respondendum datum est. Primâ autem Junii die, quantúmvis plurimùm laborâssent, partim defendendo, partim mitigando, ac benigniùs explicando ea, quæ reprehensa fuerunt: committere tamen non poterant, quin faterentur ingenuè, nonnulla esse, quæ excusari non possent. Quò verò se purgarent: retulerunt, quòd, ante concessam libri approbationem, plurima notârint loca emendanda, quorum indicem Authori tradiderint: cui emendationem omnium promittenti, ceu viro Professionis istius, haud gravatim fidem adhibuerint. hunc verò nihilo plùs, acceptâ ipsorum approbatione, promissis stetisse; sed correctionem majoris partis eorum, quæ ipsi indigitata erant, insuper habuisse. In cujus rei testimonium, producturos se tres distinctas Garassi literas; quæ mentionem facerent & errorum, & emendationis promissæ: paratos quinetiam esse, indicem prædictum commonstrare. His autem omnibus licèt diligenter & attentè ponderatis; omnibus etiam Doctoribus in eo consentientibus, librum censurâ opus habere: nihilominùs quidam exstiterunt, arbitrantes, mensem adhuc unum aut alterum exspectandum; quò intereà Author certior reddi posset, ac ipsemet liberè retractaret, quæ scripsisset veritati & modestiæ contravenientia. Tandem, habitâ diutinâ istâ morâ, hæc-ipsa sacra Facultas Theologica Parisiensis, primâ die Septembris, in conventu ordinario, in aulâ Collegii Sorbonæ celebrato, post Missam de S. Spiritu, præmissâ maturâ deliberatione, judicavit, prædictam Summam theologicam Francisci Garassi prorsus condemnandam: eò quòd contineat complures Propositiones hæreticas, erroneas, scandalosas, temerarias; plurima itèm loca è S. Scripturâ, & sanctis Patribus, malè citata, corrupta, & à genuino ipsorum sensu detorta; ineptias quin-etiam ac futili-*

tates

tates innumeras, indignas scriptu lectúve à Christianis & Theologis. Decretum in prædicto Conventu, primâ die Septembris; & confirmatum die S. Euphemiæ, 16. ejusdem mensis & anni.

Cæterùm Jesuitæ, ad turbas ac seditiones nati factique, non modò pacem & quietem Regni & Ecclesiæ Gallicanæ, assiduis ejuscemodi motibus & controversiis, perturbârunt: verùm etiam jura Academiarum, præsertim verò Parisiensis, (à quâ cæteræ cunctæ, tanquam à matre suâ, dependent, invaserunt, violâruntque. Res igitur ista quoque sic habet. Anno 1603. Jesuitæ, publico edicto Henrici IV. Regis, mense Septembri dato, in Galliæ Regnum, certasque urbes ac loca illius, in diplomate regio expressa, recepti hac conditione erant: ut, suis rebus vacantes, nihil in præjudicium Universitatum, Episcoporum, aliorumque Religiosorum, attentarent; sed communibus juribus, tàm in spiritualibus, quàm secularibus, se-se conformarent. Eo non contenti, sed ignominiæ ac contemtui sibi reputantes, si aliis locis Regni, quantúmvis celeberrimis, residerent; Urbe tamen regiâ Parisiensi exclusi esse deberent: precibus suis ab eodem Rege, anno 1606. Julio mense, obtinuerunt; ut in Urbem quoque recepti, non vetus duntaxat Collegium suum Claromontanum recuperarent; sed Domum quoq; regiam, ad S. Ludovicum dictam, pro Domo Professionis suæ, occuparent, eâ conditione: ut ab omnibus Lectionibus publicis, aliisque Scholasticis actibus, prorsum abstinerent. Sed neq; his repagulis concludi se passi, porrò etiam ab eodem Rege, anno 1609. mense Octobri, literas impetrant; quibus, Lectiones publicas in Theologiâ habendi Parisiis, potestas ac licentia ipsis contribuebatur. Quæ res, cùm in maximum præjudicium Universitatis Parisiensis, ac præsertim Ordinis & Facultatis in eâ Theologicæ, evidenter cedere comperiretur: dicta Facultas, sequente actione interpositâ, novo isti Jesuitarum privilegio intercessit.

Jesuitę etiā jura Academiarum Gallicarum invadūt ac violant.

Anno Domini 1609. die 16. Novembris, post Missam de S. Spiritu more solito celebratam, habita sunt Comitia in aulâ Collegii Sorbonæ; ad quæ Comitia omnes Magistri Theologiæ convocati sunt per juramentum; ut, exemplo aliarum trium Facultatum Academiæ, consensum suum darent amplissimo Domino Rectori, ad intercedendum, & se opponendum Cathedræ seu Professioni Theologicæ, quam Patres Societatis Jesu, contra omnia statuta Academiæ, nuper impetrârunt à Rege Christianissimo, & suo Sodalitio privatim addici curârunt. Principiò honorandus M. Emundus Richer, Syndicus Facultatis, retulit, die Sabbati, 7. Novembris, mandato Domini Rectoris Academiæ; Viros selectos omnium Facultatum coivisse in Collegium Montanum, ut consilium inirent, de intercedendo Patribus Societatis: & die Lunæ, 9. Novembris, reliquas Facultates Academiæ privatos agitâsse conventus, atq; seorsim decrevisse, ut intercederetur: similiter eodem die, Viros selectos ex Ordine Theologiæ, in privatis ædibus Facultatis, statutum fecisse, de obsistendo, quò minùs Patres publicè docerent Theologiam. Quò tamen isthæc intercessio plus haberet ponderis; solennia Comitia in diem 16. Novembris haberi, ac in vim obedientiæ (quam omnes Doctores, emisso juramento, Facultati spoponderunt) cunctos Magistros Theologiæ vocari, & Sacrum de S. Spiritu extraordinariè celebrari voluisse: minoremq;

Appa-

Apparitorem tabellâ, sigillo Facultatis & syngraphâ D. Decani instructâ, singulis Magistris prædictam indixisse Congregationem. Quibus auditis, variæ à variis Doctoribus suasiones, in hunc modum, habitæ fuerunt.

Primò: omnibus superioribus Comitiis semper actum fuisse, de retinendâ Scholæ dignitate. hodiernis non id agi; sed quæri, utrùm Facultas Theologica, atq; etiam tota Academia, Patribus docendi munus Lutetiæ capessentibus, dehinc consistere valeat? Cùm præsertim Patres jam-jam triginta-quinq;, aut circiter, Gymnasia in Galliis instauràrint, & in-dies nova fundant examina: ex quibus, tanquam ex locupletißimis coloniis, (nam, se quadraginta-millia Scholasticorum habere in solâ Franciâ, prædicant) suum istud Parisiense Collegium, in totius Academiæ vastitatem ac solitudinem, locupletabunt.

Jesuiticorũ discipulorũ numerus in Galliâ.

Secundò: Vineam Domini omnibus, suam industriam in eâ colendâ navare volentibus, longè latéq; patére; &, Christo Domino authore, messem multã undequaq;: paucißimos verò operarios, appetere: ac propterea omnes omnium gentium, ordinum, & religionum Christianarum homines, plus satis habere; undè cunctos animi & corporis sui nervos, agro Domini egregiè pastinando ac subigendo, intendant; si modò per Patres Societatis liceret. qui cùm, (authore Osorio, in obitum Patris Ignatii) ad aliorum Ordinum, Religionum, & Sodalitiorum. defectus explendos, nævos eluendos, distorta quæq; corrigẽda, & silentium tumidis magisteriis imponendum, instituti sint: nihil mirum esse, si in docendi labore neminem, ne quidem æqualem, aut etiam inferiorem, pati volunt: nisi forte Patrum nutu, tanquam equus generosus domini poppismate flectatur. Idq; in causâ esse; cur hodiè Patres, in totâ fermè Italiâ, in Galliâ subalpinâ, Sabaudiâ, Burgundiâ, Belgio, Germaniâ, Poloniâ, universæ eruditioni & literaturæ dominentur. In Galliis porrò, unicam & solam Academiam Parisiensem, multis Patrum Collegiis strictißimè obsessam, restare domandam: quò in Collegium Societatis captiva & triumphata ducatur; ac tandem periculosißimum totius sapientiæ & literarum monopolium (quæ sunt lucerna animi; quare, instar luminis Solis, communes esse debent) constituatur & Schola nobilißima, ex seculari regularis facta, non solùm Gallicanæ, verùm etiam universali Ecclesiæ (cui Theologiæ puritatem conservavit) surripiatur. Quòd si Patres, Parabolæ hominis pauperculi, unicam modò poßidentis oviculam, quam nescio quis dives, omni armentorum & pecudum genere refertißimus, occídi curavit, meminissent: forsitan aliqua eos solitudinis Academiæ Parisiensis caperet miseratio; & ducentis-millibus Scholasticorum, quos se in Europâ habere jactitant, contenti, nobis ampliùs molesti esse desinerent.

Discipulorum Jesuiticorũ numerus per Europam.

Tertiò: Reges Christianißimos Parisiensem Academiam sic institui voluisse, ut universi Ordines Regularium, suos tantùm alumnos privatim docerent, neq; unquàm ludum publicè reserarent. Præterea, suas regias Cathedras ità instruxisse; ut nullus, bonis artibus incumbens, civis aut peregrinus, secularis, modò tamen idoneus, exstaret; qui non aliquando se hujuscemodi Professiones regias consequi posse speraret: ex eoq; accidisse, ut D.D. Genebrardus, Salignacus, Perionius, Religiosi Ordinis S. Benedicti; Marsilius verò, Stadius, Strazelius, Vicomercatus, multiq; alii peregrini, regias Cathedras aliquando, magnâ cum laude, in hac Academiâ rexerint.

Cardinalis Perronius, amplifica-

Quartò: Henricum IV. Galliæ Regem, suasione doctißimi & illustrißimi Cardinalis Petronii, duas Professiones regias Theologiæ, ab undecim annis, fundásse Parisiis; & spe illa-

illarum obtinendarum, hodiè Parisienses Theologos, tanto cum ardore & æmulatione, in Theologiæ studium incumbere: ut non-pauci reperiantur, etiam stipendiis destituti, qui Theologiam gratuitò doceant: adeò ut, in Collegiis Sorbonæ & Navarræ, singulis diebus, sex habeantur Lectiones theologicæ, quas quadringenti & ampliùs Auditores, tanto cum fructu, certatim frequentant: ut Patribus vehementer doleat, neq; operam suam, neque eruditionem, neque diligentiam, hac in parte desiderari. Quocirca veriti, ne, progressu temporis, sua Theologia Parisiis exolesceret; callidè, in ruinam Scholæ Parisiensis, facultatem docendi Theologiam impetrârunt. Sed, cùm Theologica, neq; à Majoribus nostris, neque in Scholis Patrum, accuratiùs aut ornatiùs, quam hodiè à sex Professoribus Parisiensibus, unquam tractata fuerint: certè Patres, qui in aliorum subsidium missi sunt, (nisi fortè, sincera etiam vasa incrustare, & firmissima quæq; tibicinibus fulcire voluerint) à Theologicis profitendis Lutetiæ abstinere debuerunt. Quòd si quis prudentiæ, imò verò charitatis, sensus superest: longè præstantiùs pietati consultum foret; si Patres ad eos proficiscerentur, qui eruditione theologicâ indigent: non ad Scholasticos Parisienses; qui, summo Dei & Regis beneficio, omni genere literarum abundant. At-at, hoc non mysterio carere, & in Professoribus Parisiensibus quidpiam, limâ & animadversione Societatis dignum, observatum fuisse oportet; quoniam Patres, sui atq; obliqui, æterna sunt regula. Verùm, quis hoc illorum inceptum aliorsum tendere arbitretur; quàm ut, semel impetratâ licentiâ profitendæ Theologiæ, unà quoq;, ad omnia alia exercitia literarum, viam sibi expeditam muniant? hacq; ratione Parisiensem Academiam in suum includant ludum? Quod illis propositum esse, omnes facilè intelligent; qui noverint, Patres, in suis obeundis negotiis, hoc semper de more habuisse: ut sensim perreptarent, ac instar naviculariorum, averso vultu, remis velisq; in portum, multò antè meditatum, appellerent. In cujus rei exemplum, varias sanctissimorum Pontificum constitutiones, pro hoc sodalitio authorando factas, adducere possemus: maximè verò, quòd sic inter se dissimiles sint; ut posterior antecedentē gratiâ, & privilegiorū amplitudine, perpetuò exsuperet. Veruntamen ad domestica oculos præstat convertere. An non Edictum regium, de revocandis Patribus promulgatum, planè atque distinctè cavebat: Ne Sodales isti, jure hæreditario, Parentum suorum bona possiderent? ne plùs, quàm octo aut decem Collegia haberent in Galliis? ne Parisiis docerent? *Sed quam istarum edictionum sibi servandam duxerunt? Quem, superiore anno, lapidem non moverunt; ut, contra omnem naturæ sensum, (quæ illos solùm hæredes patitur, à quibus similiter aliquid hæreditatis sperari potest) avitas hæreditates cernerent? Sed quis hodiè modus, vel novis Collegiis Patrum struendis, vel ambiendis, positus? Quæ non gratia quæsita, & prensatio adhibita; ut Provinciam docendi Lutetiæ consequerentur? Quanquàm tamen, hoc legendi onus sibi invitis impositum, dictitent. At quotus-quisq; est tam inscius rerum; qui non videat, principium expugnandæ Academiæ Parisiensis, ideò à Facultate Theologicâ, tanquam robustiore, duci: quò, hac arce disturbatâ, reliquis Facultatibus de salute suâ desperantibus, Patres in locupletiora Collegia hujus Academiæ (quæ jam aliàs sæpè occupare conati sunt) procliviùs invadant & cunctas Professiones regias, cujuscunq; sint generis, partim in suum transportent sodalitium; partim unis suis asseclis & fiduciariis deferri curent? Quod sanè propter studia, & singularem gratiam, quibus apud omnes munitissimi sunt,*

Ardor Academiæ Parisiensis.

illis tàm promtum ac facile; quàm expeditum fuit, in opimiores cathedras diœceseôn totius imperii Gallicani involare. Eccui enim vestrûm hodiè alibi, quàm in pagis & oppidulis, permissum est concionari? Quæ Academia Europæ, quis ordo Religiosorum, quod Sodalitium tam illustre aut excultum fuit, quod mansuetißimam & beneficam manum Societatis in maculis suis detergendis, lacunis implendis, aut vitiis corrigendis, non perfenserit? Usq; adeò certè, ut calvis quoque pilos evellere, i.e. pauperrimos mendicantes Religiosos, quibus nihil aliud est proprium, tectis & sedibus propriis sæpè exturbare voluerint. Nihilominùs, quia hoc ad majorem gloriam Dei; iccircò in ædificationem, non in destructionem, fieri, prætexitur.

Quintò: Si Doctoribus Lovaniensibus salutare & gloriosum fuit, obniti Patribus: quantò magis huic Scholæ celeberrimæ palmarium ducetur, hoc certamen suscepisse, ad se conservandum? Neq; quisquam in animum suum inducere debet; optimum & æquißimum Regem, Patribus Societatis, in detrimentum & perniciem Filiæ suæ primogenitæ, (quæ Regno & Ecclesiæ Gallicanæ multùm aliquando profuit; &, ut speramus, adhuc profutura est) gratificari voluisse? cùm præsertim suum Diploma amplißimo Ordini comprobandum miserit. &, quanquàm non misisset; omniaq; Patribus ex animi sui sententiâ contingerent: attamen semper justũ & laudabile censebitur, omnem impendisse operam; quò communem bonarũ artium parentem vindicare, & posteritati propagare, niteremur.

Sed iniqui rerum æstimatores tria nobis objiciunt. Primò: Non intercesſione; sed induſtriâ, certandum eſſe. *Justa quidem oratio: si, quæ certandi adjumenta cumulatißimè largiuntur Patribus, saltèm parcißimè dimetirentur Academicis. Vetus enim est adagium; Honorarium artes alere, & ingenia excitare ad gloriam. An Gallia solis Patribus optima & liberalißima Parens; Nobis verò infestißima erit noverca? Sint ergo nobis Mæcœnates, in Spartâ nostrâ ornandâ: non deerunt quoque Marones. utì nec hodiè desunt aliqui, nec olim defuerunt: quos tamen Patres nobis invident. Nam Genebrardum, (qui, antequàm Societas ullum docendi initium fecisset Lutetiæ, nostrum stadium theologicum decurrebat, librosq; eruditißimos in lucem edebat) & suum esse, & apud se studuisse, venditant. De quo quidem Viro quia mentio incidit: magnam Patres apud nos inibunt gratiam; si Commentarios, quos Vir ille doctißimus, in totum Vetus Testamentum, ad-instar Commentariorũ suorum in Psalmos, lucubravit, publici juris esse patiantur. Hos enim libros, Patres à Genebrardi hæredibus accepisse, D. Millerant, Genebrardi anagnostes, nobis certò retulit.*

Secundò, homines nimiùm-quantum scrupulosi causantur: Obſiſtere Patribus, perindè eſſe, ac bonum notiſsimum propulſare; & conſequenter, in Spiritum S. impingere. *Quæ ratio si locum habeat: veteres migrate coloni; vestrasq; domos, supellectilem omnem, & prædia instructißima, ultrò Societati permittite quæ si fortè repudiârit: vim facite, ut illa accipere non gravetur. Sed istis meticulosis hominibus spontè tribuamus, certitudine morali exploratum haberi; Societatem longè uberiores fructus posse, in aliquo Academiæ Collegio, fundere, quàm Gymnasiarcham & Præceptores isthîc docentes: an proptereà istis Præceptoribus, divino & naturali jure, minùs permissum est, adversari Patribus, in Collegium suum annitentibus irrumpere? O` miserabilem & inauditam Theologiam!*

Ter-

Tertiò,obteſtantur; Patres Societatis percupere,in gremium Academiæ Pariſienſis cooptari. *Bonâ'ne id fide publicant? Enimverò ſemper illis ſolenne fuit,quoties aliquid contra Academiam molirentur,noſtram ambire amicitiam: rebus autem ex animi ſui arbitrio fluentibus, & nos, & noſtra omnia,magnificè contemnere. Suprema lex Academiæ,ſalus eſt Academiæ. At ſalva nunquam eſſe poteſt; ſi Patres (qui regulares; non ſeculares ſunt) publicè doceant. Quocirca,ab anno 1564.(tùm enim primitùs ludum aperuerunt Lutetiæ) Schola Pariſienſis, lento colliſa duello,jugiter contabuit. Porrò,cùm nobis tantum faceſſant negotii foris; quid facient,in noſtra penetralia admiſſi? An Sodalitium,ad aliorum vitia corrigenda,& defectus inſtaurandos,compactum,poteſt à quoquam hominum vel Collegiorum legem accipere; & non potiùs aliis omnibus edicere? Perpendite, cujúsnam hæc ſit divina vox,Marci 2.* Nemo aſſumentum panni rudis veteri aſſuit veſtimento: ne novum ſupplementum,vetus veſtimentum deterat; & major fiat ſciſſura. *Valeant igitur,qui,contra Domini oraculum,ſciſſuras,inter nos & Patres Societatis,Academiæ Pariſienſi dominari volunt.*

Omnium autem Magiſtrorum conſenſu,ſtatutum eſt: primò,Libello ſupplice agendum apud Regem; & interceſſione atque oppoſitione apud Senatum: ne prædicti Patres Profeſſionem regiam conſequantur,& eorum literæ comprobentur in Parlamento. Secundò, habendas eſſe gratias immortales Domino Rectori,de ſuo ſingulari ſtudio,in tutandâ & conſervandâ Academiâ: atque ampliùs illum juvandum omni ope,ſtudio,& comitatu neceſſario,ad iſtud negotium peragendum.

Durante actione iſtâ,& Rege Henrico IV. intereà trucidato; filioque ejus Ludovico,adhuc puero,ad Regiam dignitatem inaugurato: Jeſuitæ,tempore utentes,novas Literas,menſe Auguſto, anni 1610. ſub novi Regis nomine, impetrant; quibus denuò ipſis permittitur,in Collegiis ſuis Lectiones publicas facere,idq; in omni Scientiarum ac Diſciplinarum genere. Verùm & iſtis, Facultas Theologica Pariſienſis,ſequentem actionem oppoſuit.

Anno Domini 1610. die Lunæ,23. Auguſti,poſt Miſſam de S.Spiritu,more uſitato celebratam,habita ſunt Comitia extraordinaria,in aulâ Collegii Sorbonæ: quò omnes Magiſtri Theologiæ in vim ſacramenti convenerunt,deliberaturi de intercedendo Literis, quas Patres Societatis Jeſu impetrârunt à Rege, ad Ludum literarium reſerandum,proximis Remigialibus, in ſuo Collegio Claromontano. Honorandus autem M.Edmundus Richer,Syndicus Facultatis,retulit: primò,Dominum Rectorem, die Sabbati,21. Auguſti, convocâſſe in ſuas ædes privatas,Collegii Calvici,quatuor Decanos,& Viros ſelectos Academiæ; ut conſulerent inter ſe,de obſiſtendo prædictis literis Patrũ Societatis: ac ſummâ omnium conſenſione ſtatutũ fuiſſe,ut nomine totius Academiæ intercederetur. idq; multò magìs in præſenti negotio decerni oportere,quàm ſuperiore anno; dum Patres Jeſuitæ facultatem,legendæ Theologiæ Pariſiis, obtinuerant: atque ordinem Theologicum, in hodiernâ interceſſione, id gratiæ & auxilii debere toti Academiæ; quod reliquæ tres Facultates,tùm temporis,uni Scholæ Theologicæ laboranti, alacri & benevolo animo impertierant. maximè verò,quòd erectio Novitiatûs,in ſuburbio S.Germani à Pratis, & reſeratio Ludi literarii in Collegio Claromontano,ad ruinam certiſſimam omnium Facultatum Academiæ pertineant. Quare, ut hæc oppoſitio plus habitura eſſet ponderis; omnes

Facultates è vestigio convocandas, quò, nomine totius Academiæ, tàm generatim, quàm sigillatim, instrueretur intercessio. Eamq; ob causam hodiernos Conventus indictos fuisse per juramentum; ut Facultas Theologica suam oppositionem privatim institueret.

Secundò, idem Dominus Syndicus rogavit omnes & singulos Magistros Theologiæ; ut memores essent sacramenti sui, de omni viâ & ratione tutandâ, & conservandâ communi Parente Academiâ. Quibus auditis, Dominus Decanus sacramentum ab omnibus Magistris Theologiæ exegit, de conservandâ Academiâ & Facultate Theologicâ. Sed tandem, hinc atque illinc subductis Magistrorum dissidentium opinionibus, illi aliquot suffragiis vicerunt; qui intercedendum esse censuerunt, certis conditionibus appositis. Verùm, cùm primâ die Septembris, post Missam de S. Spiritu, in solenni & ordinaria Congregatione Facultatis, (ut in omnibus aliis conclusionibus fieri consuevit) hæc conclusio legeretur, & recognosceretur; major pars Magistrorum censuit, purè & simpliciter intercedendum esse Literis regiis, impetratis à Patribus Societatis Jesu. Actum in aulâ Collegii Sorbonæ, die & anno proximè suprà dictis.

Sed & cæteris Facultatibus, Nationibusque, in Academiâ Parisiensi, in eandem intercessionem singillatim consentientibus: *Anno Domini 1610. die 16. mensis Septembris, congregati fuerunt deputati Domini Universitatis Parisiensis, apud Collegium Calvicum, in cubiculo Domini Rectoris, horâ 2. à meridie. Expositâ, per dictum D. Rectorem, Congregationis causâ, & maturis deliberationibus præhabitis: dictus D. Rector, sicut antè ex decretis Facultatum, ad illum scripto relatis, ita conclusit cum Facultatibus Theologiæ & Artium; Intercedendum esse, nomine Academiæ, probationi regii Diplomatis, à Jesuitis obtenti: & quòd in omnibus, hujusmodi intercessionem concernentibus, scribatur, RECTOR & UNIVERSITAS: fiantq; omnia expensis ejusdem Academiæ. Actum anno & die prædictis.*

Cùm igitur MARTILIERUS, Academiæ Advocatus, in Parlamento, statum controversiæ inter Jesuitas & Academiam, *An nimirum potestatem haberent Jesuitæ, Artes quaslibet liberales in Collegio suo publicè profitendi?* dilucidè admodùm explicâsset; & iniquitate, turpitudine, flagitiis, erroribusque, tàm vitæ & morum, quàm doctrinæ ipsorum, commemoratis, Academiæ non solùm, sed & universæ Reipub. detrimento eos esse maximo, certis immotisque argumentis ità confirmâsset; ut, Regum eos parricidas esse, dubium ampliùs nemini videretur: Et verò Advocatus Jesuitarum, tàm frigidè ad argumenta ista, die postero, respondisset; ut appareret facilè, argutias eorum, ad obfuscandum clarissimum Veritatis Solem, momenti afferre nihil ampliùs posse: SERVINUS statim, Advocatus regius, facto, à matris Hircani & Aristobuli, qui ex regiâ Maccabæorum stirpe ultimi fuerunt, historiâ, dicendi initio: *Eam,* inquit, *Pharisæorum & Scribarum, qui vitæ morumq; innocentiâ omnium in se oculos converterant, astutiâ, eò tandem miseriarum perductam fuisse; ut, præter nomen & titulum Reginæ, (potestate & imperio omni ad Pharisæos delato) nihil ampliùs retinuerit.* Porrò autem, ex antiquorum Patrum & Doctorum Ecclesiæ scriptis, monasticam, eremiticam, & in universum omnem Ecclesiasticam vitam,

sam, solitudini, humilitati, studiis, castitati, dilectioni, simplicitati, paupertati, bonisque temporalibus & favori Principum contemnendis, totam deditam esse oportere, ostendens; longè hanc Jesuiticam ab eâ alienam esse, (utpotè quæ bonis aliorum, per insidias & dolo malo occupandis, inhiaret, & doctrinam, tàm in formâ, quàm in materiâ, pessimam profiteretur) argumentis & exemplis plurimis tàm dilucidè comprobavit: ut ne hiscere quidem contrà, qui adfuerant Jesuitarum primores, potuerint; sed & defendere suam volentes causam, omnium se risui exposuerint.

Actionem à Martiliero, pro Academiâ Parisiensi, adversùs Jesuitas susceptam, (uti commodiùs ea finiretur) tandem anno 1611. die 22. Decembris, PETRUS HARDIVILLERIUS, Academiæ Rector, promovendam, talem in modum sibi sumsit.

Quod hactenus à Deo immortali, conjunctis & consentientibus votis sinceriores Gallorum animi petierunt; id vestro tandem singulari beneficio concessum nobis est, Judices: ut Academia Parisiensis, vel temporum variis casibus afflicta, vel maleficis Adversariorum artibus debilitata, coram amplissimo & integerrimo totius terrarum orbis consilio sistat se, & in hoc celeberrimo justitiæ ac veritatis theatro causam edisserat suam; in quo veritati magnus; fuco, insidiis, versipellibus ingeniis, nullus locus relinquitur.

Ecce igitur, Academiarum omnium princeps & regina, Regum Christianissimorum charissima soboles, prodit ad sacrum tribunal vestræ Dignitatis: non jam suâ amplitudine venerabilis, non nativâ pulchritudine spectabilis, non vegeto illo succiq; pleno corpore, non uberibus lacteo quodam εὐψυχίας *fonte manantibus, non flammeis illis ac flagrantibus oculis, quibus omnium gentium animos divinis incendebat ardoribus; sed nuda, mœrens, abjecta, in situ & squalore vitam trahens, miseriæ & conditionis suæ pudore suffusa, longam post se natorum turbam ducens, & paucis eorum fulta cervicibus, unicum in vobis suæ sortis ac fortunæ præsidium quærit: vos, velut genios hujus imperii, & literarum deos tutelares, madentibus oculis intuetur, obsecrat, obtestatur: quorum salutari manu nisi è cœno & sordibus extrahatur; quorum sententiis, velut benignioribus oraculis, nisi morbi per ejus viscera sævientes reprimantur: non est, quòd aliud in tantâ rerum acerbitate doloris lenimentum quærat, aut in tantis tamq; atrocibus malis solatium exspectet; quàm quòd saltèm novissimas ejus voces Senatus amplissimus audiet, extremos spiritus ore suo excipiet; & ipsa in vestro sinu innocentem, & Gallici candoris perpetuò retinentem, animam exhalabit.*

Disertissimus Adversariorum patronus, in ipso limine institutæ actionis, meminit ejus contentionis, cui inter Ajacem & Ulyssem Achillis arma occasionem præbuerant. unde statim mihi in mentem venit, posse ab Academiâ adversùs ordinem Jesuitarum, quod ab Ajace adversùs Ulyssem, usurpari:

Ipse tulit precium jam-nunc certaminis hujus;
Quòd, cùm victus erit, mecum certâsse feretur.

Quis enim non videat, vel hinc maximè Academiam commoveri; quòd regiâ stirpe, & natalium splendore illustris, de fortunâ suâ disceptare cogatur cum iis, qui vel è tenebris rusticorum prædiorum, vel ex ultimis Hispaniarum oris emerserunt: quiq;, cùm victi fue-

rint, abundè sibi satisfactum putabunt; quòd Academiarum omnium principem in hoc certamen venire coëgerint.

Sed ne in hoc periculoso, & ancipiti conflictu, Adversariorum infames ambitus, varii ac multiplices versutiarum nodi, & nobis primùm invisæ & inusitatæ captiones, Academicorum animos repentino metu, velut quodam turbine, percellerent: ecce, vestróne dicam, (Judices) an divino consilio, datus is est, & constitutus rei Academicæ Patronus; qui undique oculatus, imò oculeus totus, clarissimè videat in illis latebris, ac recessibus: qui non ense, ut Alexander; sed linguâ, solvat intricatiores quosque nodos: qui facem eloquentiæ præferens, Gallorum animos deducat per avia, prærupta, sinus, anfractus Jesuiticæ Societatis: quo stante, quo eloquente, quo superstite, non possit non stare, non exaudiri, non integra illibataq; remanere sinceritas, amplitudo, dignitas Academiæ Parisiensis. Quid-nî tali Patrono glorietur & exsultet Academia; cui notæ sunt ac familiares ipsius Themidis ac Justitiæ voces? cui, velut certissimo oraculorum suorum interpreti, Astræa se totam explicat: cui Mundum omnem suum, gravioribus Senatusconsultis, Principum rescriptis, responsis Prudētum, & aliis juris partibus, velut gemmis exquisitioribus, nitentem, recludit: cui Themidis comites, Suada, Gratiæ, Lepóres, certatim coronas nectere, trophæa erigere, monimenta exstruere; quem denique Minerva genuisse, Musæ educâsse, Elegantiæ, Veneres suis manibus adornasse, videntur. Quàm purè, quam sincerè, quam candidè veritatem expressit, non peregrinis aut ascititiis adumbratam coloribus; sed suâ, eâq; verè-divinâ pulcritudine, exsurgentem: cujus nunc in omnium, qui hunc audierunt, mentibus adeò expressam imaginem intueri mihi videor; ut neminem, in hac incredibili hominum frequentiâ, credam reperiri: qui, quæcunque dixit, non modò tanquam ipsius veritatis ore prolata excipiat; sed etiam ejus modestiæ singulari tribuat, quòd non plura retexerit aut revelârit.

Ego verò, Judices, qui sic aggredior ad dicendum; ut pietatis potiùs, quàm defensionis; querelæ, quàm eloquentiæ; doloris, quàm ingenii, partes à me susceptas intelligam; illud præsertim in hac causâ molestissimum esse sentio: quòd hodiernum certamen, non inter homines modò, sed inter literatos; non inter literatos, sed etiam inter Christianos, imò inter Reipublicæ Christianæ celeberrimas Societates, excitetur: & hinc fortasse fautores hæreticæ pravitatis, qui, tanquam callidissimi aucupes, ad animarum perniciem perpetuas agunt excubias, aliquam plebeculæ & imperitæ multitudinis decipiendæ occasionem arrepturi videantur. Sed eò adacti sumus importunitate Adversariorum: qui toties moniti, ut cœptis desisterent; toties objurgati, ut ambitioni suæ modum facerent, toties à nostris aris focisq; depulsi, se-se nunquam continere potuerunt; sed vel cum hoc Christianæ charitatis dispendio, in aliena jura, prædia, possessiones, irrumpere, quam suæ cupiditati frenum imponere, maluerunt.

In quo cùm multa indigna sunt; tùm vel hoc prorsus non ferendum: quòd jam non per se, non per emissarios suos, non per homines vel à Musis aversos, vel à Republicæ Gallicanæ incolumitate alienos; sed per vos æquissimos Judices, per vos nobis, per Academiæ tutores Academicis, periculum inferre conantur: &, quos hactenus occultis consiliis, & concinnatis artibus ac dolis, extinguere non potuerunt; hos vestrâ authoritate, vestris sententiis, & judiciorum religione, oppressuros se arbitrantur. Et quia, inter cæteras suæ postu-

postulationis causas, Academiæ vastitatem, Ordinũ nostrorum ἀταξίαν, nimiam juvenilis ætatis licentiam, velut quosdam corporis Academici morbos, objecerunt; quibus curandis, nec jussa Regiæ majestatis, nec pondus vestræ authoritatis, par sit; sed sola eorum Societas cœlitùs in eum finem demissa videatur: ego vel hinc maximè contendam, non requiri tàm reverendorũ Patrum nimis-obsequiosas manus, quòd Academiæ vitam periclitari, & in magno discrimine constitutam esse, videamus. Quis enim eos Academiæ laboranti Medicos adhibeat; quibus constat, innatum esse cujuslibet alterius Societatis contemtum: quorum consiliis & artibus, tantam morborum cohortem nostris incubuisse terris, compertum est, quos Academiam jacentem, & (ut sperant) morituram, circumstare videmus: vel ut importunos hæredipetas, qui, etiam nondùm morte comploratâ, funeris tamen arbitria petant; vel ut corvos prædæ inhiantes, qui non nisi injectâ in os offâ recedant. Hanc eorum mentem, & reconditos sensus, licèt ex eorum sermonibus tenere, & omnium oculis subjicere possimus; tamen ex ipsâ temporum conditione, & tàm Jesuiticæ, quàm Academicæ societatis fortunâ, non eorum modò consilia, sed consiliorum eventa, colligemus, & ad primos malorum nostrorum fontes digitum intendemus.

Prima Jesuitici cœtûs incunabula nihil moror: quibus quantum accessit, tantum Academiæ decessit. Sed hæc vel leviuscula erant; vel certè non tanta, ut Academiæ amplitudinem, Musarum politiorum elegantiam, Virorum omni doctrinæ genere cumulatissimorum industriam, retardare, aut infringere possent. Uno verbo; hæc nubecula, ad Solem Academiæ Parisiensis, exigua, vel potiùs nulla. Venio ad cruentum & lethale vulnus, quod sanctissimi, & Regularum suarum tenacissimi Patres, nobis, nihil tale cogitantibus, inflixerunt. Academia, bellorum civilium procellis jactata, ex communi naufragio, sed non sinè rerum suarum jacturâ, vix emerserat; & nihil aliud, quàm pictam naufragii tabellam in pectore suo præferens, errantes Musas, ac penè dissipatas, ad hoc natale solum, & gentilitias ædes, revocabat: cùm sagacissimi Patres animadverterunt, convulsos ejus nervos, fractasq; vires, non sinè peculiari regiæ cujusdam munificentiæ affluxu, posse reparari; & tamen Academicos carere stipendiis, quibus, velut nervis, tota humanæ virtutis, ingenii, industriæ compagès, movetur, flectitur, agitatur: & ecce, Regem Christianissimum adeunt supplices, petuntq;, ut, quod pacis ac publicæ tranquillitatis bonum, ubertate suâ, omnes omnium ordinum homines recreabat, parvulum illum gregem tantæ dulcedinis guttulâ respergeret: ut, qui bonorum omnium fontes, sparsis hinc-indè rivis, passim oberrabant, etiam eruditionis & doctrinæ, quæ tunc aruerat, puriores aquas effunderent. adesse sibi animũ, non tàm nomine, quàm re, affectu, studio, verè-Gallicanum, & ad Regiæ majestatis obsequium omninò præsentem, promtum, expeditum: unica, præ cæteris floribus, sibi Lilia cordi: omnes suos conatus cogitationesq; dirigi ad commune Reipublicæ bonum; ad Regis invictissimi ἀποθέωσιν; & in usum ac splendorem pietatis, Musarum, & omnis literaturæ politioris. Literas esse ornamentũ Reipublicæ, præsidium Imperii, Solem & oculum Regni: non debere solam Lutetiam (mecum, quæso, animadvertite Judices) frui literarum beneficio, & Juventutis instituendæ bono gaudere: diffundendum illud esse per varios ac multiplices hujus Regni tractus, civitates, provincias: Bonum quò communius, eò melius.

Rex optimus & magnificentissimus, clementiæ suæ mollioribus ulnis eos excipit; fovet suo

suo sinu & pectore; eosq; tùm Flexiæ per se, tùm in aliis Regni partibus, per Subditos suos, stipendiis ditat amplissimis: quibus velut armis ac telis validioribus instructi, regio nomine, velut numine tecti, Academiam inermem, omni præsidio destitutam, adoriri, & grandiore turbâ suum illud adeò quæstuosum Gratis personando, Juventutem, ad hoc literaturæ melioris emporium concurrentem, abducunt. & miramur Academiæ vastitatem, ac solitudinem! miramur illum vitæ literariæ fontem exsiccari, præcisis undequaque venis ac ductibus, quibus sanguinem & spiritum accipiebat! Et his Academiæ salutem committemus? hos velut Medicos advocabimus, quorum operâ in eas deductam angustias vidimus: ut jam, protensis ad captandam hæreditatem manibus, undiq; ad ejusdem funus convolarent; & spirantibus adhuc atque palpitantibus præcordiis, busti reliquias animo, votis, cogitatione, devorarent?

Sed eos tunc sua longè fefellit exspectatio. Factum enim est, ut totum laborantis Academiæ corpus, circumfusis eorum gregibus obsessum, vires collegerit suas: adeò ut, quemadmodum rosæ alliorum viciniâ fragrantiùs olent, frigore obsessus ignis magis ac magis inardescit; sic Academia, quidquid nativi ad vitam suam caloris, quidquid virium supererat, repentè cogeret; & ad ejus præcordia, contra pestilentẽ hujus syderis influxum præmunienda, confluxerint & convolârint, veræ, ac non-fucatæ pietatis & doctrinæ, Academici; ac deniq; cor ipsum miseræ ac moribundæ Parentis, auro purioris & defæcatioris doctrinæ, refecerint. Ecce igitur, respiravit Academia, & ex eo conflictu salva & incolumis erepta,

——Corvos delusit hiantes.

Quod ubi sensêre Claromontani Patres; ad alias artes extemplò confugiunt; nova ineunt, vel vetera potiùs exercent consilia: multos amicitiâ comprehendunt, tuentur obsequio: naturam suam versant ad tempus, atque huc & illuc torquent & flectunt; vagantur per Parisiorum domos & familias: crustis & pomis venantur rudiusculas mentes; alias promissis, blanditiis alias, spe & exspectatione plurimas detinent. Immò & per nos nobis perniciem creant: ac leviusculos quosdam homines, qui in ipsis Academiæ visceribus alebantur, ejusq; sanguine saginabantur, privatâ benignitate prolectant per quos Academia pectus Jesuitarum pateret ictibus; & eorum dogmatis, multiplici ambiguitate ferientibus, ut gladiis ancipitibus, dissecandum proderetur; per quos ejus sacraria recluderentur: ubi regnare, ubi dominari, ubi sui gregis domicilia statuere possent, ubi nascentibus, ad verum decus, & vitæ civilis cultum, ingeniis spiritum præcludere; ubi Minervam ipsam, erepto clypeo, galeâ, ægide, & nativo decore privatam, suis ornare manibus, suis coloribus pingere; & licèt sacram ac religiosam, tamen quasi victimam publicæ libidinis, omnium oculis adspectandam, manibus attrectandam, & vulgi profanis pedibus proculcandam, exponere.

Obtinent igitur, à Rege optimo & piissimo, diploma seu rescriptum; quo in ipso Academiæ Parisiensis gremio publicè Scholas aperiendi facultas concedatur. Cujus comprobationi dum insistunt: Academia non minùs modestè, quàm animosè, reluctatur; & per amplissimos Rectores, sui juris vindices & propugnatores acerrimos, è justitiæ & æquitatis fontibus, limpidiores aquas hauserunt: quæ hos ardores mitigare, has extinguere flammas, hos motus saltèm ad tempus componere possent. Interim Patres Jesuitæ, moræ impatientes, non sinè authoritatis vestræ contemtu, & Academiæ injuriâ, nobis videntibus, recla-

manti-

mantibus, Juventutem instituunt: idq; (ut Legi fraudem faciant) non per se; sed per alios quosdam magistellos, vel aliunde accitos, vel quasi fungos, noctis unius spatio, è fœcunditate soli Claromontani prorumpentes, audacter exsequuntur. Quid mirum, si Academia, malorum, quæ hactenùs perpessa est, gravitate fracta & debilitata, in pristinos dolores recidere videatur? Ideóq; , licèt in morbi graviore paroxysmo constituta, exhaustis penè viribus, nunc non gemere tantùm, non lugere suam sortem; sed contrà vim, contrà fraudem exclamare, vociferari, Deûm atque hominum fidem cogitur implorare?

Sed ecce, ad ejus clamorem concurrunt illi-ipsi Patres, qui ejus vitæ insidias fecerant, velut egregii Chirones, & malorum omnium Averrunci, occultâ quâdam arte, sibiq; propriâ, languentem Academiam excitaturi; & ad novam suæ lucis puritatem tandem aliquando revocaturi. Quod beneficii genus, ut nobis conferre faciliùs possint: nihil aliud in votis habent, quàm ut nostro sinu excipiantur; in eandem nobiscum societatem coëant. Profitentur, se, non ut dominos fundi, sed ut colonos, imò ut servos humiles, in familiam nostram cooptari velle; omnibus modis strictissimis nodis obligari; inviolabili sacramento constringi, è quo, adversùs Academiæ vitam & dignitatem, se nunquam possint expedire. Iisdem legibus ac institutis teneri, iisdem nexibus vinciri volunt; atque adeò venalem (ut nos) scientiam obtrudere; & pecunias, suis laboribus ac vigiliis partas, in rem usumq; nostrum convertere. O' suaves ac melle illitas voces; sed quas, si quis sapit, ipso felle reperiat amariores! An putatis, (ô boni Patres) panem illum quem nobis sinistrâ manu porrigitis, solum nobis conspi uum esse; lapidem verò, quem dextrâ absconditis, nostrorum aciem oculorum effugere? Quid adhuc dolos nectitis? quid? tot, tamq; varios vultus induere, tot personas assumere, nondum cessabitis? Quid? in Reipublicæ sole constituti, tot colorum species spectantium oculis (præter niveum, & Gallis insitum animi candorem) exhibetis? Acutior nobis est oculus prudentiæ & sagacitatis, & catena solidior justitiæ; quâ versatiles, & in omnem formã mutabiles Proteos, retinere, & propriâ tandem formâ conspiciendos exhibere possumus. Utinam. udices, (ex animo dico) utinam eos, non modò velut socios admittere; sed etiam ut fratres complecti, ut patres venerari liceret! Sed magnos hic campus montes habet: sed fieri id non posse, testantur & evincunt tot Urbes, quas regunt ad nutum; tot Provinciæ, quas possident; tot Academiæ, quæ in suis sepultæ cineribus jacent, & ex quarum ruinis rerum suarum insanas substructiones erexerunt. Hæ tacitis quibusdam & occultis motibus Academiam Parisiensem agitant, monentq; ut sororum suarum periculo sapiat: atque ut eas antiquitate, amplitudine, dignitate; sic vigilantia, sagacitate, constantiâ, superet: proximaq; ac penè instantia sibi pericula, non modò cautè prudenterq; provideat; sed etiam fortiter & gloriosè depellat. Monent, eorum Societatem similem esse pennis Aquilarum; quæ sensim eas atterunt, cum quibus inclusæ ac reconditæ sunt: vel fluviis, qui insulas complecti, iisq; adblandiri videntur; eas tamen paulatim comminuunt & peredunt.

Verùm, quid earum voces ac monita desideramus? quid in externa cæterarum Academiarum discrimina inquirimus? Jam intùs est periculum: æstuat morbus in præcordiis: & ipsi Academiæ hostes, prætextu pharmacorum, illius venas, meliori sanguine exhaustas, venenatis exotericorum dogmatum poculis inficiunt: atque, dum gratis Ambrosiam suam, suum Nectar, & cœlestes illas dapes, Academicis languentibus apponere se

jactant; ecce, ô scelus! Academiam præfocant: linguam præscindunt, ne loqui; oculos eruunt, ne eorum fraudes possit intueri: jugulum petunt; ipsum caput aggrediuntur; Sorbonam tentant, lacessunt: quæ nisi eorum humores noxios statim excrevisset; totum Academiæ corpus, periculosissimo lethargiæ morbo tentatum, afflictum, prostratum, miserrimè jaceret. Societatem Jesu, Christianæ humilitatis & vitæ Apostolicæ clarissimum exemplar, adeò excessisse omnes humanitatis & officii terminos; ut Sorbonam, arcem religionis, Ecclesiæ Romanæ propugnaculum, Gallicanæ præsidium, decus, ornamentum, criminibus atrocissimis impetere ausa fuerit! & simplicitatem Sorbonicam impudentiæ, doctrinam ignorantiæ, sagacitatem imprudentiæ, coarguere! O' tempora! ô mores! Sinceritatem ac pietatem Sorbonicorum, in opprobrium Catholicæ religionis, & in Hæreticorum triumphum, impunè convertere, & ubique proclamare; typis etiam mandare! pro Sorbonâ, pro Academiâ Parisiensi, Carentoni, Rupellæ, & in cæteris hæreseωn gurgustiolis, preces ad Deum & orationes effundi! ô nefas! ô portentum! Quasi alibi, quàm in castris Sorbonicis, stet legio illa fulminans, non Aurelii Imperatoris; sed Romani Pontificis: quæ cælestes verbi divini flammas, & rotæ suæ fulmina, per universum terrarum orbem ejaculetur: quæ Adversariorum tela, Ecclesiæ jugulis intenta, vel statim eripiat; vel ex ipsis Hæreticorum manibus extorqueat: quæ faces, ad Catholicæ veritatis incendium jactatas, proferat, extinguat! Quasi alii sint, quàm Sorbonici; qui, in illâ munitissimâ divi Apostolorum Principis navi regendâ, potissimùm laborent: qui naviculam Calvinistarum, micantibus illis divini tonitrui flammis incendere; qui Calvinum à gubernaculo, Bezam à prorâ, à malo Mornæum, à funibus Molinæum deturbare; & gregariam Hæreticulorum, velut piratarum, turbam, undis & fluctibus obruere; & ereptis eorum remis armisq;, in profundissimum confusionis pelagus dejicere valeant! Hos tamen sanctissimi & modestissimi Patres, intra quorum pannos publicæ utilitatis amor incredibilis exæstuat, re, voce, scriptis, publicè contemnunt: ex eorum infamiâ famam venantur. & hæc nos Catholici patiemur? Galli tolerabimus? Academici silebimus? Si Catholici: ubi noster in Ecclesiam ardor animi? Si Galli: ubi nostra in Patriam pietas & fides? Si Academici: ubi tot immunitatum, privilegiorum, & acceptorum à Regibus Christianissimis beneficiorum recordatio?

Speciosum Societatis nomen, & boni publici pondus ac momentum, sonat in eorum verbis. Hunc finem & scopum si propositum habent: licet subditis jugum excutere; licet Senatusconsultis, & regiis etiam rescriptis, illudere; licet imperitæ multitudinis oculos eludere; licet veteres Academias pervertere; licet de Patribus miracula comminisci; licet passim Martyres conscribere; licet Sorbonica decreta non habere ludibrio tantùm, sed contumeliis prosequi; licet denique omnia pessundare: ut tandem sola Jesuitarum secta, totum Orbem dogmatum suorum facibus incendens, omnes etiam vitiorum spinas, vepres, & noxios deterioris doctrinæ succos, exurat. Et hoc tandem est, quod hesterna die, os Themidis, fori deliciæ, MARTILLERIUS, *ex Osorio, recensebat: inclinante & in senium vergente Mundo, nascituram novi cujusdam, & cæteris inusitati nominis, Societatem; quæ tumidis magisteriis silentium imponeret: ad cujus, ut ad Solis exortum, cæteri hominum jure-sociatorum cœtus, quasi minora & spurio quodam lumine lucentia sydera, mortalium oculis eriperentur. Id se, per universum penè orbem Christianum, jam assecutos gloriantur:*

gloriantur: & certè præclariora quæque, ac melioris notæ ingenia, suis undequaque sedibus expulerunt: passim erumpentes nascentis industriæ gemmas, velut pestilenti quodam turbine afflatas, adusserunt: omnem literatis, quâ emergere, ac se-se proferre possent, viam præcluserunt. Una restabat Academia Parisiensis; ad quam velut ad portum confugerent, ibiq; suæ virtutis ac eruditionis copiam facerent. & quia Adversariis suis scopulus est, in quem quò vehementiùs irrumpunt; eò miseriùs franguntur: idcircò ad ejus interitum omnes adhibent machinas; & in summo beneficii loco reponunt, si specie Societatis ineundæ, & nostræ salutis atque conservationis nomine, labores nostros, vigilias, conatus, omnibus invidiæ turbinibus exponant: si hanc Academiarum principem, ad limen Claromontanæ domus, ut vile mendicabulum, prostare; & alumnorum suorum præmia, ab eorum gazophylacio turpiter exspectare, coëgerint.

O miseram! ô flebilem Academiam! quæ olim gentes omnes tuæ fœcunditatis admiratione complebas; tuæ amplitudinis veneratione detinebas; tuæ authoritatis, doctrinæ, virtutis stupore, defigebas: si nunc, non temporis, non fortunæ, non fati; sed hujus Societatis ludus, fabula, ludibrium, orbe toto agnosciaris! An hoc, ô Judices, ô Galli, ô Parisini, vidère pati promovere potestis? Si literarum splendor restituendus: restituatur; sed sinè macula nostri nominis. Si Musarum vita & dignitas reparanda: reparetur; sed sinè Gallorum dedecore, aut detrimento. Gaudete, Judices, hoc laudis & gloriæ titulo. hoc vobis, ô Parisini, erga Patriam vestram beneficium reservate. Nónne Academia vestra, ipsâ antiquitate commendabilis, tantâ tamq; præclarâ ordinum multitudine admirabilis; tàm sanctis, tamq; religiosis ædibus frequens & celebrata; numerosâ virorum in omni doctrinæ genere consummatissimorum prole fœcunda, huic muneri potest facere satís? Ubi magnum illud vastumq; scientiarum omnium flumen liberiùs excurrere; ubi suos peragere circuitus; ubi suas undas volvere faciliùs, & uberiùs explicare potest; quàm in ampliori alveo Academiæ Parisiensis: in quo viri absolutissimi industriæ suæ merces preciosissimas vehere possunt; & per omnes orbis Christiani partes, cum summo Reipublicæ Gallicanæ fructu, abundè transmittere? Quis immensas humanæ cognitionis regiones; quis eloquentiæ purioris flumina, perenni ac limpido rerum & verborum fluxu decurrentia; quis arcanos, & infinitis per omnem naturæ vim rivulis diffusos, Philosophiæ fontes; quis altum illud, & nullis circumscriptum littoribus, Sapientiæ divinioris Oceanum, includat exiguis illis & angustioribus Scholarum alveolis: quos limo lutoq; refertos, volutandis potiùs crassis illis, & Bœotûm aëre natis mentibus, quàm humanæ scientiarum siti restinguendæ, nemo non judicet esse compatos?

Stamus nos Academici, stamus in procinctu: non dolis, non ambitu, non versutiis; sed ingenio, doctrinâ, industriâ, virtute, animi candore, cum reverendis Patribus certaturi. Proferant se Jesuiticæ Societatis lumina; (nisi quæ Academiæ luce fulgeant) gigantes illi, qui volumina voluminibus, ut montes montibus imponendo, cœlum sapientiæ scandere se putant, & deos Academiæ tutelares de solio suo deturbare. Erumpant ex antris suis generosi illi leones, scintillantibus oculis, toto ore ac vultu imperium & audaciam spirante. Sed, ut credo, gigantes, Jovis Academici fulmina; leones, Galli & Gallicanæ Academiæ cantum, pertimescunt. Utinam (Judices) Jesuitæ nudi cum nudis Academicis decernerent! At opibus, censu largiore beati, omnibus fortunæ donis ac muneribus circumfluen-

tes,cum Academicis,suo tantùm,eoq; tenuiore succo victitantibus,in ipso suæ Parentis sinu contabescentibus,committuntur. Quæ sors certaminis iniquior; quæ conditio durior, esse potest? Pugnamus tamen fortiter; gnaviter audenterq; resistimus: & me herclè,si illi sibi, & nos nobis relinqueremur; citò res tota jucundum vobis, utilem Reipublicæ, literis salutarem,exitum sortiretur.

Neque verò solius doctrinæ aut eruditionis ratio; sed ipsius etiam Reipublicæ salus,& Gallicani dignitas imperii, imò Regis Christianissimi securitas, Gallicanæ juventutis informationem solius Academiæ fidei,& Academicorum sedulitati,permitti ac demandari, postulat. Mæcenas Augustum monebat; ut iis erudienda juventus traderetur, qui Imperium Romanum impensè adamarent. Illi-ipsi gentium omnium victores Romani, Gallicam juventutem, in alto quodam ac pingui secessu, curabant educari; ubi juvenilibus animis, Romani amorem Imperii sensim instillabant: & si quædam Gallicanæ libertatis semina tumescerent,vel erumperent, ea vel opprimebant statim,vel radicitùs evellebant. Quibus ergo tutiùs mandetur institutio Gallorum adolescentum; quam Academicis Parisiensibus? qui eodem, quo tota Gallia, spiritu vivunt; ideóq; tantùm Academiæ vitam servari desiderant: ut ipsi in eâ,velut in speculâ,ad Regiæ majestatis decus & securitatem, pervigiles excubent: ut Reipub.Gallicanæ amorem,tenellis adolescentum ingeniis, Christianis,pietatem erga Deum; Subditis,fidem erga Reges; Civibus, commune boni publici desiderium, inserant. Ideò Rex piissimus, & suorum amantissimus, priusquam atroci & cruento vulnere, à nefario parricidâ confossus, ad cœlum migraret, de Academiæ suæ dignitate revocandâ,seriò cogitabat: nec sibi satis esse ducens,si fidissima suæ Majestati filia viveret; nisi etiam splendidè,magnificè,regiè viveret; Romani Senatûs illustrissimo Principi,Ecclesiæ Gallicanæ clarissimo syderi,magno illi Cardinali Perronio,(in quo maximũ suæ posteritatis præsidium collocabat) instituti sui copiam fecerat; & negotii totius summam,ejus prudentiæ singulari,ac summæ erga literas literatosq; propensioni, commendârat. Hæc,hæc eadem, Judices,stat in conspectu vestro; vosq; per sacros illius Manes orat, atque obsecrat: ne labores, conatus, gloriam suam, cum iis partiri cogatur; quorum dignitati nihil est quod æquari, nihil quod meritis respondere, nihil quod amplitudinem continere possit.Per vos ejus puritas intacta conservetur,& idonea relinquatur; quæ summi Cardinalis,unici Musarum tutoris, imò,si prorsus interiissent,fœcundissimi Parentis, opem salutarem,ac benigniorem influxum,tandem aliquando recipiat. Non ea laborum suorum præmia rependi postulat, quæ ingentes familiarum amplissimarum redditus adæquent: non quærit Baronias, Comitatus,Abbatias: non captat hæreditates: non arcanâ quadam arte,munerum copiam passim,ex omnium manibus & loculis elicit: sed tantùm suppliciter ac demissè petit,ne in hoc squalore deseratur; ne in hoc miseriarum cœno,hactenus depressa, tandem opprimatur: aliquis ei, in his sordibus jacenti, manum porrigat; ne inermis cum armatis congredi jubeatur: ne eorum consortium per vos admittat, qui nutantem impellere,labantem præcipitare,moliantur.

Vos verò (Patres modestissimi) quídni vestris vos finibus continetis? Quis tantus Gallicanæ juventutis educandæ pruritus vos agitat? Quid nostris ovis tam pertinaciter incubatis? An ut Gallorum loco,Milvos aut Vultures excludant? Quòd si hæc vobis mens non est: cur Academiam hanc tàm assiduè impetitis? cur ejus fores tàm protervè arietatis?

tatis? Quid vos misera violavit: ut eam vexare, rapere, omni crudelitate lacerare; ut occulta quidem, sed certâ ad interitum viâ, perducere cogitetis? Si camentis ac tegulis nostrorum tectorum famem vestram expleturos vos putatis; destruite: si nostro sanguine sitim vestram extincturos; exhaurite venas: omnia, si lubet, disturbate, diripite; ambustas fortunarum nostrarum reliquias in domos vestras comportate. At verò, si in vobis avitæ pietatis particula superest; quid avitæ pietatis monumenta destruitis? Si vos Ecclesiæ Gallicanæ purissimus candor possidet, quid Academiam, Ecclesiæ Gallicanæ privilegia & immunitates acerrimè defendente, oppugnatis? Si Galliarum Regem Christianissimũ ex animo colitis; cur ejus charissimã fidelissimamq; prolem, quasi prædã vestris direptionibus expositam, invaditis? Fateor equidem, per temporum injuriam, per reciprocos bellorum civilium æstus, per maleficas Adversariorum artes, eò miseriarũ deductam esse; ubi non sinè luctu & lachrymis eam intuemur. Sananda est? sanetur: sed nõ per eos, qui loco salutaris potionis venenum, non præsens, sed lentum, propinabunt; & de ejus interitu, vel potiùs de Gallorum nimis credula facilitate, triumphabunt. Ideóne calcãda, quia hactenùs calcata est? Ideóne laceranda, quia hactenùs lacerata? Ideóne profliganda, quia ex eorum animis exsulat, in quibus Gallici candoris lilia, & sincerioris doctrinæ flores, exaruerunt? Me quidem (Judices) exanimant, & interimunt fletus, querelæ, voces Academiæ languentis, quæ assiduè aures verberant meas. Abeundũ (inquit) mihi est; & vel in meorũ sinu, florentibus reliquis Reipublicæ partibus, moriendum! Me vivente, me vidente, agros meos vastari, patrimonium a majoribus meis relictum diripi; meos a meo complexu distrahi; & vivos ac videntes cum vestitu suo publicari? Valete igitur, valete, ô Parisini, alumni mei; ô quotquot estis in hoc totius Universi compendio literati! Estote incolumes, felices, beati! Stet hæc Urbs clarissima, mihiq; Patria charissima, quoquo modo de me merita erit! Ego cedam, & abibo: &, si culta per me hactenùs, polita, literata Republica frui non licet; carebo inculta, rudi, barbara. O frustra susceptos meos labores! ô spes lubricas & fallaces! ô inanes & irritas cogitationes meas! Ego, quæ bellis depressa civilibus, tandem respirare cùm cœpi, nihil aliud, quàm lilii Gallicani suavissimos odores spiravi, quæ meis visceribus tot cives, saniore disciplina excultos, in omnem Reipublicæ partem emisi; quæ ipsos scientiarum fontes, Principum, Regum, Imperatorum ingeniis divinioribus aperui: eorum unquam præsidium, & gratiam, in tantis rerum mearum angustiis, mihi defuturam arbitrarer? Ubi nunc Senatus est, cujus teneram ætatem meis uberibus enutrivi? Ubi nunc Equites illi mei; qui, sub Minervæ Academicæ signis, prima suæ militiæ rudimenta fecerunt? Ubi nunc studia Parisiorum? ubi Galliæ voces? ubi Gallorum mentes? Quod ego tantum scelus concepi; ut eorum, quos alui, sententiis potiùs, quàm meo fato, poculis, ictibus, gladiis Adversariorum, præcordia mea recludantur?

Verùm, quid me languentis Academiæ, & de rerum suarum iniquiori fortunâ conquerentis, voces detinent, moranturq; diutiùs? Adsunt nobis præsentia, & nostris rebus non infesta numina, quæ meliora verba, spes firmiores, & animos à nobis alacriores, deposcũt. Ad vos igitur (æquissimi Judices) me converto; & mecum totius Academiæ in vos, vestramq; dignitatem, defigitur adspectus. Adspicite benignis & faventibus oculis hanc Regum Christianissimorum primogenitam: quæ ad pedes vestros provoluta, eò vos sibi æquiores, magisq; propitios fore, confidit; quò Adversariorum ambitus, plus gratiæ & fa-

voris apud plerosq; videtur obtinuisse. Non opibus contendit; quæ exhausta sunt: non dignitate; quæ jam-pridem jacet: non amplitudine; quæ indignissimè conteritur, contemniturq;: sed precibus; sed lachrymis; sed squalore & miseriâ. Ecce, in sinum vestræ æquitatis confugit; ruensq; super vos, vestram opem, auxilium, authoritatem implorat. Vos, ô sanctissima hujus templi numina, Gallicanæ libertatis fortissimi vindices; vos ego, illius nomine, per Deum immortalem obtestor: per Henrici Magni, suavissimi Patriæ Parentis, pios ac propitios Manes; per ultimas ejus voluntates; (quibus deesse nefas:) per Christianissimi Regis, & Reginæ Matris optimæ ac serenissimæ, securitatem; per illustrissimum hunc Principem, quem adspicimus, Borbonii stemmatis primum & lucidissimum sydus; per Galliæ totius incolumitatem; per decus & amorem Patriæ; per Liberos vestros, quorum præsertim res agitur; per vos-ipsos, vestriq; nominis immortalitatem: eripite tandem aliquando literas, ex profanis illis manibus; easq; suæ Parenti, & Academiarum reginæ, vel potiùs suam eis Parentem, restituite: neq; diutiùs purissimum, ac verè-crystallynum oculi Gallicani humorem, admixtis exotericæ doctrinæ sordibus, turbari permittite. Nónne satius est, ut ad Senatûs Parisiensis nomen, ac recordationem, tota deinceps gestiens prosiliat Academia; eiq; æternùm victuros gloriæ lauros decerpat, monimenta laudis erigat: quàm novus, & Gallicano præsertim genio inusitatus, religiosorum hominum cœtus, è finibus monasticæ professionis exsiliens, cum omnium penè ordinum querelâ, cum totius Galliæ periculo, cum certissimâ Musarum politiorum ruinâ, ubiq; jactet, proclamet; vobis Judicibus, Societatem suam in nos irrupisse; Academiam, & literas meliores, vestrâ sententiâ concidisse; deniq; tertium hunc lilii Gallicani apicem, vestro spiritu perculsum, emarcuisse? Quòd si tamen ità vobis visum: si Academia Parisiensis vita Jesuitarum libidini permittenda: priùs, priùs (Judices) explicate vestras purpuras; & labantem vestris ulnis Academiam excipite; ultimos morientis vestræ Parentis haurite spiritus: ut, quidquid hunc Academiæ casum & interitum sequatur, non per nos tantùm, non modò per æterna literarum monimenta; sed per vos-ipsos posteri videant, populi intelligant, orbe toto diffusæ gentes agnoscant: NON NOS REIPUBLICÆ; SED REMPUBLICAM NOBIS DEFUISSE. Dixi.

Sequitur nunc Arrestum Curiæ Parlamenti, Primariâ, rerum Capitalium, & Edicti, Classibus convocatis, 22. Decembris, anno 1611. latum.

EX ACTIS CURIAE PARLAMENTI: PRIMARIO PRAESIDE ARRESTUM pronuntiante.

Controversiâ ultrò citróque copiosè disceptatâ, hinc inter Sacerdotes & Scholasticos Collegii Claromontani, qui se Jesuitas vocant, Diplomatis regii, 20. Augusti, anno 1610. dati, Impetratores, & quod decreto Curiæ comprobari petunt; quò omne scientiarum artiumque genus, in Collegio Claromontano, juxta Edicti Septembris, anno 1603. & aliarum Constitutionum Declarationumque normam, publicè docendi potestas conceditur; quique Defensorum quoque vices agunt: indè, inter Rectorem, Membra, & Decanos Universitatis Parisiensis, intercedentes comprobationi Diplomatis, ac supplice

plice libello, 2. Decembris, anno 1611. oblato, postulantes; ut, juxta legem Edicti, quo restituti sunt Jesuitæ, prohibitione, ab omni munere & exercitio scholastico arceantur: nullo ex personarum qualitate præjudicio suborituro. Cúmque jam, in quartum usque diem, Majore, Criminali, & Edicti, Classibus convocatis, MONTHOLONIUS, Diplomatis Impetratorum nomine, & MARTILLERIUS, Intercessorum partes sustinens, auditi sint: atque eâ causâ peroratâ, solenni intentionis clausulâ, illi Diploma comprobari petant; & hi verò recusent, & supplice libello intercedant: cúmque Rector quoque, & ex Impetratoribus nonnulli, verba fecerint. Quin-etiam, cùm Cognitoris regii nomine SERVINUS egerit; cujus orationis hæc fuêre capita: *Se jam, 17. mensis hujus, cùm istius causa, inter Sacerdotes & Scholasticos Collegii Claromontani, petitores, ut Rescriptum regium, 20. Augusti, anno 1610. Senatusconsulto comprobaretur; & inter Rectorem, Decanos Facultatum, Nationum Procuratores, & alia Membra Universitatis, reluctantes, & ex occasione Petitores, disceptandæ nomen recitaretur; altercationibus, antequàm Advocati causam agerent, occurrentem, ea protulisse tùm, quæ hodiè quoque referenda videantur. Nempe, pro muneris ratione, ut suarum est partium, ad gloriam Dei, Ecclesiæ bonum spectare; ac Regis rem, vitam, salutem, securitatem, & Reipublicæ totius tranquillitatē, sartam-tectam tueri; se adhortationibus utrosq;, Actores & Defensores, verbis sancti Pauli commonefecisse: ut pacis, quoad fieri posset, & concordiæ mutuæ rationes inirent. Ac propterea Actoribus dixit: eos beneficium ab Henrico Magno gloriosæ memoriæ, impetratum gratâ mente jugiter recolere debere. qui, cùm undiquaque, fidelissimorum & longo rerum usu prudentissimorum Ministrorum consiliis, ab illorum revocatione deterreretur, nihilominùs id beneficii largiri constituisset: hac spe, ex promissionibus ipsorum conceptâ, inductus; fore videlicet, ut Indulgentiæ & Clementiæ principali, officiis & obsequiis, Regiæ Majestati præstitis, gratiam aliquam referrent: eò etiam maximè, quòd nullius rei, præterquàm reditûs, gratiam postularent; nec alium sibi finem propositum esse significarent: nedum ut ea, quæ hodiè efflagitant, expetituri viderentur. Addiditq;: perpenderent secum ipsi, an æquum esset, statim à Magni Regis obitu, illud postulare; quod ipsemet nequaquam iis concedendum esse censuisset; & quod, dum in vivis erat, urgere nequaquam essent ausi. Hac saltèm lex, si pertinaciter petitioni insisterent, ipsis præscribebatur: ut se-se priscis Universitatis Parisiensis Decretis, & Theologicæ Facultati, in hisce quatuor capitibus potissimùm subjicerent.*

Primò: *quò Regum saluti & securitati consulatur, (quos sæpenumerò jam impetitos, iterato parricidio, nefariè è vivis sublatos, scelestissimorum Parricidarum manu vidimus; qui, falso & detestabili Religionis obtentu, ac impurâ temerariâq; doctrinâ, nuper cusâ, quam ex libris & scholis istorum Impetratorum hauserant, ut ex Reorum confessionibus & Curiæ Arrestis apparuit, acti fuêre) Petitores tàm detestandis opinionibus renuntient: nec tantùm Scriptoribus suæ Societatis, qui eas tradiderunt, non assentiantur; sed etiam scriptis editis, juxta verbum Dei, in Veteri & Novo Testamento comprehensum, illas oppugnent. Dicant, doceant, scribant ubiq;: Nefas esse cuiquam, sive peregrinus, sive naturalis Regis subditus audiat, in capita vitamq; sacratissimæ Majestatis Regum & Principum moliri: quantúmlibet speciosum authoritatis, vel spiritualis, vel temporalis, nomen*

præ-

prætendatur; quæcunq; prætexatur causa, etiam ubi de moribus & religione agitur. Sanctè polliceantur, & subscriptione suâ confirment ac recipiant; patefacturos se, quotquot intelligent, aut sentient, tàm horrenda consilia agitare: nec unquam iis adstipulaturos dogmatis, quibus male-sana perditorum hominum ingenia, directè vel indirectè, tanquam fulcro, ad machinationes adversùs Unctorum Dei capita struendas, niterentur.

Secundò: *Diplomatis impetratores profiteantur, prædicent, doceant; inter cæteras potestates summas, à Deo constitutas, Francorum Regem Christianißimum, in temporalibus solo Deo minorem; non aliud in Terris supra se, præter Dei, numen agnoscere: cujus beneficio, absoluto in Subditos dominii jure potiatur. Nec spiritualibus potestatibus, pietatis licèt colore prætento, & promovendæ vel defendendæ Religionis specie, fas esse temporalium Regum ac Principum jura usurpare, magis, quàm Regibus, authoritatis regiæ titulo, spiritualis authoritatis apicem invadere. Quapropter in se-se recipiant, nunquam se, hoc in argumento, distinctionibus, nuper à quibusdam Doctoribus excogitatis, docendo usuros, quæ his vocabulis expressæ fuerunt:* Directè, aut indirectè; Per se aut per accidens. *Agnoscant ingenuè, scholasticis subtilitatibus, non res, sed verba tantùm mutari: quò in Ecclesiâ, immensa quædam, & nullis cohibita finibus potestas, omnibus Imperiis & Rebuspublicis secularibus gravis & damnosa, constituatur: & spiritualis potestas in temporale imperium transeat, juris & regiminis regii Majestate sacerdotalibus infulis tributâ. Contrà inviolabili invictoq;, nec problematico, axiomate asserant: Penes authoritatem & potestatem nullius esse, abdicatione, suspensione, ac Regni privatione, Reges, eorum ditione occupanti vel deprædanti expositâ, mulctare.*

Tertiò: *Doceant, profiteantur, scribantq;: Omnes Regis subditos, tàm ecclesiasticos, quàm seculares, ad eam erga Regem obedientiam teneri, quam Dominus noster Jesus Christus, humanam indutus naturam, Imperatoribus & Magistratibus, nascens moriensq; præstitit. Quemadmodum hac lege sancivit:* Reddite Cæsaris, quæ Cæsari; Deo, quæ Dei. *atq; eam etiam ob causam, Regnum suum negavit esse mundanum: alioqui sibi non defuturos satellites, qui arma expedirent. Atq; ista verba, (ut & Pauli, Rom. 13.* Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta esto, quæ sunt) *non tantùm præcepti alicujus, declarationis, aut exempli, ad tempus observandi, vim obtinere quando videlicet Christiani temporali potestate (ut scripsit quidam ex ipsorum Societate Coryphæus) carebant, Infidelibus subjecti: sed eo in universum omnes, & in æternum, cujuscunque fuerint ordinis, Ecclesiastici & Laici, obligationis nexu arctißimo adstringi. Ac proinde, ad hujus Legis amußim vivendum esse, asseverent, quam Apostoli, & eos imitati verè-Christiani, religiosè observarunt: qui non modò tùm, cùm pauci veritatem Christianam amplecterentur; sed etiam, cùm in amplißimum numerum excrevissent Discipuli, Cæsaribus & Regibus, vel Hæreticis & Infidelibus, in temporalibus, fideliter paruerunt. Quapropter Diplomatis Impetratores fide caveant, se dictis & doctrina professuros: Nullam potestatem, qualiscunq; tandem sit, nec ipsam etiam Ecclesiam, vel in Concilio congregatam, aut aliâ quâpiam ratione, jure ullo præditam esse; quo Subditos à fidelitatis juramento absolvere, & obedientiæ, ad quam jure divino, naturali, & humano, exhibendam tenentur, vincula ullo pacto laxare valeat.*

Quartò: *Quod ad Politiam ecclesiasticam attinet; ad Regis authoritatem, & Regni leges*

leges tutandas, Diplomatis Impetratores, ore & scripto, tueantur libertates & jura Ecclesiæ, in cujus sinu vivunt, Gallicanæ: nec quicquam dicant, scribant, proponántve, (quorundam Decretorum, quæ in Franciâ nec probata, nec admissa sunt, prætexto nomine) quod illis adversetur. Ac proinde, deinceps se-se scripturos recipiant, & curaturos, ut à Generali & Provincialibus approbentur, quæ sunt adversùs suæ Societatis homines conscripturi; qui, libris editis, dogmata contraria quatuor hisce capitibus posuerunt.

In summâ; Priscis Universitatis Parisiensis, ac Facultatis Theologicæ, Decretis atque Institutis stent per omnia. Quibus capitibus donec planè satisfecerint, & indubitatis notis, sinceri animi fidem fecerint, cancellis Edicti restitutionis se-se contineant: atque, postquàm ità caverint, libera demùm, arbitratui Curiæ, juris reddendi potestas esto, in iis, quæ nunc indulgeri sibi postulant.

Hæc, is, qui verba facit, sæpenumerò testatur, se Petitorum sociis significâsse: hæc eadem complures clarissimi Viri, dignitate senatoriâ, in hac Curiâ, illustres, intellexerunt; cùm in hos sermones inciderent. Quin-etiam Patri FRONTONI, & alteri Sodali, pridie, quàm causa disceptaretur, ista proponebat, coram amplissimæ dignitatis Viro, pietate, doctrinâ, atq; erga Ecclesiam, Regem Regnumque, fide & studiis conspicuo, in Curiâ quâdam supremâ Præside: qui suâ quoque authoritate & suffragio eosdem excitabat; ut candidè & ingenuè, præscriptis sanctionibus, in Senatu recitatis, subscriberent, & eas, sine ullâ elusionis vel æquivocationis strophâ, approbarent. Ad quæ cùm Regis Advocatus, sibi certum quid responderi, peteret; excepit FRONTO: *Quantúmvis ipse, atque alii Socii, qui Parisiis degunt, ità sentirent: (nam sibi privatim ab hac sententiâ alienum non esse animum: utpotè qui in Politicis arbitraretur, temporibus & locis, ubi vivitur, serviendum esse;) non tamen integrum sibi esse, præcisâ declaratione uti; nisi antè, hac de re, cùm Sociis, qui in hac Urbe sunt, conferret. imò existimare se, re communicatâ, constiturum; ad hasce Propositiones, nisi priùs Generalis Præpositi, cujus sententia exspectanda esset, animo explorato, expeditè & tutò responderi non posse.*

Quæ Rectori, & iis, qui eum comitabantur, cùm fuissent significata, responderunt: *Sibi verba Frontonis probari non posse, captiosa & æquivocationibus obnoxia: præsertim cùm diceret; In politicis serviendum esse temporibus & locis, ubi vivitur. Adde, quòd, cùm esset in confesso, Postulantium Societatem, in omnibus, & per omnia, à Generali suo pendére, (qui majore, quàm cæteri Generales solent, potestate in sibi subditos Religiosos potiretur; atque extra Regnum Galliæ commoraretur) nullam rationem, ad fidem ipsis habendam, aperiri: tùm etiam, quòd Jesuitæ omnibus aliis ferre leges; à nullo verò accipere, consueverint. Præterea, Jesuitas, istius justæ diffidentiæ causas ubiq; suis actionibus & institutis, dedisse; ubicunque pedem fixerunt, affectato, tàm in Clericos, quàm in Laicos, dominio. Quibus accedit, Quòd omnibus hic unicus scopus, normæ instar, ob oculos est: ut cuncta ad Societatis, etiam ex aliorum damno, utilitatem, atque amplificationem, dirigantur: Quòd dogmata, priscis legibus Regis, & Regni Constitutionibus contraria, tuentur: Quòd, si contingat aliquem ex Societate exitiale scriptum edere; neq; Societatis cœtus, nec ex eâ quispiam, illud palàm improbet, aut ad veritatis defensionem se accingat.*

Addidit Rector privatim: Sibi complures esse rationes exponendas, ad-

versùs Petitorum postulationem; quas Curiæ cognitioni,tàm suo,quàm Advocati ore,subjecturus esset. Quod is,qui Regis nomine verba facit,(cùm ut omnem culpam,coram Deo & Hominibus, à se derivaret; cùm ut discordiæ fomitem,unde scandala & dissidia,in Ecclesiâ & Republicâ,essent exoritura, extingueret) ex sui muneris ratione,referendum esse,duxit. Quocirca obnixè rogat Senatum,ut in meliorem partem,quæ proponuntur, interpretari dignetur: quo pacto omnes æquos rerum æstimatores,à privatis affectibus immunes,quique Religionis causam in Factionis malum non vertunt, sano mentis judicio,quæ dicta sunt,admittere decet. hoc etiam addens; si ulteriùs æstus contentionis feratur, ea, quæ desiderantur, & utrobiq; reprehendenda sunt, pro temporis & juris ratione,prout animadversionis officium requiret,significaturum esse.

Enimverò,cùm in tertium usque diem controversia utrinque agitata fuerit, ea jam refert,quæ in instrumentis, & copiis causæ judicialibus,Sacerdotum ac Scholasticorum Collegii Claromontani,qui se Jesuitas vocant,observavit, excerpsit, collegitque; præter ea loca,quæ à Montholonio, & à Martillerio, subnotata sunt: quæ partim ad Ordinis eorum institutum,partim ad vitæ genus,& doctrinæ rationem,spectant. Quæ tria capita sunt excutienda: ut agnoscatur, utrùm instituendæ juventuti apti, & an eorum institutio utilis & salutaris futura sit.

Ac primùm,quod ad Institutum ipsorum Clericorum,qui se *Regulares Religiosos* appellant nuncupantque; liquet, eos non tàm lege, quàm privilegio, gaudere. Hanc ob causam,Ignatii Lojolæ fundatoris scopum,vitam,& vitæ rationem, à RIBADENEIRA & MAFFÆO conscriptam, expendit; atque Constitutiones,& earum varias explicationes,Romæ excusas; Bullas,quas à Pontificibus, numero 37. impetraverunt; Privilegia, & Immunitates, quas subindè, vivæ vocis (ut loquuntur) oraculo, elicuerunt; Congregationum Jesuiticarum Canones, & Generalium Epistolas, sedulò notavit & consideravit.

Quod verò ad ipsorum actiones & res gestas pertinet; retulit,se,ex Actis, (sibi, cùm tulit occasio, observatis) eorum, quæ ab eo tempore, quo sunt admissi,in Galliâ contigerunt,repetere. Quid de ipsis *Eustathius Bellaus*, Episcopus Parisiensis,3. Augusti,anno 1554. judicârit: quid declaraverit & decreverit *Theologica Facultas*,in Sorbonæ Collegium eodem anno convocata: quæ posteà *Posiaci* gesta; ubi suum dissimulabant institutum: quæ pòst ipsi fecerint: quid ad officia docendi, gratis oblata, *Academia* exceperit: quid eâ de re censuerit *Turnebus*. Expendisse quoque se,Actiones anno 1564. habitas; & præsertim *Actionem Baptistæ Mesnilii*, Advocati Fisci regii: & quid,causâ Consilio permissâ,à Curiâ decretum fuerit. Itèm ea retulit,quæ in Italiâ,Hispaniâ, Germaniâ, Poloniâ, Moscoviâ, Angliâ, & Republ. Venetâ, Societatis causâ, evenerint: ea etiam,quæ Sodales anno 1577. fecerint,& Actiones Potestati, quanta in *Directorio Inquisitionis*, ubi loca notavit,excuso Romæ,anno 1585.
descri-

describitur, consentaneas, indicavit: undè colligitur, eos Inquisitionis arcanę officio defungi. Itèm diligenter collegit ea, quæ in sanctiori Regis Consistorio, in Curiâ, ante & post actionem, in *Chastellum* parricidam, eorum discipulum, institutam, acciderunt. Ea, quæ secretis *Annalibus* annorum 1594. & 95. comprehenduntur: quorum exemplar Neapoli excusum, anno 1604. sub manu sit. Deindè idem regius Advocatus, eorumdem usurpationes & molitiones, ex *Brevium*, postquàm postliminii jure donati sunt, (quod notandum) & contra positas Edicto conditiones, impetratorum, excerptis, attendit. Itèm, quæ Regi, ab *Harlæo*, Senatûs Principe, (cujus exempla, Virtutis erant præcepta) oratione fuerunt exposita: Et, quibus illi *Rex* Magnus, Clementissimus, Invictissimus, & Prudentissimus, respondit verbis; quæ certum voluntatis Regiæ propositum exprimebant, certâ spe obsequiorum, quæ spondebant Diplomatis Impetratores, subnixum. Prætereà, quæ ab ipsis facta, tanquam fidei, optimo Regi datæ, adversantia, coarguuntur: & quid ad hæc argumenta illi regerant, sedulò attendit. Denique, alia commemoravit, quibus apparet, quid subindè, ad captandam gratiam, & authoritatem comparandam, factitârint: quibus artibus domatim vagentur; & ad exploranda arcana, & bona corradenda, irrepant; ac negotiis omnibus se-se, conscientiarum obtentu, intrudant.

Doctrinam denique quod attinet: quæ in *operibus Bellarmini*, potissimùm in Tractatu *de Potestate Romani Pontificis in Temporalibus*, notavit; quæ in *Gregorii Valētiani, Vasquez, Turriani, Toleti, Suarez, Molinæ*; *Ribadeneiræ* in libro, cui titulus, Princeps Christianus; *Kelleri, Andreæ Eudæmono-Johannis, Josephi Cresvvelli Angli*, sub *Philopatri* nomine, *Leonhardi Leßii, Sebastiani Heißii, Jacobi Gretseri, Azoris, & Marianæ*, libris animadvertit. Itèm, quæ in *Amphitheatro Honoris*, excuso anno 1606. nomine *Clari Bonarscii*, (cujus proprium nomen *Carolus Scribanius*,) antehàc Antuerpiani Collegii Rectoris: de quibus is ipse, qui loquitur, defunctum Regem Henricum Magnum monuerat, ut vitæ prospiceret, parricidis & sicariis, à Scriptore illo expositæ; in locis, quæ Regi ipsi, teste Illustrissimo quodam Viro, fidelissimo ipsius Regis, jam à multis annis, Ministro, prælegit: teste quoque ipso Patre *Cottone*, qui tùm dixit, eum librum nequaquam à suæ Societatis hominibus emanâsse; sed Genevæ, ad conflandum Jesuitis odium, fictum ab Hæreticis fuisse: qui tamen posteà longè aliter, quid sentiret, expressit; laudato Scribanii opere, & distributis multis illius exemplaribus: atque etiam, claro admodùm Viro, Religioni Catholicę non minùs, quàm Regno Francico, addicto, cùm hunc exhibuisset librum, eum stylo laudato, commendavit, tanquam juventuti, Latinis literis imbuendæ, adprimè utilem: etiamsi verba, quibus ille utitur, simillima sint; imò ipsissima illa, quę novissimus Parricida, cùm super exsecrabili parricidio, in cæde Regis patrato, interrogaretur, usurpare solebat. Quæ Advocatus sinè horrore referre nequit, de tàm horribili libro loquens; quem catalogo librorum suorum inscriptum, tanquam ab Authore laudato profectum, Societas comprobavit.

Idem, *Aphorismorum Emmanuelis Sa*, & aliorum *Casuistarum*, mentionem fecit; qui Ethicam & Politicam Christianam funditùs evertunt. Itèm Axiomatum *Johannis de las Salas*, & librorum *Sanchez*: ex quibus excerpta quædam sparsa sunt, quæ supprimi, non imprimi decuit; ob horrendas, & flagitiosas turpissimasque dissertationes, quibus scatent. Retulit etiam de *Richeomi Apologiâ*; & aliis libris, quos *Richeomus* & *Cotto*, aliique sodales, ad causæ suæ defensionem, edidêre: nec-non de libro, cui titulus, *Defensio Veritatis pro Religione Catholicâ, in Jesuitarum causâ, opposita Actioni Antonii Arnaldi*: & de variis *Responsis* ad libellum, qui *Anticottonus* inscriptus; *Declaratoriis literis* ejusdem *Cottonis* ad Reginam, rerum in Regno administrationi præfectam, statim ab ipso Regis obitu: de quibus etiam Montholonius, in contradictionibus adversùs Martillerium. Quibus in libris, etsi multa speciosis, pietatem & æquitatem redolentibus verbis, fucata legantur: attamen, veritatis & lucis objectu, ruunt eorum dicta; quantúmvis coloribus quæsitis adornata: &, quæ ad excusationem eorum proferuntur, crimen augent; & ejusdem culpæ cum iis, quos tuentur, participes demonstrant. Scilicet, errorum levi nomine designantur, quæ de multis novis & exotericis dogmatibus, ab eis in Ethicâ, Politicâ, Oeconomicâ, Ecclesiasticâ & Republicâ, conduntur & propugnantur axiomata: quibus palàm est, eos ad excidium Potestatum, à Deo constitutarum, Justitiæ omnis eversionem, ipsius etiam Hierarchiæ subcœlestis, Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ, & Ordinum religiosorum Clericorum regularium veterum, ruinam, grassari, (adversùs quos Jesuitę subindè multa tentârunt) atque ad Academiarum imminutionem spectare; cùm Doctoræ gradum præter morem, examinis publici lege violatâ, conferre non dubitent.

Rogavit quoque Curiam Advocatus, ut ex libro inscripto, *Manuale Sodalitatis*, prælegi locum notatum pateretur, & Rectori, ut prælegeret, traditum: ut liqueat, quâ ratione Juventutem ad perjuria, in Judiciis & coram Magistratu, erudiant. Deniq;, lecto à Rectore loco, in Manuali notato, alia multa capita recitavit, in quæ Censura Facultatis Theologicæ stylum suum strinxit: & ea, quæ *tribus concionibus* continebantur, Hispanico idiomate, anno *1609.* & *1610. in honorem Ignatii fundatoris conscriptis*; quas in Gallicum sermonem transtulit *Franciscus Solerius* Jesuita, (qui librum, quo ea notata fuerunt, non sinè blasphemiâ in Deum, & injuriâ in Theologos, illius Censores, asserere & tueri non est veritus) memoravit & retulit.

Tandem, ad Universitatis causam accedens, monuit, in Doctoribus & Magistris nonnullis quædam desiderari; qui omittenda committant, & committenda negligant. At, si supinitate, & legum ac decretorum, in Curiâ comprobatorum, aspernatione, peccatum sit; unde justa nata sit querimoniæ causa: (quod non est infitiandum:) Curia, ut par est, prospicere dignetur, quod aliorum, quàm Petitorum operâ, fieri posse claret. quibus illud, Basilii aliorumq; sanctorum Patrum verbis, Regulas asceticas Religiosis regularibus præscriben-

bentium, objici meritò potest: *Illos rem suâ Professione indignam, sibi inutilem, neq; Reipublicæ proficuam, postulare; nec ullâ ratione, exemplóve laudabili, nec doctrinâ, quæ in Parisiensi Schola frequentata est, uti: sive Theologia, quæ Scholastica appelletur; sive Positiva, Moralis ac Politica, potissimùm ob quatuor capita proposita, attendatur; sive denique humaniorum literarum ratio sit habenda, quarum studiis paucos admodùm idoneos doctores expedire & sufficere queant.*

Quocirca solenni clausulâ; *Ut Regis saluti & securitati; ut Ecclesiæ bono, Regni & totius Reipublicæ tranquillitati; ut honori & perennitati literarum & disciplinarum, consulatur;* Intercessioni Parisiensis Universitatis calculum suum regius Advocatus adjicit. Quòd si, causâ ad Consilium, à Curiâ, rejectâ, libros & scripta, unde recitata quædam fuerant, (quæque sibi adesse præstò, dictorum locupletissimum perhibitura testimonium, Advocatus regius profitetur) Curia examinanda esse decernat; postulat, ut Diplomatis Impetratores, à quâvis functione scholasticâ, ad Juventutis aliorumque in hac Urbe institutionem, lege arceantur; donec in Curiâ aliter constitutum fuerit: pœnæ, quæ videbitur, irrogatione sanciendâ.

CURIA, causam, de prolati Diplomatis editione, in Consilium mittendam esse, pronuntiavit Litigatorum Causidicos, Actiones suas intra octiduum emendare; &, si quæ videantur subsidia causæ futura, argumenta & contradictiones addere, judicioq; intra præscriptum tempus, condicto, proferre jubet. Decernit, ut Provincialis, & è Societate, quotquot eum intra septa Curiæ secuti sunt, in præsentiarum subscriptione, ratam habeant legem, cui se Provincialis submisit: Doctrinæ nimirùm Sorbonicæ consentiendi; in iis præsertim capitibus, quæ ad S. Regum majestatem, eorum salutem & authoritatem, sartamtectam tuendam, ac libertatum Gallicanarum, ab omni ævo in hoc Regno observatarum, conservationem, faciunt. Ut iis omnibus perspectis, ac regio Cognitori communicatis, & Arresto, Curiæ de causâ Consilio permittendâ annexis, ex jure decretum fiat. Intereà, præter ea, quæ Diplomate Restitutionis, & Senatusconsulto, quo illud comprobatum est, ferebantur, ad Juventutem erudiendam, aut suâ, aut aliorum operâ, quidquam conari molirive, quâcunque tandem id ratione fiat, Petitores prohibentur: & illis, omnis prorsus potestas, Scholastica munia obeundi, interdicitur: ac denunciatur, nî pareant, futurum, ut ipso, quo fruuntur, postliminii beneficio mulctentur; litis impendiis exceptis. Actum in Curiâ Parlamenti, 22. Decemb. anno 1611.

Etsi verò Jesuitæ, tàm gravi Decreto, jussi sunt abstinere ab omni docendi genere, & Scholastico munere, in urbe Parisiensi: non tamen cessârunt & paruerunt irrequieti homines; sed anno 1618. rursus apud Regem institerunt, & obtinere conati sunt, ut ipsis publicè-docendi potestas ibidem concedatur. Rector autem Academiæ, D. JOHANNES DISSIENIUS, gravi Oratione intercessit coram Rege; in quâ inter aliâ sic inquit. *Serenissime Rex, hac causa est, cur Majestati vestræ Academia Parisiensis hodie humilimè supplicat: quòd maximo periculo rursus exposita est; nempè hoc-ipso tempore, quo Jesuitæ iterum nervos suos omnes intendunt, ut Parisiis stabilire & confirmare se-se possint. Cùm enim jam oppresserint corpus integrum Ordinis politici & secularis, in omnibus partibus Majestatis vestræ Regni;*

excepto Corde solo, quod vivit & respirat adhuc in Universitate Parisiensi: illud nunc operam dant, ut, semel stabiliti si fuerint, quàm-primùm eam potestati suæ subjiciant; quemadmodum in omnibus aliis locis, quæ semel occupârunt, fecerunt. Si autem in Regno M.V. Societas non restet ulla alia, quæ doceat Juventutem, quàm Jesuitica: facilè inde apparet, magnam illam & celebrem Universitatem oppressum & suffocatum iri. Consideret, obsecramus, M.T. quot & quanta officia, venerabile corpus illud, Ecclesiæ & Statui tuo semper præstiterit: quomodo Populos instruxerit Pastoribus; Episcopatus Prælatis; supremas Curias Consiliariis & Præsidentibus; Consilium Regium Cancellariis, Custodibus Sigillorum, Magistris Supplicationum, Consiliariis & Secretariis publicis: qui innocentiam Ecclesiæ, puritatem linguarum, integritatem bonarum literarum, & immunitates atque libertates Galliæ, contra omnes eos, qui illas opprimere conabantur, propugnârint. Breviter; quam forte semper frenum exstiterit, inhibendæ violentiæ, doctrinarum novarum, peregrinarum, & tùm Ecclesiæ, tùm Reipub præjudicabilium. Ecce igitur perditam nunc, eo modo, grandem istam Universitatem! Quod equidem non sine notabili detrimento hujus & illius, h.e. Ecclesiæ, & Status Tui accidere potest. Ne permitte igitur, ô Rex Magne, ut pulcher iste, & locuples flosculus Coronæ Galliæ, ita tuo tempore deflorescat & cadat. Ne permitte, ut dicatur; hanc magnam & celebrem Universitatem, quæ à nongentis annis, successivè ab omnibus Regibus nostris antecessoribus, tanquam pars summè-necessaria & essentialis Ecclesiæ & Statûs, conservata fuit. pereat sub Regno Ludovici XIII. Hæc, Serenissime Rex, humilima est petitio, quâ Majestati V. hodie supplicat Universitas Parisiensis: ut, cùm Cereum recipiat de manu nostra M.V., accipiat simul arrhabonem fidelitatis, pignus obedientiæ suæ, & protestationem integerrimam: quòd, vel in propriam suam ruinam, jurare parata sit potiùs; quàm fallere votum, quod M.T. fecit, se erga illam quam-optimè affectam, subjectissimam, & humilimam ancillam fore.

Rex, facie plenâ hilaritatis & benevolentiæ, respondit: *Gratias vobis ago, pro vestrâ bonâ voluntate: Vos itidem de meâ certi estote, & quòd gratam habeam vestram supplicationem.*

Quid autem fit? Rex, paulò pòst, præter novorum Collegiorum exstructionem, in ipsâ Parisiensi urbe, Jesuitis potestatem facit, loco ad omnium propè invidiam exposito: *Ut in Collegio suo omnes disciplinas, etiam Philosophicas & Theologicas, liberè deinceps ac publicè profiteri possint.*

Quoniam igitur aliter, propter temporum injuriam, fieri non posset: ut jura privilegiaque sua antiquissima tueretur Universitas Parisiensis; sequentia decreta facta sunt. Et quidem à Facultate Theologicâ istud.

Admoneantur omnes & singuli Theologiæ Candidati, ex decreto sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, juxta priscum & receptum morem, denuò scitum & statutum esse: Neminem ad cursum Theologicum, in dicta Facultate, posthàc admissum iri, nisi sub Magistris nostris, hujusce Facultatis Doctoribus, & publicis Professoribus, toto triennio dederit operam Theologiæ. quod publico testimonio, chirographo trium, aut saltèm duorum, prædictorum Professorum publicorum, firmato, unusquisque illorum edoceat: ac insuper jusjurandum præstet, citra omnem æquivocationem & amphibologiam, atque adeò ad mentem Interrogantis; se non alios Doctores in Theologiâ habuisse, quàm supra-nominatos

tos ipsius Facultatis Professores publicos. Nibilominùs Facultas Parisiensis, legitimis suorum Doctorum & Professorum Auditoribus accenset & adnumerat eos omnes, qui in aliis Academiis liberis, nec alieni juris, ac veteri necessitudine secum jam-pridem conjunctis, sub earundem Academiarum Doctoribus & Professoribus publicis, juxta antiquum illarum institutum ordinatis, Theologiam didicerint: modò priùs, ut moris est, ab Academiâ Parisiensi fuerint adoptati. qui etiam fidem facient, se triennium in illarum Academiarum dictis Professoribus audiendis, insumsisse; adhibito jurejurando, ut suprà dictum est. Neque verò intendit sacra Facultas, eâ lege comprehendere omnes extraneos, & qui Regi nostro Christianissimo non sunt subjecti: quibus, pro temporis & personarum conditione, prout æquum erit, illa providebit: ità tamen, ut, si in Galliâ degant, alios in rebus theologicis Magistros habere non possint, quàm præfatos Doctores & Professores; si modò in numerum Baccalaureorum ipsius Facultatis cooptari velint. Actum Sorbonæ, in nostrâ generali Congregatione, Cal. Martiis, anno Domini 1618. ac lectum & recognitum, 15. ejusdem mensis & anni.

Decretum Facultatis Artium, in Universitate Parisiensi, eâdem intentione factum.

Præclara Artium Facultas, ne Majorum instituta collabantur, pro suâ in Academiam pietate, non temerè, ut momenta captantur temporum, hac tempestate metuens; quæ sancita pridem fuerunt, sub incudem revocans; Actore publico Academiæ postulante, Decretum fecit, in hanc sententiam.

Gymnasiarchæ neminem in Gymnasium, Gymnasiive partem, nisi qui bonâ fide Doctores & Professores, ipsius Academiæ judicio probatos, audiat assecteturq; admittunto.

Præfecti Collegiorum, in quibus non est, qui publicè doceat, cùm suos alumnos, tùm hospites, ad Scholas ab Academiâ probatas mittunto: desertores & transfugas esse, non patiuntor.

Qui extra Gymnasia Pædagogi habitant, quos in suam fidem ac disciplinam receperint, ad easdem Scholas academicas itare curanto. alias, cùm sibi, tùm Juventuti concreditæ, omnes ad consortium honorum & privilegiorum, quibus prædicta Facultas fruitur, præclusos aditus, sciunto.

D. Rector iis, qui semestrem certè operam in iisdem probatis Scholis impenderint, tesseram cooptationis, sive (ut vocant) Literas scholaritatis, ex probatione & testimonio Gymnasiarchæ, Doctorisq; (vulgò Regentis) concedito. Si qui ad aliena Docentium castra transfugerint; ii pro exauguratis & exauthoratis habentor.

Tirocinii sacramento qui rogati fuerint, ex rogantis sententiâ respondento; neque scientes fallunto.

Literas Magisterii Scriba Academiæ, antequàm exploratè compertum sit, decursum fuisse legitimum spatium in Academico pulvere, à Magisterii Candidatis, non conficito. Eadem cautione Signatores utuntor.

Ad impetranda Sacerdotia, quæ Academicis Graduatis addicta sunt, iis duntaxat, quos Magisterii laureâ Academia donârit, vel ab aliis Academiis legitimè donatos adoptârit, Literæ Nominationum decernuntor.

Qui Decreto non paruerint, ex Academiæ corpore resecantor. In resectos, Actor publicus

Acade-

Academia, apud Propratorem Parisiensem, vel in Senatu, agito. Pecunia ex ærario Nationum, in litis impensas, depromitor.

Decreti severus vindex, Censor Facultatis esto. Apud eum, Magisterii lauream adepturi, nomen profitentor. Quos adversùs Decretum peccâsse is deprehenderit, petitione summoveto.

Scribendo affuerunt, lectißimi quiq; Facultatis; Rector, Procuratores, Censor, Decani, Gymnasiarchæ, Professores, & Pædagogi: cùm majora Comitia, creando Rectori Academia, de more haberentur, in D. Juliani. Die 24. Martii, anno reparatæ salutis 1618.

DE JESUITARUM GESTIS ET FACINORIBUS IN ANGLIA.

CAPUT IV.

I. *Sub Reginæ* ELISABETHAE *imperio.*

Anglia singulis propè quadriennis à proditoribus ac sicariis infestata.

IN Actis judicialibus Henrici Garneti, Jesuitarum in Angliâ Superioris, legitur; quòd indè à primo Jesuitarum in Angliam ingressu, ad hunc usque diem, nunquam quadriennium integrum effluxerit; in quo non conjurationes, turbas, proditiones, parricidia, seditiones, in perniciem Regni totius, machinati sint & excitârint Jesuitæ. Imò non solùm in Angliæ regno, sed etiam in aliis regionibus commorantes Jesuitas, vel ipsos varia ac proditoria iniisse adversùs Regnum illud, ejusque legitimum Magistratum, consilia; vel alios, ut id facerent, hortatos esse, & in proposito sanguinolento ac parricidiali vehementer confirmâsse. Et verum illud esse, ex sequentibus etiam exemplis manifestissimum fiet.

Campianus Jesuita in Angliam venit, ibiq; turbas concitat.

Vicesimo-secũdo anno Reginę Elisabethæ, h.e. anno circiter 1580. EDMUNDUS CAMPIANUS Jesuita, magnâ comitante eũ catervâ ejus farinæ hominũ, in Angliam venit, eo consilio: ut rudem Plebeculam Papistis adjungeret; & Pii V. Papæ Bullæ exsecutionem promoveret: quâ Majestas ejus, ex Ecclesiæ gremio eliminata, & Regno exsuta fuit; omnesq;, qui ei debitam obedientiam præstarent, diris devoti. Unde, in Boreali parte Angliæ, rebellio, ingensq; tumultus concitatus est. De hoc THUANUS, lib. 74. sic scribit. *Angliæ Regina Elisabetha, de sicariis & parricidis admonita, homines fidos misit Durocortorũ Rhemorum: ubi Seminarium Anglorum erat. Hi exploratores, ob religionẽ patriâ aut pulsos, aut sponte exsules, simulantes, arcana Sociorum rimabantur: & Reginam postea secretorum consiliorum certiorem faciebant; & nomina conjuratorum ac sociorum edebant. Miserat & Romam alios; ubi majoris molis consilia contra ipsam coquebantur. Eorum delatione captus* EVERHARDUS HANSIUS *Sacerdos, prid. Calend. Sextil. anno 1581. jam capite luerat. Iisdem indicibus cùm cognitum esset, Edmundum Campianum Londinensem, Radulfum Scherwinum, & Alexandrum Briantum, qui Jesuitico Sodalitio nomen dederant, à Thomâ Golduello, Asaphensi Episcopo, qui jam octogenarius Româ ob id in*

Galliam

Galliam venerat, persuasos, diversis itineribus in Britanniam clàm appulisse; missi, qui latentes vestigarent. Prodente Georgio Elioto, capitur Campianus: Socii alio atque alio loco: equuleoq́; torti, postremò a duodecimviris ad mortem, tanquam perduelles, damnati, & Calend. Decemb. anno 1581. summo supplicio affecti sunt. Iis crimini datum fuit, quòd in transmarinis regionibus pestem & perniciem Reginæ machinati essent; de ipsâ regno sedibusq́; exturbandâ cogitassent; Populi, & quorundam è Nobilitate, fidem solicitâssent. ac producti sunt contra eos testes, Georgius Eliotus, Crodocus, Sledæus, Mondæus, Hillæus; qui de conjuratione fidem faciebant: nam sibi compertum dicebant, conjuratis constitutum esse, ut 50. delecti, arma vestibus tegentes, impetu facto, Reginam, & cum eâ Dudlæum, Lecestriæ Comitem; magnum Thesaurarium, & Walsingamum Secretarium, interficerent; captatâ occasione, cùm illa animi gratiâ Regni partem aliquam viseret: tùm, facinore perpetrato, primarius quidam Vir, cujus nomen non edebatur, exclamaret; Vivat Regina Maria! *Addebant, consilia illa Duacoctori & Romæ agitata fuisse. Damnati ergo ad patibulum, ut conjurationis & consiliorum socii; sic eundem vitæ exitum habuerunt. Cal. Decembr. anno 1581.*

GUILIELMUS PARRIUS, Jurisconsultus, tenuiori quidem loco seu fortunâ natus; sed ingenio tamen exquisito prædictus, eóque non parùm arrogans & elatus: postquàm in Angliâ, quæ ipsi patria fuit, non adeò probè rem curâsset familiarem; quin omnia potiùs sua, sed & Conjugis suæ bona, fœdè dilapidâsset; ac insuper etiam Nobilem quendam, in ipsiusmet habitaculo, perimere conatus fuisset; in Galliam, anno 1582. ac deinceps in Italiam, profectus est. Venetiis igitur existens, notitiam ac familiaritatem haud-vulgarem, cum P. BENEDICTO PALMIO Jesuitâ, contraxit: cujus etiam suasu & authoritate, Reginam Angliæ, Principem Patriæ suæ legitimam, è medio tollere; &, huic uti succederet Scotiæ Regina, viam ità sternere proposuit. quo in proposito, à Jesuitis Lugdunensibus, cùm isthàc transiret, validè confirmatus fuit. Parisiis demùm, inter Anglos istos è patriâ fugitivos Nobiles, offendit quendam, nomine Thomam Morganum: qui pollicebatur ipsi præterea, se statim, ubi propositum istud in Angliâ suum ille produxisset in actum, effecturum esse; ut ex Scotiâ copiæ mitterentur eò non-exiguæ, quibus Regnum illud Reginæ Scotiæ adsereretur. Etsi verò Anglicani quidam Sacrificuli, nominatim autem Watelius quidam, istud propositum nequaquam approbârunt; quin-imò publicè tantùm non refutârunt ac damnârunt: confirmavit tamen ipsum in hoc, ac corrobavit, Parisiis, Jesuita Pater HANNIBAL CODRETTUS, cui animi sui sensum ac propositū in confessione priùs aperuerat; eumque deinceps ad communionem, unà cum aliis, secundùm istorum morem & consuetudinem usurpandam, adhortatus fuit: & instanter ipsi persuasit, istum Watelium, & quicunque tandem à proposito tàm pio vellent eum avertere, perversos Hæreticos esse. Ità demùm in Angliam Parrius ille, & ad ipsam quidem Reginam, in Februario anni 1583. se contulit: eique de variis, non minùs calidis, quàm callidis, eóque valdè periculosis, transfugarum ex Angliâ, adversùs regiam ipsius Majestatem consiliis, multa memoravit; &,

Guil. Parrii conatus adversùs Reginam Angliæ.

quòd ipsemet eorum se tantùm non participem reddiderit, ostendit. quod tamen alium in finem factum haudquaquam fuerit; quàm, ut eò certius indicium Majestati regiæ de iis præbere, sicque ipsam fideliter præmonere posset. Quia verò partim erant vera ista indicia; partim verò ipsi Reginæ non prorsus ignota: factum est, ut ea in reliquis ipsi plus quoq; fidei tribueret; sicq; in Aulâ secum eum detineret, & ad secretiorem tractationem seu communicationem interdum admitteret. Quo factum porrò, ut, in venatione quâdam damarum, apud Reginam ille solus aliquandiù versaretur in sylvâ; cùm à Ministris suis semota longiùs, sub arbore nonnihil respiratura, descēdisset ab equo. ubi bis eum incessit libido perimendi ipsam: à quo tamen nefario scelere tùm, fiduciæ erga se Regiæ tàm insignis consideratione, retractus fuit. Verùm alio pôst tempore, quum juxta Reginam, in horto Regiæ Arcis Widthaliâ, Londini, ad Tamesim, idem à cœnâ obambularet; & de naviculâ, ad fugam perpetrato facinore capessendam accommodâ, sibi jam-prospexisset; atque vespertinas solummodò tenebras aliquantùm-profundiores exspectaturus esset: præter exspectationem ejus evenit; ut Regina maturiùs ad palatium,& conclave suum, indè se reciperet; eò quòd sequenti die venam incidendam curatura esset. cujus etiam gratiâ, Parrium ipsum gratiosè admodùm & arridenti similis, tùm fuit affata, dixitque: *Tantum sanguinis sibi non iri demtum aut minutum, quantum multi forsan exoptarent.* Postquàm igitur & hæc ipsi fuit elapsa occasio; putavit tandem, alio sibi, ad exsequendum suum propositum, opus esse nonnullo: ideóque rem omnem Nobili cuidam, Edmundo Nevilsio, (quem ex multis ultrò citróque habitis & collatis sermonibus, ac circumstantiis itèm aliis, à Reginâ alienum esse, persuasum habebat) aperuit, & concredidit; ac eidem porrò ostendit, quâ ratione, tùm cædem illam perpetrare, tùm verò naviculæ beneficio fugâ dilabi, & sic ambo semet usquequaq; salvare, & ab omni denique periculo liberare possent. Is autem, etsi variè cogitationibus aliquandiù fluctuârit, & distractus hinc-indè fuerit; horrendam tamen ac detestandam immanitatem animo suo neutiquam probare potuit: quin universam isthanc rationem Reginæ tandem exhibere, sicque de periculo ipsam præmonere constituit. quod in Februario demùm, anno 1584. cordatè præstitit. Unde consequuta fuit amborum captivitas: in quâ commemorata jam omnia fassi sunt. In primâ, nec-dum violentâ causæ cognitione, Parrius nullius planè conspirationis, adversùs Reginam factæ, conscium se volebat agnoscere: quod ipsi vel maximè posteà nocuit. Hæc enim intempestiva ejus negatio, tùm spontanea vicissim confessio, Nevilsii contestatio, & ipsiusmet reperta scripta, & indicia multa, effecerunt: ut in publico damnatus judicio, primò quidem suspensus; deindè verò statim à laqueo præsectus, & dissectus, adeóque exenteratus fuerit: quò nimirùm intestina ejus, ipsomet adhuc vivente & vidente, concremarentur. quæ tandem omnia decollatio insecuta fuit, & corporis denique dissectio, & in quatuor partes distractio. Exsecutio autem hæc facta est, 2. Maji, anno 1584. ad quam se, tunicâ talari, ex holo-

holoserico Damasceno confectâ, indutus, & segmentato, nec-non amylato, exindéque admodùm extenso & erecto focali, pro temporis istius vestiendi ratione, exornatus, ità composuerat; ac si rectà ad nuptias pergere vellet: sicut & à carnifice postulare non est veritus; ut in diffibulatione, seu restrictione vestium, istius focalis rationem habere vellet; ne fortè attritum aut conquassatum pessumdaretur. Ità & hic Jesuiticus martyr obiit, & in Jesuitarum paradysum dubio procul rectà contendit.

Anno 1588. ingens exercitus ex Hispaniâ in Angliam trajicere, Regnumq; illud occupare, & Hispaniarum Regi subjicere conabatur. quem etiam benedictione suâ Papa dignatus est, & *Invicta classis* nomine insignivit. Constabat enim 158. navibus; & commeatu, omnique genere armorum bellicorum, instructissima erat. Regina autem Angliæ, auxilio Dei omnipotentis, & Subditorum suorum virtute, hanc classem disjecit; pugnantibus pro eâ, igni, mari, scopulis, ventis & procellis: & ex 158. illis navibus, vix 40. in portum pervenerunt. Hujus classis prævii & prænuntii Jesuitæ dicuntur fuisse, in Actis Garneti, pag. 70. qui ante biennium jam in Angliam trajecerint; ut conjurationes, proditiones & turbas, contra Reginam concitarent. Classis Hispanica contra Angliam.

Cùm igitur aperto Marte infeliciter, à parte Hispaniarum Regis, debellatum fuisset anno 1588. mox aliâ tentârunt viâ rem aggredi Jesuitæ. Nam anno 1592. trajecit in Angliam PATAKIUS CULLEN; instigantibus eum, *Guilielmo Stanley*, Equite aurato, *Hugone Ovven, Jacobo Fraunkis*, & *Holte* Jesuitâ: cujus consilio in Reginæ cædem armatus, in eum finem peccatorum remissionem, & Eucharistiam, ab eodem percepit. Persuasit is etiam illi, parricidium hoc non tàm per leges licere; quàm divinum favorem demereri. subjecitque Jacobus iste, vilis lotricis filius, qui à multis jam annis, unà cum Cullen & aliis, Reginæ exitium machinatus fuit: *Respublica Anglicana sic fundata constat, & constabit; ut, nisi tollatur Domicella illa Elisabetha, totius Acherontis Furiæ eam convellere & labefactare nequaquam possint.* Sic ergo Cullen, in Angliam quidem venit; at regicidium effectum dare non potuit. Patakius Cullen, novus sicarius.

Proditionem istius Cullen comitatus est liber, cui nomen *Philopater*; in hujusmodi facinorum patrocinium, à CRESWELLO Jesuitâ, qui tùm in Hispaniâ agebat, conscriptus; & atrocibus calumniis ac maledictis, tàm contra Reginam Elisabetham, quàm fideles ejus Ministros, refertus. idque occasione Edicti regii, anno 1591. contra Jesuitas in Angliâ publicati; quod ità habet. Jesuitæ Cresvvelli liber seditiosus.

DECLARATIO REGINÆ ANGLIÆ, QUANTÆ TURBÆ REGNUM ILLUD MANEANT, A' COPIOSIS illis Sacerdotibus, Alumnis Seminariorum, & Jesuitis, qui clàm in terram immissi hinc-indè disperguntur; ut, sub ficto Religionis prætextu, magnas proditiones concitent: & quomodo tanto malo necessariò provideri debeat: per Majestatis regiæ Edictum publicata.

Quanquam non sinè gravibus causis credibile nobis erat; toto ferè jam triginta trium annorum spatio, quo Deus omnipotens in pacata possessione Regni nostri nos conservavit, Edictū contra Jesuitas in Angliâ.

Hostium nostrorum, præsertim verò Regis Hispaniæ, (qui tot annis terras nostras turbare omni studio annisus est) violentam & inimicam malitiam aliquantùm deferbuisse: ità ut, cùm apud omnes hostes nostros, tùm præsertim apud dictum Regem, & illius sequaces, hostilitates illæ tandem aliquando cum magis-pacificis consiliis commutarentur; ipseq; nobiscum, juxtà & aliis vicinis Principibus Christianis, ad vivendum concorditer, se-se compararet: quò pax universalis in orbe Christiano, quæ hoc tempore solis ipsius bellis armisq; perturbatur, constitui posset: Tamen ex præsentibus institutis ipsius, quæ majore nunc vi & potentiâ, quam unquam antehàc, urget, contrarium prorsus sentire cogimur. Equidem sic arbitramur, omnipotentem Deum exercituum, semel pœnam & interitum eorum hominum sibi proposuisse, qui adduci non possunt, ut rebus suis contenti vivant, & tranquillè agant: idéoque permisisse, ut Rex iste, tam provectâ ætate, quam pax magis deceret; eoq; tempore, quo si unquam anteà, suis Regnis contentus potiùs esse deberet, quàm ut aliis sua per vim eriperet; (cùm plures Coronas, plura Regna, plures Terras ac Subditos, quam ullus Majorum suorum, aut alius quispiam Princeps Christianus unquam possideat,) Deum, inquam, ideò permisisse, ut ipse, tam provectâ ætate, bellum supra modum injustum, totiq; Christiano orbi summè-periculosum, contra nunc-regnantem Regem Galliæ, moveret. utì constat, eundem, ante biennium similiter contra nos affectum fuisse, ut Regna nostra invaderet: idq; eo potissimùm tempore, quo pacis tractationem nobiscum instituerat. Deus autem hoc illi non permisit; sed ipsi, & exercitui ipsius, satis causæ dedit, in se-ipsos descendendi, & experimentum de se capiendi. Certò igitur cognoscentes, Regem Hispaniæ, quò violentis suis & inexcusabilibus actionibus novum colorem adderet, eò rem direxisse; ut Mediolanensis, Vasallus ipsius, in Romanâ sede collocaretur: huncq; eò induxisse, ut, absque Cardinalium consensu, thesauros Ecclesiæ profunderet, ad militem, tàm in Italia, (ubi alias hoc tempore nullus belli rumor exauditur) quàm multis aliis locis, conscribendum; eumq; sub Duce Cognato suo, in Galliam mittendum; Coronamq; illam (quæ tamen Romanæ Ecclesiæ omni tempore, in necessitatibus suis, auxiliares manus præbuit) hostiliter invadendam: quod tantum bellum, contra Galliam susceptum, etiam nostris terris ac provinciis non parum periculi apportat: Neque etiam ignorantes, Regem Philippum, contra Coronam atque Regnum nostrum, in sequentem annum, majorem terrâ mariq;, ac unquam antehàc, belli præparationem moliri: & compertum habentes, Regem hunc, pro exsecutione istius propositi sui, singulari occasione apud præsentem Pontificem usum, (quippè qui in omnibus illi subjectus est, ac tanquam à cingulo ipsius dependet) cum præcipuis quibusdam seditionum authoribus, ingratis nostris Subditis, per practicas id egisse; ut magno cum labore, & impensis illius, magnus numerus levissimorum Juvenum, partim ob inopiam, partim ob malefacta, profugorum, Patriæq; rebellium ac proditorum èffectorum, colligeretur; atque ad sustentationem illorum, tàm in Hispaniâ, quàm Romæ & alibi, nidi quidam erigerentur, (quos Seminaria illi vocant,) in quibus iidem instituantur; ac tùm demùm, quum in Scholasticis controversiis & practicis probè exercitati putantur, clanculùm in ditiones nostras emittantur, cum singulari à Papa ipsis tributa potestate ac jussu; ut omnibus illis, cum quibus agere præsumunt, persuadeant, debitam nobis & Coronæ nostræ obedientiam subtrahere: factâ spe impressionis cujusdam Hispanicæ, per quam, ex cæterorum fidelium nostrorum Subditorum

torum pecuniis atque bonis, magnas opes sint consecuturi. Quâ de causâ Sacerdotes isti Subditos nostros, qui se illis adjungunt, quibusdam juramentis & sacramentis adstringere solent; ut naturalem obedientiam nobis debitam abnegent; contrà omne obsequium, vim ac potentiam suam, Regi Hispaniæ deferant, ad succurrendum exercitui illius, si quando eum adventare contingat. Atq; ut seditiosi isti rerum turbatores simplicem Popellum ad id faciliùs & efficaciùs commoveant; Bullas quasdam Papales secum afferunt: quarum aliquæ multum Indulgentiarum continent, cœlumq; illis promittunt, qui consilio ipsorum obtemperaturi; aliæ autem maledicta omnigena habent, cum comminatione gehennæ & æternæ condemnationis, omnibus illis, qui perniciosis persuasionibus illorum aures non sint præbituri. Ac, tametsi Pontificiæ ejuscemodi practicæ jam diù apud nos tractatæ fuerint: eas tamen severâ exsecutione legum, contra Rebelles hujusmodi latarum, quadamtenus impedivimus, quæ quidem Leges, contra solam proditionem, læsæq; Majestatis crimen; non verò contra ullum Religionis articulum, directæ sunt: uti verò illorum fautores, ad excusandas actiones ipsorum, vulgo persuadere nituntur. Id quod tamen eo-ipso publicè redarguitur: quòd illi, in Processibus judicialibus contra eos institutis, nullius alterius rei neque accusantur, neque condemnantur; quam quòd supremam Majestatem læserint, & inter alia confessi sint; quòd si Papa, contra nos & Religionem nostram, exercitum emitteret, se illi adhæsuros, ac partes illius sectaturos esse. Quin & hoc evidens argumentum est, neminem illorum Religionis caussâ supplicio affici: quòd multi primarii Viri in Regno nostro deprehendantur, qui notoriè aliam, nostræq; Religioni contrariam, habent: ob quod tamen, neque vitæ, neque bonorum, mobilium aut immobilium, neque Privilegiorum suorum, jacturam sentiunt; nisi quòd certam pecuniæ summam exsolvant, pro mulctâ temporis illius, quo Ecclesias nostras visere detrectant. Qui modus procedendi utiq; clamores & libellos famosos, quos profugi nostrates alibi dispergunt, Sole clariùs redarguunt. Nihilominùs, certò rescientes, quòd nidorum & antrorum illorum, quæ à Rebellibus nostris Seminaria sive Collegia Jesuitica cognominantur, Præfecti quidam, nuperrimè iterum Hispaniæ Regi persuaserint: quantúmvis antehac magnæ illi contra nos instructæ classi Hispanicæ res non benè ceciderit; fore tamen, ut, si semel adhuc tentet, multa millia armatorum Virorum (uti quidem ipsi, in rem suam, computant) in Insulâ reperiat, qui se exercitui ipsius, ubi is semel terram attingeret, conjuncturi essent. Ac, licèt Rex, omni ratione adhibitâ, & experimento præteriti temporis edoctus, nullam talem spem concipere deberet, quâ exercitum suum in Angliam emitteret: ejusmodi tamen falsis spebus ac informationibus duci se passus est; quæ ipsi Hispaniæ Regi inprimis per Scholarem, Personium nomine, qui se Confessarium illius dictitat; atq; etiam Papæ Romano, per alium Scholarem, nomine Alanum, (qui, ob exercitas suas proditiones contra nos, Cardinalitium jam pileum meritus est) insinuatæ sunt. Duo illi, Potentatibus istis longam etiam designationem obtulerũt eorum, qui, in limitaneis præsertim locis maritimis Regni nostri, ex parte ipsorum futuri, exercituiq; Hispanico adventanti certam opem auxiliumq; sint laturi. Quamvis autem Papa cum Rege facilè intelligunt, maximam eorum partem, quæ homines illi ipsis insusurrant, falsam esse: quia tamẽ recognoscunt, Seminaristas, Sacerdotes, ac Jesuitas, ad impium suum propositum, & ad populum sibi adjunctum in perniciosâ pertinaciâ suâ conservandũ, idoneos esse; illorum non-paucos pridem;

bæ.indè à decem aut duodecim mensibus, huc in Angliam ablegârunt; qui confœderatis suis significarent, Regem in eo totum esse, (prout ex nonnullis è Societate ipsorum captis intelleximus) ut sequente anno, cum omni extremâ potentiâ suâ, semel adhuc aliquid contra Angliam experiatur. Et quanquam Consiliariorum Regis prudentißimi existimant, nihil sic obtineri posse: Rex tamen ità putavit; si maximè nihil contra nos efficiat, exercitum tamen illum non incommodum sibi fore, quo contra Galliam, Belgium, aut Scotiam, (in quam itidem pars aliqua progeniei talis, è Seminariis istis, submissa est) uti queat.

Regis itaq; Hispaniæ propositum tàm clarè perspectum habentes, ut de eo dubitare ampliùs non poßimus: certi licèt, Deum, omnium justarum causarum patronum, uti semper fecit, sic etiam istud irritum facturum esse; officii nihilominùs ratione, nos, qui sub manu ipsius supremam potestatem accepimus, tenemur, omnia illa media, quæ ipse nobis suppeditavit, usurpare; ac, mediante divinâ ipsius gratiâ, per auxilia & succursum fidelium nostrorum Subditorum, hinc quidem potentiam nostram confirmare; illinc autem, contra seditiosos, leges exsequi, aliaq; statuta Politica effectui mandare, quibus proditiones istæ præpediri queant. Quapropter primùm & ante omnia, ab Ecclesiasticis nostris postulamus; omnem illi operam dent, ut Ecclesiis pii Ministri constituantur, qui & doctrinâ, & vitâ suâ, Populum in confeßione Euangelii, debitâq; erga Deum & nos obedientiâ, constantem retineant. idq; tantò magis, quòd experientiâ didicerunt, paucos seditiosorum ac proditorum principes hoc agere; quò, per Seminaria ista, simplicem rudemq; Populum, ad excœcationes ac præstigias suas traducant. Secundò, quantum ad numerum militum, terrâ mariq;, quibus inflatos illos folles, ex Hispaniâ contra nos venientes, retundamus; bonâ spe sumus, nos, per jam-institutum ordinem, ad resistendum fortiores, quam unquam anteà, futuros. Ad quod tamen, omnibus id modis efflagitamus; ut Subditi nostri, tàm manu, quàm nummo atq; consilio, nos juvent; simulq; omnes ardentibus Deum precibus exorent, ut Ipse nobis in hac, tàm naturaliter debitâ, quàm aliàs gloriosâ, necessariâ, atq; utili defensione, aßistat: quippè quæ, ad Patriam nostram nativam contra vim asserendum; ad Conjuges ac Liberos, honorem atque bona, nostram ac Posterorum nostrorum libertatem, contra truculentos istos prædones peregrinos, contra desperatos expilatores, & contra abominandos Patriæ proditores, conservandum, unicè est instituta. Tertiò, quò tempestiva etiam atq; idonea media sufficiant, contra clandestinas insidias ac technas Seminaristarum, Jesuitarum, aliorumq; ejuscemodi Proditorum, (absq; his siquidem esset; Rex Hispaniæ nihil, hoc præsertim tempore, attentaturus foret) qui, sub falsâ specie pietatis, apud Subditos nostros se-se insinuant, conscientias eorum seducturi, & ad proditionem sensim dispostituri: conclusum deniq; nobis est, citra moram, in omnes Comitatus & Provincias, omnesq; adeò civitates, municipia, locaq; maritima Regni nostri, Commißarios cum plenâ potestate emittere; qui summâ diligentiâ, omnibusq; licitis modis, in suspectas hujusmodi personas, tàm qui aliis persuadent, quàm qui sibi persuaderi patiuntur, quasi ulla obedientia, qualis-qualis illa sit, Papæ aut Hispaniæ Regi exhiberi debeat, inquirant. Et quoniam compertum est, multos è Seminariis illis, sub alieno habitu, in Regnum nostrum subingredi; ac, tanquam alii homines essent, se-se in ipsas etiam Academias, in Principum aulas, & apud Magnates, tàm mares, quàm fœminas, (quò minùs obserra-

servari; sed tutiùs latére queant) dolosè ingerere: ideò jubemus, ac severè mandamus omnibus ac singulis, cujuscunq; generis, statûs, conditionis, ac dignitatis, hominibus; utì & omnibus Aulæ nostræ Ministris, ac Magistratibus inferioribus; omnibusq; illis, quibus familia aut communio aliqua gubernanda tradita est: ut quàm-primùm accuratā rationem subducant omnium illarum personarum, quæ, minimùm intra quatuordecim mensium spatium, in domibus suis familiariter sunt conversatæ, habitârunt, fuerunt, pernoctârunt, aut cibum sumserunt; sive id etiámnum faciant, sive in-posterum sint facturæ: cujus videlicet nominis, statûs, aut conditionis, personæ illæ sint; quo Angliæ loco natæ; ubi annum saltèm integrum, priusquàm ad se venerint, versatæ; quomodo & quibus mediis se sustentent; quid agant; ubi & cum quo contrahant; numq; etiam justo, ac Regibus nostris ordinato tempore, ad Ecclesias nostras accedant, verbumq; Dei decenter audiant, &c. Atque hæc examina, & inquisitiones istas, in peculiares libros referri, mandamus; hosq; apud unumquemq; patremfamiliâs, ad-instar Indicis aut Calendarii, diligenter asservari: quò Commissarii nostri, quando ipsis visum fuerit, tàm personarum sibi suspectarum conditiones, quàm Patrumfamiliâs studium atque fidem, ex illis cognoscant. Quòd si igitur quispiam ad ejuscemodi interrogata respondere detrectârit; aut in responso inconstans deprehensus fuerit: is quàm-primùm captivus ducatur, beneq; custoditus proximo Commissario loci transmittatur. Prout etiam adversùs Patresfamiliâs & Curatores, qui in inquisitione hujusmodi indiligentes aut negligentes se-se præbuerint, similiter procedi, jussimus: ut illi per Commissarios, pro delicti conditione, puniantur. Sin aliquis deprehensus fuerit, suspectis ejuscemodi personis favere, easve intra viginti dies, à promulgatione Edicti hujus proximos, Commissariis non indicare: is, tanquam socius, complex, & auxiliator Proditorum ac Rebellium, pœnâ afficiatur. Atq; in his omnibus nemini, cujuscunq; statûs, dignitatis, aut conditionis fuerit, ulla gratia aut remissio fiat; neq; ab illis, qui Proditores tales non indicârint, aut prædictū examen adversùs quasvis suspectas personas, non diligēter instituerint, ulla excusatio accipiatur: eò quòd hoc vetustissimis statutis, ac laudabilibus consuetudinibus Regni hujus, ad conservationem debitæ obedientiæ Subditorum, erga nos & Coronam nostram, receptis, prorsus sit consentaneum, minimèq; repugnans. Datum in Palatio nostro Richemundiæ, die 18. Octobris, anno 1591. Regni nostri 33.

Anno 1594. in Angliam appulerunt *William* & *Yorke*, in Reginæ cædem accincti; & ad hoc tàm detestandum facinus in se suscipiendum, suasu & adhortationibus Jesuitæ *Holte*, & aliorum ejus gregis. quod ut alacriùs perpetrarent, etiam Eucharistiam ab Holte acceperunt. Huic autem proditioni librum adjunxerunt, à Jesuitâ PERSONIO, qui Romæ Rectoris munere fungebatur, compositum, *de Titulis, Dolemani* nomine fucatum; ex figmentis, mendaciis, & contumeliis, totum consutum & consarcinatum. Sed & ista proditio frustrà fuit. William & Yorke, duo sicarii.

Anno 1597. Jesuita RICHARDUS WALPOT, (qui ab aliis Walfode appellatur) ex Hispaniâ in Angliam trajecit: ut rem, ferro dolisque toties tentatam, alio modo perficeret. Nam captivum in mari Anglū, *Eduardum Squirreum*, primùm ad abnegationem Religionis euangelicæ adduxit: deindè verò non desti- Richardus Walpot, & Eduardus Squirre.

destitit, tàm in Confessione, quàm extra illam, donec illi persuasit, Reginam Angliæ veneno tollendam. Quam ad rem Jesuita tali illum veneno instruxit: quod Reginæ, & Essexiæ Comiti, non edendum aut bibendum præberet; sed quo sellam tantùm, itemque ephippii nodum, inungeret, ut ex ejus contactu uterque moreretur. Ab hoc etiam Jesuitâ, post veniam peccatis concessam, sacramento adactus est Squirreus, ut negotium exsequatur; idque silentio supprimat. Tentatum quidem fuit factum à Squirreo; verùm speratus eventus non est subsecutus. Quod tàm malè habuit Jesuitam; ut Squirreum, per alium in Angliam submissum Socium, Reginæ prodiderit. Ad quod Squirreus captus, examinatus, & confessus, anno sequente 1598. capitis supplicio luit.

Cõspiratio novissima contra Angliæ Reginam, Elisabetham.

Anno 1601. quum artes proditoriæ in Angliâ deficerent; viribus iterum rem aggrediendam statuerunt. Nam mense Decembri, HENRICUS GARNETUS, Jesuitarum in Angliâ Superior, ROBERTUS itèm *Tesmondus* Jesuita, *Robertus Catesby*, vir ingenio subacto & versuto, profundâque perfidiâ, cum *Francisco Treshamo*, & aliis, Anglorum Romano-Catholicorum nomine & caussâ, *Thomam Winterum* in Hispaniam ablegârunt: illique Garnetus literas commendatitias, CRESVVELLO Jesuitæ, in Hispaniâ tùm agenti, perferendas dedit. Wintero Tesmondus Jesuita, & unus ex conjuratis, comitem se-se adjunxit. Legationis summa, Wintero in-primis demandata, hæc erat. *Apud Hispaniarum Regem, Anglorum Romano-Catholicorum nomine, instaret; ut Rex exercitum in Angliam transmitteret: cui Papistæ in Angliâ copias suas adjungere, fidelemq; illi operam navare velint. Prætereà, cum Hispaniarum Rege ageret; ut pensiones annuas nonnullis Romano-Catholicis Anglis, & Majestati ejus devotis, assignaret. Necnon eidem Regi significaret, plures in Angliâ esse Nobiles, & Viros militares, rerum præsentium statûs pertæsos: quos, inopiam eorum sublevando, facilè in suas partes pertraheret. Cúmq; maxima difficultas huc-usque ex equorum transvectione intervenerit; quotiescunq; de Angliâ invadendâ deliberatum esset: Catholicorum Anglorum nomine, certò Hispaniarum Regi promitteret; quòd in omnes occasiones, 1500. vel etiam 2000. equos instructos, qui ipsi militarent, sint educturi.*

Hæc mandata cùm à Jesuitis, & aliis conjurationis sociis, Thomas Winter accepisset, & unà cum Tesmondo in Hispaniam appulisset: Creswello Jesuitâ internuntio, Petrum Francesam, secundum Secretarium, convénit; eique rem totam communicavit, ut etiam Duci Lermæo: qui asseveravit, hunc nuntium Hispaniarum Regi gratissimum fore; seque, ad hoc negotium promovendum, nequaquam defuturum. Rex Hispaniarum, qui Angliæ Reginæ jam antè infensissimus erat, legationem hanc clementer audivit: & Angliæ Catholicos nõ minùs, quàm suos Castilianos, sibi curæ esse, respondit. Sed ad plenius responsum, Winterus Aulam Regiam illâ æstate comitari jubetur. Demumque Comes Mirandæ illi significavit: Regem 1000000. Aureos expensurum; quorum altera pars eodem anno, altera vere subsequente, persolveretur. simulque postulavit, ne Angli Catholici fidem fallerent: vere enim

proxi-

proximo ineunte, regium exercitum in Angliam trajecturum. postremò, Regis nomine Winterum rogavit, ut se per literas quàm-primùm certiorem faceret; si interjecto tempore Elisabetha Regina moreretur. Thomas igitur Winter, spe plenus & tumidus, mense Novembri, anno 1602. in Angliam rediit: remque totam proditionis sociis, Garneto Jesuitæ, Roberto Catesbejo, & Francisco Treshamo, explicavit.

Hanc proditionem Pontifex quoque Romanus, Clemens IIX. vehementer promovere conatus est, duabus Bullis, (ut vocant) quas Garneto misit: unam ad Clerum, ad Populum alteram. Prioris titulus erat: *Dilectis filiis, Archipresbytero, & reliquo Clero Anglicano.* Posterioris: *Dilectis filiis, Principibus & Nobilibus Catholicis, salutem & Apostolicam benedictionem.* Summa hæc erat. *Post obitum Elisabethæ, sive naturalem, sive violentam, quicunq; jus Regni sibi arrogarent, quantumcunq; propinquitate sanguinis niterentur; nisi ejusmodi essent, qui fidem Catholicam non modò tolerarent, sed omni ope & studio promoverent, & more Majorum, jurejurando, se id præstituros susciperent: ad Angliæ sceptrum tenendum non reciperentur.* Hæ Bullæ Papales, Winteri in Hispaniam trajectum sequutæ sunt; quo tempore, vel paulò pòst, trajiciendus fuit in Angliam exercitus, qui eam expugnaret. Et omnia hæc tùm fieri oportuit; *quandocunq; contingeret, miseram illam fœminam* (sic isti terræ filio, Reginam Elisabetham nominare, placuit) *ex hac vitâ excedere.* Posteà verò eædem Bullæ hæ, cùm ex Catesbejo intellexisset Garnetus, Jacobum jam publicè Regem Angliæ declaratum, adeóque Rempub. constabilitam esse, illicò sunt (ut ipse affirmavit Garnetus) in ignem conjectæ.

Regina, cùm intelligeret, & re-ipsâ experiretur, se indesinenter Jesuitarum, & aliorum Clericorum in Regno suo, operâ, instinctu, & adhortationibus clandestinis, ad necem peti: ut sibi totique Regno consuleret; omnes Jesuitas ac Sacerdotes, Edicto publico, intra certum temporis spatium exire, sub gravi pœnâ præcipit.

SERENISSIMÆ PRINCIPIS ELISABETHÆ, ANGLIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ, REGINÆ invictissimæ, fidei Apostolicæ defensatricis, Edictum contra Jesuitas, & Sacerdotes seculares, anno Domini 1602. die 15. Novembris.

Cùm benevolentia ea, quâ cujusvis ordinis Subditos nostros complexi sumus, quamq; in intimo pectore penitùs infixam esse sensimus, nos ab extremâ earum legum exsecutione, quæ sancitæ fuerunt Comitiorum Regni nostri decretis, ad Religionem orthodoxam propugnandam, & seductores omnes, (præsertim ab exteris ad nos advolantes) & illos, qui ejusmodi subsidium præbent, propulsandos, magìs aliquandiu abstraxit; quàm vel status nostri salus ferre, vel Principum aliorum (à quibus una religionis professio semper culta & observata est) exempla legitimè approbare possint: Idcircò in spem maximam devenimus, fore, ut Sacerdotes illi Pontificii, qui, externâ auctoritate permoti, in hoc Regnum ingressi sunt, quò Populum à vera Religionis, adeóq; fidelis erga nos subjectionis studio abducerent, vellent tandem, (præsertim jam anteà experti legum nostrarum severitatem) Reginæ Elisabethæ ultimum contra Jesuitas Edictum.

vel experientiâ clementiæ nostræ adducti, vel judicii sui normâ edocti, à pristinâ suâ improbitate avocari; nec irritare animum nostrum denuò, & extremum illis supplicium infligendum incendere. Etenim, postquàm nos, tantæ tamq; miseræ seductionis illorum miserti, tantâ illos cum lenitate tractavimus: illi contrà clementiæ nostræ penitùs obliti, nostrum Regniq; nostri interitum machinati sunt. Nemo enim non novit, Regem Hispaniæ, regnum Hiberniæ nostrum nuper perquàm-malitiosè invasisse, & D. Johanne (qui in illo exercitu summus Dux & Imperator constitutus erat) diploma illud, à Sede Romanâ acceptum, audacter animoseq; promulgâsse: cujus auctoritate scilicet, nobis Regno abdicatis atq; detrusis, ejus Dominus Rex renuntiatus est. Hujus verò sui tàm inauspicati & infelicis moliminis, Jesuitas, cum Sociis suis secularibus Sacerdotibus, suasores & veluti buccinatores exstitisse, vel ipsi Hispani, in maximas tùm redacti angustias, nõ modò liberè dixerunt, verùm etiam queribundi multoties dolenter deplorârunt. Regem enim Hispaniæ in eam mentem adduxerunt; ut vires nostras crederet tàm angustas, tamq; prorsus abjectas: partes verò suas tantas, tamq; undiq; corroboratas fuisse; ut victoriam ipsam sibi spe certissimâ polliceretur. Deindè, futuræ istorum erga nos obedientiæ integræ, spem omnem nobis penitùs esse sublatam, non dubitavimus; quin ferè maximæ parti Europæ, vel ex ipsorum scriptis recèns editis & divulgatis, jam satis constiterit: nimirùm, eos ad Hostium nostrorum laudem prædicandam & amplificandam; Subditos verò nostros in partes adversarias pertrahendas; denique ad interitum statûs nostri perpetuum machinandum, consensu maximo, vel intra Regnum nostrum, nequiter & malitiosè conspirâsse. Quid enim? Sacerdotes plerique omnes novæ subordinationi, à Pontifice sibi imperatæ, se-se penitùs addixerunt; seq; totos consiliis Jesuitarum (qui homines, Regis Hispaniæ partibus semper devotissimi, à subjectione nostrâ prorsus abhorruerunt) regendos tradiderunt. Hinc factum esse arbitramur, quòd utriusq; sectæ homines, timore erga Deum æternum, erga nos Principem legitimam obsequio, denique erga Matrem suam germanam, Regnum nostrum, pietate excussâ atque abjectâ; conjunctissimis animis nunc (si tamen magìs potuerint) magìs præfracti & perniciosi, quàm anteà unquam, evaserint. Eò namque perversitatis atque improbitatis proruperunt: ut Subditis nostris jam penè persuaserint, arma eos contra nos suscipere debere, & copias suas cum hoste quovis conjungere; quem Papa, sub prætextu restituendæ Religionis Romanæ, ad Regnum nostrum subjugandum, miserit. Prætereà, tàm est projecta & profligata eorum arrogantia: ut non sint veriti, in omnibus Regni negotiis se immiscere; & verbis ac scriptis suis, de Regno & Coronâ nostrâ, pro animi sui libidine, palàm decernere. Et, si quis fortè ex iis, ceu moderatioris ingenii, conscientiæ suæ ductu permotus, gubernationis nostræ æquabilitatem cœperit agnoscere: hic dignus inprimis illis visus est, quem hostili odio prosequantur. Quin-etiam, ne hoc hominum genus improborum temporis diuturnitate posit extingui; quoddam quasi juventutis monopolium exercuerunt: summæ indolis juvenes aucupantes, & ad exteras Scholas transmittentes; quò nobilissimæ familiæ ipsorum inficiantur veneno; & rebellionis fax atque progenies, nobis infestissima, perpetuò alatur. Porrò, ex acerrimis & acerbissimis dissidiis, quæ non ità pridem inter Jesuitas, illisq; adhærentes Sacerdotes seculares, cum aliis quoque secularibus Presbyteris intercesserunt, rationes offensionum, quas utriusq; sectæ homines, contra nos nostrumq;

Regnum

Regnum conceperunt, diversa emerserunt: nimirùm, Jesuitas omnes, cum sociis suis conjuratis Presbyteris secularibus, eò cogitationes suas omnes contulisse; ut Principes exteros, non modò ad occupandum Regnum nostrum, verùm etiam ad nos-ipsos occidendum, excitarent, reliquos verò seculares Presbyteros, à prioribus opinione magnoperè distractos, non solùm in aliorum propositum, tanquam maximè-exsecrandum & detestandum, verbis ac scriptis suis, liberè fuisse invectos; verùm etiam non abnuisse sanctè profiteri, se semper paratissimos fore, qui rebellionis hujusmodi conjurationes ac tumultus omnes, vel primi prodere velint, armisq; propulsare.

Quapropter, tametsi pro eâ opinione, quam de his concepimus, in discrimine aliquo, exigendi ab iis destinatum ex lege supplicium, propensiorem erga hos voluntatem nostram volumus ostendere: tamen hi quoq; ità sunt in nos animati, itaq; se gerunt; ut (quámvis natura nostra alioquin, ad misericordiæ occasionem vel tenuissimam amplectendam, promtissima semper fuerit) nunc exspectatio clementiæ, cum regiminis nostri dignitate, cum utilitate Subditorum, cum Regni securitate, diutiùs consistere non possit. Cuivis enim manifestum est nimis, hos, Jesuitarum factionibus quámvis plurimùm adversantes, tamen in eâdem animi obstinatione convenire. Namq; prætextu conscientiæ (illudendi genus periculosissimum) Subditorum animos ad se pellicere conati sunt; & ad Papam, hostem nobis infestissimum, pertrahere: ut hoc pacto partes adversariæ augeri & stabiliri; nostræ verò convelli atq; labefactari possint. id quod cùm Regimini nostro perniciosum, tùm ex legibus benè-constitutæ Reipub. minimè ferendum est. Cùm præsertim hic hostis, more Principis secularis, in apertâ acie vexillum suum jam adversùs nos extulit, atq; erexit; assiduè nova stratagemata, & artes bellicas contra nos instruens atq; adornans. Prætereà, satìs assequi aut mirari non possumus, (nisi fortè abusu lenitatis nostræ hoc contigit,) quid tandem eos in eam impulit amentiam: ut Subditis ferè nostris omnibus, tàm bonis, qui gravatè id ferunt, quàm improbis, qui id ardenter & sitienter exoptant, jam penè persuaserint, eo nos esse animo; ut vel uno in Regno Religionis cultum duplicem facilè admittere velimus. Novit autem Deus Opt. Max., qui cordis nostri recessus intimos perscrutatur, & cui soli hanc gratiam referimus; nos in istam sententiam nunquam descendisse, ne per somnium quidem: & ex iis, qui nobis adfuerunt, neminem propositi hujusce vel tenuissimam persuasionem nobis innuisse: qui mos si obtineat, pax Ecclesiæ, & statûs nostri dignitas, labefactetur, necesse est.

Deindè intelligimus, (ex quo etiam magìs emineat præceps eorum audacia) hanc eorum de Religionis suæ tolerantiâ spem, cum intolerabili licentiâ atq; impudentiâ esse conjunctam. Nam vel in summâ luce in publicum prodire cœperunt, incarceratos palam salutare, & (non sinè contemtu legum maximo) religionis suæ munia exsequi, & ritus celebrare. His & aliis modis, nullo modo ferendis, irritare non desinunt legum vigorem: qui (propter rationes jam expositas) aliquandiu quasi consopitus jacuit. Cùm potiùs (si unquam) nunc maximè præscribere sibi modum debuissent, sedulóq; præcavere, ne clementiam tàm singularem (quæ nunquam, nisi necessariò, parére severitati potuit) suâ tàm insigni insolentiâ repellerent.

Porrò hoc, quòd ad istos homines ingratos nimiùm, parumq; consideratos, connivere quodammodò videbamur, aliud quoq; malum invexit. videlicet, homines alii, rebus novis

proni,& opinionibus ſuis addicti nimis,eò prolapſi ſunt temeritatis: ut lenitatem noſtram libellis ſuis publicis vehementiùs exagitent; nobisq; negligentiæ notam inurant,ac ſi ab ipſis ſolis Religio ſuſtentata & propugnata eſſet. Hi,quòd,innocentiam noſtram traducentes,piorum animos offendunt,(qui cùm Pontificiæ ſectæ inimiciſſimi,tùm iſtorum petulcis ingeniis adverſarii ſunt) certè non debent ferre impunè. Quin-etiam,ut Regni noſtri (cujus adminiſtrationis ratio omnis,Eccleſiaſtica & Politica, Senatûs,quem Parlamentum dicimus, conſultis & decretis communibus ſanciri & confirmari ſolet) ſcandalis, periculis,incommodis omnibus neceſſariò occurratur: Miniſtri & Officiarii noſtri omnes, quibus Reipub.cura concredita eſt,admonendi ſunt: quàm nobis vehementer diſplicuerit; quòd tantum de officii ſui ſeveritate remiſerint; ut,in apprehendendis Pontificiis Sacerdotibus,ex legibus ſibi imperatam diligentiam raròadmodùm præſtiterint. Nos igitur hæc noſtra monita, atque imperata publicè promulgari volumus: in quibus rogamus & jubemus, Jeſuitas,& cum eis conjunctos & conſociatos Presbyteros ſeculares omnes.jam libertatem nactos ex Dominiis & Territoriis noſtris quàm-primùm diſcedere: nec,per importunam moram ſuam, nos vehementiùs incendere velint,ut in ipſos ex rigore legis ſcelera vindicemus. Sacerdotes quoq; alios, Jeſuitarum impietatem nonnihil averſantes, nunc in libertate conſtitutos,ante primum diem Januarii proximè-ſubſequentis,Regnis noſtris exſulare mandamus. Illos tantùm excipimus,qui ante diem indictum,Conſiliariorum noſtrorum cuiquam,aut Cambrienſi vel Eboracenſi Præſidi, aut Diœceſium Epiſcopis præſentes ſe-ſe exhibuerint; & agnoſcentes ſuum erga nos obſequium,ad noſtram ſe clementiam receperint: de quorum ſubmiſſione intra dies 20. per Præſides & cæteros Epiſcopos,ubi acceperimus; ita cum illis acturi ſumus,ac pietas & æquitas ipſa poſtulaverit.

Deindè Jeſuitis, & Sacerdotibus Pontificiis aliis omnibus,tam ſecularibus,quàm regularibus,ſive in Regno,ſive extra Regnum agentibus,interdicimus; ne quovis prætextu in Regnum revertantur. Niſi Jeſuitæ,& qui ſe illis addixerunt ſeculares Presbyteri,ante dies triginta; reliqui verò ſeculares Sacerdotes, à prioribus opinione divulſi, ante primum diem menſis Februarii,poſtquàm hoc Edictum denuntiatum eſt,portum aliquem maritimum petierint, navemq; conſcenderint, in regiones exteras trajecturi: tùm illos, illisq; ſubſidium ullum exhibentes,(ubi deprehenduntur) Miniſtris noſtris, pro legum noſtrarum ſummo jure, pœnis afficiendos eſſe, permittimus: idq; Magiſtratibus omnibus,quibus Reipub.adminiſtratio demandata eſt, ex hoc noſtro Mandato ſignificamus. Quò etiam Regnum noſtrum ab hujus peſtis contagione faciliùs liberari poſſit: hoc Edicto Præſidibus noſtris, Vicepræſidibus,Commiſſariis, Juſtitiariis,Prætoribus,Vicecomitibus,Balivis,aliisq; cujuſcunque ordinis Magiſtratibus omnibus,ſeverè præcipimus: ut,in ſuo quisq; munere exſequendo,curam omnem & diligentiam adhibeant; locos omnes ſedulò perveſtigent,ac perſcrutentur;(qui vel ex opinione ſuâ,vel per ſignificationem aliorum,ſuſpicionem ullam afferant) & Jeſuitas, & ſeculares Presbyteros omnes apprehendant; & noſtris deniq; Conſiliariis rationem reddant tandem,quàm probè ſuo munere ſint perfuncti: nec per negligentiam ſuam permittant,ut,dum alios legum periculo liberare velint,ipſi involvantur.

Sequente mox anno 1603. Aprilis 4. die, Sereniſsima Regina Angliæ Eliſabetha moritur. Hîc verbis ſatis exprimi non poteſt, ut illam mendaciis obrue-

ruerint,& conviciis lacerârint Jesuitæ,eorumq; asseclæ,etiam post mortē ejus. Appellârunt eam *immitem, crudelem, humani sanguinis avidam, Christiani nominis hostem acerrimam & persecutricem, lupam denique Anglicanam.* & ut talis fuisse ab omnibus credatur, quantum ingenii viribus valent,etiam-num hodie annituntur. Texuerunt catalogos eorū, qui toto regni ejus tempore,quod longissimum fuit, vel ob proditiones & parricidia, vel ob nefas aliud,legibus Regni vetitum, supplicio affecti sunt: deindè istud esse *Anglicanum martyrologium*, miseris populis, & rei veritatem ignorantibus, persuadere conantur. Videre est in Jesuitarum nonnullorum, aliorumq; libris,de persecutione Anglicanâ, Papistarum alios, ferarum pellibus insutos, à rabidis canibus & molossis dilaniari; alios ad equorum præsepia alligatos, fœno ibi pascendos. Cernas glires pelvibus inclusos Papistarum viscera exedentes. Omitto alias suppliciorum diras & horribiles species, in cerebris fingentium pingentiumq̄ue Jesuitarum,& similium,impiè & scelestè natas; neq; in Angliæ regno unquam visas vel auditas. Si quæ autem supplicia maximè-merita sumta sunt: pauciora tamen illa sunt, per totum spatium regni Elisabethæ, quod fuit annorum f.supra 40. quàm per 4.annos Reginæ Mariæ, eorum, qui, Religionis euangelicæ caussâ, variis suppliciorum generibus necati sunt: de quibus autem inter illos misericordes Jesuitas altissimum est silentium. De sumtis autem suppliciis, quam causam justam habent conquerendi Jesuitæ, & alii? Licuit Rom.Pontifici Pio V.,Reginam,in quam tamen nihil prorsus juris vel potestatis habuit,diris devovere; omnes sibi morigeros Reges, Principes, & Populos,in ipsius perniciem,& universi Regni ruinam,excitare: Reginæ verò,& Proceribus Regni, pestem hanc& ruinam avertere, & vim vi repellere non liceat? Ausi sunt Jesuitæ, eorumque asseclæ, Clerici & Laici, domestici & peregrini,seditiones in Angliæ Regno periculosissimas concitare; ad parricidia,cædes,omnis generis dolos,fraudes,consilia sanguinolenta,& nefaria facinora,plurimos instigare & impellere; inque necem Reginæ,& Consiliariorum ejus,conspirare: & Regina,Consiliariiq; ejus,de seditiosis illis,proditoribus, latronibus, ac parricidis, non supplicia & meritissimas pœnas sumere audeat?

Jesuitæ Reginam Angliæ, etiam post mortem, convitiis proscindere non cessant.

II. *Sub Regis* JACOBI *imperio.*

A' primo Regis Jacobi in Angliam adventu, non tres vel quatuor menses effluxerunt; in quibus non aliqua contra illum fabricata sit conspiratio, vel proditio,à Papistis:quos inter Jesuitæ primas semper tenuerunt. Scribit etiam doctissimus CASAUBONUS, ad Frontonem Ducæum Jesuitam, pag.52. Watsonum Clericum, & Sacerdotes seculares, Regem Jacobum, vix in Angliam ingressum, nondum certè coronatum, anno 1603.machinatione clandestinâ, tollere de vivis aggressos esse. Et hanc quidem primam conspirationem,in Regis perniciem,postquàm in Angliam appulit,in apertum & hominum cognitionem venisse.Captos autem,& torturâ interrogatos,dixisse illos,

Prima conspiratio parricidialis contra Regem Jacobum.

ſæpeque & conſtanter affirmâſſe; ſe, cùm ſua conſilia Jeſuitis, in Angliâ tùm degentibus, communicâſſent, petiiſſentque ab iis, ut tàm præclari ſcilicet incepti participes eſſe vellent, hoc reſponſum tuliſſe: *Non poſſe Jeſuitas illis ſe-ſe adjungere; ut qui, ſuam ipſi quoque parilem telam orſi, memorabilem in omne ævum technam pararent, tempore opportuno exitum habituram. Pergerent modò illi in hoc ſuo inſtituto, & rem agerent ſtrenuè.* Quo reſponſo nihil aliud Jeſuitæ, quàm conjurationem, quam pulverariam vocant, ſignificârunt; de quâ poſteà agetur.

Secunda; ſed illa Hiſpano improbata.

Haud diù pòſt *Chriſtophorus* Wrigth, ab Henrico Garneto, qui etiam per eum, ad rem accelerandam, ad Creſvvellum Jeſuitam literas dederat, itemque à Catesbejo & Treshamo, ex parte Anglorum Romanè-Catholicorum, ſubmiſſus fuit in Hiſpaniam: tùm, ut Reginæ Eliſabethæ mortem nuntiaret; tùm, ut negotium de Angliâ invadendâ, & penſionibus ſubmittendis, urgeret. Uno vel altero menſe, poſt adventum Wrigthi in Hiſpaniam, eò etiam venit *Guido Faukius*; qui, 22. Junii, Bruxellis Brabantiæ miſſus erat, à Guilielmo Stanlejo, Hugone Ovveno, (qui ſe plurimis proditionibus, multos jam annos, contra Reginam immiſcuerat) & Balduino, Jeſuitico in Belgio Legato ordinario; qui etiam Guidoni literas ad Creſvvellum, ut rem ſtudiosè diligenterque curaret, perferendas dedit. Guidoni Faukio impoſitum erat à prædictis, priusquàm Jacobus Rex vel de facie illis notus erat; ut Regi Hiſpaniarum ſignificaret, Regem Angliæ aſperiùs cum Romanè-Catholicis acturum, & eandem viam Reginæ Eliſabethæ ingreſſurum: nec-non ut obſecraret Regem, copias in Angliam ad Milfordum portum ſubmitteret; ubi Angli Catholici præſtò illis futuri ſint; eodemque tempore cohortes, quæ è Belgio Spinolæ triremibus transvehendæ eſſent, ubi poſſent commodiſsimè, terram conſcenderent. Hæc Chriſtophorus Wrigth, & Guido Faukius, Hiſpaniarũ Regi ſeorſim expoſuerunt. Rex autem tunc illis reſpondit: *Se poſthàc his ſimilibusq; poſtulatis eorum aures præbere nolle: quòd Legatũ in Angliam, ad Regem, de pace tractanda miſiſſet.*

Cùm igitur Hiſpaniarum Rex non ampliùs probaret conſilium, de copiis in Angliam transmittendis, propter pacis inter utrumq; Regem tractationẽ; & propterea vi ac armis illi nihil ultrà poſſent: ad occulta molimina protinùs confugerunt. Nam primò, menſe Majo, anni 1603. quinque ex Scotiâ oriundi, in vincula Londini conjecti ſunt, à Jeſuitis, procul dubio ſubornati: ut eo die, quo coronationis ſolennitas perageretur, excitato diverſis in locis ingenti incendio, turbas Londini quàm-maximas darent; quibus, quod inſidiosè decretum eſſet, in actum eò commodiùs produceretur.

Tertia.

Secundò, conſilia de pulvere fulminali agitârunt. Quæ res ità ſe habet.

Quarta, cum pulvere fulminali.

ROBERTUS CATESBEJUS, primarius in Angliâ Nobilis, accerſitum ad ſe *Thomam* Winterum, cùm ſciret in Belgium eum iter ſuſcepturum, hortatur; ne curam religionis Pontificiæ in Patriâ reſtaurandæ abjiciat. Reſpondet ille: paratum & promtum ſe quidem eſſe, cauſam Pontificiam, etiam cum jacturâ vitæ ſuæ, promovere; modum autem & viam, quâ id commodè fieret, ignorare. Eam verò ſe ſcire, Catesbejus reſpondit: Parlamenti nimirùm domo, Re-

ge Re-

ge Reginâque, cum Liberis suis, cunctisque Proceribus, proximis Regni Comitiis in eâ congregatis, pulveris tormentarii nitrati vi, ex fundamentis erutâ & subversâ. Exhorrescit primò Winterus, ad mentionem hujus tàm horrendi facinoris: operam tamen suam, in exsequendo eo, ipsi tandem pollicitus est; omni etiam vitæ suæ periculo neglecto. Convenit igitur inter eos, ut in Belgium profectus Thomas Winterus, aliquem indè secum in Angliam adducat; cujus operâ negotium hoc commodè in actum perduceretur. Commorari autē in Belgio quendam Guidonem Faukium, Catesbejus dicebat: quo magìs quidem, ad hanc rem perficiendam, idoneus inveniri non possit. Winterus, in Belgium veniens, cum Ovveno quodam Jesuitâ de hoc suo proposito confert: qui confirmatum mirificè in Angliam redire jubet; promittens, se Guidonem illum, hac de re benè informatū, brevì etiam eòdem transmissurum. Nec mora illa: cùm vix Ostendam assecutus esset Winterus; ecce, Jesuitæ hortatu, eòdem pervenit Guido ille, & in Angliam sine morâ cum Wintero trajicit. Dum abesset autem Winterus; communicat hoc suum consilium Catesbejus cum quibusdam aliis. itaq; reverso jam Wintero, quinque sequentes, *Rob. Catesbejus, Thomas Percius, Thomas* Winter, *Joan.* Wrigth, *& Guido Faukius*, ad S. Clementem congregati, juramento præstito invicem se obstringunt; quòd, quorum conscii essent, nihil effutire vellent: ad Missam abeunt, & Eucharistiam accipiunt; ministrantibus illam eis Jesuitis, & in proposito eos confirmantibus.

Cùm autem animadvertisset Catesbejus, famulum suum, *Thomam Bates*, curiosiùs observare, & quasi in suspicionem vocare, quid dominus suus moliretur: in ædes suas eum accersit, &, Thomâ Wintero adstante, interrogat; quidnam ille suspicaretur de suis & sociorum conatibus? cùm jam-pridem accuratè illos observârit. Batés respondit: se suspicari, illos aliquid magnum, & periculi plenum, quicquid illud sit, machinari. Hinc iterum interrogârunt eum: quódnam id esse opinaretur? Respondit: se opinari, eos aliquid periculosum de ædibus Parlamentariis moliri; quia, ad domum proximam conducendam, ab illis missus fuerit. Tunc Batesium ad jusjurandum adegerunt, ut rem omnem celaret. Cùm is jurâsset; rem omnem illi communicârunt: ad Eucharistiæ etiam sumtionem eum hortati sunt, propter majorem cautionem, & rei occultationem. Hinc ille Tesmondum Jesuitam, ut peccata ei confiteretur, accesit: & inter confitendum significavit, rem admodùm periculosam, & maximi momenti, quam Catesbejus & Winterus sibi communicârint, occultandam esse; seque vehementer dubitare, an ea licita sit: ideóque Jesuitam consuluit, & rem omnem ei aperuit. Jesuita autem, qui ex conjuratis jam antè erat, illi persuasit, id licere maximè: ejusque animum ad facinus firmavit; jussitque, ut, quod dominus ejus illi significârit, quàm-maximè occultaret. Adjunxit prætereà; in occultatione neque periculum, neque peccatum subesse: eumq; ie absolvit. Sic Bates, cum domino suo Catesbejo & Wintero, Eucharistiam sumsit. *Bockvvodus* etiam, fide ad rem occultandam jurejurando præstitâ, cùm ex Catesbejo cognovisset, machinationem illam ad Regem ac Regnum

Regnum extinguendum pertinere; attonitus,& ſtupore percuſſus,dixit: Salvâ conſcientiâ tantum ſanguinis innocentis effundi non poſſe. Catesbejus autem reſpondit: ſibi à Jeſuitarum Superiore, Henrico Garneto,planè perſuaſum eſſe,ſinè aliquâ conſcientiæ offensâ id fieri poſſe. HAMONDUS Jeſuita quoq; conjurationis ſocios omnes,in ædibus Roberti Winteri, abſolvit, die Jovis proximè poſt proditionẽ detectam; cùm jam parricidæ arma induiſſent.

Jusjurandũ,quod omnes,tàm pro taciturnitate,quàm perſeverantiâ & conſtantiâ in proditione præſtandâ,jurârunt, hoc erat: *Juro per ſacram Trinitatem, & per id,quod jam ſumturus ſum,ſacramentũ; nunquam,vel directè,vel indirectè,verbis aut circumſtantiis,iſtam rem revelare,quæ meæ jam commendanda fidei: neque ab exſequutione hujus deſiſtere; donec reliqui mihi veniam concedant.* Juramentum hoc primùm Catesbejo, Percio, Wrigtho, & Thomæ Wintero, uno eodemque tempore,per *Gerardum*, aliàs *Lee* & *Broke* nominatum, Jeſuitam; alioque tempore Bateſio,& reliquis,per *Grenvvellum*, aliàs *Oſvvaldum Teſinond*, Jeſuitam,datum eſt. Nihilominùs tamen deteſtandum hoc facinus,ab uno conjurationis ſocio,qui invitus & juramentum & ſacramentum accepit, ſubobſcuris literis ad Dominum de Monte-Aquilæ datis, detectum eſt, Regique ſignificatum: ac,cognitis compertisq; omnibus ad pulverariam illam molitionẽ pertinentibus,conjurati pleriq;,atque inter illos etiam duo Jeſuitæ,Garnetus & Oldekornus,aliàs Hallus dictus, comprehenſi ſunt,& commeritas pœnas luerunt.

Henricus Garnetus, homo jam ſeptuagenarius, ad Regis mandatum,unà cum aliis conſpirationis ſociis, ad quæſtionẽ ſive torturam adhibitus,confeſſus eſt:Integros jam ſe-ſe viginti duos annos,velut ſupremum Provincialem, Romani Pontificis nomine,Papiſtis(qui Papam eum Angliæ nominaverunt; & tanto honore proſecuti ſunt, ut pedes etiam ejus oſcularentur) præfuiſſe; omniumque,quæ toto illo tempore,contra Reginam Eliſabetham,& Regem Jacobum,hactenus ſuſceptæ proditiones eſſent, conſcium fuiſſe. Ad mortem jam condemnatus,cùm ſcalam innixam patibulo aſſcenderet,inter alia dixit: *Me cum Dominis à ſanctiore Conſilio ſimulatè egiſſe, malè me habet. Verùm non putâram,eos talia contra me indicia & argumenta habere; donec coràm produxiſſent.* Itèm: *Faxit Deus,ne graviùs cum Catholicis meo nomine agatur! eosq; adhortor, ne ejusmodi proditionibus, & rebellionibus contra Regem,ſe immiſceant.* Ac tametſi ille, ſpe vitæ prorogandæ, alias adhuc plures res magni momenti confiteretur atque revelaret: nihilominùs tamen,3.die Maji,anno 1605.ſuſpenſus primùm; poſtmodùm verò in quatuor partes diſſectus eſt.

Rex quidem, proditionis & conſpirationis ejusmodi pericula cavere inpoſterum modis omnibus adnitens, 22.Febr.anno 1604. mandatum edidit; quo Jeſuitas, cum Sacrificulis & Romano-Catholicæ religionis propagatoribus omnibus,proſcriptos,ante 19.diem Martii, ex univerſo Angliæ,Scotiæ, & Hiberniæ regno, diſcedere juſsit, hac conditione & ſeveritate: ut, qui poſt diem nominatum comprehenſi in Regno fuerint,extemplò, nullo ordine aut morâ judicii,pœnas darent. Indictum etiam omnibus indigenis,ne hoſpitio,

tecto,

tecto, mensâ, aut aliâ ope, eos foveant ac juvent; nî eandem cum illis pœnam incurrere velint. Verùm Jesuitæ, horumque complices, nihil eo territi sunt: quò minùs in parricidialibus suis ausis pergerent. Nam non solùm prędictam pulverariam displosionem machinati sunt: verùm etiam, cùm, singulari Dei benignitate, illa retecta, sicque frustrà esset; mox novam aliam inierunt.

Sub initium enim mensis Junii, anno 1606. nova iterum adversùs Regem Angliæ Jacobum detecta est conspiratio: quæ in Flandriâ initium cœpisse ferebatur, Jesuitis & Sacrificulis quibusdam authoribus; quorum suasu & hortatu sex primarii quidam Viri, inito fœdere, & Eucharistiæ sacramento accepto, silentium & fidem sibi invicem promiserunt. Convénit autem inter eos, de Rege vel in venatione glande plumbeâ transfigendo, vel aliâ quâcunque ratione è medio tollendo. Eumque in finem monilia quædam, & clenodia pulcerrima preciosissimaque, veneno ità infecta sibi comparârant; ut vel solo attractu lethalia essent: eaque, si in venatione res non successisset, Regi offerre & exhibere, animus erat; ut, illis acceptis, necem evitare non posset. Comprehensi sunt etiam, in Sodalitio isto, duo ex Jesuitis, conjurationis hujus conscii, & ad Regem adducti. Ex eorũ uno, PARCIO nempè, Societatis in Angliâ Provinciali, Rege præsente, quæsitum est, primò: *Possitne Pontifex Romanus excommunicare Jacobum, præsentem Angliæ Regem?* Qui respondit: *Omnes Catholicos fuisse hactenus, & esse adhuc, in illâ sententiâ, Licere summo Pontifici, tanquam summo Christi in terris Vicario, omnes Reges & Principes hæreticos excommunicare.* Instantibus verò Consiliariis; Non esse hoc directum responsum ad propositam quæstionem: respondendum esse præcisè ad hoc; *Utrùm Paulus V. Pontifex modò Romæ residens, possit justè excommunicare Jacobum I. magnæ Britanniæ Regna hoc tempore gubernantem?* Ille, *respondisse se in genere ad propositam quæstionem, ex mente omnium Catholicorum,* ait; *velleq; in responsione istâ acquiescere. cùm, in individuo respondere aut definire velle, quid Paulus V. Pontifex Max. in Jacobum I. possit, majoris esset authoritatis, maturioris consilii, & superioris arbitrii. Petere igitur, sibi, quòd falcem in alienam messem mittere nolit, ignosci.* Quæsitum deinde ex illo est; *An Angli omnes, qui Anglicanam confessionem sequuntur, sint Hæretici?* Respondit ille: *Quicunque, scientes-volentes, ab Ecclesiâ Catholicâ-Romanâ divortium faciunt, inq; eo perseverant, sunt Hæretici.* Urgebant illi; *Responsionem magìs ad Anglos, eorumq; Religionem, applicandam esse.* At ille in hoc suo generali responso substitit. ne, in primâ quidem quæstione, læsæ Majestatis; in alterâ verò, fractæ seu perturbatæ Pacis publicæ, reus fieret. Quæsitum porrò est: *An proditio proxima, suâ authoritate, consilio, & præscitu, facta esset?* Ille negando respondit: & adjunxit simul, se detestari ex animo tàm horrendos conatus, contra Magistratum legitimum conceptos: judicareque, autores non eo tantùm, quod aliqui eorum jam sustinuissent; sed graviori etiam supplicio (si tamen aliquid gravius excogitari posset) dignos esse. Postremò, quæsitum ex eo fuit: *An autor esset libelli cujusdam, contra statum Regis, & Regni Anglicani, conscripti?* Respondit ille: Autorem se non esse; vidisse tamen istum libellum, & in multis correxisse. cùm,

Quinta contra Regem Angliæ conspiratio.

quicquid in Provinciâ illâ à Societate conscriberetur, censuræ uti suæ subjiciatur, necesse omninò esset. Hoc audito, in carcerem uterque, mandato Regis, translati sunt.

Iterum, anno 1608. Jesuita THOMAS GARNET, in Angliâ captus, & Londini in quatuor partes dissectus est: quòd, in contumeliam & contemtum Mandatorum regiorum, Sacerdotes aliquos sui ordinis creare; in locis occultis conciones habere; & Populum ità docere, *Quòd Rex in Ecclesiam jus nullum habeat; Pontifex ejus caput sit, & Subditi ad servandam Regi fidem non teneantur;* ausus fuerit.

Ob istas igitur continuas & asſiduas factiones machinationesque, Rex Angliæ tandem, die 2. Junii, anno 1610. sequens Edictum promulgavit; quo denuò omnes Jesuitas, Monachos, & Romanæ religionis Ministros, sub capitalis supplicii pœnâ, Regno suo, ante primam Augusti diem, excedere jussit. Edictum de verbo ad verbum sic habet.

EDICTUM SERENISSIMI MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS, JACOBI I. FIDEI-DEFENSORIS, contra Pontificios Angliæ Recusantes, & Jesuitas, Sacrificulosque.

Regis Jacobi postremum Edictum contra Jesuitas, eorumque similes Sacerdotes.

Quanquàm summa Regis pii & sapientis cura, circa Religionis verè-Catholicæ & Christianæ conservationem & amplificationem, versari debeat: atque in hunc finem, sicuti unâ manu bonum ejus semen spargere; sic alterâ malas herbas & hæreses, quæ inter Domini semina plerunque succrescunt, quantum fieri potest, evellere & exstirpare oporteat: Nihilominùs tamen natura nostra ad clementiam perpetuò tàm proclivis fuit; ac præsertim ab effusione sanguinis, in iis rebus, quæ conscientiam quocunque modo tangere possunt, (quanquàm nihil aliud, quàm simulata & ficta in quibusdam conscientia erat,) ità semper alieni fuimus: ut, non obstante eâ curâ & zelo, quibus hujus nostræ antiquæ & verè-Catholicæ Religionis, quam profitemur, conservationem & propagationem perpetuò prosecuti fuimus, dicta nobis innata clementia nos semper retinuerit; ne Legem illam, quæ contra Sacrificulos & Recusantes lata fuit, quamq; pessimis suis facinoribus, contra nos diversis vicibus perpetratis, perversisq; & superbis actionibus, illi jure meruerant, debitæ exsecutioni mandari fecerimus. Posteaquàm verò pessimum hoc ipsorum institutum, principiò per immediatam Sacrificulorum proditionem, in ipso nostro in hoc Regnum aditu; ac posteà per horrendos istos cuniculos sulphureos (quæ immanissima crudelitas oblivioni nunquam tradenda) manifestatum; cui deindè supervenit simul horribile & deplorandum illud facinus extra hoc Regnum designatum; (diabolicum & immanissimum nimirùm parricidium illud, in ultimo Galliarum Rege, fratre nostro charissimo, perpetratum:) animos dilectissimorum Subditorum nostrorum, quos domus & corpus Parlamenti repræsentant, ità excitavit: ut utraque Domus nos humilimè rogaverint & obtestatæ sint, ut in Papicolarum actiones & vestigia accuratiùs, quàm antehàc unquàm, intenti essemus; & ut, in hunc finem, optimas & saluberrimas hujus Regni Leges, contra ipsos, & quidem majori ex parte ante nostrum in hoc Regnum ingressum,

sum, latas, quarumq; observationem in Inauguratione nostrâ juravimus, sinè ullâ ulteriori dilatione, exsecutioni mandare vellemus: justissimam certè causam habemus, ut, juxta humilimas ipsorum petitiones, in-posterum magis, quam antehàc unquam, soliciti simus; dictasq; Leges nostras exsecutioni diligentiùs mandari faciamus. In hoc etenim negotio conscientia nostra, respectu religionis; honor noster, respectu ejus, quòd nihil nisi Legum nostrarum exsecutio petitur; & securitas nostra, (ac non solum nostra; verùm etiam totius Posteritatis nostræ) respectu sanguinolentæ Pontificiorum doctrinæ, qui in Martyrum & Sanctorum referunt numerum eos, qui proprios suos Reges, Unctos Dei, trucidant: (sicuti nunc cum horrore, exsecrandam hanc ipsorum doctrinam, toties effectui mandatam, & parricidialem hanc Theoriam & Praxin, ità conjunctas videmus: ut facinorosi & maligni homines, nullo medio meliùs, quàm per parricidium Regis cujusquam, qui aut Hæreticus, ipsorum judicio, aut fautor Hæreticorum habetur, animam suam ab æterna damnatione se liberare posse, putent:) Hæ, inquam, tres causæ, quæ conscientiam, honorem, & securitatem nostram tangunt; atq; etiam Populum nostrũ permoverunt, providentiam in nobis regiam & solicitã, quâ unusquisq; Rex pius, justus, & prudens, rebus ità contingentibus & se-se habentibus, præditus esse debet, necessariò excitant.

Ac propterea, cùm certiores facti simus, quòd hoc præcipuè tempore major, quàm antehàc unquàm, Recusantium numerus in hanc nostram urbem Londinensem venerint; licèt, per Leges Regni nostri, certis limitibus circumscripti esse, & intra quinque illa milliaria pro habitatione ipsis designata, manere debebant: certò nobis constitutum est, revocare; sicutì priorem omnem, in hunc locum redeundi, datam licentiam, per præsens Edictum revocamus. Et quanquam hoc tempore, quo Parlamentum haberi, & Inauguratio Filii nostri primogeniti institui debet, eos hic tolerare perimportunum & periculosum sit: quam & ob causam Parlamentum nostrum humilimè requisivit, ut universi ad domicilia sua remitterentur; & Urbs hæc ab illis, pro Inauguratione dicti nostri Filii charissimi, vacuaretur: nihilominùs tamen, tantum consuetæ nostræ bonitatis retinere, constitutum nobis est, (non respiciendo ullas ipsorum vafras machinationes, aut pericula, quæ, tempore hoc durante, inde nobis, in recompensationem dictæ nostræ clementiæ, provenire possent,) ut, consideratis negotiis ipsorum gravioribus, privatum ipsorum statum attingentibus, quæ fortasse adhuc in proximo termino peragenda haberent, ipsis terminum, usque ad ultimum Junii, prolongare velimus. Intra quod tempus, ad domos suas, & ad ea loca, ad quæ per Leges remissi sunt, redeunto: nec unquàm posthâc, ad hanc Urbem nostram & Cameram Londinensem, vel ad Aulam nostram, nec ad Aulam dilectissimæ Reginæ nostræ conjugis, vel charissimi Principis nostri Filii, quocunque loco sit, intra decem ab hac urbe Londinensi milliarium, sinè singulari veniæ impetratione, remeare præsumunto. cùm Leges nostras, contra transgressores, quàm-strictissimè exsecutioni mandare, & summum illum Authoritatis nostræ contemtum severissimè vindicare, decretum sit. Et similiter, juxta dictam humilimam charissimorum Subditorum nostrorum, in Parlamento congregatorum, petitionem, omnibus superioribus Magistratibus, in omnibus hujus Regni nostri partibus, strictissimè mandandum decrevimus: ut, juxta Leges nostras, ab omnibus Papistis, inobedientiæ convictis, omnia arma, pulveres tormentarios, & quæ ejusdem sunt generis, quæ quisque sive in propriâ habet potestate, sive apud alium

deposuit, recipiant; & provideant, ut benè custodiantur, & secundùm leges deponantur: tantum ipsis, pro necessariâ domuum & sui defensione relinquentes; quantum per leges concessum est. Quâ in re, cùm Magistratus nostri hactenus nimis negligentes fuerint: si expressum hoc nostrum mandatum, vel neglectum, vel exsecutioni non satis diligenter, ut decet, datum, deprehenderimus: per severissimas pœnas ipsis notum faciemus, quàm grave delictum sit, in regiis nostris mandatis, præsertim in Rebus talis momenti, negligentem esse.

Et quandoquidē Jesuitæ & Sacrificuli, majori numero nunc, quàm antehàc unquàm, tàm per totum nostrum Regnum, quàm in urbe nostrâ Londinensi, circumvagantur: non solùm gregatim ad Domum nostram venientes, maximo cum authoritatis & Legum nostrarum contemtu; verùm etiam permixtâ sibi talium personarum particularium catervâ, quæ, posteaquàm carceribus detentæ, & per leges nostras convictæ, & nihilominùs tamen (ex bonitate nostrâ) è Regno, sub hac conditione, ne unquàm redirent, deductæ fuerunt, in Regnum redire ausæ sunt; maximo cum summæ erga eos bonitatis & clementiæ nostræ contemtu, manus nostras ad justissimas pœnas provocantes: Nos, ad tales abusus & confusiones in-posterum præveniendas, omnibus istis Legibus frena amplius non inhibere; sed easdem, ut ratas, prout decet, exsecutioni contra ejusmodi transgressores mandare, decrevimus. Et quoniam semper proni sumus, ad severitatem aliquâ clementiæ nostræ parte temperandam: (non jam respicientes, quòd statim in primo, ac posteà in quarto Regni hujus nostri anno, per duo diversa clementissima Edicta, omnibus Sacrificulis & Jesuitis certum diem præstituimus; ante quem ex nostris ditionibus discederent: gravissimis etiam pœnis, si in Regnum nostrum redire auderent, propositis) decrevimus, non obstante præcedentis nostræ gratiæ contemtu, ad duas illas priores profectiones ipsis indictas, etiam tertiam adjicere. Ac propterea per præsens hoc Edictum declaramus & promulgamus; quòd omnibus Jesuitis, Scholaribus, & cæteris cujuscunque conditionis Sacrificulis, in hoc Regno nunc agentibus, (tàm iis, quos carceribus liberare voluerimus; quàm iis, qui nondum in vincula conjecti sunt) liberè & tutè ex Regno nostro discedere liceat: sic, ut in hunc finem, ad quendam nostrum portum, ante 4. Julii proximè-venturi, se-se conferant, ac ipsi primâ occasione in exteras regiones trajiciant. Admonemus & certos facimus dictos Jesuitas, Scholares & cujuscunque generis Sacrificulos, juxta dictum nostrum placitum discedentes; ut & cæteros omnes, qui antehàc, per clementiam nostram, eâdem cum conditione, libertati fuêre restituti: quòd, si quisquam ipsorum posthàc in Regnū hoc nostrum reverti ausus fuerit, sanguis ipsorum super proprio ipsorum, atque etiam eorum, qui ipsos miserint, capite esse debeat. Quandoquidem hoc facientes, non solùm in pœnas, quas Leges nostræ ipsis minantur; verùm etiam in eas, quas summus & superbus clementiæ bonitatisq; nostræ, erga nos ostensæ, contemtus ipsis pariet, incurrent. Et in genere, (ne quisquam ignorantiam Legum nostrarum prætendere possit) universi Jesuitæ & Sacrificuli, cujuscunque sint Ordinis, ipsorumq; missores, hoc Edicto admonentur: ut sibi caveant, supra id, quod per clementiam nostram ipsis indultum est, amplius aliquid à nobis petere, quo in Regnum hoc nostrum redire possint: propter pericula notissima, quæ ab ipsis jure timentur; & solicitudinem, quam pro bonis nostris Subditis gerere decrevimus: quò à periculis corporis & animæ, quæ à Jesuitarum & cæterorum Sacrificulorum doctrinâ iis imminent,

nent, liberentur, cùm horum, in hoc Regno, actiones & studia, ad nullum alium scopum tendant; quàm ut animos optimorum Subditorum nostrorum, à debitâ, & Deo, & nobis, obedientiâ avertant.

Et quia denique horror immanissimæ Proditionis pulveraria, animas Parlamenti nostri occupavit; & insuper, inter cætera, juramentum Fidelitatis, nobis à subditis nostris præstandum, tantoperè à Papâ, & asseclis ipsius, oppugnatum fuit: ut ipsi calamum arripere, & causæ nostræ, quæ juramentum illud spectat, defensionem suscipere cogeremur: (quod quamvis Papæ odiosissimum esset; summi tamen favoris & clementiæ opus fuit, ergà tàm multos nostros Subditos: qui, licèt superstitione Pontificiâ excæcati, animo tamen erant parato, ad obedientiam nobis præstandam: in quo etiam, inter hujus conditionis Papistas, & alterum illud pestiferum genus, qui suprà-dictas damnatas & maledictas doctrinas & artes commiscent, discrimen habitum fuit:) Nos considerantes, quòd dictum juramentum discrimini vero & clementi, inter duo ista Papistarum genera faciendo, serviat, ut jam dictum est; non possumus, quin omnium bonorum nostrorum Subditorum saluti, & malignorum hominum detectioni, peropportunum existimemus: ut in-posterum, in generali hujus juramenti, apud omnes nostros Subditos, promotione, major, quàm antehàc unquàm, cura adhibeatur. Ac propterea expressum nostrum Decretum est; omnibusq; & singulis nostris Episcopis, Judicibus civilibus & criminalibus, atque omnibus aliis nostris Ministris, quos hoc attinet, strictissimè mandamus: ut illud ab omnibus illis personis, & in omnibus rebus, quibus Leges fieri jubent, exigant; scientes, Leges ipsos has autoritate non ornâsse, ut hoc pro libitu facere, & omittere pro beneplacito, liceret: Verùm nos hoc, tanquam necessarium ac debitum officium, ipsis mandatum & impositum, velut Personis publicis, & à nobis pro maximè-fidelibus habitis, pro bono & securitate nostrâ statûsq; nostri, ab ipsorum manibus postulaturos. Datum in Palatio nostro Whitehallii, 2. Junii, Regni nostri magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ, anno octavo.

III. *Practicæ Jesuiticæ in Scotiâ.*

Rex Hispaniarum Philippus, haud diù post mortem Mariæ Reginæ Scotiæ, Duci Parmensi, Gubernatori suo in Belgio, mandârat; ut, suo nomine, Regi Jacobo Scotiæ, pecunias & exercitum, adversùs Reginam Angliæ, promitteret, quò faciliùs matris mortem ulcisci posset. Eâ de causâ Parmensis nobilem Scotum, *Robertum de Brusse*, qui à juventute apud Jesuitas educatus fuerat, in Scotiam, multâ cum pecuniâ ablegavit. Eodem tempore advenit etiam in Scotiam, jussu Sixti V. Pontificis Romani, *Dublaini Episcopus*, qui Infantem Hispanicam Scotiæ Regi in matrimonium offerret: sed eâ conditione, si Romanam religionem amplecti vellet. In hujus Episcopi comitatu fuit etiam Jesuita GUILIELMUS CREICHTON Scotus, qui Lugduni aliquandiù Rector in Jesuitarum Collegio fuerat. Repulsam autem passus Episcopus, consilio, virtute, & fidelitate Johannis Metelani, Magni-Cancellarii Scotiæ, (qui Regi suadebat, ut sibi ab hujusmodi dolis & fallacibus promissis caveret) domum reversus est. Post cujus discessum, mansit in Scotiâ Creichtonus Jesuita; & Brusseo se-se junxit; eique persuadere conatus est, ut Cancellarium ob-

truncaret; quòd molitionibus Jesuiticis, eorumque parricidiis, vel solus resisteret. Ad quæ Brusseus totus exhorruit; ejusque postulatis iniquis & crudelibus prorsus consentire noluit. Postmodùm, cùm à Magnate quodam Pontificio Rex, unà cum Cancellario suo, ad convivium invitatus esset; hortatur Jesuita Brusseum, det sibi pecunias, quibus Magnatem illum conciliaret, ut Cancellario è medio tollendo operam præstaret. Sed & hoc Brusseus negat: non solùm, quòd aliis de causis ibi Legatum ageret; verùm etiam propter magnum dedecus atque periculum, quod exinde metuendum esset. Regem enim inprimis pessimè id laturum; si latrocinium istud non modò præsente ipso, sed etiam in tali Viro patraretur; cui Rex, ob fidem & prudentiam singularem, intimè faveret: adeóque Regem contra Catholicos, tanquam sicarios & latrones, Deique & Hominum nefarios proditores, irritatum iri, quos tamen ille adhuc gratiosè benignéque habuisset. Ad quæ Jesuita Brusseum rogat; det ergo 1500. solùm Coronatos, quos à Parmensi accepisset, tribus Nobilibus, qui in necem Cancellarii conjurârint; ità, ut non multum indè scandali oboriri posset. Sed ne hoc quidem sibi persuaderi passus est Brusseus: inquiens, Unum & idem esse, sive quis suâ manu interficiat aliquem; sive pecuniâ conducat alium, ad cædem faciendam. Et quoniam quæstio esset; Quâ ratione Catholica religio promoveri deberet? totam potiùs illam deperditum iri, si per latrocinia quis promovendam susciperet, tanto cum omnium offendiculo, ipsiusque sancti Ordinis Jesuitici perpetuâ infamiâ. Jesuitam verò, acriùs adhuc instantem, rogat Brusseus: Num ergo, bonâ conscientiâ, ipse in facinus ejuscemodi consentire posset? aut, Num Jesuita secum eâ in re dispensaret? Respondet Creichton: Cæde patratâ, si ad se confessurus veniret, tùm se ipsum absoluturum esse. Cui Brusseus: Siquidem confessione sibi opus foret; priùs utique peccandum esse. Jam verò incertum esse, utrùm Deus, post commissum illud peccatum, sibi gratiam eam facturus sit, ut confiteri queat. Credere se, confessionem mali, quod destinato proposito fiat, parùm profecturam: ideóque in hujusmodi periculum se conjicere nolle. Ità ergo tùm Jesuita ille cum suo parricidiali consilio frustrà fuit; sed egregiè posteà id in Brusseo vindicavit. Mortuo enim Parmensi, & Comite Fuente Hispano, Albani Ducis nepote, in ejus locum subrogato; Creichton Brusseum apud hunc accusat; primùm, quòd pecunias regias malè dilapidâsset: deindè, quòd proditor esset, quia pecunias, ad cædem Cancellarii Scotiæ procurandam, denegâsset. Atque id maximum, in hoc Jesuitico regimine, peccatum fuit: ob quod miser Brusseus in carcerem conjicitur, & menses quatuordecim in eo detinetur, ac tandem quidem ille liberatur; Jesuita autem impunitus evadit: ut nulla, vel honoris vindicandi, vel ignominiæ referendæ, vel damni recuperandi, ratio illi superfuerit.

Jesuitæ homines propemodùm cogunt ad latrocinia.

DE

DE JESUITARUM GESTIS ET FACINORIBUS IN POLONIA.

CAPUT V.

DE Rege Poloniæ moderno Sigismundo, omnes, qui eum propiùs nôsse videntur, testantur; Nihil illo mansuetius, nihil humanius mitiusque fingi posse. Harum tamen tàm popularium naturæ dotium usum & fructum, Jesuitarum panurgia ità totum corrupit & intercepit: ut primùm avitum ejus, & hæreditarium Regnum, ab ipso prorsus abalienaverint: quòd, eorum instinctu, hæresin (quam vocant) Lutheranam neglectâ jurisjurandi præstiti religione, prorsus exstirpare voluit. Regnum verò Poloniæ, quod ad eundem liberâ electione delatum fuit, odio mutuâque diffidentiâ, & perniciosâ dissensione repletum, ità turbârunt: ut & Rex, & Regnum, ex æquo variis, ac gravibus quidem, periculis expositi fuerint. Jesuitę Regem Poloniæ Regnū avitū Sueciæ amittere faciunt.

Refert Eques Polonus, Papisticę religionis homo, in Oratione suâ, quam suprà libro III. integram asscripsimus; CRACOVIAM, Urbem celeberrimam, domicilium atque ornamentum totius Regni, ità vexatam fuisse à Jesuitis: ut plurimi Viri boni, quantúmvis Catholici, affirmârint; se malle in sylvis inter feras vitam degere, quàm in istâ immanitate versari. Conspiratione enim factâ, cujus Jesuitæ authores atque duces exstiterunt, magnâ vi atque impetu, in eam domum irruerunt; quæ una in totâ Urbe monimentum antiquitatis exstat, & Euangelicis concessa fuit, ex Regis & omnium Procerum permissu & approbatione. Apparebant effusæ aliquot diebus flammæ; quæ per multas Urbis partes sparsæ, toti Urbi interitum minabantur. Audiebantur clamores prædas-efferentium hominum; inter quos etiam versabantur Jesuitæ, attritis rusticorum vestibus induti, ne agnosci possent: totaque Urbs in summo periculo versata fuit; à quo ante Jesuitarum adventum tutissima fuit. Seditiosæ Jesuitarum actiones: Cracoviæ;

POSNANIÆ, quæ civitas Poloniæ insignis est, instinctu Jesuitarum, templum Augustanam confessionem profitentium, igne delere, sæpè antehàc conati sunt: non succesit tamen ipsis propositum; excubitoribus id facinus semper impedientibus. Anno autem 1606. Maji die 13. Jesuitarum discipuli, trecenti ferè numero, instinctu suorum Superiorum & Præceptorum, initâ cum aliis conspiratione, sub vesperam, impetum cùm in templum illud fecissent: custodes quidem & excubitores in fugam facilè conjecerunt: postmodò, perfractis vi summâ foribus, subselliisq; templi in unum locum congestis, incendium excitârunt; quo totum illud ædificium in cineres brevi tempore versum est: furentibus nimirùm tantoperè Catholicis illis; ut extinguendo incendio operam dare cives non auderent. Ferventibus hisce turbis, quidam in Xenodochium irruerunt: ægrotos vi summâ indè exturbârunt: fornacem, scamna, mensas, fenestras, & alia, disipârunt & perfregerunt: malè-affectorum supellectilem abstulerunt partim, partim per plateas disseminârunt: Posnaniæ;

&

& ità se-se gesserunt; ut facinus nullum tàm abominabile ipsis malus inspirare potuisse genius videretur, quin in actum illud statim producerent, perficerentque. Æde igitur hac subversâ & vastatâ, qui Confessionem Augustanam profitebâtur, in aperto postmodùm & patenti campo convenire, sacraq; sua celebrare coacti sunt: cúmque nec ibi tutos se satis ab injuriâ fore, ex minis atrocioribus colligerent, sclopis semper hastisque, & gladiis armati, ad exercitia concionum processerunt: rei totius serie, Warsoviam, ad Ordines delatâ. Cæterùm Jesuitæ, ut se-se aliquo modo purgarent; missis ad Regem Legatis, non potuisse se discipulos suos in officio continere, qui, religionis Catholicæ zelo accensi, templum istud dirutum modis omnibus voluissent, significârunt: petentes simul, ut, pro turbis majoribus vitandis, reparatio templi inhiberetur. metuere enim se, illud, quantúmvis reparatum, flammas evitare vix posse. Cùm igitur, non in hac solùm civitate, sed & alibi passim, pro libitu omnia Jesuitas agere; nec esse, qui in eos animadverterent, Nobilitas videret: ad Comitia, Warsoviæ paulò pòst celebranda, comparére, præcipui quique ex Poloniæ Proceribus recusârunt; Lublini, vel alibi, de refrænandâ hac contumaciâ deliberaturi.

Thoruniæ in Borussiâ.

THORUNIÆ, Urbis Borussię ad Vistulam fluvium sitæ, templis, ædificiis, & emporio clarissimæ, Ordines, cum Plebano quodam, de possessione & jure patronatûs Ecclesiæ ad S. Johannem, multis annis altercati sunt. Convénit autem tandem inter eos: ut Plebanus quidem, solus in domo parochiali habitans, templum retineret; ministeriumque Ecclesiæ, per ministros sucs, more hactenus usitato constitueret: jus verò patronatûs, penes Civitatem, & Ordines ejus, permaneret. In cujus rei confirmationem, non solùm literæ confectæ sunt; quas Episcopus quidem Culminensis, quemadmodum etiam Culminense Capitulum, subscriptas sigillis suis obsignârunt: sed & diploma à Rege Ordines, quo debitum civitati jus patronatûs de novo confirmatum est, obtinuerunt. Postquàm igitur jam Plebanus ille possessionem Ecclesiæ, domumque parochialem, certis tamen cum conditionibus, obtinuit: Episcopus statim Culminensis, contra conventionis literas, proprio ausu, duos in Aulam parochialem Jesuitas (alterum, qui confessiones audiret; & alterum, qui concionaretur in templo) introducere, Plebano ex domo illâ remoto, conatus est. Ordines verò, hoc videntes, solenniter contrà aliquoties protestati, Plebanum, utì, memor contractûs ab utraque parte initi, Jesuitas iterum removeret, monuerunt; intercessione totius Regionis, in Comitiis publicis, adhibitâ. Cæterùm, monitionibus & intercessionibus illis, non solùm nihil proficere hactenus potuerunt: sed &, præter duos illos Jesuitas, subindè alii advenerunt; qui, occupatâ aulâ parochiali, clàm Ordinibus civitatis, privilegium tandem aliquod obtinere conati sunt: quo, templo illo Jesuitarum Ordini attributo, Plebanus quidem in Vicarium promoveretur; possessio verò Ecclesiæ, unà cum domo parochiali & scholâ, Jesuitis relinqueretur, clavibus Ecclesiæ Scholæq; in manus eorum traditis & oblatis. Hoc facto, Jesuitæ, aucto

in-dies

in-dies magis magisque numero suo, viduarum & pupillorum domus emere, Scholam aperire, & Collegium in civitate constituere, ampliùs non dubitârunt; constitutâ peculiari jurisdictione. unde creberrimi, per plateas & vicos civitatis, tumultus, Jesuitis quidem ipsis multa insidiosè molientibus; discipulis verò eorum omnem petulantiam exercentibus, civesque injuriâ & contumeliâ variâ afficientibus, exstiterunt. Ordines igitur Civitatis, ne jure suo per conniventiam se-se ipsos privarent; consilium tandem ceperunt: quomodo excusso hoc jugo molestis illis hospitibus cives suos liberarent. Missis igitur, 12. Octobris die, ad Plebanum aliquibus; eum de inito secum contractu admonentes, promiserunt, se, secundùm contractûs illius tenorem, in Ecclesiâ & aulâ parochiali eum quidem relicturos; Scholam etiam, quam, tanquam propriam civitatis domum, precibus hactenus obtinuisset, in-posterum etiam, donec benè de Republicâ promeriturus esset, ei relicturos: verùm ut Jesuitas, tanquam hujusmodi hospites, qui & Civitatem jure patronatûs spoliare, & Plebanum ipsum possessione templi per insidias evacuare, molirentur; &, in conturbationem Statûs publici, Collegium aliquod instituere, Scholamque aperire, propriâ authoritate ausi essent, removeret, domoque illis parochiali & Ecclesiâ interdiceret, vehementer postulârunt. Cùm verò eo quidem die resolvere se Plebanus non posset; sed ad Episcopum negotium hoc relaturum se diceret: non exspectandum diutiùs rati Ordines, sequenti statim die quosdam, qui in integrū eum restituerent, ablegârunt. Quod ipsum quidē fieri, facili & lubenti animo passus est. Cæterùm, hoc facto, experierunt postmodùm Ordines; ageret cum Jesuitis, ut sponte suâ domo parochiali cederent, & à templo scholâque in-posterum abstinerent: Ordines enim Civitatis nolle eos, tanquam turbatores publici Ecclesiæ & Civitatis juris statûsque, diutiùs in parochiali aulâ ferre; Urbe tamen ipsis interdictum nolle; donec quietos se-se, velut hospites deceret, intra suos terminos contenturi essent. Plebanus igitur mentem hanc, & intentionem Ordinum, Jesuitis exposuit: qui Scholam quidem claudere, & Collegio abstinere, statim promiserunt; dummodò domum parochialem retinere, & ministerium ecclesiasticum peragere, sibi permitteretur. Verùm cùm, non contenti hac Jesuitarum resolutione, Ordines urgerent Plebanum; ut, tenore contractûs observato, ad statum pristinum omnia revocaret: quò & jus patronatûs Civitati integrum, & decretum Regium sartum tectumque conservaretur: coacti sunt tandem Jesuitæ, & clavium restitutionem Plebano facere; & ministerio docendi, tàm in Ecclesiâ, quàm in Scholâ se-se abdicare: atqueità tandem domo parochiali cedentes, discipulis suis valedixerunt. Accidit autem porrò, ut Orator quidam regius, ad Civitatem in causâ quâdam ablegatus, Culminensem secum Episcopum adduceret: qui in aulam parochialem cum suis, quod hospitium à multis annis, in Urbē veniens, habere solitus est, divertit. Jesuitæ igitur, hanc suis rebus occasionem commodam fore putantes, sequenti statim die, Confessionariis operam dare, & concionem iterum habere, die Solis, ausi sunt.

Ordines igitur, hoc intellecto, ad Episcopum statim aliquos miserunt: qui eum rogârunt, ne, post discessum suum, Jesuitas eo loco relinqueret: additâ denuntiatione; si, remanentibus ibi Jesuitis, contumeliæ vel detrimenti aliquid à civibus inferatur, propriæ uti id proterviæ imputarent. At verò Episcopus, neglectis hisce omnibus, non solùm Jesuitas duos vel tres, post discessum suum, in domo parochiali reliquit; sed etiam salvum conductum, à Rege pro illis impetratum, Senatui exhiberi curavit. Cùm autem salvum conductum illum, ad malam informationem, impetratum esse, nemo dubitaret: Ordines statim contrà protestati, scriptum publicum ad valvas templi, *ejus* quidem sententiæ, quòd Regem meliùs informare, & de jure suo cedere ne latum quidem unguem cogitarent, affigi curârunt: ut ità, nihil proficere machinationibus suis ampliùs valentes, domo parochiali cedere iterum Jesuitæ necesse habuerint.

Tumultu sic uno post alterum, diversis locis, per Jesuitas excitato, quo & Regi, & Regni Proceribus, negotium facessebatur: anno 1607. promissio & spes Nobilitati, de Comitiis instituendis, facta est; quibus deliberatio, de remedio malis hisce tempestivè adhibendo, susciperetur. Nobilitas tamen, cùm inani ac vanâ se spe quasi lactari, & promissa Comitia de die in diem differri, videret; magnâ copiâ denuò, anno eodem, ad Prostovicum civitatem, quatuor milliaribus Cracoviâ distantem, (ubi regia quædam Curia est, Conventibus Nobilium celebrandis jam olim destinata) confluxit: &, novo Consilio instituto, quæ malo huic medicina adhibenda potissimùm esset, deliberare cœpit. Inter varias autem consultationes, Scriptum quoddam Proceribus ibi congregatis, Polonicâ linguâ, exhibitum fuit, *Consilium de recuperandâ, & in-posterum stabiliendâ pace Regni Poloniæ, per Jesuitarum ejectionem*, continens: quod relatu dignissimum, de verbo ad verbum ità habet.

Quod Diogenes olim, Viri Proceres, civibus suis, sub publico periculo variè occupatis, dolium versando, ne otiosus esset, fecit; id mihi, hoc afflicto Reipublicæ tempore, Patriâq; laborante, Vobisq; de publica salute consultantibus, faciendum putavi: idq; non fallendi otii causâ; sed ut civis indigena Patriæ meæ, quantum per tenuitatem possem, talentulo hocce meo subvenirem. Illud, quantulumcunque sit, obnixè rogo, ut pro vestrâ benignitate, boni consulatis; & si lubet, animis vestris perpendatis; ac malis Reipublicæ, Patriæq;, justis remediis subveniatis. Medicorum autem more, si quis per prognostica indicia, & varias circumstantias, morbos Reipublicæ consideret penitiùs: agnoscet facilè eorundem genuinam substantiam, immensam magnitudinem, & admirandam planè varietatem. Deindè, si morborum publicorum causæ, interiùs & foris, diligentiùs perpendantur: primam certè & omnium maximè-principalem, JESUITARUM exquisitissimas artes, & astutissimam omnium sibi subjectorum, ad conatus suos promovendos, dispositionem, facilè cordatus quisque deprehendet: adeò ut, quicquid uspiam malorum, in Republicâ nostrâ, præteritis annis acciderit, magnâ ex parte solis illud Jesuiticis artibus imputandum veniat. Quámvis ne illi quidem excusandi sint; quorum negligentiâ veneno huic concessum fuit, tàm propè ad cor Reipublicæ penetrare. Et, nisi maturè remedium huic Reipublicæ

Jesuitæ omnium malorum architecti sunt in Republicâ.

morbo

morbo applicetur; & acerrima illa bilis ex ægro, & ferè non absumto Reipublicæ corpore, removeatur: nullum est dubium, quin de salute Patriæ nostræ actum sit; ita ut in-posterum (quod Deus avertat) de funere Reipublicæ citiùs sit cogitandum, quàm de salute restituendâ. Et, quia morbus ille inveteratus, satis acutè Patriam nostram hactenus affligit: curatio ejus nulla alia suscipi, imò ne cogitari quidem poterit; nisi causæ illius mali sinè cunctatione, de corpore Reipublicæ ægro, à radice moveantur: h.e. ut Jesuitæ eorumq; dispositoriæ artes, è Regno Poloniæ prorsus eliminentur. Nam, si ex Aulâ regiâ tantùm, aut ex aliquibus Civitatibus depellantur; sive etiam in ordinem redigantur, in monasteria occludantur, &c. Reipublicæ corpus integræ sanitati nunquàm tutò poterit restitui. Dum enim ignominiam inultam Jesuitæ nunquàm ferent: recrudescent protinùs Reipublicæ vulnera; quando isti Socii, quâcunque oblatâ occasione, ad pristinas Reipublicæ turbandæ artes, tanquam ad professionis suæ unicum & genuinum scopum, astutè recurrent. Vestrum itaque est, Proceres, occasionem præsentem non negligere. Deus & bona causa, contra hos Socios, pro vobis militant. Patriæ calamitas à vobis remedia, suo jure, postulat. Regia dignitas, consilium & auxilium expetit. Cleri conditio, subsidium rogat. Senatus authoritas, idem requirit. Nobilitatis status, restitutionem in integrum urget. Oppressio denique Plebis, Viduarum, Pupillorum, vestrum implorat patrocinium. Vos modò, generosa Pectora, forti constantiâ, sinè morâ, remedium hocce adhibete; egregium munus suscipite. Hoc ut feliciter, ad Dei gloriam, Reipublicæ salutem, & vestri Nominis immortalem laudem, perficiatis, etiam atque etiam opto.

Utq; discursûs mei exordium è re natâ capiam; est Author hujusmodi, qui inter cætera narrat: Priùs-quàm scientia Medica in artis formam redigeretur, gentibus quibusdam in more fuisse positum; ut ægrotos, qui graviùs laborabant, in publicum deferri curarent: adjunctis eis certis hominibus, qui prætereuntes percontarentur; num vel ipsi tale quid morbi experti sint, aut in aliis observaverint? & qualia remedia, quôve successu, contra illud sint adhibita. Hæc cùm mecum animo reputarem; illæ mihi cogitationes inciderunt: Faxit Deus Opt. Max., ut hoc tempore Reipublicæ Polonicæ, nostrûm omnium Matri, idem officium ab iis præstaretur, qui pro ejus genuinis filiis haberi volunt. Si quærat aliquis, quâ ratione hoc fieri posse existimem? Sic cogitabam. Eam, ut nunc quàm-maximè ægrotat, in publicum experientiæ Europææ forum producendam; ejusdemq; vicinos, quibus-cum hanc Mundi partem incolit, sedulò percontandos: num istius mali, quod ipsam premit, & miserrimè affligit, ipsimet experti sint? & quibus remediis contra illud usi sint? Me autem spes certa fovebat, illud non frustrà, nec citra successum, factitatum iri. Sic etenim jamdudum persuasus sum; præsentem morbum, quo laboramus, planè ejusdem generis esse, cum illis tumultibus, qui hactenus reliqua Europæ Christiana Regna concusserunt, & gravissimè afflixerunt: quorum nempè contagium, à Meridie & Occidente, in hunc extremum orientalis Septentrionis angulum, ceu vi ventorum, ex oppositâ plagâ continuè afflantium, propellitur. Differentia saltèm in eo est; quòd pestis hæc Poloniam, post reliqua Europæa Regna ferè omnia, ultimo loco invasit. Quâ in re, benignissima Dei providentia, Patriæ nostræ hoc præ multis aliis contulit: ut comparium suorum eventus & exempla, hinc ad imitationem; illinc ad cautelam, præ se habeat.

Polonia saperet, si alieni infortunii eventus, ad cautelã suam, observaret.

Fatalia hujus seculi Europæ mala Poloniam serò invadunt.

Cùm itaque prædictæ Nationes, non solum morbi vim, sed etiam curationis processum,

sustinendo magnâ ex parte superârint: quis dubitet, quin ab iisdem optimum malis nostris, & efficacissimum consilium, petere possimus? Ad quod obtinendum, nullis nobis sumtuosis legationibus, nullâ Exploratorum operâ, opus erit: cùm in tàm paratâ rei librariæ facultate, utilitati nostræ abundè jam prospectum sit. dum in plerisque Nationibus, Viri exercitatissimi, qui malis ipsis interfuerunt, morborum suorum politicorum, & quæ sub ipsis perpessi sunt, gravissimorum symptomatum, historiam, accuratè descriptam, in publicum emiserunt. ubi interdum diversarum partium, ceu dissidentium Medicorum, factiosas quidem; sed elegantes & eruditas controversias, quas sub ipsum morbi æstum ediderunt, nobis consulere licebit. Quâ commoditate si tempestiviùs uti voluissemus: malum, de cujus sanatione nunc, ambiguâ successûs spe, deliberare cogimur, fortassis, auxiliante Deo, potuisset averti. Cùm verò occasio hæc nobis oscitantibus perierit: bonum esset si saltèm medendi tempus diligentiùs observaremus. Nec turbare nos debet, quòd hæc medendi ratio, eruditioribus Medicis non admodùm probatur: qui nempè morbi ipsius naturalem dispositionem considerari, causasq; domesticas (ut ità loquar) expendi, & ad easdem remedia adhiberi, jubeat. Quem curandi modum, ut rationi consentaneum, non vitupero: quin potiùs opto, ut talis aliquis Aesculapius nobis contingat. De quo ipso tamen spes mihi admodùm exigua affulget, cùm peregrinis Medicis non immeritò diffidamus: inter nos verò, ex mille vix unus inveniatur, qui à morbi contagio ità liber sit; ut, cum spe alterius profectûs, cura hæc ei committi possit. Exterorum itaque experimenta omnia, nobis in consilium sunt adhibenda. Hujus verò rei modum ut meliùs intelligatis: mearum, quas jam superiùs attigi, cogitationum rationes aliquantò dilucidiùs explicabo.

Exsecutio Cõcilii Tridentini, capitalis scaturigo omniũ turbarum Europæarum.

Dixi, præsentes nostrates turbas ex ejusdem generis morbo promanare; quo hactenus occidentalis Europa periculosè laboravit. Hoc ità velim intelligatur. Certum est, omnes Europæ tumultus, & intestinas passiones, ab hisce 40. & amplius annis, per Exsecutionem Concilii Tridentini excitatos esse, & ex eâdem ortum traxisse. Si fortè bellum Balthicum, quod inter Scardiæ Reges, ante annos 36. gestum est, & nuperrimum Brunsvvicensium tumultum, excipias. Hæc, inquam, est illa præsentis seculi Pandora; ex cujus fatali pixide, omnes Europæorum intestinæ calamitates, hactenus mihi scaturire videntur: ità tamen, ut eas non tàm ipsa Concilii exsecutio, quàm exsecutionis modus, pariat.

Modus Exsecutionis Tridentinæ.

Hoc fortè ulteriùs Vobis vultis declarari? Sic igitur habete. Exsecutionis modus in duabus præcipuè rebus hactenus fuit repositus. Primùm, sedulò annixi sunt, quibus hæc cura incubuit: ut illos Reges & Familias, quorum in Europâ hoc seculo præcipua est autoritas,
I. *secum invicem adunirent; & sic adunitos, ad Concilii Tridentini exsecutionem exstimularent. Et hinc est illa famata Catholicorum unio.*
II. *Deindè, ut per certos & qualificatos homines impedimenta, quæ vel in Politiis, Politiarumq; formis & legibus, vel Populorum moribus, negotio huic obstarent, quasi è viâ removerentur. Hac ratione prædicta Concilii exsecutio fuit instituta; quantum nimirùm ad generalem conatum attinet. Opus profectò magnum, & arduum; quod, melioribus Mundi temporibus, peculiari fortunæ afflatu opus habuisset: quodq; ipsius Alexandri M. victoriosum genium frangere, & defatigare potuerit. Nunc autem, pro ratione præsentis Europæ statûs, infinita conatui huic, & longè robustissima impedimenta, extra ordinem fuerunt objecta. Quibus tamen non obstantibus,*

tibus,res ab iis,quibus hoc per prædicti Concilii conclusionem mandatum erat, fortiter & ingenti nixu tentata fuit: sed eo hactenus eventu; ut molimina ista,turbas quidem longè-maximas,& valdè horribiles,ubiq; gentium in vulgus pepererint; ad exitum tamen nusquàm perduci potuerint.

Regum enim adunitio, partim per connubia, partim per confœderationes, pacificationes,& similia media,tentari cepit & promoveri.In tantâ tamen Nationum, Regnorumq; Europæorum discrepantiâ,ferè consecutum est: ut pro eâ,quæ sperabatur,unitione,infinitæ authoribus difficultates; subjectis autem Populis,varia molestiæ emerserint. Cùm præsertim Reges ipsi,qui se interdum ad prædictam Exsecutionem obtulerunt,negotium illud tàm sincerè nunquàm tractarent; ut,sub ejusdem prætextu,non sua privata commoda quæritarent. Sicuti non ità dudum in Galliis licuit perspicere: quando Philippus Hispanus partium Catholicorum (hunc enim cucullum factio illa induerat) patrocinium & defensionem visus est suscipere: ibi, inquam, vel tandem apparuit,eum sub hoc obtentu Galliæ regnum affectare. Cùm enim animadverteret, plerosq; factionis illius Proceres ab Imperio Hispanico abhorrere: oblitus personæ,quam agendam susceperat,manus auxiliatrices retrahere cœpit; ut qui videret,se spe suâ frustratum. Id quod Sixtus V. tempestivè odoratus est; illudq; ægerrimè tulit. Talia autem plura exempla adduci possent ex iis etiam,quæ nos aliquantò propiùs tangunt. Ex his ergo personatis & malè-fidis Regum molitionibus,in unionis istius agro, perpetuarum simultatum copiosissimam segetem adhuc succrescere videmus: per quas prædictæ exsecutionis negotium,per se,haud facilè turbatur; & Nationes iis,de quibus dictum est,difficultatibus implicantur.

Unio Regũ Catholicorum, ejusdemq; fructus.

Hispani, sub prætextu propagandæ religionis,Monarchiam suam amplificare conantur.

Idem ferè in reliquorum impedimentorum remotione accidit. Cùm enim Tridentinæ reformationi non solùm diversus religionis sensus,per universam jam Europam latissimè sparsus; sed etiam Nationũ Populorumq; privilegia,libertates,leges,& mores obstarent: illa citra tumultum ne moveri quidem potuerunt. Quæ omnia tamen,à præservidis ingeniis,quibus hæc Provincia non citra delectum demandata erat,non solùm mota; sed acriter commota,& vehementer perturbata esse,constat. Hinc ergo turbæ; hinc simultates; hinc odia; hinc diffidentia; cum reliquis fatalibus Furiis, quibus nostro tempore Status politicus infestatur,ceu ex Orco proruperunt. Id quod omnes Europæ nationes,quæ hæc pestis pervasit,sonorâ voce profitentur: hanc,& non aliam calamitatum suarum causam, omnes,qui citra morbi affectionem judicant,summo consensu allegant.

Tridentinę reformationis effectus in ipsis Regnis.

Videamus nunc ergo,num malorum nostrorum Polonicorum eadem ratio sit: & num eidem generali causæ adscribi queant. Id quod multis fortè difficulter persuadebitur. Ego tamen illud constanter assero: & assertionis meæ has probationes assero.

Certum est,Clerum Poloniæ non minùs hactenus laborare,ut Concilii Tridentini decreta intra Regnum exsecutioni mandentur; eorundemq; observationi omnes subjiciantur,quam in plerisq; hactenus Occidentis partibus laboratum fuit. In hunc enim, & non alium finem,mox post ingressum modernæ Regiæ Majestatis in Regnum,Synodus illa Petricoviensis celebrata fuit: quam,ceu filiam Poloniæ,Medea illa Tridentina peperit. Ex cujus vultu,prudentiores jam-tùm,secuturæ in Regno administrationis omen capiebant. Cujus etiam Decreta pleriuque,vel eo saltèm nomine,suspecta fuerunt: quòd tanto studio occultata fuerunt & suppressa. Sed nec illud cuiquam dubium esse potest; ab his-ipsis pri-

Exsecutio Concilii Tridentini, quomodo in Poloniâ instituta.

Synodus Petricoviensis.

mo loco diligenter curatum fuisse: ut Reges Poloniæ prædictæ Unioni implicarent; eosdemq; cum Domo præcipuè Austriacâ quàm-arctissimè conjungerent. Ex quâ nimirùm conjunctione maximum, ad prædictæ Exsecutionis promotionem, emolumentum sperabatur: ut quæ, ad Subditos in utroq; Regno magis perterrendos, & in ordinem redigendos, permultùm factura videbatur; quantúmvis consiliis illis longè aliud pallium obduceretur.

Suecia amissa.

Harum verò rerum praxis, post infelicem illam expeditionem, in speciem quasi renovata fuit: ubi nonnullorum studia valdè conspicua exstiterunt; eorum videlicet, quos, præter jam-dictas causas, Sueciæ amissæ invidia urgebat: quâ nempè ordinem suum premi sentiebant. Qui propterea omnem lapidem moverunt; ut, novis Regum amicitiis, accepti infortunii sensum nonnihil mitigarent. Veruntamen, ut inter vicina Regna fere fieri consuevit, Austriacorum studia nostratibus semper suspecta fuerunt: ideóq; pro hac etiam vice, ad Agentium illorum consilia promovenda, tantum non contulerunt, quantum speratum fuerat. Cùm præsertim, præter vulgares illas Regum, Regnorumq; vicinorum, simultates & dissensiones, alia non-pauca quotidiè, intra & extra Regnum, inciderent: quæ hujusmodi conjunctionem, Reipublicæ nostræ minùs commodam, ipsis etiam Civibus formidabilem, efficerent. Per ejus itaq; attentationem, nil amplius effectum fuit, quam ut inveteratæ suspiciones periculosiùs recrudescerent. Quod ipsum etsi iis, qui hæc agitabant, non ignotum esset: se tamen adeò non passi sunt impediri: publicamq; indignationem tàm securè contemserunt, ut tantò potiùs confidentiùs in proposito perrexerint; illudq; tandem, per fas & nefas, ad exitum conati sint perducere. Hic ergo molitionum, jam anteà suspectarum, tàm importunus fervor, eum tandem eventum sortitus est: ut, offensâ Nobilitate, Regnum factionibus mutuáq; diffidentiâ impletum sit; & Rex ipsemet Subditis, Subditi verò Regi, suspecti esse cœperint. Quam nôstis proximam & compendiosissimam esse, ad Reipublicæ dismembrationem & interitum, viam. Et hac ratione priùs illud Exsecutionis Tridentinæ, turbatæq; Europæ, medium, satis inter nos (ut opinor) efficaciter operatum est.

Austriacorum studia Polonis suspecta.

Tridentini Cōcilii executio, citra libertatis Polonicæ præjudicium, perfici nequit.

Ad alterum quod attinet, popularium nempè obstaculorum remotionem: Vos non negabitis, opinor, in hoc Regno majora & robustiora eis objecta fuisse, & adhuc objici; quam in ullâ Europæâ Natione. Concilium enim Tridentinum inter nos, ut quidem nunc res sunt, ad effectum, quem ipsi cupiunt, perduci nullo modo potest: nisi aut Hispanica Inquisitio, aut quiddam, quod Inquisitioni illi æquivaleat, in Regnum introducatur; per quod nempè Polonia, ad Hispanismi aliquam similaritatem redacta, prædictæ Exsecutioni opportuna reddatur. Patria verò nostra, eâ corporum animorumq; libertate hactenus utitur; qualem fortissimæ Nationes, & generosissimus quisq; sibi optare poterit. Quis ergo non videt, quàm duro collisu hæc inter se committi oportuerit? Postquam inprimis libertas illa, quatenus animum præcipuè & conscientias concernit, non ita dudum, per Confœderationem publicam, denuò, & quasi extra ordinem, confirmata est?

Cōfœderatio publica, Exsecutionis istius obex.

Hispanica Inquisitio quibus artibus introducatur.

Quámvis autem Hispanicam Inquisitionem, nemo nobis hactenus apertè, & ex professo, conatus sit obtrudere; quòd intelligerent, hoc citra periculum vix posse tentari: via tamen, ad hujusmodi aliquam imperiosam coërcitionem, variis artibus paulatim, & quasi per cuniculos, parata est; sensimq; muniri cœpit: eo nimirùm adhibito artificio, quo rem,

citra

citra omnem mutationis sensum, Practicantes illi se consecuturos sperabant. Tàm cautè tamen & circumspectè incedere non potuerunt; quodq; agebant, tàm probè nunquàm potuit dissimulari: ut rerum è diametro pugnantium, tamq; asperarum, vel levis agitatio, non ingentem flammam vel tandem eliceret. De quo ipso, proh dolor! oculorum aspectus hodiè testatur. Hæc à me omnia verissimè dici, ipsimet optimè nôstis; & fatebuntur hoc illi, qui rerum nostratium aliquam saltèm notitiam habent; quiq; actiones nostras Comitiales, ab aliquot annis, vel à longè spectârunt. Nec diffitentur hoc ii, qui in partibus adhuc inter nos eatenus hærent: ut & Concilium Tridentinum amplectantur; ejusq; studiosæ, per legitima tamen media, exsecutioni faveant.

Adhuc ergo perspicuum est, Reipublicæ nostræ mala, non solùm ex iisdem causis, quibus reliquorum Europæorum Regnorum tumultus; sed etiam ex eodem operationis illorum modo proficisci. In his igitur tollendis, & amovendis, opera nostra occupari debet: siquidem ordine procedere, Matriq; nostræ, cum aliquâ spe salutis, opem ferre voluerimus. Scio tamen, quid hîc dicere quis possit, & haud dubiè dicturus sit: Me videlicet, hæc differendo, morbum ferè incurabilem ostendere. cùm harum rerum studio, Concilii præsertim effectuosæ Exsecutioni, potissima pars Regni implicata sit: ut curatio ipso morbo difficilior, & periculosior, futura videatur. Non est de nihilo, quod dicitur: noviq; egomet multos prudentes Viros in eo consentire. Existimo autem, omnia opinione faciliora fore: si primùm inter res ipsas, earundemq; abusum; deindè inter personas, à quibus illæ tractantur, accuratè distinguatur.

Ad res quod attinet: nec Austriacæ Familiæ, inter Europæas haud dubiè eminentissimæ; nec quorumcunq; exterorum Regum & Principum, cum nostris Regibus, legitima & sincera conjunctio, per se, vel Nos, vel Rempublicam nostram, in minimo lædit: sed eidem potiùs præsidio & ornamento futura esset; si à Practicantibus illis, ad sinistras suspiciones, non tàm densæ nostratibus occasiones præberentur. Eadem ferè ratio est Concilii Tridentini. Ab hujus enim exsecutionis, nihil turbarum nobis esset metuendum: si modò ità institueretur, ut intra legitimum docendi modum consisteret; missisq; aliis parùm convenientibus practicis, eventus Deo committeretur. Non igitur res istæ per se; sed earum abusus, & perversus tractationis modus, Rempublicam lædunt, & has in præsentiâ difficultates nobis pariunt. Austriacæ familiæ affinitas, Poloniç per se nec inutilis, nec inhonesta.

Hæc itaq; in rebus dissidentia si observetur; inter ipsas etiam personas, manifestam nobis discriminis rationem ostendet. ut nempè non omnes eos, qui prædictis rebus manum quocunq; modo admovent, pro veris calamitatis nostræ authoribus habeamus; ut curationis, de quâ dicturus sum, actum ad omnes & singulos extendi oporteat; sed eos tantùm, qui prædicti abusûs præcipuam culpam sustinent. Si quæritis; quinam illi sint? Respondeo: si eorum, quos in hisce rebus periculosa experientia longo tempore erudiit, consentiens testimonium admittere; si prætereà ipsam rerum evidentem inter nos experientiam, in consilium adhibere volumus: Jesuitas, & Institutum Jesuiticum, pro iis nobis necessariò esse habendos. *Hi, inquam, sicut in suprà-dictorum consiliorum exsecutoriali praxi, primas sibi ubiq; arrogant: ità alteram ejus, & quidem odiosissimam, & nostrarum inprimis rerum respectu perniciosissimam partem, extra ordinem, sibi suæq; actualitati desumserunt. In quâ agitandâ ità hactenus versantur: ut, quod in hisce consiliis pessi-* Jesuitarum conatus & fervor, omnium intra Regnũ excessuum primaria causa.

peßimum est, præcipuè arripiant; arreptum pejus efficiant; & vim ejus malitiosam, per subjectum Reipublicæ corpus, quo jure, quâve injuriâ, quasi transadigere, & per partes applicare conentur. Ut sic prorsus sentiam: Si uni Jesuitæ non essent; nos aut turbas hujusmodi nullas habituros; aut, si quæ fortè, ut ex consensu reliquarum partium Europæarum, obortæ fuissent, eas multò faciliùs, minoriq; periculo, consopiri potuisse.

Cõsilii hujus præcipua demõstrationis capita.

Hoc verò cùm illud-ipsum sit, de quo inter nos quàm-maximè controvertitur: judicii hujus rationes Vobis aliquantò accuratiùs erunt demonstrandæ. Quod ità faciam: ut primùm ad oculum demonstrem; Instituti Jesuitici, si per se consideretur, eam esse rationem: ut liberæ Reipublicæ valdè inimicum & adversum; Libertati verò Polonicæ inprimis formidandum sit.
1. *Deinde, vivis aliquot exemplis ostendam, quàm periculosè Secta hæc Statum*
2. *Politicum, hinc-indè per Europam, turbârit. Tertiò, objectiones nonnullas diluam;*
3. *quæ sententiæ huic, à contrarium-sentientibus, ferè opponuntur. Quæ tria si a me demon-*
4. *strata fuerint; quartum (quod principaliter intendo) suâ sponte sequetur: Iis nempe, qui Rempublicam restitutam & salvam cupiunt, præcipuè operam dandam esse;* Ut Jesuitæ, & Jesuitismus, extra Regnum eliminentur. *quò sic, remotis hisce curationis interturbatoribus, certa aliqua & firma Pacis stabiliendæ ratio iniri queat.*

Ad primum *quod attinet; in eo tria considero: ipsam* Ordinis *politiam;* Finem, *ad quem tendit;* Operationes *sive* Praxin, *per quæ hunc finem conatur assequi.*

Instituti Jesuitici politia.

Politiam *si penitiùs introspiciemus: fatendum nobis erit, eam in hoc genere accuratè dispositam, firmißimam, & ad res magnas gerendas aptißimam esse: ut parti, cui se applicaverit, permultùm prodesse queat. Generalis dispositio purè monarchica est; forma nimirum Politiæ, ad movendum & agendum commodißima. Monarchicæ dispositionis nervi in hisce rebus consistunt. Capite primùm uno regitur: deindè, hoc ipsum caput uni etiam loco, urbi nimirum Romæ, alligatum est; ubi perpetuò residere cogitur. Quæ res Sectæ huic inter alia hoc præstat; ut uno certo & uniformi aëre perpetuò regatur, & vegetetur, Romani nempè Consistorii afflatu; prout nempè is ab iis, qui Romæ omnia possunt, afficitur.*

Disciplinæ ratio.

Disciplinæ denique formâ Institutum hoc longè-arctißimâ utitur: quia cives ejus ad cœcam obedientiam *(sic ipsimet loqui consueverunt) adstringuntur, in tantum; ut Minoribus in nulla Majorum, vel absurdißima imperia, inquirere liceat: ne-dum ut aliquis ea detrectare ausit. Quæ obedientia, in Orbem Europæum hactenus optimos, & planè desperatæ audaciæ, sicarios progenuit. ideóq; Ordo iste à nonnullis, cum Assaßinorum instituto, comparatur; quod in Asiâ olim à Saracenis contra Christianos fuit introductum. Hæc ergo formam illam monarchicam constituunt; constitutam firmißimè constringũt: adeóq; faciunt, ut actiones ejus efficacißimæ sint, & ceu cuneus quidam penetrent.*

Basis Instituti Jesuitici.

Illa verò hanc compactionis soliditatem adjuvant, eandemq; solidiorem efficiunt. Quòd primùm communitatis hujus basis, per fixam illam Generalis sedem, Romanæ sedi & con-
1. *sistorio (ut dictum est) quasi affigitur & implantatur. Deindè, quòd eandem Hispanico*
2. *Imperio similiter inserunt: dum inter septem Generales, qui sibi huc-usque (si rectè memini) invicem successerunt, neminem elegerunt; qui non vel natione, vel ditione, Hispa-*
3. *nus esset. Quæ res non caret mysterio. Tertiò, quòd, ex tot diversis Clericorum ordinibus, soli ferè Jesuitæ, ab utriusq; fori ordinariâ jurisdictione exemti sunt: ut nullum prorsus in Nationibus, nisi sui corporis Superiorem, agnoscant; qui plerunq; Italus aut Hispanus est.*

Ut

Ut sic Ordo Jesuiticus, ab omni juris coërcitione solutus, inter nos liberrimè versetur; suisq; molitionibus securè incumbat. Quartò, quòd etiam in subdelegatis imperiis, hactenus diligenter cavent; ne in Nationibus Provinciales unquam ex indigenis eligant: sed vel Hispanis, vel Italis, dignitates illas conferunt; aut saltèm iis, qui ex Angliâ, Galliâ, &c. propter facinora aliqua profugerunt, & propter nimium Hispaniæ studium, ex prædictis Nationibus proscripti sunt. Seniores verò, Rectores, &, his similes, inter nos rarissimè ex Nobilium Ordine; sed ex plebe tantùm, adoptant. Quod cur fiat, conjectura non est difficilis. Generosa nempè Nobilitatis pectora, erga Patriam ità affecta nôrunt: ut suis consiliis & practicis ea minùs commoda & opportuna statuant. Interim his rebus fit: ut, cùm Jesuitismi venter nostras ferè sit, quem videlicet nostris opibus explere & suffarcire cogimur; caput tamen Hispanico & Italico cerebro repletum habeat, ad cujus nempè sensum reliquum corpus movetur. Hæ igitur ad monarchicum robur iterum perquàm multum faciunt; incursûs Jesuitici impetum certissimè dirigunt; & Sectæ huic, ad consiliorum suorum exsecutionem, invictam planè & penetrantem constantiam præbent.

5. Nobilitas Polonica ad cœcam Jesuitarum obedientiã parùm idonea.

Polonia Jesuitismum nutrit; Hispania & Italia codẽ utuntur.

Porrò, huic-ipsi imperii Jesuitici formæ, per subordinatarum dignitatum distinctos gradus, variasq; species, egregiè, contra omnes Monarchiæ incommoditates & vitia, prospectum est: ut, si ex humano sensu judicetur, ei neq; à tyrannicâ oppressione, nec seditiosâ dissolutione, ullum periculum sit extimescendum. Quod-ipsum etiam prædictæ Sodalitati, ad res gerendas, miram corporis agilitatem conciliat. Quarum rerum omnium illustre documentum, nobis historia postremi motûs Galliæ præbet: ubi compertum est, in illâ desperatâ totius Regni perturbatione, ex solo Jesuitarum Ordine neminem, ac ne unum quidem Jesuiticum individuum, fuisse, qui Reipublicæ partes secutus esset. Cùm contrà, ex omnibus aliis Clericorum ordinibus permulti, Regias Reiq; publicæ partes fideliter tuerentur. Hispano autem hi-ipsi Jesuitæ tàm pertinaciter adhæserunt, itaq; fervidè studuerunt: ut factioni ejus pro animâ, aut potiùs pro corde, fuerint; de quo vulgò dicunt, quòd in corporis humani structurâ sit primum vivens, & ultimum moriens. Prædicta sanè factio priùs opprimi non potuit, aut eradicari; quàm Jesuitæ Regno exigerentur. Quod fidele & perdurans robur, Instituto huic, in tàm variegatâ hominum colluvie, nil aliud præstat; quàm ea, quæ hactenus de Politia formâ diximus.

Jesuitismus cor factionis Hispanicæ in Galliâ.

Num verò hæc talia sint, à quibus sibi Respublica Polona metuere debeat, Vobis cogitandum relinquo. Ego interim factionem Jesuiticam inter nos non aliter æstimo, quam agilem quendam & acutum gladium: cujus lamina quidem in vaginam Polonicam recondita sit; sed ità, ut capulum Romana Aula & Hispanus manibus teneant, & sic eum ad nutum suum vibrent. Id quod Instituti hujus proprius finis aliquantò clariùs docebit. Hic autem, & ipse quiddam singulare, & ab omnibus aliis Monachorum ordinibus diversum habet. Omnes enim aliorum Religiosorum Ordines, in hunc finem utplurimùm inventi & approbati sunt, & eò tendunt: ut popularis devotio per eos augeatur, Religio Romano-Catholica magis splendeat; & Ordinis spiritualium pomœria dilatentur, &c. Jesuitæ verò, etsi hisce rebus & ipsi pro virili studeant: sui tamen principalis finis longè sublimiorem scopum sibi præfixum habent. qui nempè est: Ut Romanæ Ecclesiæ, sive Imperii ecclesiastici, collapsam autoritatem, non solùm recuperent; (in quo studio reliquos Clericos commilitones habent:) sed ut subjectum præcipuè Europæ Orbem ità corrigant

Finis Instituti Jesuitici.

& reforment, ut hujusmodi insultus, quos res Romana hactenus est perpessa, in longum præcaveant: sublatis & quasi obstructis omnibus occasionibus, per quas antehàc Hæreticis, ad eandem oppugnandam, aditus præbitus fuit. Quas occasiones nôrunt non aliunde densiùs emersisse; quàm ex Subditorum, in hisce septentrionalibus Regnis, nimiâ (ut quidem Romæ semper visa est) libertate, illisq; barbaris legibus; quibus hactenus ità firmatur, ut Inquisitionis Hispanicæ intentatum jugum constanter repellat. Horum igitur remotio & annihilatio, Jesuitis, per quartum illud, & Sectæ huic proprium votum, extra ordinem injuncta est. In hunc finem, tot extraordinariis Privilegiis, Bullis, & Indultis, instructi & muniti sunt: ut non solùm agendi facultate, reliquo Clero universo præpolleant; sed jam ipsis Episcopis, & superiorum Prælatorum ordini, graves & formidabiles esse incipiant. Nec ego dubito, quin gens Jesuitica aliquando, Romanæ Ecclesiæ, horrendi schismatis occasionem præbitura sit. Intereà, in his-ipsis rebus, specifica differentia consistit Jesuitismi: per quam à reliquo Clero discernitur, ejusdemq; genus quasi transscendit.

Molitionũ Jesuiticarũ in hisce regionibus præcipua impedimenta.

Jesuitismi specificus character.

Cùm verò hoc ipsi constanter negare consueverint: vivo illud exemplo demonstrandum est. Inter Venetos & Pontificem, hoc maximè tempore, controversia intercedit, super Constitutionibus quibusdam; quarum renovandarum occasionem Magistratui Veneto præbuerunt Jesuitarum artes testamentariæ: Pontifex autem eas in fraudem Ecclesiæ factas conqueritur. Veneti, hoc nomine à Pontifice compellati, jure suo cedere nolunt: sed palàm præ se ferunt, sibi in suâ ditione supremam jurisdictionem, & sic etiam legum ferendarum potestatem; non autem Pontifici, competere, &c. Quo animadverso, Pontifex Excommunicationis fulmine eos territat. Senatus, hoc cognito, Clerum suum convocat: jus Reipublicæ eidem exponit; Pontificiaq; Excommunicationis iniquitatem demonstrat: eos deniq; pro authoritate hortatur; ut, curato officio, Excommunicationem pro nullâ habeant, &c. Quid fit? Antiquus Clerus, unanimi consensu, Reipublicæ causam, contra Pontificem, probat; & de fide suâ prolixè pollicetur. Recentiores verò Religiosi, (quorum nempè Regulæ præsentis temporis conditioni accommodatæ sunt) ducibus Jesuitis Reipublicæ causam damnant; stationemq; suam deserunt. Quamvis Jesuitæ, Magistratûs edicto nominatim expulsi, & in æternum relegati, perhibeantur. Hoc autem Jesuitæ non aliam ob causam fecerunt; quàm quòd viderent, se, stante & defensâ Reipublicæ Venetæ libertate, stantibusq; legibus, nec stare, nec instituti sui finem obtinere posse. Quod-ipsum sanè discrimen illud, quod inter Jesuitas, & quoscunq; alios Clericos, constituimus, satìs evidenter probat & confirmat. Vos ergo nunc, Proceres, cogitate, quid de Poloniâ nostrâ futurum sit; si inter nos omnia illa removeri debeant, (ut profectò illa remota cupiunt) per quæ in finis istius adeptione impediuntur. Adhuc de Fine.

Venetorũ cum Pontifice cõtroversia.

Praxis Jesuitica.

Videamus nunc Media, sive Praxin, per quam ad scopum illum perrumpere conantur. Et hæc ex iis, quæ jam dicta sunt, facilè intelliguntur. Hoc nimirùm conjunctâ operâ fervidißimè agunt; ut primùm Reges Europæos, quotquot possunt, uni cuidam Fœderi illigent. cujus Fœderis principem & directorem constituunt Hispaniarum Regem, Aurei istius Velleris possessorem & custodem: ad cujus videlicet nutum reliqui se applicare cogantur, sub hac conditione; Ut, qui conatibus ejus quâcunq; ratione intercedit, aut quàm minimùm adversatur, de hæresi suspectus sit, & prædicti Velleris periscelide indignus censeatur. Sed Regnorum septentrionalium ea ferè est ratio: ut ad Legum præscriptum;

non

non autem ad absolutum Regum arbitrium, regantur. Ideóq; regiarum personarum confœderatio parũ illis prodesse poterit: nisi etiam subjecta Regibus Regna, in eandem Unionis nassam concludant. Atqui hoc opus, hic labor est! cùm hîc eis infinita (ut jam dictum est) difficultates objiciantur. Quocircà etiam opera illorum hîc præcipuè enitet, & omnium maximè conspicua est. Sic autem res suas hoc loco disponunt. Finis Jesuitici media.

Primùm omnium, hoc sedulò curant; ut in Aulis se insinuent. Hunc enim nidum hoc genus Accipitrum sibi, ubique præstruere, inq; eodem ova sua deponere solet, priusquàm ad venatum evolent. Jesuita etiam ibi peregrinus sibi & exsul, imò capite diminutus, videretur; ubi ab Aulâ arceretur. Fixo hîc pede, ulteriùs operam dant, ut clavum Reipublicæ in suam potestatem redigant: i.e. ut vel Regi, Reginæ've, ex suo corpore Confessarium; vel saltèm Hæredi regio, Præceptorem dent: aut, si hoc non semper succedit; illis dominentur, quorum, in Reipublicæ administratione, præcipuæ partes sunt & vires; utq; horum affectus, cupiditates, & designationes, penitißimè cognita & perspecta habeant: quâ videlicet escâ unusquisque alliciendus & captandus sit. Ad hoc autem feliciùs perficiendum, Romana Aula, quicquid authoritate, quicquid opibus, quicquid artibus & consilio valet & potest, genti huic liberalißimè (ut jam dictum est) indulget. Adeò ut Jesuitarum commendationes, Romæ, ad consequendas dignitates & præbendas, plùs valeant; quàm potentißimorum Regum intercessiones. Quæ unica res, si cætera abessent, ad corrumpendas omnes (OMNES dico) Europæ aulas, abundè sufficeret: sicut eventus (proh dolor!) testatur. Quámvis hoc etiam advertendum est; Genio Jesuitico, extra hoc, quandam à naturâ occultam vim inesse, quâ ingeniis aulicis imperat & dominatur. Ut autem de occultioribus gentis hujus artibus, quas in prædictis Politiarum officinis exercent, nil dicam: duo sibi ibidem potißimùm paciscuntur. Primum, ut ipsorum mellificatio ex hac Reipublicæ arce non impediatur: utq; deinceps Adversariis suis nullum eò refugium pateat; illorumq; querelæ, si quas eò deferent, vel prorsus negligantur, vel quoquo modo eludantur. De his duobus quam-primùm Jesuitæ cautum est; ipse deinceps sibi, ad reliqua perficienda, sufficit.

1. Accipiter Jesuiticus non nisi in Aularum pinnis nidificat.

2. Jesuitæ affectant clavum Reipublicæ.

Jesuitarum in Aulis postulata.

Constructo & firmato hoc nido, pabulatores suos quà-quà versùm emittunt; suamq; venationem hac ferè ratione instituunt. Primùm, operam dant, ut in primariis Regni aut Provinciæ Urbibus Seminaria, Collegia, Templa quàm-plurima, tanquàm instantis meßis suæ horrea, exstruant. Per hæc autem, duo consequuntur, quæ eis ad finem suum (de quo diximus) valdè proficua exsistunt. Regnum primùm universum, his ceu unguibus, apprehendunt, & ità constringunt: ut ad suum nutum illud, quoties res ità postulat, cum singulis partibus, circumagere queant. Quod ut faciliùs consequantur: Seminaria sua, in prædictis urbibus, ità plerunque construunt; ut suis ædificiis ipsa Urbium mœnia complectantur, eademq; sibi noctu diuq; pèrvia faciant. ut in arcibus, quas Cracoviæ, Vilnæ, Calißii, Posnaniæ, &c. habent, videre licet. Nec ego Gentis nostræ supinam negligentiam & incuriam satìs hîc admirari; aut, pro rei indignitate, sufficienter detestari, possum: quòd ad hujusmodi periculosas, & Reipublicæ præjudiciales substructiones, non solùm connivimus; sed ad easdem materiem, ceu propriis manibus, congeßimus. Cùm sic existimem: si Rex aliquis tale quid machinaretur, universam Rempublicam contra eum insurrecturam. Et his exterorum venatorum indagatoribus, in nostris nemoribus, tantum

3. Jesuitarum venatus.

Polonorũ, in fovendis Jesuitis, præcipuum peccatum.

licet? Deindè, eâdem operâ, Juventutem nostram, spem posteritatis, ad suum cerebrum dispositis & recoctis animis, regignunt: & sic inter nos novi & Jesuitici Mundi sementem faciunt.

4. *Dum autem intra Regni urbes hoc ii agunt, qui ad hæc donis idoneis sunt instructi: reliqui concionibus popularibus, & audiendarum confeßionum operosißimo simul, & quæstuosißimo artificio, pro virili student. Quarum artium effectus iterum duplex est. Plebem enim primariam (ut ille loquitur) hac ratione, paulatim suam faciunt, factioniq; vires adjiciunt. Provisoribus deinceps qui Cameræ sive Aerario præsunt, viam ubique muniunt: ut in omnia publica, & privata bona, aditus eis patefiat. Et hîc mihi latißima sermonis valvæ se aperiret: si aucupia illorum, quibus illi homines, mulierculas præsertim, circumveniunt, explicare vellem. Cùm verò instituti, & occupationum mearum, ratio mihi habenda sit: illud saltèm prætertre nolo; in quo etiam Secta hujus, à reliquis Religiosorum ordinibus, differentia aliqua perspicitur. Quòd nempè Jesuitæ, vulgaria illa munuscula, quæ vulgò in Religiosos erogari consueverunt, non curant, nec ea capiunt: quòd hoc eis sordidum, & reliquo Ordinis splendori minùs conveniens, videatur. Aquila enim currucam non captat. Et ipsi aliàs, ut exercitati Practici, benè norunt;* Pecuniam in loco negligere, maximum interdum lucrum esse. *Noviq; egomet, simulationem hanc aliquando eò usque processisse; ut oblatum 50. Aureorum Ungaricorum precium repudiârint. Hominum verò opulentorum testamentaria legata, & cum his integra prædia, adeò non fastidiunt; ut eo potiùs fraudum exquisitißimarum artificio illa aucupentur: ut Polonia, in hac etiam publicâ morum corruptione, vix quicquam simile experta sit. Hinc ergo istis pecuniæ neglectoribus, qui suam gratuitam operam nobis tùm officiosè deferunt, illi regales inter nos proventus: quos, cum reliquis suis arcanis, in Majore Poloniâ, Calißii; in Minore, Cracoviæ; in Rußiâ, Lublini; Vilnæ, in Lithvaniâ, Poltovii, in Masoviâ; & Braunsbergæ, in Borußiâ; deponere & custodire dicuntur. Hæc, inquam, imperii Jesuitici inter nos æraria publica sunt, & chartophylacia: quæ si hoc tempore excuti deberent, Poloniam haud-dubiè, de statûs sui qualitate, rectiùs instructura essent, quàm tot hactenus tumultuosa scrutinia præstare potuerunt. Et hæc de Praxi Jesuiticâ.*

Jesuitæ sagaces aucupes.

Propter passerem rete non attrahunt.

Jesuitarum æraria.

Hæc itaque de primo designationis meæ capite, de politiâ nimirùm Instituti Jesuitici, pro instructione sufficiant. Vestrum nunc erit, cogitare, num is fallatur, qui Jesuitas Polonis, Reiq; eorum publicæ, vehementer formidandos, & sedulò cavendos, censet. De narrationis autem meæ veritate, novi, Vobis meliùs, quàm mihi-ipsi, constare. Superest nunc, ut, quæ in genere de gentis naturâ & moribus proposita sunt, per particularia exempla comprobentur: adeóq; demonstretur, quàm periculosa harum rerum praxis Ordini Politico fuerit: quod secundum erat Propositionis meæ caput. Hoc-ipsum verò, per domestica & nostræ experientiæ documenta, satis copiosè explicari posset & demonstrari: spero tamen, in Exterorum historiâ rem magis conspicuam fore; quòd illorum casus extra factionum affectus positi, & sic ad instruendum aptiores sunt. Ideóq; exemplis eorum immorabor.

Praxis Jesuitica, Ordini præcipuè Politico fatalis.

Inter plurima verò documenta, vix quicquam illustrius est eo, quod historiâ ultimi tumultûs Galliæ suppeditat: ex quo nempè perspicitur, quantum Jesuitismi genius, contra statum regium, ad ejusq; eversionem, poßit. Res sic habet. Regni Galliæ ea est conditio; ut à

Virtutis Jesuiticæ illustre specimen in Galliis.

ut à prudentiæ Politicæ studiosis, ferè pro optima Politiæ normâ, allegetur. Et quámvis in eo nobis cum ipsis non per omnia conveniat: certum tamen est, eam firmißimam esse. Siquidem ad absolutæ Monarchiæ formam quàm-proximè accedit. Contra tyrannidem tamen, & seditionem, iis legibus, eâ Parlamentorum authoritate, illâ demùm Sanguinis regii reverentiâ, corroboratum & firmatum est: ut his solis rebus hactenus invictum perstiterit. Et quantũ ad Sanguinis regii observantiã attinet; Galli vulgò aliquid, præ reliquis Nationibus, in hoc affectu, putantur habere. Illorum sanè Regia familia vetustior est, quam ulla Europæa. Contra hanc tamen firmißimam (ut Henrico III. haud-dubiè videbatur) arcem, Jesuiticæ impreßionis cuneus tantum valuit: ut, quod in Galliis hactenus inauditum erat, Rege in ordinem redacto, Familiæ regiæ authoritatem ità penitùs prostraverint: ut & Personam regiam neci dediderint; & infensißimæ Gallis nationi, ad invadendum Regnum, viam longè latéq; complanaverint. Et, nisi peculiaris & penè miraculosa Dei providentia conatibus eorum tàm evidenter obstitißet; rem eò deducturi videbantur: ut Galli, proditâ regiâ Familiâ, (quæ inter eos per annos plùs quàm 600. tam altas radices egit, ut omnes ferè principes Familias complexa sit) Gallici nominis perpetuum hostem & æmulum, sibi Regem asscivißent. Idq; sanè multò majori miraculo, quàm si nobis antehàc Demetrium suum Moscoviticum obtrusißent. Hìc autem, ut magis perspicuum fiat, quomodo Instituti istius genius erga statum Politicum sit affectus, ex tot illorum molitionibus, quibus Henricum illum subverterunt, unum saltèm, sed valdè insigne illorum stratagema, hìc producam: cujus hæc est ratio.

Sub initium prædicti tumultûs, quæstio illa in Galliis agitari cœpit: Num Pontifex Romanus Galliæ Populum à fidelitatis juramento, quo Regi suo obligatur, in casu hæreseos, absolvere possit? *Ex hac oriebatur altera, huic admodùm affinis!* Num cuilibet privato liceat Tyrannum propriâ authoritate occidere? *Intelligitis, opinor, quantum Regis, Statûsq; regii, & universæ Reipublicæ, in horum problematum decisione, intersit. Et quid putatis Apostolos dicturos fuisse, quando Hierosolymis primum Concilium, sub præsidio Spiritûs sancti, celebrabant: si Religiosus aliquis, cum hujusmodi quæstione, coram eis apparuisset? Neque tamen in Galliis controversiæ istæ novæ erant Ad priorem enim ventilandam, Pontificum olim cum Galliæ Regibus perpetua litigia perennem materiam suppeditaverant. Posterior verò, ante annos plùs-minùs 200. post cædem nempè Ludovici Aureliani, in Sorbonistarum Collegio, publicè agitata, & solenniter decisa erat. Utraq; semper constantißimè fuit negata: adeò ut posterioris assertio, & assertor Johannes Pratus, (nî fallor) in Concilio etiam Constantiensi, ex æquo damnati fuerint. Pro hac autem vice, eædem quæstiones Galliam ad eum modum immutatam invenerunt: ut bona pars Cleri, & cum his totus Jesuitarum ordo, utriusque assertionem probaverint; revocatâ & annihilatâ Majorum suorum perpetuâ sententiâ: non aliter, quam si novus intereà Mundus successißet. Hujus verò immutationis Jesuitas præcipuos authores exstitisse, ipsa Sorbona, post res sedatas, publicè professa est. Et Jesuitæ idem non obscurè agnoscunt; dum inter causas, propter quas olim Pontificia excommunicatio, contra Galliæ Reges, minùs efficax fuerit, hanc nominatim exprimunt:* Quòd Gallorum animi tùm non sufficienter dispositi fuerint. *h. e. Quòd tàm acres seditionum concitatores non habebant, quales hodiè Jesuitici Concionatores sunt*

Quæstiones, in Galliis à Jesuitis motæ, decisæ.

Johannes Pratus.

Jesuitarũ in disponẽdis animis peculiare artificium.

& Confessarii. Hæc igitur Jesuitarum decisio (non tamen absque Deo) Henrico necem attulit: & contrà Parricidam absolvit; eumq́, Ebudo, isti Israëlitarum liberatori, æquiparavit. Quale nihil in ullâ Christiani Orbis parte, indè à Religionis incunabulis, auditum, scriptúmve est, aut lectum.

Ubi tamen, ut rei indignitatem meliùs perspiciatis, notare debetis: Sectam hanc, TYRANNI, ejus nempè, quem ab unoquoque privato impunè occidi posse contendunt, definitionem sibi suæq́, discretioni reservâsse. Secundùm quam, is nobis pro hujusmodi mactationis pecude habendus est, qui quâcunque ratione in Romani Pontificis indignationem incidit, & ex Jesuitarum sensu excommunicatur. *Id quod ideò hîc addendum fuit; quòd, in alterius quæstionis formatione, ab ipsis insidiosè additur,* in casu hæresæos: *ut, hoc nempè fuco, perfidiam suam in supremum Magistratum incrustent. Cùm constet, HÆRETICOS illis esse, non qui pravas in Religione opiniones sectantur: sed* qui Jesuitarum artes quocunque modo impediunt, aut ipsis non per omnia obsequuntur. *Sicut vel ex Venetorum exemplo intelligere possumus: quos hæc Secta, per universam Italiam, pro pestilentissimis Hæreticis proclamare dicitur; ideò saltem, quòd latis, seu potiùs renovatis legibus, Jesuitarum cupiditati frenum injecerunt. De Henrico verò certum est, eum, dum vixit, nullius uspiam erroris, ab ullo Catholicorum, insimulatum esse. Constat etiam, eum in Catholico-Romanâ communione, usque ad extremum, perstitisse. Furoris autem, quo eum persecuti sunt, hæc vera causa fuit:* Quòd sceptrum regium non ei tradere volebat; quem sibi hi Socii, tanquam idoneum molitionum suarum administrum, Galliæ Regem destinaverant.

Tyrannus quis, secundùm Jesuitas.

Jesuiticæ definitionis Hæreticus.

Henrici III. hæresis.

Magistratuum pericula.

Vos ergo nunc iterum videte, an' non, per hoc Jesuitarum decretum, omnium Europæorum Regum, & quorumcunque Magistratuum politicorum, mors & vita ab arbitrii Jesuitici horoscopo suspendatur? Ut, si hic illis dextrè ascendat; ipsi vivant & valeant: sin minùs; pereant. Quâ de re, prædicta Venetorum calamitas, Regis Britanniæ perpetua pericula, & illorum omnium metus, qui hunc Ordinem sibi infestum sentiunt, abundè testantur. Venetorum tamen exemplum præcipuè conspicuum est: quòd Respulica illa, (ut dixi) Romano-Catholicam religionem hactenus, tanquam Imperii sui Palladium, accuratè observet, & acerrimè tueatur. Quæ exempla quoties expendo; toties exhorresco: cùm videam, quàm facilè, sub præsenti rerum statu, inter nos simile quiddam, in alterutram partem, accidere possit; postquam inprimis gentis Jesuiticæ, ad hujusmodi aliquem effectum, tàm pertinaces & fervidi conatus, ab aliquot jam annis, inter nos deprehenduntur.

Sed hîc fortassis dicere voletis: Inter nos nihil ab hac parte esse periculi; quòd Jesuitis cum Rege nostro probè conveniat. &c. Mallem vos dicere posse; Regi nostro cum Regni Ordinibus, & his cum Regiâ majestate probè convenire. Hoc enim ad Reipublicæ salutem aliquantò utilius, & ad securitatem nostram firmius & efficacius esset. Nunc autem hoc verè dici agnosco: neq; tamen hoc-ipsum solicitudinis meæ causam tollit; sed eandem potiùs auget. Ecquis enim certò dicere poterit quòd hoc Regi nostro perpetuum futurum sit; ut Jesuitis tàm propitiis utatur? Quid, si is aliquando, deprehensis illorum artibus, a quibus eum hactenus pleriq; nequiter circumventum existimant, animum mutet; & potiorem Reipublicæ respectum habere incipiat: ecquid tùm eum sperare jubebimus? An' non tempus

Regis vita, & quæ ab hac pendet Regni fortuna, Jesuitarum affectui obnoxia.

tempus fuit in Galliis, quo Henricum III. ex Poloniâ redeuntem, natio hæc eo applausu excipiebat; ut laudum ejus præconio exsatiari nequirent, dictitantes: Huic uni individuo, omnes Constantinos & Carolos Magnos, omnes Ludovicos, &c. inclusos esse. Hunc fortissimum, felicissimum, Christianissimum, & invictissimum Christi athletam, Ecclesiæ Catholicæ protectorem, Hæreticorum malleum & pavorem, à Deo Galliis provisum. *Quid verò hæc omnia eum tandem juverunt? Cùm hic projectæ assentationis affectus paulò pòst, ita prorsus in contrarium mutatus sit: ut eum non solùm occidi curaverint; sed occisi cadaver, quantum in ipsis fuit, sepulturâ prohibuerint: ipsumq; Parricidam in Divorum catalogum retulerint.*

Sed esto; inter nos tale nihil metuendum sit in præsentiâ. quis verò noverit, qualis inposterum Regum, rerumq; nostratium, status sit futurus? Nostræ ne itaque Matri ità consulemus: ut tàm ambiguæ fructificationis semen, scientes intra Reipublicæ viscera retineamus; tantâ curâ foveamus, & ad posteros propagemus? Quis, inquam, sanus nobis suadebit, ut fortunas nostras tàm ambigui eventûs aleæ committamus? Ut nempè Respublica non diutiùs salva sit; quàm quo-usque Regi, Reive publicæ, cum Jesuitis probè convenit? Ut tunc demùm nobis securis esse liceat; quando nihil inter nos est, quod Sectæ huic offensionis causam præbere possit?

Dixi, quanta vis sit aculei Jesuitici, contra Reges Statumq; regium; quoties hunc molitionibus suis obstare intelligunt. Hîc autem vos notare velim, ejusdem pestis non minorem efficaciam esse, in oppugnandâ & expugnandâ Republicâ, atterendis Legibus: quoties nempè sentiunt, se ab his, in institutâ suâ venatione, impediri. Et quod ad Leges attinet: hæ politicæ tineæ illas præcipuè arrodere consueverunt, & exedere; quibus jus successionis in Regno continetur, libertasq; & pax publica firmatur. Qualem in Galliis præcipuè invenerunt Legem illam Salicam, matriculam & fundamentum illius Regni: per quam stirpis regiæ mascula proles, exclusis fœmellis, ad Regnum sola admittitur. Cujus Legis vigore, successio Regni, post interfectum Henricum III. ad Henricum IV. Regem tùm Navarræ, devolvebatur. Quod-ipsum cùm Secta Jesuitica suum interitum interpretaretur: tantum efficere potuit, ut Galli hoc Reipublicæ suæ fundamentum ipsimet subruere conarentur; ascitâ, contra hanc legem, Philippi II. Hispaniarum Regis filiâ, quam ex Henrici II. Galliarum Regis filiâ susceperat, in Regni sui hæredem: operis totius promotoribus & internuntiis Jesuitis. Quod autem Gallis Lex Salica præstat; hoc Poloniæ adhuc Regum juramenta conferunt: per quæ hactenus Reipublicæ, liberæ electionis jus conservatur. Quàm periculosè verò hoc etiam libertatis nostræ fulcimentum ab hisce tineis arrosum sit; egomet dicere nolo: nec publicum dedecus ipsemet divulgabo. Ejusdem virtutis illustre specimen, coram oculis nostris, in vicinâ Hungariâ, Austriâ, Styriâ, Carinthiâ, &c. ediderunt; eo nimirùm successu: ut obtritis legibus, quibus prædictarum Nationum & Provinciarum libertas nitebatur, partem earum penitùs oppresserint; partem ad extremam desperationem adegerint. Hoc quidem rumor publicus hactenus constanter affirmat; in prædictis Provinciis, alicubi illustribus & antiquissimæ nobilitatis Familiis publicè diem dictum esse, intra quem se aut coram Jesuitarum tribunali sistant; aut, relictis patriis sedibus, aliò migrent. Quæ res fatori isti malè vertat!

Jesuitismi genius ipsis Legibus infestus.

Lex Salica in Galliis.

Homines nobiles sedibus pelluntur, & Jesuitis geniculari nolunt.

Hic

Pacem religionis Jesuitæ, ut canes lapidē projectum, admordēt.

Hîc ergo jam, Proceres, quæro: Si fortè res in eum casum deveniat, ut Regiam majestatem Jesuitæ inter nos, vel nunc, vel posteris temporibus, ità colant; ut eandem contra Rempublicam, contra leges, & libertates nostras, incitent: (ut quando hactenus, coram modernâ Regiâ majestate, Pacem religionis, unicum illud furoris Jesuitici repagulum, ità traducunt: ut eam Tartaricam & Mahometicam perfidiam nuncupent; quam Regia majestas, citra æternæ salutis suæ jacturam, nec approbare possit; ne-dum, ut eandem tueri debeat, &c.) quam, inquam, tu mihi spem facies?

Novi tamen, quid etiam hîc nonnulli excipiant: Non esse videlicet tantoperè admirandum, si Confœderatio illa fortassis non omnibus probetur; sub quâ nimirùm tot abominandæ sectæ quotannis inter nos suppullulent, &c. Agite itaque, cedamus eis (quod tamen citra Reipublicæ præjudicium fiat) hoc jure: quid verò ad illud mihi respondebunt, quod in proximis Comitiis Varsaviæ, Dominicâ Misericordias Domini, anno 1606. ex P. SCARGÆ ore audivimus; quando is, converso sermone ad Regem, sic eum alloquebatur: Eheu, Rex, quorsum jam nobis res, tuâ intempestivâ conniventiâ, reciderunt? Reges olim Poloniæ, de rebus ad Rempublicam spectantibus, cum solis Senatoribus deliberabant. Nunciorum istorum terrestrium, quos vocant, nullæ in hisce rebus partes erant: ut qui non ità dudum introducti sint. Nunc verò tuâ, & quorundam Majorum tuorum socordiâ, res eò (proh dolor!) deducta est: ut, quàm-primùm feroculus aliquis Domicellus, qui se pro Nuntio fortè terrestri gerit, votum suum proponit, omnes ei protinùs assurgere cogantur, &c. Tuum, tuum erat, ô Rex, hujusmodi perversas, quæ contra antiquos mores inoleverunt, consuetudines cohibere, &c. *Ubi etiam manibus, ceu nutu, indicavit, quid fieri velit:* Summa nimirùm papavera demetenda esse. *Hunc igitur Tubicinis istius aulici tenorem, si reliqui tribules ità persequerentur; ut, ad istorum consiliorum exsecutionem, operam & vires suas Regi aliquando in auxilium offerant: ecquid de nobis, deq; nostrâ illâ hactenus illibatâ libertate, futurum censes?*

P. Scargæ cum Rege expostulatio.

Disputatur hodiè inter nos, de modo Potestatis regiæ; itemq; de Reipublicæ in rebus ad Regni salutem spectantibus authoritate. De hac autem controversiâ quid Jesuitæ sentiant, non est obscurum. Regi nempè Regiæq; majestati, quamdiù in conatibus ipsorum promovendis constanter pergit, tantum adjectum cupient; quantum Henrico III. olim, & ejusdem successori Henrico IV. propter oppositam rationem, detraxerunt. Quomodo verò vice-versâ, in Rempublicā animati sint, P. Scarga jam nos docuit. & quis nos adhuc dormire vellet? Hæc igitur etsi palàm inter nos practicentur; ità ut animi affectus, citra ruborem, ipsimet in publicum prodant: sunt tamen, qui Jesuitarum inter nos patrocinium suscipiant; & omnia sedulò conquirant, quibus hæc, sub aliquâ probabilitatis specie, vel prorsus negari, vel saltèm palliari & excusari quocunq; modo posse confidunt. His igitur deinceps nonnulla respondenda sunt. nam hoc tertium nobis designationis nostræ caput constitutum fuisse, meministis.

Jesuitarum nequitia suos ubique applausores invenit.

Qui itaq; Jesuitas omnium fervidissimè propugnant, primo loco Catholicam religionem allegare consueverunt: à cujus interitu sibi metuunt: si in Jesuitas gravius aliquid deberet statui. Estq; hic defensionis Jesuiticæ longe splendidissimus, & maxime-plausibilis

Causæ, ob quas Jesuitæ à Pontificiis defenduntur.

præ-

prætextus: ad quem amplificandum, congeruntur Ordinis istius res gestæ; Barbarorum nimirùm infidelium sub utroque Mundi axe, sicut & Hæreticorum in hisce partibus plurimorum, felicissima conversio. Quibus hodie inter nos adduntur, divini illi & miraculosi gentis illius successus in Moscovia; & augusta spes, quam ex illo tractu, & nobis, & Romana Ecclesia, ostentant. &c.

Religionis Romano-Catholicæ conservatio & propagatio.

Ad hæc igitur quid dicemus? Hæc nempé. Primò, hîc admirari cogor, quibus rationibus sibi persuaderi patiantur, Catholicam religionem, citra Jesuitarum operam, in Poloniâ consistere non posse, ii, qui credunt, Romano-Catholicam religionem, qualis illa nunc est, paulò minùs quàm mille annos quingentos, per Orbem duràsse, antequàm Ignatius Lojola in terris natus est: ità videlicet, ut in nostrâ etiam Poloniâ tot centenos annos egregiè floruerit. Deindè dico: Christum & Apostolos, indè ab initio, non solùm Religionis propagationi; sed etiam æternæ ejus conservationi, per sufficientia media abundè prospexisse. ut Ecclesia, quàmdiù in veritatis tramite simpliciter incedit, nullis novis & extraordinariis mediis opus sit. Hi autem, non Jesuitas, quod quidem ego sciam; sed Episcopos, Presbyteros, Doctores, Pastores, Diaconos, &c. ordinàrunt. Istorum verò officiorum, cùm non solùm nomina: sed etiam personæ inter nos supersint, quibus illorum cura demandata est: quis dubitet, quin hi, dummodò officium faciant, Religionem rectè sint curaturi; ut maximè Jesuitæ in Poloniâ nulli sint? Tertiò, ulteriùs sic dico: Religionis curam & propagationem, Jesuiticæ designationis minimam partem esse: quam nimirùm ipsi ampliùs non curant; quam quatenus prætextus illius eis ad principaliorem Instituti sui finem, de quo dictum est, viam munit. Id quod vel hinc apparet: quòd inter eos, partes docendi in Ecclesiâ, inferioribus ferè committuntur; ut primicerii hujus ordinis, & qui ingenio præstant, illis, quas diximus, sublimioribus artibus in Aulis liberiùs vacare queant. Quartò, experientia testatur; quod etiam Virorum doctissimorum, quos vel Jesuitæ ipsi pro Catholicis coguntur agnoscere, calculo confirmatur: Jesuitas religioni Romano-Catholicæ intra Europam magìs obstitisse, quàm ut eandem promoverint. De quo aliquot inter nos præstantissimorum Virorum, ex ipso etiam Ecclesiastico ordine, querimonias me non semel audire, memini.

Qui putât, religionem citra Jesuitarû operâ consistere non posse, ordinariû Clerû pudêdæ ignaviæ arguût.

Jesuitæ, religionis prætextu, pro illice utuntur.

Calamitatis Catholicorum in Angliâ, immediati authores Jesuitæ.

Hoc-ipsum verò, cùm multis prorsus incredibile videatur, his illud rationibus ulteriùs declaro. Ad experientiam quod attinet: negari non potest, soli us Jesuiticæ bilis præfervidæ æstui imputandum esse, quòd Romano-Catholica religio hodie in amplissimo Britanniæ majoris Regno, tanto studio premitur & opprimitur: ut nunc etiam, post exactos Jesuitas, Sacerdotum secularium usu penitùs priventur; & sic Regis clementissimi beneficio gaudere nequeant. Eandem calamitatem Catholici, ante omnes non adeò multos, in Scotiâ, Jesuitarum culpâ perpessi sunt. Cùm enim illorum nonnulli, in Regno illo, conjurationis cujusdam, quæ contra Regem Scotiæ in Hispaniâ, à P. Creichtono Jesuitâ, instituta erat, tabulas hinc-indè inter Catholicos clanculùm circumferrent; quibus illi subscribere debebant: re proditâ, ex primariâ Scotiæ Nobilitate complures, qui hactenus ceu columnæ, religioni Romano-Catholicæ, in prædicto Regno fuerant, extremum vitæ fortunarumq; omnium discrimen adierunt. Sed & reliqui Catholici omnes, cum ipsâ religione, cui Rex antehàc non admodùm adversari videbatur, in justissimum Regis odium incurrerunt: eâ ratione, ut, in hunc usq; diem, miseri illi facinoris Jesuitici pœnas luere cogantur.

Et,quid aliud Hungaros, & Transsylvanos,non ità dudùm ad eum modum exacerbavit; ut,una cum Jesuitis, omnes Catholicos Sacerdotes,quos nancisci potuerunt,male-tractatos,ex finibus suis expulerint: quam importunus ille Jesuitarum fervor? dum hi,supremi Magistratûs authoritate & favore freti, prædictarum Provinciarum reliquas libertates tanto impetu invadunt: ut Incolæ qui hactenus omnia pertulerant,has ultimas Jesuitarum injurias perferre nequiverint; & extrema potiùs remedia arripuerint. Ad quod eos, haud-dubiè, vicinarum Provinciarum perspecta calamitas animabat. Nec ego dubito, quin inter nos etiam, rebus turbatis, Catholici religioni magnum aliquod infortunium conflaturi sint: siquidem diutiùs inter nos conversari debeant. Cujus rei,cùm inter nos, tùm alibi, hæc abundantissima causa est: quòd hic livor, illâ, quæ nobis tantoperè commendatur, docendi facultate non contentus, machinationibus suis publicam Magistratûs authoritatem prætendit. Quæ res,ut fortè plebeculam territat: ita cordatiores quosque vehementer offendit; studia eorum suspecta facit; & (quod iniquissimum est) Magistratum,sicut & ipsum Clerum,publico odio exponit; ejusdemq́, authoritatem Subditis contemtibilem reddit. Hæc igitur Catholicæ religionis damna,si cum profectibus comparentur,quos Jesuitæ,intra Europam,in ejusdem propagatione fecerunt: tantum fortassis vix superfuturum est; ut gloriabundæ illorum jactantiæ respondeat.

Veruntamen,ut hujus etiam infortunii culpam eis condonemus:Si doctrinā Jesuiticam per se,& extra hos excessus, æstimemus; in eâdem nihil, quod tanto præconio dignum sit, deprehendetur. Religio enim vel voce,vel honestâ vitæ conservatione,vel scriptis,propagatur & defenditur. Vocis ministerium,Conciones,& audiendarum Confessionum artificium comprehendit. In concionibus, Jesuitæ utplurimùm subtiles, diserti, & in concitandis affectibus acres, vehementes, & impetuosi esse consueverunt: ut imbecilles & incautos animos movere,& percellere possint. Hasce autem qualescunque dotes,quæ in sinceræ pietatis Scholâ non perindè æstimandæ sunt,corrumpit,& cordatioribus suspectas facit, primùm elocutionis sive actionis (hanc quidam Hypocrisin vocari dicunt) gesticulatoria levitas,nimiumq́, fucandi sermonis studium; &,qui sub hoc prælucet, ardentissimæ ambitionis affectus. Quorum utrumque,nescio quid non-Apostolicum sapit Deindè,deformat eas ista inexhausta calumniandi & conviciandi libido, quâ plerunque in Adversarios debacchantur: idq́, tantùm,ut Plebis animos incendant,& exasperent. cùm interim Adversarios,quos lucrari debebant, magìs indurent. Me quidem hæc ita offendunt: ut vilissimi pagi Parochum interdum concionantem audire malim; quam,qui in universâ Poloniâ inveniri queat,disertissimum Jesuitam.

Jesuitæ quales concionatores.

Ad confessionarium artificium quod attinet: non infitias eo, hoc venationis Jesuiticæ præcipuum instrumentum, & per-quàm commodum rete esse. Neque tamen hoc-ipsum tàm cautè hactenus disponere potuerunt: ut illa omnium arcanorum perscrutatio,peccatorumq́, interdum non satìs pudicum examen, cum satisfactionis illa insidiosâ, multoties etiam avarâ impositione, non plurimos offenderit, & à Catholicâ communione ità repulerit; ut ab eâdem,propter ipsos præcipuè Jesuitas,penitùs abhorreant.

Decipula confessionaria.

Quantum ad vitæ conversationem: eam quidem ità hactenus instituerunt; ut nimis conspicua illa vitiorum ulcera, quibus Clerus hactenus ad eum modum deformatus, Laicisq́, exosus redditus fuit, studiosè vitârint. Neque tamen, in hoc etiam proposito, tàm

constantes aut circũspecti fuerunt: ut non in opposito, arboris scientiæ boni & mali fructus, se in iisdem proderent. Dum enim ab una parte, miraculosam quandam vitæ continentiam, angelicam castitatem, religiosæq́; pietatis devotum studium, ostentant: ab alterâ parte, profundæ avaritiæ tam dira lues, & circumveniendarum nobilium Familiarum, Viduarumq́; & Orphanorum decipiendorum, tam callidum artificium deprehenditur; ut hoc-ipsum prudentioribus, in hominibus tam religiosis, summæ admirationi fuerit. Ut interim superiorem artium Jesuiticarum chorum hîc intactum relinquam: de quibus tàm multa jam dicenda fuerunt. Jesuitæ & ipsi de arbore scientiæ boni & mali gustât.

Restat scriptio Jesuitica; in quâ ferè summus Instituti hujus excellentiæ gradus constituitur. Nec id prorsus vanum censeri debet. Negari enim non potest, dictionis Jesuiticæ characterem, per se tersum & argutum: orationem etiam, si artificium spectes, floridam simul & nervosam esse. Quæ scriptionis virtutes, ad illectandam & capiendam Juventutem, non exiguam vim habent: quæ etiam Jesuitas, harum præcipuè rerum admiratione, suspicere & sectari solet. Qui verò serio pietatis studio afficiuntur, hæc tantò minùs curant; quantò, in hisce rebus, nimia Jesuitarum affectatio evidentior est: non aliter, quàm si omnibus veteribus & recentibus Sophistis, aut ipsis etiam Rabulis, palmam vellent præripere. Veritatis autem sermo simplex est & esse debet. Inprimis verò Christianæ religionis tractatio, hujusmodi fucatæ & coloratæ orationis lenocinia aversatur & respuit; tanquam corruptarum prurientium aurium non satis castum delinimentum. Prudentißimi denique, quiq́; incorruptißimè judicant, sic sentiunt; Jesuitas, suis hactenus argutiis, & concitatis scriptis, eatenus saltèm profecisse, ut Catholicos suos inflammatos concitaverint; partem verè-adversariam acuerint, & obfirmaverint. ut sic bellum illud religiosum, quo, ceu causone quodam, Europa adhuc amburitur, tantò periculosiùs exarserit: quemadmodum nostris ipsimet oculis cernimus. Scriptio Jesuitica. Jesuiticæ scriptionis effectus.

Quod autem de Barbarorum, in utrâque Indiâ, conversione, pro Jesuitis adducitur: illud ex iis locis petitum est, ex quibus aliquis non solùm verum dicere; sed etiam securè mentiri poßit: in Poloniâ præsertim, & in illâ explorationis difficultate; postquàm Castilienses & Lusitani nullum extraneum in illas regiones admittunt. Ideóque his nil aliud, quàm vulgatum illud respondeo: En Rhodus, en saltus! *De Hæreticorum in his terris conversione, rem non prorsus nego: ut de quâ oculorum adspectus testetur. Opus tamen ipsum, non tàm doctrinæ Jesuiticæ extraordinariæ virtuti; quàm argumentorum aureorum & argenteorum ponderi, adscribendum censeo, quibus utuntur; quorumq́; perennem copiam eis Pontificis Romani favor, Aulæq́; Polonicæ jucundus calor, sufficit. Inter quæ tamen, hîc inter nos, quandoq́; vitrea concurrunt; pro quibus alibi, in viciniâ, ferrea substituunt. Quod genus conversionis, Paulus Apostolus haud-dubiè eversionem, seu potiùs corruptionem, dixisset.* Jesuitarum aurea & argentea argumenta.

Ad rerum Moscoviticarum successus quod attinet: illi reverà nobis hactenus non citra fastum ostentati sunt. quorum etiam præcox spes gentem Jesuiticam ad eum modum inflavit: ut omnia sibi deinceps licere putaret. Qualia verò nunc ex iis locis, per repetitos nuntios, constanter afferantur; Vos non ignorare, credo. Jesuitas quidem audio narrationi huic acerrimè contradicere: quod-ipsum indicio est, rem ipsorum ibi agi; ut, quicunq́; effectus (utinam bonus) secuturus sit, non aliis eum, quàm ipsis, imputare poßimus. Moscoviæ inconsulta & periculosa tentatio.

Interim Vos nôstis, quale meum ab initio, quàm-primùm consiliorum istorum aliquid in vulgus emanavit, de molitionibus illis judicium fuerit. Ipsi nempè causa, in genere, melius fundamentum optabam. Deindè, rem per se periculi plenam esse, apertè profitebar. Meministis etiam, me, de hisce conatibus, Horatianum illud usurpare:

——————— Et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas; & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Denique, sic præ me semper tuli: Si Jesuitæ negotio huic se immiscerent, nullum ejus bonum eventum exspectandum: hos enim omnia turbaturos. Et, si res felicißimè cadat, Imperium illud ab ipsis perturbatum, & motibus intestinis repletum iri; qui nobis, tempore fortaßis non æquißimo, negotium facessere possent: quemadmodũ in Sueciâ nobis non ità dudum accidit. Quàm verus autem, & falsus, in his omnibus fuerim; ipsum tempus revelabit: & tùm nos etiam, de Jesuitarum in convertendis Barbaris studio, rectiùs poterimus judicare.

Jesuitæ Juventutis instituẽdæ artificiosissimi magistri.

Religionis conservatrici propagationi, subjungitur instituendæ Juventutis nescio quod occultum & exoticum artificium: *propter quod Respublica (si utiq; Ecclesia jacturam hanc negligere posset) Jesuitarum operâ carere nullo modo queat. Et hic prætextus superioribus, æstimationis pondere, non multùm cedit: cujus tamen vanitatem, Viri in omni disciplinarum genere exercitatißimi, qui Romano-Catholicam religionem publicè profitentur & defendunt, jam-dudum Orbi demonstrârunt: rationibus firmißimis evidenter ostendentes; Jesuitas primùm, & Jesuitarum institutum, bonis literis, & earũ reflorescenti splendori, plùs obfuisse quàm easdem promoverint: ostendentes insuper, disciplinam Jesuiticam meram corruptelam esse ingeniorum; quorũ videlicet aciem retundat; & pro eo, quòd illa liberali institutione informare, & excitare debebat, quendam potiùs eis stuporem inducat. Quâ de re, aliquot inter nos præstantißimos, non semel conquerentes, audivi, qui hodiè in præcipuis Reipublicæ muneribus versantur; cùm dicerent; se coactos esse, Jesuiticæ institutionis vitia, aut peregrinando corrigere; aut eadem, postquàm jam ad Rempublicam animum applicaverant, ipso rerum usu dediscere. Quorum judicio Experientia adstipulatur: cùm constet, inter ipsos Hæreticos, quos hæc gens nempè pro talibus tractari vult & haberi, Viros inveniri in omni disciplinarum genere exercitatos; qui ad omnia Reipublicæ munia idonei essent, nisi invidia eos premeret: etsi Jesuiticâ institutione nullo unquam tempore usi sint. Quomodocunque tamen hæc se habeant; illud apud me fixum manet: Si quæ Jesuitis hac in parte ab aliquibus tribuuntur, omnia verißima essent; & ipsi in Poloniam nostram alteras Athenas importâssent: illud tamen nimis vile precium esse æstimandum pro patriâ libertate, quam pro hac operâ licitantur. Cùm præsertim eruditæ doctrinæ fructus aliundè non minùs commodè, quàm à Jesuitis, habere poßimus.*

Jesuitæ actuales.

His tertio loco à nonnullis subjungitur: Jesuitas tamen homines esse actuales; quorum, in rebus arduis expediendis, magna sit dexteritas, eximia fides, &c. *Multis hoc in ore est, qui pro Jesuitis nituntur: quos equidem admirari soleo!*

Quòd

Quòd nempè actualitatem *hanc Jesuitis ità tribuant: ut propter illam eos laudent; eosdemq́, propterea retinendos, & fovendos, statuant. Nimis enim mirabile mihi hoc, in Religiosorum tàm religioso Ordine, epitheton videtur: cùm hoc potiùs Davi alicujus Terentiani attributum sit; qui suâ veteratoriâ calliditate, & panurgiâ, omnia turbat & involvit! Ego itaque, Polonia, Milites potiùs & Aulicos; mihi verò, Servitores actuales; Ecclesiæ autem, Monachos & Religiosos pios, doctos, & devotos, opto. Veruntamen, si, quod res est, fateri volumus; epitheton hoc Jesuitis nimis verè competit: de quo totus Orbis, inprimus tamen Europa, adeò luculenter testatur. Et nos etiam hactenus actualitatem illorum ità sumus experti; ut, si inter nos ad hunc modum diù pergere debeant, de illis Comicum illud rectè usurpaturi simus:* Quòd si annitantur, ex unis nuptiis geminas nobis effecturi sint: *duplicato nimirùm, quo in præsentiâ urgemur, infortunio. Sed quid putabimus, Augustinum, reliquosq́, istorum temporum Patres, de hujusmodi actualibus Monachis, fuisse dicturos? Aut quis etiam in secularibus negotiis tàm demens fuit; ut in servo nequam veteratoriam calliditatem laudârit; aut exploratoris exteri solertiam ità commendârit, ut eum propterea sibi fovendum existimâsset? Vos igitur hic etiam scire velim; Ingenio præstante & versatili nihil perniciosius esse, si vires suas ad res malas applicet. Ideóq́, hanc-ipsam Jesuitarum actualitatem egomet inter justißimas metûs nostri causas refero: quæ nobis veternum excutere, nosq́, ad seriam rerum nostratium curam excitare, deberet.*

Illud autem, quod de expediendi dexteritate *adjicitur, testimonio destituitur. Quid enim egregiè Natio hac inter nos præstitit? quídve tàm dextrè expedivit? aut quod potiùs bonum non impedivit? Nisi fortè amissam Sueciam; afflictam Galliam; tentatam Scotiam, Anglicas conspirationes, & tot Nobilium hominum tragicum interitum; Venetianas practicas; Moscoviticas turbas; perturbatam Ungariam; oppressam Styriam, Carinthiam, Carniolam; & quæ hactenus in Poloniâ ediderunt aulica progymnasmata; pro Jesuiticæ dexteritatis operibus nobis sint habenda? Ad res quidem arduas aggrediendas & invadendas, satis adhuc audax est hæc Secta: audaciæ verò illius eventus is hactenus ubiq́, sequitur; ut turbæ maximæ ab illis excitentur: tales nimirùm, quæ, citra infiniti ferè sanguinis effusionem, adhuc nec sisti, nec sedari potuerunt. Quem igitur hæc agendi dexteritas delectat; is videat, & provideat, ne quid Respublica Jesuitica detrimenti in Poloniâ capiat!* Jesuitarum in rebus turbandis dexteritas.

Nec id, quod de illorum eximiâ fide *prædicatur, certioris fidei est. Quod tamen illis fortè persuaderi poterit, qui vel Jesuitarum arcanas designationes prorsus ignorant; vel quibus illi os aliàs ità oblinunt, ut propter certas causas, ad eorum palatum omnia dicāt, & faciant. Quòd si tamen aliquis fidem Jesuiticam verbis extollere velit: dico, eam, quanta-quanta est, totam exteris, & quidem citra ullum boni Polonici respectum, addictam esse, & arctißimè obligatam. hujusmodi, inquam, exteris: qui etsi corpore à nobis absunt; consiliis tamen, & occultis machinationibus nimiùm interdum familiariter inter nos conversantur. Cum his ergo si fortè aliqua nobis controversia incidat, ecquid illi nobis de Jesuitarum fide polliceri poterunt? An non verò in Galliis, Angliâ, Scotiâ, Ungariâ, Venetiis, satis jam conspicua fidelitatis suæ documenta in publicum ediderunt: si ad nostratia utique cæcutimus? Et quid in re manifestâ verbis opus est: cùm nulla hodiè* Jesuitica fides Poloniæ inutilis.

Europæ Christianæ natio sit, quæ nō de Jesuitarum perfidiâ, aut saltèm perfidiæ suggestione, & excusatione, conqueratur; si unam Hispaniam excipias. His deniq; a nonnullis additur: Inconveniens esse, ut Jesuitas Poloni expellant: cùm Galli, qui propter longè-graviores causas eos ejecerunt, eosdem revocaverint; ubi etiam adhuc, citra ullum Reipublicæ incommodum, vivant, &c. *Ego verò novi, Jesuitas in Galliam reversos esse. sed, quòd a Gallis revocati fuerint; ne ipsi quidem, quamvis multa dicant, facilè dicturi sunt. Interim verò artes, quibus se in Gallias denuò insinuarunt, tales sunt: ut, propter illas-ipsas, ejectionem eorum inter nos maturandam existimem. Ex illis enim liquidißimè perspicitur; quantum hic Genius intra Europam, in versando & circumagendo rerum cardine, polleat. Sic enim nôsse debetis: Jesuitas in Galliam, non propter aliquem eorum usum, quo Regnum illud carere non posset receptos esse; sed ad vehementißimam Romani Pontificis instantiam: quem videlicet Rex, in tam infidâ cum Vicino potentißimo pace, offensum nolebat; cui tamen serium Catholicismi studium vix probaturus erat, quamdiù Jesuitas Regno arceret. Intereà ne illud quidem dubium est; eos, qui Pontifici, in restitutione illâ promovendâ, operam suam apud Regem præstiterunt, majora præmia consecutos esse: quam omnes, quicunque hactenus Reipublicæ, vel inter nos, vel alibi, militârunt. Quámvis non desint, qui existiment, Henricum IV. hac etiam ratione securitati suæ consulere voluisse: quòd aliàs à Jesuitarum insidiis nunquam tutus esset futurus. Quòd autem hactenus pacatè dicuntur vivere; id si verum est, admirationem meretur: quantúmvis causas gravißimas habeant, cur se, in tàm-recente antè-actorum memoriâ, ad tempus cohibeant; sub illius præsertim Regis imperio, cujus authoritatem, quam sibi rebus gestis comparavit, non immeritò verentur & metuunt. Quid autem futurum sit, si præsenti rerum Gallicarum capiti aliquid humani accideret; rerumq; administratio, ut antebàc factum meminimus, ad minorennes hæredes devolveretur; facile erit divinare. cùm verendum sit, Galliam tùm demùm, commißi in recipiendis Jesuitis erroris, effectum suo magno malo sensuram. Nos verò hactenus causa nulla, per Dei gratiam, urget; ut, Gallorum similes facti, tam ambigui jactûs aleam subeamus.*

Gallia Jesuitas recepit.

Jesuitæ cur in Galliâ pacatè vivant.

Hæc ferè pro Jesuitis ab iis afferuntur; qui persuasi sunt, nec Rempublicam, nec Ecclesiam, gentis istius operâ commodè carere posse. Præter quos etiam alii sunt, qui, etsi Jesuitarum acta omnium minimè probent; in eosdem tamen nil gravius statui patiuntur: quòd hoc, citra maxima Reipublicæ incommoda, ne tentari quidem posse existiment. Itáne ergo Polonis res jam eò redierit: ut aut Jesuitæ & Jesuitismus nobis tolerandi, omnesq; illorum machinationes, cum tàm-præsenti Reipublicæ periculo, perpetiendæ sint; aut extremum rerum discrimen adeundum? Ubi ergo tunc manebunt illa Ordinis istius elogia, quibus ab initio nobis commendati sunt? quòd homines sint innocentißimi, pacifici; quòd spiritualibus contemplationibus toti addicti: in quibus Poloni hujusmodi prorsus Clericos habituri sint, quales jam-dudùm desideraverint? Ab his ergo talibus ecquid nobis timendum erit? Ego tamen jam-dudùm novi, Bilem hanc, citra molestiam, ex Reipublicæ corpore nunquàm evacuatum iri: postquàm jam, nostrâ incuriâ, ad viscera tàm altè penetravit; ipsasq; præcipuè vitales partes tàm arctè obsedit. Existimo tamen, periculum aliquantò minus futurum, quàm pleriq; sibi imaginentur. Quæ enim incommoda nobis

Jesuitarum religiosæ modestiæ parùm fidendum.

nobis narrant, quæ Jesuitarum expulsionem secutura sint? Pontifex, *inquiunt*, & Hispanus, gravissimè offendentur. *Magna profectò Numina; quorumq; ira nobis haud-leviter æstimanda est. Quid enim de Poloniâ futurum existimabis; si Saturnum, & Jovem Europæum, tàm malè dispositos habeat? Ego verò hîc Servi illius Comici expostulatione uti possem:* Possúmne scire, quot mihi hîc Domini perferendi sint? *Ne tamen nimis alicui confidens & securus videar: de utroq; aliquid dicendum erit. Ad Pontificis itaq; offensionem quod attinet: de eâ quidem nullus dubito, quin nimis certò secutura sit. agnosco etiam, eam nobis formidandam esse. Cùm verò à Jesuitis longè graviora cogamur metuere: existimo, hanc indignationem Polonis non nimiùm esse pertimescendam. Spero etiam, ad eandem avertendam, legitima media nobis non esse defutura. Pontifex enim aut bonus est, & talis, qui, memor sui officii, Regi Poloniæ æquè, ac omnium aliorum Christianorum Regnorum, optimum statum promotum & conservatum cupiat. Cum tali itaque, sperandum esset, nobis facilè conventurum: si nempè, missis Legatis, ei ad oculum demonstraverimus, rem Polonicam, nec cum Jesuitis, nec cum Jesuitarum hactenùs usitatis artibus, diutiùs consistere potuisse, &c. Nec dubito, quin is tempori cessurus, & indignationem, si qua oborta fuerit, Reipublicæ facilè remissurus sit. Aut idem malus, talisq; est, qui suæ tantùm libidini, citra ullum Reipublicæ aut æquitatis respectum, indulgeat: omniaq; priùs sursum-deorsum ferri patiatur; quàm ut, quod malè cœptum est, corrigi sustineat. Tùm verò iram ejus ne curandam quidem existimo. Neq; enim ulla, vel divina, vel humana Lex, Polonos obligat: ut aut summum ipsi periculum sibi scientes accersant; aut Romani Pontificis injustæ, sibiq; præjudiciali voluntati, se per omnia conforment. Quâ in re, si meum Vobis judicium suspectum esset; Majorum exemplis Vos patiamini erudiri: ut cogitetis, quid ipsi in simili casu fecerint. Nôstis etenim, quantâ animorum contentione, Romani Pontifices, olim Crucigeros contra Regnum Poloniæ, defendendos susceperint; quàm atrocia Regibus nostris plerunque minitati sint! Resq; tandem eò processit: ut, circa annum 1456. (si Aeneæ Sylvii epistolis credimus) Romæ Excommunicatio contra Regem, Regnumq; Poloniæ, decreta fuerit. Neque tamen hisce minis, quantúmvis ipsius etiam Imperatoris Friderici III. indignatio eas acueret, ad eum modum se perterreri passi sunt Majores nostri: ut non potiorem salutis Reipublicæ quam indignationis Pontificiæ, respectum habuerint. Ovum autem ovo tàm simile nunquàm esse poterit; quàm benè Jesuitarum Institutum, mores & actiones, cum Crucigerorum ordine, rebusq; gestis, conveniunt. Nam ortûs ratio, & occasio, ferè eadem utrobique fuit: utrumque institutum, ad unum eundemq; finem, per diversa saltèm media, fuit directum: Forma politica, exceptis paucis circumstantiis, eadem fuit: uterq; Ordo progressus longè-celerrimos fecit; dilatataq; per eos Christianæ Religionis, & Imperii, laudem tulit: uterq; tandem à se-ipso ità degeneravit: ut iis pro quorum defensione instituti fuerant, graves & molesti esse cœperint. Differentia saltèm in eo consistebat: quòd Crucigeri professi Milites erant, remq; apertis armis contra Majores nostros gererent; quorum legitima remedia Polonis nunquam deerant: hoc verò malum, intra viscera nostra hærens, iis artibus nos oppugnat; quarum Polonia antehac prorsus imperita fuit. Quæ res facit, ut existimem, eos novæ illius Sectæ institutum omnium rectissimè æstimare; qui* Jesuitas Crucigerorum spurios *dicunt.*

Incommoda, quæ Jesuitarũ expulsionem secutura sint.

Pontificis offensio num propter Jesuitas metuẽda?

Majores olim nostri, Reip. salute nihil antiquius habuerunt.

Cùm

Jesuitæ Crucigerorum spurii.

Cùm itaq; Majoribus nostris olim, Pontificis nec indignatio, nec authoritas obstiterit; quò minùs Crucigerorum injurias acerrimè vindicarent, Regnumq; tuerentur: cur, in simili casu, hujusmodi spectris nos terreri patiamur?

Alberti Brãdeburgici exemplum.

Sin tamen hæc alicui fortè nimis antiqua viderentur: illi recentius exemplum habent, quod Avorum memoriâ accidit. Sigismundus I. (quem inter optimos suos Reges Polonia non immeritò recenset; quem etiam Romana sedes adhuc, pro genuino obedientiæ filio, agnoscit & prædicat Albertum Brandeburgicum, cum ditione Borußiacâ, in fidem & clientelam suam recepit, tùm, quando, propter abdicatum Crucigerorum Ordinem & desertam Religionem Romanam, non solùm à Pontifice; sed, ad hujus instinctum, ab Imperio Romano, sub potentißimo Imperatore Carolo V. excommunicatus & proscriptus erat. Aula tamen præcipuè Romana fremebat, & indignabatur; quòd tota Borußia, hac ratione, ab Ecclesiâ abalienaretur. Nec Sigismundo parsura fuisset; si excommunicationis aliquem potentem exsecutorem potuisset habere. Hic enim desiderabatur: quod tamen is susq;-deq; tulit. Et quid ego de Regibus nostris dico: cùm nostra hæc ætas, ejusdem magnanimitatis, & egregiæ fidei in Rempublicam, illustre exemplum, in ipso Regni Primate, habuerit? Fuit is JACOBUS UCHANSKY, *Archiepiscopus Gnesnensis: cui cùm Romanus Pontifex excommunicationis telum intentaret; quòd animadverteret, eum in consiliis publicis, majorem salutis Patriæ, quàm sedis Romanæ, respectum habere: is se adeò non passus est à proposito dimoveri; ut Pontifici potiùs rescripserit: se, si pergeret ei, Reipublicæ nomine, molestiam exhibere, intentatum fulmen in ipsum retorsurum. Quo responso ictus Pontifex, Archiepiscopum missum fecit: ut qui nôsset, hoc ei in Polonia faciliùs factu, quàm dictu, fuisse. Cujusmodi libertatis spiritum si ex illius successoribus hodie, sub hac (inquam) Jesuiticâ animorum dispositione, aliquis sibi usurpare præsumeret: ecquid Vos de eo futurum putatis? An' non ille quantò ocyùs ad patres ire cogeretur? Hæc igitur masculæ virtutis exempla quoties in Majoribus nostris considero: toties admirari cogor, quæ res hodiè nostratium Prælatorum animos ità immutârit; ut, in multò levioribus casibus, tantas sibi difficultates imaginentur? dum interdum Pontificiæ nescio quæ Regalia allegant; quæ inviolata retineri volunt. Sed & Regem ità loqui docent, non aliter, quàm si Polonia jam duos Reges haberet: unum Cracoviæ; alterum Romæ. Dum etiam exterorum offensiones sæpiùs ultra modum exaggerant; Reiq; publicæ se tam difficiles præbent. Quemadmodum jam aliquoties, in deliberationibus de Moldavia, Walachiâ, & tandem etiam Transsylvaniâ fieri vidimus. Ideóque sic tandem existimo: Eos, qui à Pontificis offensione sibi tantoperè metuunt, siquidem Jesuitæ paulò duriùs tractari deberent, eo-ipso satìs demonstrare, quàm frigidè erga Rempubl. affecti sint; & suspicionem de se non-exiguam præbere, quòd privata commoda illis Patriæ salute potiora sint. Quales si Majores nostri fuissent: Borußiâ nobis hodiè carendum, & in hunc usq; diem cum Crucigeris colluctãdum esset! Sed & hanc scrupulosam in hoc Ordine conscientiam, nulli alii rei hodiè, quàm Jesuiticæ (de quâ dictũ est) dispositioni debemus. Ubi tamen mirari cogor, quid hi, qui eis hac in parte eatenus adstipulantur, ut Pontificem nulla in re offendi patiantur, Posteritati aliquando responderi velint: si nempè illa, ex nostrorum temporum historiâ, rescifcat, Rempublicam Venetam, propter improbatas quasdam non-maximi momenti Constitutiones, pro libertatis suæ defensione, Jesuitas ex dominio suo univer-*

Clerus Polonicus à Jesuitis corruptus.

universo expulisse; & intentatam propterea Pontificis excommunicationem usque ad aperti belli periculum, contemsisse: cùm interim Majores sui in Poloniâ, libertatis alumnâ, tàm meticulosi fuerint? Quòd si, etiam in huce rebus, nos ad eum modum à Pontificis arbitrio patiemur suspendi: Polonorum conditio multò deterior, adde & servilior, futura erit, quàm ipsorum Moscorum, qui in consiliis de Republicâ nulla alia, quàm ipsius Principis Reiq; publicæ, Regalia respectant, aut attendunt.

Ad Hispanum *quod attinet ego non video, quæ ei justa offensionis causa à nobis præbeatur; si nos nostræ Reipublicæ, pro rerum nostrarum exigentiâ, pro virili studeamus consulere, citra ullum ejus præjudicium? Cur etiam Regem illum potentissimum magis offendat, quòd nos Jesuitas expellimus; quam nos hactenus offendit, quòd ipse eos, ut sibi commodos, tàm indulgenter fovet? Quid si verò Rex Hispaniæ, Rex Poloniæ audire vellet? (quod equidem quò minùs ad libitum consequatur, per Jesuitas non stabit) num, ad cavendam ejus indignationem, hoc ei concedendum esset? Si deniq; eò nos demiserimus, ut domi nobis nihil agere aut tentare liceat, nisi quod aureo Velleri probetur: ec-quam Rempublicam in Poloniâ habituri sumus?* Hispani offensio quâti Polonis in hoc casu æstimanda.

Verùm hic nonnulli adhuc pergunt excipere; Etiam domi, & intra parietes, multos offensum iri. *Cui aliqui adjiciunt:* Si Jesuitę extra Regnum proscribi debeât; etiam alios, & illos præcipuè Euangelicorum ministros, unà exterminandos, &c. *Ad prius quod attinet, de multorum intra domesticos parietes offensione: ego primùm nescio, quínam illi multi futuri sint, quorum offensionem nobis tàm periculosam imaginari debeamus: si præsertim reliqui Cleri securitati caveretur? Cùm enim hic nil aliud, quam salus Reipublicæ, ejusq; in longum propagatio, quæratur: nemo hinc tumultuandi occasionem habere poterit; nisi fortè fortunas suas cum Jesuitis ità conjunxerit, ut, cadentibus illis, ipse stare nequeat. Et hi verè illi sunt, qui eis omnium molitionum & consiliorum, fortè etiam contra Regnum, sunt conscii. Et quámvis verendum sit, eorum plures esse, quam expediat: ne horum tamen offensio perindè nobis æstimanda est: cùm nemo dubitet, quin Bonorum, qui Rempublicam salvam cupiunt, multò major pars, in omnibus Regni partibus, futura sit.* Quibus fere Jesuitarũ expulsio omnium ingratissima sit.

Sed esto; ut hic fortè aliquid nobis molestiæ sustinendum esset: num propterea medicinam respuemus? Quæ purgatio ægroto unquam tàm feliciter cessit; ut non aliquid, ex illius operatione, torminum senserit? Quòd si, Jesuitarum expulsione, illos fatales tumultus avertere & præcavere possemus; qui hactenus plerasq; Europæas Provincias tàm duriter afflixerunt; quo de egomet planè sum persuasus: résne digna censebitur, propter quam etiam incommodi aliquid patiamur? Si publicæ Libertati, si Regno nihil periculi est; si Privatorũ corpora & fortunæ in tuto sunt: ec-quid tumultuamur? Cur Exterorum insidias & conspirationes metuimus? Sin verò hæc omnia nobis ità imminent; ut Jesuitas eorum, si non principales autores, perniciosos saltèm actores, promotores, & internuntios, noverimus; ut omnes præ se ferunt: ec-quid ampliùs cunctabimur?

Ad alios verò, Euangelicorum præsertim Ministros, quod attinet: si in eádem turbatæ Pacis, & oppugnatæ publicæ Libertatis culpâ, cum Jesuitis hærent: nil equidem causæ dicam, quò minùs & illi, & quicunq; crimini huic quocunq; modo affines deprehenduntur, cum eis expellantur. In suspicione enim turbatæ Reipublicæ neminem quodcunq; vitæ In puniendis Pacis publicæ perturbatoribus nõ pec-

sona; sed factū respiciendum.

genus tueri potest, aut eidem patrocinari debet. Sed numquid hîc res cum re, aut causa cum causâ, conferri poterit? Quémnam Pontificem, aut Hispanum, Ministri illi, intra aut extra Regnum, habent; cui hunc agrum arent aut serant: aut ad quem eis, rebus hîc perditis, perfugium pateat? Quales etiam in Aulâ, & circa Reipublicæ clavum, illorum partes sunt; aut in æternum esse poterunt? Aut quæ prædia hi in detrimentum Nobilitatis coëmerunt: quásve immunitates, in fraudem Reipublicæ, consecuti sunt? Et quæ etiam illorum vires sunt, propter quas Reipublicæ formidabiles, aut saltèm suspecti esse debeant? Quorum divitiæ ferè omnes, in lacerâ & detritâ ut-plurimùm Reverendâ, (ut nostrates loquuntur) & Bibliorum, adde (si res lauta est) Augustini codice, nudâq; & numerosâ sobole, consistit? Ipsi denique Euangelicorum Ministri, an non uniuscujusq; pagani Præfecti superioritatem agnoscere, eidemq; se sistere, coguntur? Collatio itaque hæc prorsus inepta, adde, & ridicula est.

Ministrorū Euangelicorū intra Regnum conditio.

Sunt fortaßis & alia, quæ pro Jesuitis, ab illorum fautoribus, nobis objici possent: sed ea vix majoris momenti erunt, quàm quæ hactenus allata sunt. Ideóq; hæc sufficient, ut ex quibus reliqua facilè dijudicari poterunt.

Ex his ergo, quæ hactenus demonstrata sunt, firmiter tandem concludo: Iis, qui hoc tempore Rempublicam restitutam, sanatam, & in-posterum salvam cupiunt; si ordine procedere, si laborum suorum fructum aliquem sibi polliceri volunt; ante omnia operam esse dandam, ut Jesuitæ extra Regnum abigantur: sed ità, ut abactos, obdito pessulo, reditu prohibeant.

Expulsionis Jesuitarum qualis effectus sperādus.

Expulsâ autem & expurgatâ hac acri & arrodente bile, morbi nostratis paroxysmus in genere, & paulatim, lenietur: reliquæ partes affectæ, Clerus præcipuè, sanabiles & tractabiliores reddentur: poteritq;, quod luxatum est, per otium, citra gravioris alicujus symptomatis metum, curari & restitui. Quamdiù verò hic incendii febrilis fomes intra Reipublicæ viscera retinebitur: nulla nobis salutis & securitatis spes relinquitur. Quodcunque enim machinabimur; quibuscunque emplasmatis vulnera ligare & obducere studeamus: opera & oleum nobis peribunt; malumq;, in hac corporis Polonici cacochymiâ, ad levißimam quamque occasionem, recrudescet. Neque enim Jesuitæ, ut cætera omnia sanentur, ad Regni Poloniæ, Legumq; Polonicarum similaritatem, in æternum reducentur; ut illa sub hoc, qui adhuc qualitercunque durat, statu probent. Ideóq; ne eos quidem audiendos censeo; qui, ut res minùs odiosa sit, non universalem purgationem censent instituendam: sed per partes tantùm, bilis istius detractionem, & imminutionem, faciendam putant. Verbi gratiâ: Sunt, qui eos tantùm extra Regnum propellendos existimant: qui vel clandestinarum machinationum contra Regnum cooperatores, aut saltèm conscii, fuisse deprehenduntur; vel quorum seditiosus fervor publicæ paci præcipuè periculosus censetur. Sunt, qui hanc Jesuitismi diminutionem, à locis incipiendam suadent: ut nempè ex primariis Regni Urbibus, aut ubicunq; ab eis Reipublicæ insigne aliquod periculum metuendum esset, removeantur. Sunt denique, qui putent, publicæ securitati sufficienter prospectum iri; si, latis legibus, in arctiores carceres redigantur. Hæc igitur consilia paucis discutiamus.

Particularis purgatio, quomodo secundùm nonnullos instituēda.

De his primùm in genere sic dico: Cum quacunq; Jesuitarum offensione, sive eos in universum expellamus, sive audaciam illorum ad certam quotam restringamus, Pontificiæ indi-

indignationis invidiam nobis ex æquo metuendam esse: quam tamen plerisq; omnium maximè cavendam censent. Hoc saltem discriminis erit: ut, si partem aliquam Jesuitismi intra viscera retinuerimus, tantò plus nobis periculi ab eodem Pontifice futurum sit. Cùm igitur, cum particulari offensione, tantundem difficultatis subeundum sit; quantum cum totali expurgatione: cur non hanc, ut utilissimam & certissimam, præferemus? Imò hanc ego ceu Maximam præscribo: Jesuitas faciliùs ex Regno expulsum, quàm intra Regnum in ordinem redactum iri. *Dico ampliùs: eos vehementer errare; qui sperant, Bilem hanc ità cautè posse moveri: ut non protinùs exardescat, & exasperetur; & ut non omnes vindictæ occasiones studiosissimè conquisituri sint: quodcunq; fortè ad tempus, propter præsentem necessitatem, simulent. Quæ occasiones ingeniis istis, intra & extra Regnum, nunquam defuturæ sunt. Quòd si ergo, resumtis aliquando animis & viribus, denuò aliquid, & forte periculosius quiddam, moliatur; quid tùm facto opus erit? Num quotannis, in Jesuitarum gratiam, generalem Rokosch celebrabimus?* Particularis expurgationis incômoda.

Deindè, in specie iis, qui nocentissimum quemque ex Jesuitis exterminandum censent, respondeo: Nec causam, nec culpam earum rerum, quarum Jesuitæ insimulantur, ità partiri & separari posse; ut alter altero mitiùs aut duriùs tractandus sit. Sic enim jam ostensum est, Sectam hanc tàm arctè inter se compactam esse; ut totum corpus, & cum hoc omnia ejus individua membra, in harum præcipuè rerum praxi, de quibus nobis sermo est, in unum conspirent, & ad unum scopum mente & corpore ferantur. In unâ itaq; eâdemq; culpâ omnes æqualiter hærent. Differentia si qua est; in ingeniosarum virium saltèm inæqualitate consistit: ut, quod unus aut alter fecit, omnes facturi fuerint; si vires aut occasio non defuissent. Nec credo, Vos audivisse, quòd Jesuita aliquis à tribulibus suis, ob quodcunq; etiam detestandum facinus, publicè damnatus, aut etiam reprehensus sit! In hoc enim genere non peccant: dummodò facinoris perpetratio in illum finem dirigatur, quem Jesuitis in specie propositum esse ostendimus. Jesuitarum omnium æqualis culpa.

Quod autem de nonnullorũ seditioso fervore affertur, illud per se speciosum est. Ego tamẽ sic existimo: Illos nondum pessimos, aut etiã Reipublicæ periculosissimos esse, qui Cracoviæ, Posnaniæ, &c. ædes exurunt, cœmiteria invadunt; sepultorum corpora refossa immaniter violant. Contra hanc enim rabiem, licèt in hunc usq; diem impunita manserit, vel tandẽ remediũ aliquod invenietur. Sed illas potiùs vulpeculas nobis observandas censeo, quæ per Sudetas montes, Alpiumq; juga, hinc-indè commeantes, exoticarum artium spiritum ferunt, & perferunt. Deniq; remedium hoc, si tàm benè caderet, ut, nocentissimi qui sunt, exterminarentur: nos tamen saltem ad tempus relevaret; dummodò relevaret: tamdiù nimirùm, donec his alii septuplo pejores submitterentur. Num verò hoc satis justum operæ precium censeri debebit? illius inquam, operæ, quam Reipublicæ tantis sumtibus, tantâ Nobilitatis defatigatione, nec sinè nostro periculo, præstare conamur. Jesuitarum studia quæ nocentissima.

Qui verò eos ex Aulâ, & primariis Regni Urbibus, expellendos suadent: illi quidem aliquantò fortiùs consulere videntur; sed non multò plùs, quàm priores, proficiunt. Videntur quidem certæ Reipublicæ partes nonnihil sublevari: videntur etiam Jesuitis præcipuæ nocendi occasiones, eâdem ratione, præcidi. egoq; jam-dudùm ità persuasus sum, nullum gravius in Rempublicam peccatum à nobis commissum esse; quàm quòd Jesuitis, in hisce Regni arcibus, ad expediendas suas machinas, tantum spatii concessimus.

Id quod fortè tùm demùm senſuri ſumus; ſi aliquid fortaſſis periculi, à Meridie, & Occidente, nobis ingrueret.

Secundi conſilii abſurditates.

Hic tamen admirari cogor; quibus rationibus conſilii hujus authores ducantur: quòd, in Republicæ curatione, potiorem Urbium, quam Equeſtris ordinis, ipſiusq; adeò Cleri, reſpectum habeant? Eos itaque libenter interrogarem: quid putent ſingularis auxilii ad Rempublicam rediturum, ſi primariæ Regni Civitates exonerentur; & peſtis hæc interim liberè in Nobilitatem graſſetur? ſiq; peregriniſſimo huic liceat, reliqui Cleri animos continenter ſolicitare, & in transverſum agere? Ec-quam illi tùm rebus noſtris ſpem ſecuritatis faciunt? Hi ergo in eo periculosè falluntur; quòd exiſtimant; malum Jeſuiticum intra Urbium ædificia ità contineri: ut ibidem tantùm, aut ſaltèm potiſſimùm, Reipublicæ noceat. Cùm hæc primùm ipſius Aulæ, ut oſtenſum eſt; deinde publica animorum peſtis ſit: à quâ Nobilitati, & Clero, & per hos demùm Reipublicæ præcipuè, metuendum ſit. Quin-imò, dum Jeſuitas in univerſum extra Regnum propellendos ſuadeo, in eo Cleri Polonici quam-maximum reſpectum habeo: cujus exceſſus non aliter, quam bilis hujus ferventis ſubtractione, corrigi poſſe, exiſtimo. Ex his ergo iterum perſpicitur, ne hujus quidem conſilii eum inter nos effectum ſperandum eſſe; quo nobis, ad res noſtras componendas, & firmandas, opus eſt.

Propter Cleru præcipue, Jeſuitæ ſunt expellendi.

Reſtant ii, qui Jeſuitas non ſolùm ex Aulâ removendos, & ex Urbibus expellendos: ſed etiam, latis legibus, intra Monachorum clauſtra redigendos, & Ordinariorum juriſdictioni (hoc enim a nonnullis additur) ſubjiciendos, conſulunt. Videntur & hi aliquantò longiùs progredi, quibus ego, ad vitandam majorem invidiam, omninò parendum ſuaderem: ſi ulla ſaltèm conſilio huic ſpes ſubeſſet. Sed hanc ſequentia mihi in univerſum præcidunt.

Tertii conſilii vix ullus effectus ſperandus.

Primùm, Jeſuitas ità animatos eſſe, certò novi: ut omnia potiùs moturi, omnia turbaturi ſint; quàm ut ſplendoris & exiſtimationis illius, quâ ipſorum Ordo hactenus, ſupra reliquos Religioſorum ordines, ipſumq; Clerum univerſum, eminet, vel minimam jacturam ſubeant. Jeſuita autem, ſi ex Aula excludatur; ſi in verſando Reipublicæ clavo non omnibus aliis præpolleat; ſi à publico ità arceatur, ut clauſtro incluſus, alium, quàm proprium militiæ ſuæ ducem, ſuperiorem agnoſcere cogatur; ſi denique omnium arcanorum explorandorum occaſio ei adimatur: à ſummo ad infima ſibi redactus videbitur; ut qui jam nil ampliùs, quàm vulgaris Monachus, futurus ſit. Quod dedecus gens iſta non mitiori indignationis affectu averſatur; quàm ſi Nobilis aliquis, Regniq; dignitarius, ſubitò in abjectiſſima Plebis cenſum detrudatur. Cœlum itaque potiùs ruere patientur; quàm ut hanc in ſe ignominiam admittant.

Eſto tamen, ut hîc eos patientiores offendamus; quàm ego ſperem. Quæro igitur ſecundo loco: Quibus vinculis eos conſtricturi ſimus? Certis legibus, *inquies*; publicisque conſtitutionibus. *Benè dicis: egoq; fateor, hæc juſta eſſe in Foro politico, coërcendæ libidinis media; quantúmvis hactenus per illa non pro ſpe profecerimus. Verùm hîc ulteriùs quærere cogor: Ec-cui hujusmodi legũ & conſtitutionum, ſi quæ factæ erunt, exſecutionem commendaturi ſimus?* Ordinariis locorũ, *reſpondebis. Ego verò agnoſco, ad ipſos munus hoc, ex Regni legibus, ſpectare. ſed quid, ſi ipſi tàm odioſam provinciam recipere nolint; aut, excommunicationis Pontificiæ metu, non auſint? Veruntamen, ſive recipiant, ſive repu-*

Jeſuitiſmi incluſi anceps & periculoſa cuſtodia.

repudient: ne sic quidem Reipublicæ securitati prospicietur. Primùm enim antiqua illa disciplinæ severitas apud nos hodiè multùm remisit; quâ apud Romanos olim Parentes de Liberis, si fortè in Rempublicam peccâssent, supplicia sumebant. Verendumq; propterea erit, ne optimo cuiq; ex hoc Ordine, & qui aliàs in Rempublicam rectè affectus est, illud in hac custodiâ, vel imprudenti, accidat; quod Vir ille Dei, 3. Reg. 20. in historiâ Achabi, sibi evenisse fingit: ut, dum ipse aliis rebus intentus est, captivus, cujus custodiam susceperat, aufugerit. Deindè, experientia testatur, Ordinarios locorum hactenus magis Jesuitis parére, & obnoxios esse; quàm quòd hi illorum auctoritatem, aut jurisdictionem, multùm curent. Quin-imò hi pro Episcoporum pædagogis se gerunt: quos etiam, ut Aulæ Romanæ Corycæos, metuere & observare coguntur. Qualem ergo coërcitionem ab iis exspectare poterimus? Jesuitæ superiorum Prælatorum pædagogi.

Tertiò, sic dico: Quodcunq; de his omnibus fiat; nos tamen, contra gentem hanc, legibus nostris nihil profecturos. In quo me experientia ipsa jam erudiit. Quid enim? Confœderatio publica *an' non Lex est? an' non Constitutio est? an' non Polonorum jus est, publicis Regis & Nobilitatis juramentis sancitum & confirmatum? Sed quid per hanc eandem hactenus, contra hanc pestem politicam, proficimus? An' non rabies ista, per hoc efficacissimum (sic quidem Majoribus nostris videbatur) remedium, irritata potiùs est, quàm cohibita? Quàm petulanti linguâ, styloq; Satyrico, livor iste hoc salutare institutum incessit, deridet, & exsibilat? Tam laxum & molle capistrum Dæmon iste tàm impatienter fert. Quâ igitur ratione arctius, duriúsve quiddam feret? Cúmq; hoc isti Constitutioni faciât, per quam Jesuitismus propriè non læditur: ec-quid de illis fiet, quas in suam perniciem factas recordabũtur? Et quid tandem Jesuitis nos præscribere tentabimus: cùm suis ipsimet Constitutionibus, quæ contra hanc, de quâ conquerimur, intemperiem, ad speciem inter ipsosmet latæ sunt, non pareant? An' non enim superioris seculi 93. Jesuitarum Superiores, cùm animadverterent, res Gallicas, suorum potissimùm scelere jam fermè perditas; coacto Romæ generali totius Ordinis cõventu, statuto sanxerunt:* Patres Societatis Jesu, cum omnibus, qui Ordini illi adscripti sunt, à causis & negotiis secularibus in universum abstinere debere, &c. *Huic igitur decreto, ec-quomodo hactenus inter nos paruerunt? Sic igitur tandem contra hos etiam concludo: Consultius esse, ut tàm fera Bestia prorsus abdicetur; quàm ut caveæ intra domum inclusa, cum perpetuæ solicitudinis cruciatu, custodiatur.* Confœderatio quàm civiliter hactenus à Jesuitis tractata. Statutum conventûs Jesuitici.

Dixi autem, Jesuitas non solùm expellendos; sed etiam contra reditum omnia diligenter præcavenda esse. *Neq; enim expulsi quiescent; ut non omnem lapidem moveant, quo ipsis redire liceat: ut sic hanc vesti Jesuiticæ injectam maculam vicissim eluant. De quo nos Gallia admonere debet; in cujus Aulâ Jesuitarum absentium practica tantum potuerunt: ut, cùm excussi dentis in ore regio lacuna resarciri nunquam posset; Jesuitæ tamen, reclamantibus Parlamentis, & obnitente prudentissimo quôque, non solùm restituti sint; sed etiam Pyramis illa, perpetrati sceleris æterna index, fuerit demolita.* Morbi causa ità tollẽda, ut ægroto etiam contra recidivam pspiciatur.

Hoc autem inter nos, hac fortassis ratione, omnium rectissimè præcavebitur: Si primùm bona illorum immobilia, in alios usus, ad publicam Regni, præcipuè tamen Nobilitatis, (cui major illorum pars detracta est) utilitatem convertantur. Quod sic commodissimè Bonorum Jesuiticorũ dispensatio.

fiet: Si bonis literis consultum cupimus, quarum videlicet interitum plerîq; sibi per Jesuitarum expulsionem imaginantur; detur opera, ut ex iisdem Cracoviensi Academiæ, de Viris bonis, doctis, & in omni disciplinarum genere probè-versatis, extra ordinem prospiciatur: aut, si ità placet præter hanc, alia intra Regnum Academia instituatur. Deindè, alibi in Regno Scholæ hinc-indè aperiantur: in quibus, non solùm eruditis Præceptoribus, honesta stipendia constituantur; sed etiam pauperibus Scholasticis, iis nempè, qui ingeniis valent, sed propter fortunæ tenuitatem literarum studia commodè prosequi nequeunt, de victu & sustentatione provideatur. Idq; tantò majori curâ; quòd ex Nobilitate etiam omnibus temporibus inveniantur, qui hujusmodi studiorum subsidiis opus habent. Et hæc ego, districtuum in Regno, ceu publica Gymnasia esse vellem: quorum cura & inspectio certis ex Nobilitate, utriusque ordinis Viris, & qualificatis personis, commendari posset. Hoc si fieret: Juventuti nostræ, quæ in spem honorum, & ad Reipublicæ ministeria educatur, cum pietate & bonis literis, Patriæ, Legumq; patriarum, & reverentia à teneris implantaretur; & Reipublicæ de Viris idoneis ad eum modum prospiceretur: ut eidem, ab Exterorum factionibus & insidiis, minus periculi esset. Jesuitarum etiam expulsorum desiderium, si quod erit, intra paucos annos prorsus evanesceret, & obliteraretur.

Militum emeritorũ Nosocomia.

Tertiò, si quid superest, (ut omninò superfuturum puto) publica ex eo Nosocomia instituantur, in eorum usum; qui in bellis se pro Republicâ strennuè gesserunt: & vel vulneribus debilitati sunt; vel, per ætatem, militiæ labores non ampliùs perferre possunt, &c. Ut hæc militaris virtutis quasi asyla constituantur: ubi benè-meritorum, & emeritorum, illa non-turpis senectus honestè & liberaliter sustentetur. Cujus sanctissimi & utilissimi instituti exempla in Urbibus Belgicis me videre memini. Cujus etiam specimen nobis præbuit laudatissimæ memoriæ Rex Stephanus; quando Warsaviæ hujusmodi, pro debilitatis militibus, Xenodochium instituit, & dotavit. À cujus tamen præclarâ, & planè-regiâ voluntate, & intentione, nimis citò recessum est. Nec ego video, quomodo Jesuitarum bona vel sanctiùs, vel utiliùs, collocari queant: ità nimirùm, ut, quæ semel piis usibus destinata sunt, iisdem maneant; & ipsius interim Nobilitatis damnum, quod à Jesuitis Jesuitarumq; artibus se accepisse queritur, aliquo modo resarciatur: & sic Reipublicæ commodis utrobique optimè consulatur.

Statutum de Jesuitis non-revocandis.

Factâ ad eum modum bonorum Jesuiticorum dispensatione, per peculiare Statutum, sub infamiâ, aut aliâ aliquâ severâ pœnâ, interdici posset: Ne quis primùm, de revocandis aut admittendis Jesuitis, ullo tempore, publicè aut privatim, mentionem facere ausit. Néve deinceps ulla ex Regno Juventus, nobilis præsertim, (à cujus salutari institutione Patriæ salus pendet) ad Jesuitas extra Regnum se conferat, iisdemq; se disponendam committat: ne, dum domi in expurgando Jesuitarum fermento laboramus, illud ab extrà nobis nihil tale suspicantibus obrepat.

Typographis frenũ injiciendũ.

Tandem opinor diligenter provideri oportere; ne per Officinas typographicas talia in publicum spargantur, quæ præsenti Reipublicæ statui, & Regni hujus libertati, quocunque modo adversantur. Qualia nimirùm illa hactenus fuerunt, quæ Jesuitæ adhuc, sub modernæ Regiæ majestatis Regno, Cracoviæ, & alibi, contra Confœderationem publicam, in vulgus ediderunt. Talia, inquam, quæ per ipsorum jugulum reditura fuissent: si Legum publicarum is vigor, ea observantia, in Poloniâ esset; qualis in benè-constitutâ Republicâ

esse

esse debet. Ubi tamen vafricies ista hoc insuper dolo utplurimùm usa est: ut hujusmodi pestilentia scripta, sub alienis, certorum nimirùm Prælatorum, nominibus, emiserint. ut nimirùm, hac ratione, universum Clerum in invidiæ publicæ consortium pertraherent, & disperso in plures facinore, ejus vindicationem Reipublicæ difficiliorem facerent.

Hac, inquam, ratione, si in Matris nostræ, Reipublicæ Polonicæ, curatione procederetur; ità nimirùm, ut, in hujusmodi processu, Sororum ejus Europæarum antegressa vestigia intentè observaremus: tùm demùm, de mediationis successu, spem aliquam mihi imaginari, & Vobis etiam, viri Proceres, polliceri possem. Sic etenim peregrinismum illum, (ut ità loquar) à quo nobis non abs re metuimus, inter nos eradicatum, & penitùs obtritum iri, considerem. ut ipsum primùm Clerum (cujus, ad efficiendum Statum publicum, permagnam vim esse, nôstis) commodiorem, & publicarum Legum, sicut & patriæ Libertatis, studiosiorem simus experturi; quàm hactenus eum, in rebus maximi momenti, experti sumus. Deindè, si in Reipublicæ administratione, circa rerum Polonicarum caput, aliquid vitii apparuit, aut negligentiæ aliqua nota fuit deprehensa: opinor, & illud, remotâ hac corruptelâ, paulatim emendari posse & restitui; idq́ꝫ citra omnẽ tumultum & perturbationem. Tandem, in ipsâ etiam Aulâ, illud factionum studium, quod hactenus Justitiæ valde inimicum sumus experti, paulatim residebit, & extinguetur: sublatâq́ꝫ & quasi obstructâ hac capitali diffidentiæ & publicæ indignationis scaturigine, omnes Regni partes & ordines, sub unanimi pacis studio, denuò inter se coalescent; & sic tandem Reipublicæ totius corpus pristinæ sanitati restituetur. Quamdiù verò hoc negligetur: nostris Legibus, Constitutionibus, Confœderationibus, Congregationibus, nil ampliùs efficiemus; quàm ut, irritato malo, Reipublicæ scissuram amplificemus: dum ignis, qui ad momentum sopitus videbitur, denuò erumpens, majorem fragorem edet.

Hæc sunt, Viri Poceres, quæ in præsentiâ, de Rerum nostratium statu, ejusdemq́ꝫ correctione, mihi in mentem venerunt; quæq́ꝫ vestro judicio subjicere volui. Si quæ autem, præter hæc, desideraveritis: illa vel aliundè petere, vel eorundem disquisitionem in aliud tempus differre poteritis. Valete Deo, Patriæ, Vobis Nobisq́ꝫ.

Negotium in Moscoviâ, cujus in præcedente Consilio facta est mentio, ità se habet.

Mortuo Basilide, Magno Duce Moscoviæ; & alio jam in ejus locum electo: Jesuitæ DEMETRIUM quendam, qui, in Poloniâ cùm agens, ipsis supra modum favebat, subornârunt; & variis artibus ac fraudibus, tanquã Basilidis filium, adeóque legitimum Regni hæredem, intrudere sunt conati. Hic igitur Demetrius, apud Regem Polonię diligenter instando, ac Jesuitis eum strenuè adjuvantibus, tandem obtinuit: ut auxiliares sibi copiæ, adversùs Moscoviæ Ducem, decernerentur. Moscus, sibi non parùm ab illis timens, insigni usus strategemate, Regni sui aliquam partem Demetrio possidendam obtulit: cumque ille occupatum illam venisset, facto per insidias in eum impetu, ingentem stragem edidit; devictumque Demetrium cepit, ac in potestatem suam redegit. Iste verò, captatâ occasione, custodiâ iterum liberatus, collecto novo exercitu, copias Magni Ducis fudit; & aliquot arces celeriter occupavit; ac tandem Regno illo toto potitus est. Post aliquod verò tempus, à Subditis

Jesuitæ novũ Moscoviæ Ducem creant:

ditis ſuis trucidatus, occubuit. Suborta enim in multorum animis ſuſpicio erat,quòd Jeſuitis, ob navatam ſibi & præſtitam fidelem operam,vehementer faveret,aliisque non obſcuris indiciis, eum non Baſilidis filium eſſe, quem ſe venditaverat; ſed dolis & impoſturis Jeſuitarum,ac vi ſuâ, in Regnum intruſum eſſe. Hinc ergo,cùm,Jeſuitis eum adhortantibus,religionem & ceremonias Moſcovitis receptas, mutare inciperet; & Polonis, quos magnâ copiâ ſecum adduxerat,plùs,quàm Moſcovitis, exhibere honoris videretur: neque etiam, conſueto ejus loci more, copulationem ſuam matrimonialem à Patriarchâ illo fieri vellet; ſed Jeſuitam ſacra & ſolennitates perageret: tantam in Subditorum animis commotionem excitavit, tantumque in ſe odium provocavit: ut congregati magno numero, cùm finitis nuptiis genio Dux indulgeret, multoſque Polonos & Jeſuitas convivio excepiſſet, irruptionem ex improviſo in Palatium ejus fecerint; eumq; cum omnibus Polonis & Jeſuitis ſuis,trucidârint. Quem rumorem,de occiſo Demetrio,& turbis in Moſcoviâ excitatis,factio Jeſuitica aliquamdiù ſtudioſiſsimè compreſsit: ne veritas deprehenſa, Polonis artes eorum magìs ſuſpectas redderet; majorémve tumultuandi materiam ſubminiſtraret.

ſed infelici admodùm ſucceſſu.

Ordinum Regni Poloniæ querelæ de Jeſuitis.

Ab eo tempore etiam, quomodo Jeſuitæ adhuc in Poloniâ ſe-ſe geſſerint; illud è ſequentibus querelarum capitibus, quæ Regni illius Ordines,in nuperis quoque Comitiis Varſavienſibus, hoc anno 1626. celebratis, contra ipſos Jeſuitas,eorumq; pernicioſa ac doloſa conſilia, denuò moverunt,facile eſt videre. Ut primò: *Quòd Rex,contra ſalutares Regni Poloniæ conſtitutiones, totius Regni adminiſtrationẽ Jeſuitis permitteret.* Secundò: *Quòd Rex, Jeſuiticis conſiliis ad id impulſus,Primogenito ſuo ex priore connubio præterito,hujus ſecundæ Conjugis primogenitum, in futurum Regem, ab Ordinibus deſignari, petiiſſet.* Tertiò: *Quòd Jeſuitæ Regem,Regnumq; illud electitium periculoſis ſuis artibus,prætextu Religionis Catholico-Romanæ propugnandæ ac propagandæ, externis bellis, quæ non modò ad conſervationem commodi & honoris Regni Polonici nihil pertinerent; ſed etiam in ſubverſionem aureæ & inæſtimabilis Libertatis illius, jurisq; electivi,directò tenderent, huc-uſq; implicuiſſent; atque etiámnum implicare ſtuderent.* Quartò: *Quòd ipſi Jeſuitæ, interea dum Rex, fraudulentis eorum conſiliis circumventus, peregrinis & externis bellis ſe-ſe immiſceret, (quo-ipſo ſimul etiam opes atque vires Regni inutiliter conſumerentur & imminuerentur) plùs quàm tertiam,eamq; meliorem Regni partem,publicis uſibus Regni,totiusq; Populi Polonici,ſub falſo Religionis prætextu,ſubtraxerint; inq; proprios ac peculiares ſuos uſus atque voluptates converterint: cùm interim è diverſo,& ex alterâ parte,Regnum Suecis,Tartaris atque Turcis, tanquam externis hoſtibus illius, crudeli prædæ factum & expoſitum fuerit.* Præter alios complures articulos & argumenta; quibus Ordines Regni iſtius neceſſariò exiſtimarent, Jeſuitas totâ Poloniâ,per Regem, & quidem in perpetuum,relegandos & exigendos eſſe.

Jeſuitæ Univerſitati Cracovienſi controverſiã movent.

Neq; etiam ſilentio hîc prætereunda eſt Controverſia,quam Jeſuitæ Univerſitati Cracovienſi anno 1622.moverunt. Quantúmvis enim illi, jam in Urbe illâ, & Domum Probationis, & Profeſſam,(uti vocant) haberent: his

tamen

tamen minimè contenti, omnibus modis id egerunt, ut Collegium quoque inibi excitarent; in quo publicè docentes ac disputantes, sensim in Academiam quoque illam, prout aliis multis locis ab eis factum, se-se insinuarent, juraque tandem illius invaderent, atque ad se raperent. Quod quia sæpiùs frustrà tentatum antehàc fuerat: commodissimam demùm ejus potiundi occasionem sibi datam arbitrati, quo tempore militi suo Lojolæ, Pontificiâ ἀποθεώσει, unà cum Xaverio socio, in Divorum infernalium numerum relato, sacra solennia facerent, publicam Disputationis cùm Philosophicæ, tùm Theologicæ, actum instituere, eoq;, sub- & obreptitiè, possessionis academicæ jus aliquod sibi quærere, conati quidem; sed Academiæ vigilantis, ac solenni protestatione actum illum impedientis, intercessione, sunt prohibiti. Quæ res tantoperè ipsis doluit: ut contumeliosâ Reprotestatione se-se de Academiâ vindicare, ac per fas nefasque cum instituto suo perrumpere instituerint; sicq; etiam Academiæ, jura privilegiaq; sua magis seriò defendendi, necessitatem imposuerint. uti ex sequentibus publicè-actis scriptisque fusiùs apparet.

REPROTESTATIO P. P. SOCIETATIS JESU, CONTRA UNIVERSITATEM CRACOVIENSEM,

ad Protestationem, per eandem Universitatem institutam, de usurpatione Studii, ac Disputatione à dictis Patribus factâ.

Anno Domini 1622. die Jovis, 28. Julii, Reverendus Pater Valentinus Ruscovius, Procurator infrà-scriptus, præsentem Protestationem coram me novam exhibuit; & requisivit, ut eandem Magnifico & admodùm Reverendo Patri, Rectori Universitatis, intimarem, & super his instrumentum conficerem; præsentibus venerabilibus Dominis, Johanne Pravvicz, Altarista Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, & Hieronymo Gutkovvsky, Altarista Ecclesiæ Parochialis Beatæ Mariæ Virginis Cracoviæ, testibus.

Ego VALENTINUS RUSCOVIUS, Procurator Provinciæ Poloniæ, Societatis Jesu, nomine Reverendi Patris Georgii Tyskiewicz, Præpositi Provincialis ejusdem Societatis, & ipsius Societatis, coram vobis, Domino Notario publico, ac testibus hìc præsentibus, ad perpetuam rei memoriam, & ad omnem bonum & necessarium effectum, omni meliori modo, quo licet & opus est, salvâ integrâ charitate, ac benevolentiâ sinceræ dilectionis, erga Universitatem Cracoviensem, & omnes ac singulos ejus Professores ac Studiosos, eiq; adhærentes, propono & dico: Quòd hoc anno 1622. mensis Julii die 13. horis pomeridianis, dum, more in Capitulis Provincialibus servari solito, ab aliis ordinibus regularibus, & monasteriis, in simili conventu seu congregatione nostrâ Provinciali, quam nostra Societas statutis temporibus, propter privata sua negotia, habere solet, Disputatio Philosophica, ab uno è Societate nostrâ Religioso, intra domesticos parietes haberetur, & pacificè, cum assistentiâ Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Laodicēsis Episcopi, ac Suffraganei Cracoviensis, & Illustrissimi Domini Generalis Capitanei Cracoviensis, & variorum Dominorum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cra-

coviensis, nec-non aliorum Nobilium, & plurimorum Auditorum diversi status, esset inchoata; quidam Domini Professores Universitatis Cracoviensis, cum Notario publico, à Magnifico & admodùm Reverendo Domino Rectore dictæ Universitatis, (uti dicebant) venientes cum scriptâ Protestatione (ut posteà agnitum) multis injuriosâ, & rebus non-veris respersâ, jurisdictionemque Universitatis ad ea, ad quæ nullam habet, nec unquàm habuit, imprudenter & variè extendente, meritóque tunc à Patribus Societatis Jesu non receptâ, sed rejectâ, religiosi domicilii immunitatem, quietem, & pacem, ecclesiasticis Canonibus, summorum Pontificum decretis & privilegiis, Regiâ authoritate stabilitâ, violârunt ac perturbârunt: inchoatam Disputationem, nulli injuriosam, nemini præjudicantem, in jurium & privilegiorum Universitatis Cracoviensis præjudicium non institutam, consuetudini omnium Ordinum & Religiosorum ubiq; terrarum usitatæ, laudatæ, & receptæ similem, Sedis Apostolicæ iteratis etiam Privilegiis fundatam, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Cracoviensis, loci ordinarii, & dictæ Universitatis Cancellarii, menti conformem, dissipare conati sunt, sermone primum & scripto; porrectâ, licèt non acceptatâ, Protestatione, præ se ferente manifestum Sedis Apostolicæ, ejusque Privilegiorum, nec-non authoritatis Regiæ, contemtum, injuriamq; sancti Domicilii, & Collegii S.Petri, à Serenissimo Rege, ac Domino nostro clementissimo, Sigismundo III. Patribus Societatis in hac Urbe, in sanctæ Ecclesiæ ac Reipublicæ bonum, fundati & erecti, & offensionem nobilissimorum Virorum præsentium, danteque magnum præsentibus scandalum, & occasionem ad seditiones & tumultus sanguinarios. Et hoc non contenti suprà-dicti Domini Academici, per quendam Magistrum primùm; deindè per Sapientem (ut vocant) Universitatis, aliquoties voce elatâ, nomine suprà-dicti Magnifici, & admodùm Reverendi D. Rectoris, jusserunt, sub pœnâ Excommunicationis, (licèt sinè ullo jure ac robore,) Auditores è loco Disputationis discedere: quanquam irrito conatu, & contemtum (justo Dei judicio) variæ usurpatæ seu prætensæ, eo in loco & actu, authoritatis & jurisdictionis, adferente. Deindè, finitâ Disputatione, in Auditorum nobilissimâ & frequentissimâ coronâ, quam locus sat amplus capere non poterat, variorum, præter alios suprà-commemoratos, Universitatis Magistrorum, Baccalaureorum, aliorumque Studiosorum, honorificâ præsentiâ condecoratus; quidam ex Alumnis seu Studiosis Academiæ, ipsis benè-noti, ad incrementum inchoati tumultûs, multiplicis injuriæ, sæpiùs Theses Philosophicas, & Theologicas, à portis dicti Collegii & Templi S.Petri, violentè ac tumultuariè, injurioséque, cum scandalo Hæreticorum & Catholicorum, avulserunt, lacerârunt, combusserunt: Domicilium S.Petri, Templo adjacens, à Serenissimo Rege Patribus Societatis Jesu, in eorum Collegium, emtum ac donatum, sæpè lapidibus nocturno tempore invaserunt; fenestrasq; aliquot, iis è plateâ publicâ, violentè & studio nocendi jactatis, confregerunt. Posteà Theses Theologicas, ex summâ doctrinâ Theologicâ S.Thomæ Aquinatis excerptas,

cerptas, ipsis valvis interioribus Ecclesiæ Regiæ, SS. Apostolis Petro & Paulo erectæ, affixas, sæpè avulserunt, manibus primùm; deindè, cùm altiore loco essent appositæ, ferreo quodam instrumento, impetu facto, abstraxerunt: idq; dum Sacrificium Missæ Domino offerretur, maximâ Populi frequentiâ, sacras novorum SS. Canonizatorum, nuper cum publicâ in locum Cæremoniâ illatas, colentis. Hoc non contenti, alias Theses, avulsarum loco fortiùs affixas, majore vi atque impetu aggresi, luto ac sordibus consperserunt; tantâ violentiâ eas conati avellere: ut etiam, in eâ violentiâ, lapidem è Templi interioris pariete tumultuariè extruserint, alioqui validè adhærentem muro, & benè-impactum; cum magnâ, Dei inprimis, Sacrificii Missæ, Sacri loci, Regisq; Serenissimi, injuriâ atque contemtu; nec-non cum manifesto scandalo, & certissimâ occasione ad seditiones lethales cædesque, per hos injustos invasores datâ. Postmodùm, die 17. Julii, dum in Ecclesiâ dictâ SS. Petri & Pauli, præsente Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Laodicensi, ac Suffraganeo Cracoviensi, & Domino Generali Capitaneo Cracoviēsi, aliisq; Dominis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, plurimâque Nobilitate, & aliorum omnium Auditorum frequentissimâ præsentiâ, inchoata est & Theologica Disputatio, eâdem occasione Congregationis Provincialis, (quæ tunc finem accipiebat,) & nullam aliam ob causam; (utì etiam disertis verbis, 8. Julii, longè ante primam Disputationem, significatum fuit, à Reverendo Patre, Rectore Collegii S. Petri, per duos Professores, à suprà-dicto Magnifico & admodùm-Reverendo Patre, Rectore Universitatis, ad eum missos) quidam DD. Professores Universitatis, aucto suorum numero, eo ferè, quo 13. die, modo venerunt; turbantes novâ Protestatione suâ, & exclusione Auditorum ab eâ Disputatione per Sapientem Universitatis proclamatâ; & violantes pacem & immunitatem Loci sacri, & Disputationis quietem, cum Dei inprimis, & Loci sacri, ac Serenissimi Regis, injuriâ, contemtu nobilissimorum Auditorum, gravi scandalo omnium, & magnâ occasione per eos datâ ad seditiones, & tumultus, & cædes, omnemque pacis, quà privatæ, quà publicæ, perturbationem. Quocirca de his omnibus ac singulis, coram vobis, Domino Notario publico, & testibus præsentibus, protestor, & reprotestor, nomine quo suprà, omni meliori modo, quo licet & opus est, tanquam de multiplici injuriâ, illatâ Deo, Loco sacro, Sedi Apostolicæ, Serenissimo Regi, PP. Societatis Jesu, aliisque temerariè, injustè, sinè ullâ justâ occasione ab eis datâ; salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, &c. prout jus & stylus judiciorum permittet, &c. Salvâ inprimis sincerâ charitate ac benevolentiâ PP. Societatis Jesu, erga Universitatem Cracoviensem, omnesque ejus Professores & Adhærentes. Anno Domini 1622. die 28. Julii.

VALENTINUS RUSCOVIUS, Procurator Provincialis Poloniæ Societatis Jesu, manu propriâ.

AD REPROTESTATIONEM JESUITICAM RESPONSIO PRO ACADEMIA CRACOVIENSI.

Legi Scriptum Patrum Societatis Jesu, contra Universitatem Cracoviensem, scriptum famosum, mordax, rancoris & amaritudinis plenum: legi, inquam; & miratus sum, talia à Societate proficisci illâ, quæ se in summo perfectionis positam jactat; quæ se magistram morum, & reformatricem Mundi, profitetur. Quid faciemus nos cæteri, qui ab eâ exempla vitæ exspectamus; si talia nobis dantur? O charitas, quàm malè habes, malo hoc ævo! quàm inanis tui imago, non nisi oculos hominum fascinat; ubi vel maxima esse deberes! fucus tui & phalera inanes relictæ nobis: tu, cum bonis Majoribus nostris, candida & simplex virtus, in cœlum abiisti: pepulit te terris superbia, vanitas, contentio. Scilicet, cùm Patres totam Poloniam replêssent suis Scholis, nullam se Scholam habere arbitrati sunt; nisi vetere regiâ, & in hoc Regno principe, eversâ, in speculâ hujus Urbis manducum alicujus Collegioli suis erigerent. Nec satis illis est, tot sua habere; nisi alienum Collegium malis artibus occuparent. Charitati se studere, *inquiunt. An non magnum ejus exercendæ theatrum, est Regnum hoc amplissimum: cùm charitati plerunque aliquid minus sufficiat? Quòd si ambitioni, & vanæ gloriolæ: illi nec Cracovia, nec quicquam suffecerit. Ad terminum ergo Scholarum properant; & caput illis hîc erigere conantur. An, quia in suis jam desierunt, hîc incipere nequicquam sperant? Caput Regni est Cracovia: caput Scholarum Jesuiticarum decet ibi esse! Si deceret Societatem, quodcunq; pulchrum & magnum alienum invadere & involare: Deum ego & nomen Jesu tremendum testor, nullam causam nos huic cupidini Patrum præbuisse: atque adeò eos nullam aliam habere, quàm insolentiam ambitionis; quò evasuram, ille scit, qui & ejusmodi libidinem vindicabit.*

Jam quod ad Protestationem attinet: testis mihi veritas sit, an illi eâdem necessitate adacti sint, ad famosum, calumniosum libellum contra Universitatem vulgandum; quâ Universitas ad Protestationes: quæ scilicet defensionis causâ sunt factæ; & ut Privilegia regia, beneficentiaq; Domûs Jagellonianæ in Academiâ, conservaretur. Patribus verò defensionẽ, jure naturali concessam, pro injuriâ accipientibus, & contumeliosè differentibus: testor Jesum, charitatem illam, cui abscondita cordis patebunt in die novissimâ, acerbiùs, contumeliosiùs, magisq; falsè non potuisse ab eis exagitari homines ab Ecclesiâ rescissos, quàm nos, corpus & sanguinem suum: ut jam fidem charitatis, in persequendis sectariis servandam, etiam in admonendis suis amiserint. Tempus hoc scilicet illis visum, ejusmodi concertationibus & scandalis opportunũ; dum ira Dei in vitia nostra exardescit, & sævit; dum cum bello, fame, & peste, pugnamus: mordeamur consumemurq; ad-invicem, quotquot à flagellis Dei superfuimus. Non ità Parentes nostri, illi boni & candidi: qui alter alteri conciliari, noxas dimittere, & orationibus placando furori divino incumbere, consueverant. Dum verò Academia, ejusmodi contentionibus & scandalis nullam occasionem dedisse, coram Deo & Angelis ejus testatur: videant Patres, ne ibi extremam confusionem ferant, pro gloriolâ hujusmodi quam aucupantur.

Ut verò rem, ut est, benevolo Lectori aperiam: malum hoc odii Societatis in nos effusum est, tùm, quòd, rogati ab eis, pompæ Canonizationis S. Ignatii non interfuerimus: tùm,

tùm, quòd clandestinis machinationibus eorum de inchoando studio Cracoviæ, publicè, palam, & candidè, obviàm ivimus. Non interfuimus pompæ (inquam) D. Ignatii, rogati ab eis: cùm postmodùm solennitati B. Teresiæ, magnâ frequentiâ, adfuissemus. Hoc Patribus dolet. Sed eâdem operâ, omnes civitatis hujus Religiosos ordines, omnem Clerum insectentur: qui rogati itidem, vel nulli, vel rari, ad ornamentum illius triumphi confluxerunt. Quâ caussâ, quo animo, id alii fecerint, non disputo. Academicis pro ratione voluntas satis esse potuit; ubi nulla fuit agendi necessitas. Sancti vestri ornandi erant, *inquietis? Ab hac verò officiositate, communi omnium consensu & exemplo excusari poteramus. Sed quid, si illa Religio nova, res novas contra Academiam excitabat? Si in illâ pompâ hamus erat, quem nos in perniciem Scholæ Cracoviensis voraremus? Si, sub illo pallio pietatis, latebat præsens periculum & pernicies? Nimiùm imprudentes fuissemus; si artibus vestris, jam probè exploratis, concessissemus. Dominus illius domûs, quam incolitis, anni sunt plùs-minùs quinquaginta, cùm non posset obtinere à vicinâ domo Academicâ, ut sibi parietem, officientem illius lumini, erigere liceret: ad artem conversus, Præfectos vicinæ domûs invitat ad epulum, tractat, retinet; ac, dum illi immorantur indulgentes genio, convocatis undequaque fabris cæmentariis, parietem, quantum opus fuerat, profert: arteq; id, quod jure non poterat, obtinet. Successistis vos in locum & stratagema: occupatisq; vestræ pompæ solennitatibus Academicis, nec rei suæ advigilantibus, parietem novæ Scholæ, contra veterem, proferre cogitabatis. Sed ut Lector meliùs intelligat, quæ controversia inter nos & Patres huc-usque fuerit; quæ mater talem filiam, qualis est vel Protestatio Jesuitica, genuerit: paucis interim attingo.*

Elapsis annis, Patres omnibus modis in id incumbebant, capitaq; Regni eò inducebant; ut sibi Studium universale Cracoviæ, atque adeò Academiam, quæ esset in Regno princeps, excitare liceret. Multis illi rationibus & modis id obtinere conati sunt: & antè, quàm obtinerent, summâ cum fiduciâ sæpè per totam Poloniam vulgârunt, jam se Collegium Cracoviæ habere; jam eò Juventutem confluere; Professores tales & tales docendo ibi designatos. Movit hæc insolentia Academicos; ut conatibus eorum palàm obviàm irent. multa hanc in rem ab illis acta; multùm negotium hoc agitatum, apud Illustrissimos Regni hujus Senatûs Principes, Serenissimumq; & Clementissimum Dominum nostrum: oratum ab eis, & supplicatum, ne ovis hæc Regni hujus unica, Collegium Cracoviense, occideretur; & hominibus opulentis, tot Collegiis florentibus, in epulum apponeretur. Implorati divi manes Proavorum suæ sacræ Majestatis; inprimis verò D. Jagellonis: qui, post multa ornamenta, & prærogativas Scholæ huic concessas, dirâ exsecratione Posteros suos obligavit; ne suam hanc filiam violare & attingere auderent. Fortè ejus exsecrationis, per Patres contemtæ & violatæ, diris totum Regnum affici: cùm publicis & privatis calamitatibus se-se explicare non potest, ab eo tempore; à quo Jesuitæ suffodere non cessant religiosa Musarum templa, à D. Jagellone fundata. Esse in cœlis locum justitiæ, esse pietati; eamq; Academiam implorare in terrâ, pro salute suâ & incolumitate, contra libidinem & petulantiam alienam: cui quantúmvis plurimum des, nunquàm satis est; nisi alienum accipiat. Plures se doctos genuisse, unico Collegio, triginta, quàm Patres, quinquaginta annis, triginta Collegiis. Fidem se appellare illius seculi verè-literati, quòd Patres, in Poloniam venientes, hîc invenerunt; & à quo melioris sui Ordinis animas, in

Academiâ certè institutas, commodârunt. Suos fœtus esse Hosios, Cromeros, Orichovios, Socolovios, Patricios: *contra quos vel unum his similem à Patribus postulare. Non invitam se dedisse Societati* Herbestos, Grodzicios, Scargas, Laternas, *& cæteros: quorum similes, hoc avo, degeneres Patrum Scholæ nunquam proferent. Scilicet se literas, ut immensas, tractare; non limitibus, cancellis inclusas, vulgò venditare. Vitam duntaxat scientiis dari debere, Academicum est: porrò, tribus quatuórve annis illas disci, Societatis. Utq; hoc Patrum, nec perennare posse, & propiùs excidio literario esse: ita illud Academicum vetus studium, contentionem fovere, ingenia excitare, in summumq; apicem literarium efferre. Multum interesse inter id sapientiæ, quod populare dicimus, mulierculis gratum; & illud solidum, excelsum, paucis & magnis notum, veraq; gloriæ vicinum. At florent duntaxat Patres? Utinam non efflorescant! Principia omnium rerum sunt ad speciem: sed ex maturitate, & soliditate, earum usum æstimari prudentibus. Periculum esse Academiæ factum, & expertam ducentis ampliùs annis virtutē, temere cum novitate Patrum commutandam. Testari totum hoc Regnum Academiam, an per ducentos annos rem alicujus expetierit? an rapuerit? an fraudi alicui & nocumento sciens fuerit? an non suum potiùs amittere & omittere, quàm alienum invadere, illi potius fuerit? Orasse se Patres, ut, suâ felicitate contenti, pauperie Academicâ abstinerent; exorare nihil potuisse. Clàm, palam, cominùs, eminùs se peti; quietemq; literariam, quâ nihil charius, ab hominibus inquietis turbari. Prudentiores & æquiores sibi fuisse majores illos Patrum: nunc filios pro eis natos, homines turbidos, ignorantes, meliùs an deteriùs Societas habebit, si Scholam Cracoviæ erigat, modum cupidini imponere nolle.*

Ne multis rem agam: Serenissimus Princeps, Majoresq; Senatûs Poloni, Legatis Academicis responderunt: Nunquam se in animo habere, ut vetus Schola, a Regibus Poloniæ fundata, detrimentum aliquod patiatur; neq; licere Societati, Scholam contra Scholam, Cracoviæ, altare contra altare, (ut vocant) erigere. Hinc jam Patres duo conari obliquè. Alterum: Ut sibi docere liceret Cracoviæ, sui Ordinis Juventutem, quomodo Ordines cæteri Religiosi docent. Alterum: Pollicebantur se daturos operam, ut Academicis Professoribus jungantur; in unumq; corpus coëant, unamq; literariam provinciam efficiant. Utrumq; horum porrò in exitium Scholæ Cracoviensis cudebatur. Nam illud quidē certum erat, Societatē nihil commune cum aliis religionibus in docendo habere: cæteros omnes Religiosos suorum caussâ profiteri; illos extraneorum. hancq; naturam & sacramentū suæ religioni esse: & hinc, qualiscunq; docendi rimula aperta fuerit, minimè quieturam; sed torrentis instar erupturam: emissariis suis potissimùm nihil jam agentibus, instātibus, magisve sibi obnoxios sollicitantibus; quàm ut, occupatâ Scholis suis Poloniâ, Urbem regiam, deletâ veteri Academiâ, invadant, jurisq; sui faciant. In Galliam recepta Societas, sub duris conditionibus, quantum illis arctata est; tantum, posthabito earum nexu, quidvis in præjudicium Scholæ Parisiensis tentavit, & artibus suis perfecit.

Illud verò de unione cum Academiâ, multò periculosius erat: si, attractis in partem Jesuitarum aliquibus Academicis, communis rei cura & concordia dissolveretur, & res ipsa periret. Quâ in parte immane quantum laboratum à Patribus! submissi homines callidi, simplicitatem fingere docti, artibus mille instructi: qui animos eorum Professorum tentarent, quos artibus suis magìs capi posse arbitrati sunt. Nec discrimen habitum, cujus notæ,

cujus

cujus famæ ii essent: dum Academici dicerentur, & à partibus Jesuitarum starent. Sed meliores probè videbant, nunquam ritè coalitura studia, & animos Patrum cum suis; quicquid dicerent, promitterent: Unionem eos agere, non aliâ, quam rei suæ augendæ causâ: alii capiti illos subesse; nec obedientiam sacramento devinctam valere excutere; ut uni capiti, & Academiæ Rectori, pareant, unamq; functionem faciant. Institutum utriusq; toto cœlo distare. Academiæ omnia aperta, candida, simplicia: illis clausa, cauta, tecta. A' Jesuitis omnia agi, tractari, quasiq; omnium negotiorum in vitâ eos mercaturam agere: Academicos uni rei devinctos. Principum aulas, & publica quæq;, ab illis: ab Academicis secretum peti, & amari. In ipsâ Professione literariâ, alio fine, alio modo Juventutem institui, in Scholis Patrum: alio in Academicis. Ignem aquæ potiùs jungendum, & Apulis lupis Capreas; quàm filios liberæ cum filiis servæ: terroriq; debere esse nobis aliarum Academiarum vestigia, quæ potentiæ Jesuiticæ junctæ, Societatem illam leoninam expertæ, Posteros monent exemplo suo, ne quid simile faciant.

Videbant ex his ritè Patres, Unionem non successuram; videbāt, authoritatem publicam eorum votis parùm respondere; videbant, se Academiam à fronte aggredi non posse. A' latere ergo petunt: spargunt passim, se studium Philosophicum, Theologicum, certo modo, à pompâ D. Ignatii inchoare velle. Secretum verò inter illos erat, Collegii omnium artium, eâdem operâ, fundamenta & auspicia facere; ubi, eâ de re, anteà solennis consultatio à Patribus Provinciæ haberetur. Pro possessione verò, ut vocant, Collegii & studii capiendâ, Disputationem celebrem Theologicam & Philosophicam, exhibendam, colore vel conventûs, vel celebritatis Divorum ornandæ; Academicos ad hæc dormituros: partem eorum conciliandam, partem metu, vel amore, dissimulaturam commune periculū. Magnam occasionem esse aggrediundæ Academiæ, pallium publicæ lætitiæ, & prætextum religionis. Nil auspicatius Societati posse evenire, quàm si solennitatem sancti sui principis, cum auspiciis principis Collegii in Regno, jungat: alterum alteri præsidio fore; oppugnatores vel metu coërcendos; vel, si hiscant, passim impietatis arcessendos.

Hæc ità à Patribus destinata, exitum non secundum habuêre. Nam pompa Beati Ignatii, cujus majestate sua consilia tegebant, non eum applausum, non frequentiam, non studia Populi habuit, quæ sperabant, à Clero, & ab omnibus Ordinibus religiosis Civitatis, deserta: ut soli Patres, iiq; perturbati, eam efficerent. Jam, quoad Academiam; invitati fuêre Academici ad illam solennitatem. qui cùm didicissent, præter communia Patrum cogitata, eos pro Unione cum Academiâ habituros, & passim vulgaturos; si vel semel in unam pompam cum Academicis coirent: se in unum corpus coivisse: jam Academiam velle Societatem ornare; & vicissim se ab eâ ornari postulare: jam docendi illis facultatem denegare non valere; quibus ornamentum pompæ dedit: confluxisse frequentes, applausisse, & (ut dicam id, quod res est) funeri & exsequiis veteris Academiæ nescientes & dementatos interfuisse. Parabatur convivium conciliandis animis: fiebant cætera, quæ ad speciem vulgo monstrarent, Jesuitas & Academicos jam unum esse. Hæc, & alia, ubi Academiæ Proceres perspexêre, sensêre: quantò magis Patres ambiebant concursum suum; tantò magis illi, temperandum sibi à frequentatione pompæ, & triumphi illius, duxerunt. Pro insanis quippè fecissent; si solennitatem ornâssent, cui, tanquam escæ, hamus inerat rei Academicæ perdendæ. cùm potissimùm magna pars Urbis, solo odio conatuum Jesuiticorum,

rum, & iniquitatis Patrum in Academiam, subterfugeret, & se-se subtraheret à triumphis illis.

Sed enim vos perrexistis destinata exsequi: Disputationem celebrem, alteram Philosophicam, alteram Theologicam, publicatis: ad eas ornandas, quoscunq; potestis, accersitis. Re ad Rectorem Universitatis delatâ, habitoq; concilio, decisum est; Protestationem contra Disputationes vestras faciendam: ne illis scilicet jus Academicum quoquo modo convelleretur; Scholaq; vetus detrimentum aliquod acciperet. Summa Protestationis erat: Jam-pridem vos contra hanc Scholam res novas moliri; contradictum Vobis esse & repugnatum: intercessisse autoritatem magnorum Virorum, ut ne quid contra eam tentaretis. Vos nihilominùs, nescitur quo instinctu, Disputationes publicas, quæ juris Academici sunt, audere facere; conatus veteres resumere; Collegium contra Collegium regium excitare conari. Quæ si ità sint; testari se autoritatem Regiam, & summi Pontificis; ad eosque Academiam provocare. *Hæc ità conscripta per honoratos Professores, intimata vobis, non diffiteor, perturbatis conscientiâ malè-cogitatorum; & eo, quòd conatus vestri in publicum producti essent, negotiumq; patefactum, quod vos sine negotio perfecturos arbitrabamini. Intimatâ Protestatione, Religiosi, quotquot ibi erant; & Juventutis magna pars, ubi vidit, disceptationem illam esse, non tàm de capitibus Philosophiæ, quàm Societatis & Academiæ; confestim eam deseruit: soliq; ii remansêre, qui vel ex Scholis vestris ad pompam confluxerant; vel, impediti scabellorum concatenatione, egredi non potuerant. Vos insuper odio habiti; mussitatumq; contra artes vestras: qui nihil ageretis, quod non in fraudem & detrimentum aliorum esset.*

Successit solennitas Canonizationis B. Teresiæ, à Patribus discalceatis celebrata; Deus bone, quo concursu, quâ congratulatione, quâ frequentiâ omnium Ordinum civitatis! Universus Clerus, omnes Religiones, quæcunq; Cracoviæ Collegia sua habent, nihil non expromserunt; quo Charitatem in Religiosos Patres discalceatos, & devotionem in Sanctam, testarentur. Non pauper, non dives; non cives, non advena, omisit quicquam, quo publicam lætitiam profiteretur, demonstraretq;. Inter cæteros, Academia permultùm pompam illam honestavit: cùm Juventus magno numero, ad funalia gestanda, spontè conflueret: cùm Professores, quotquot erant, in venerabilem coronam convenientes, Majestate Academicâ devotionem religiosam exornarent: solaq; Academia plus splendoris festo illi adferret; quàm quid usquam Societati fuit: qui suâ solennitate confusi, sine ordine & numero decenti, similiorem tumultui, quàm triumpho, pompam egerint. Fremere ad hæc Patres, indignari; posthabitos se & contemtos: Religionem novam studia civitatis in se traxisse: eorumq; documentum ibi præstitum, ubi maximè nolebant: exemplo ad hoc magno Academiam fuisse. Scilicet palam facere Scholam Cracoviensem, se nihil commune cum Societate habere velle; dissensionem apertam & inimicitias profiteri. Succumbendum sibi esse in cogitatione unionis, & concordiæ illius in tantum quæsitæ cum Academiâ; si ea cum quovis potiùs jugum ducere, quàm cum Societate Societatem ullam habere velit. Odio sui, & contemtu, negatam D. Ignatio processionem Academicam; concessam D. Teresiæ: idq; tùm temporis factum, cùm potissimi & principes Societatis Cracoviæ essent, ut non jam cum Jesuitis Cracoviensibus tantùm; sed cum

totius Regni, inimicitiæ ab Academicis agi videantur. Utinam aliud theatrum probro illi, quod tulit societas, datum fuisset; quàm urbs Regia! in quâ (cùm, in cæteris civitatibus Poloniæ, regiè triumphus B. Ignatii actus sit) abjectè, sordidè, & perturbatè, à Societate triumphatum.

Ex his Disputatio publica iterum constituitur, in æde D. Petri: cui solæ mulierculæ Cracovienses adfuerunt, & satellitium, nescitur unde petitum, dicebatur contra Academicos accersitum. De his somniatum & sparsum, quasi ad impediendam Disputationem eâ frequentiâ convenire deberent; quâ ad ornandum diem festum B. Teresiæ convenerant. Iterata Protestatio, pacificè, & sinè ullo turbarum vestigio: dictum Patribus, oratumq; ab eis per charitatem Christianam, per salutem Regum Fundatorum Universitatis; ne quid contra veterem Scholam moverent. Perfecta nihilominùs Disputatio, confusis magìs eo autoribus technarum, (quòd viderent, suas calumnias, de tumultu, modestiâ Academicâ detectas esse) quàm Protestatione. Quid actum sit postmodum à Patribus, palàm non est; nisi id, quod ex Protestatione ipsorum discimus, partu montium natum ridiculum murem: machinationesq;, favore hominum destitutas & desertas, à Deo ipso, metu pestis ingruentis, dißipatas anno hoc; qui similes, præcedenti, terroribus bellicis disturbavit. Dii nos tuentur: Diis pietas nostra & Musa cordi est, nec dubitamus, beatam illam mentem Jagellonis, cum Beato nostro Cantio, pro Collegio à se fundato, ornato, quod tot animas Ecclesiæ Christi peperit, feliciter ad tribunal magnæ Justitiæ postulare, & interpellare.

Quid verò vos Patres? Ne in vanum coiisse, & concursum magnorum Planetarum Cracoviæ habuisse, videremini: cùm non valeretis perficere id, quod esset vestrum: officere voluistis alieno: & commodum vestrum incommodo alterius pensastis. Conficitis igitur Protestationem, detestandis contumeliis plenam. ad illam symbola, ex illo consilio malignantium, quisq; vestrûm pro virili confert: in odium Magnorum ac perniciem, si quis vobis credat, rem Academicam inducere cogitatis; sicq; perdere innocentes. De hac ego Protestatione, famoso & contumelioso libello, coram illâ cœlesti & terrenâ Justitiâ sto; ostendoq;, vos odio Academiæ excæcatos, non tantùm professionem religionis vestræ, sed & Christianam, exsuisse; virulentiamq; talem monstrâsse, qualis in terrâ vix reperiri poßit. Ejus rei ego vos convincam, & reos efficiam. Et, ne ludere videar, caloreq; aliquid dicere: ad quinquaginta intra calumnias, figmenta, contumelias, vanitates, in unâ chartâ Protestationis vestræ (adeò illa dives malæ mercis est) vobis indicabo. Utinam eo vos meliores & quietiores; Academia verò, vestrorum conatuum & machinarum securior efficiatur!

1. Anno Domini 1622. die Jovis, 28. Julii, Reverendus Pater Valentinus Ruscovius, Procurator infrà-scriptus, præsentem Protestationem coram me exhibuit; & requisivit, ut eandem Magnifico Domino Rectori Universitatis intimarem, &c.

Protestationem hanc esse, prorsus falsum est. Contumeliam, calumniam, famosum libellum, agnoscet, quicunq; leget. Protestatio quippè, Patres, scitis, qualis esse debet; &

Procurator, eam vestro nomine faciens, non debet ignorare, quid rei, quid juris in se Protestatio continet, ne, si quidpiam aliud scribatis, vulgetis, loco Protestationis, ad talionem vel palinodiam teneamini: quorum alterum vobis non innoxium; alterum non sinè probro. Defendendi igitur, & conservandi juris sui caußâ, permissa est Protestatio; potißimùm patienti injuriam: idq; calculo vel Rabularum forensium. Vestro verò judicio, offendendi juris alieni, calumniandi, fingendi instrumentum, Protestatio erit. Et vellemus equidem, aliud quidpiam Academicum aggreßi fuissetis: quàm famam, honorem admoliremini; quàm criminis accusassetis, tumultûs, violationis ædificii regii, contemtûs suæ Majestatis. Sed vobis nimiùm-malis id maximè placuit; quo maximè confici posse Academiam arbitrabamini. Nempè illi, ad quos has chartas quoquò versùs per Poloniam spargetis, statim habebunt fidem Societati; Academicosq; condemnabunt, violatores pacis publicæ, invasores ædium sacrarum, religionis divinæ & humanæ contemtores! Credent vobis, inquam, hæc ità esse; quæ vos protestando neq; explicare potestis; neq; veritatem ità occultare, quin se-se singulis quibusq; verbis prodat. O' exsecrandum animum vestrum! Vix Hæreticus ea faciat; ut figmentis, somniis suis, nomen Protestationis præfigat. Ego equidem huc-usq; credebam; si quid diceretis album, album esse: si quid peccatum, peccatum esse. Nunc contrarium sentio; cùm famosum libellum Protestationis nomine, contumeliam manifestariam Defensionis titulo, inscribitis. Reducere vobis in mentem debebatis: calumniatorem, nisi id, quod asserit, deduxerit, in terrâ, eâ pœnâ, quâ plectendus erat calumniatus; in cœlo, æternâ confusione, affici: in vos verò nomen cadere calumniatoris æterni, qui nomen Jesu æternum præfertis, etiam cogitatu durum. Patres malos, ait Dominus, filiis suis non dare pro pane lapidem; pro pisce scorpionem. Quales jam eritis vos Patres, qui, pro communi Protestationis & querelæ pane, quo utimur in hac lacrymarum valle, lapidem nobis innocentibus, & pro pisce scorpionem, objicitis? Vellem disceretis ab Academiâ, (nec pudére deberet) quâ ratione Protestationes à vobis scribendæ sint. Videte illam Academicam, revolvite. Quid ibi falsi? Ipsi veritatem semper agnovistis. Quid injuriosi? Nunquam offensi estis verbis Protestationis; sed defensione. Quid contumeliosi, calumniosi? Adeò nihil, ut hac-ipsâ Protestatione, cùm meracißimam virulentiam, undiquaq; conquisitam, in Academiam effundatis: nihil tamen dicere poßitis de calumniâ, & contumeliâ vobis illatâ. Comparemus, obsecro, utramq;, ex vestigiis Protestationis: legat quisq;, animum, modestiam, prudentiam. vel quovis iniquißimo judice obtinebimus; multa vos ab Academicis discere, multa veræ virtutis & modestiæ exempla capere posse, & debere. Quòd si in capitali causâ ità officium vestrum deseruistis; si ità susq;-deq; vos habuit cupído, & transversos rapuit universos, in unumq; concilium congregatos: quid in levioribus facietis? quid à singulis vestrûm exspectandum est? Defendendi ergo juris sui caußâ, Academia Protestationem fecit contra vos, pro jure sacro regio antiquo, ab annis plùs ducentis possesso. Vos quid? Protestatione vestrâ ità defensionem illam accipitis: ut, quæ jure naturali omnibus concessa est, vestro arbitratu, hominibus innocentißimis, quos opprimere vultis, eripiatur: ad hancq; rem accersitis figmenta, calumnias: eaq; Protestationem (si diis placet) vocatis. Eâdem ego operâ lacrymas Crocodili verè lacrymas dixerim: nisi eâ causâ lacrymetur, ut aliquid devoret.

2. Ad perpetuam rei memoriam, &c.

Naturale calumniæ est, non durare. Vos non solùm calumniari, sed perpetuam memoriam calumniæ exstare, vultis. Fiet illa æterna, non dubito: nullaq; ætas oblivioni tradet, vos malis modis Academiam, nullâ suâ culpâ, aggressos, contumeliis diffamare conatos fuisse. Malum Pontificem olim, Sacræ literæ ajunt, prophetâsse. Te ego, Ruscovi, illum ferè auguror; cùm dicis, perpetuam memoriam fore. Ad omnes ætates vestræ improbitatis æternum monumentum hæc Protestatio erit: Societatem, Synodo factâ, falsas criminationes, venenataq; commenta in unum contulisse; Universitatiq; collo nequicquam imponere conatam fuisse. Nec ulla marmorea Pyramis tantum probri adferet ad Posteritatem vestro Ordini; quantum hoc literarium monumentum, quod vobis ipsi technis & machinationibus vestris construxistis.

3. Ad omnem bonum effectum.

Etiámne bonum effectum, monstrum hoc Protestationis, producere posse, sperâssem? Non potest malum seminium, bonum fructum dare. Vobis ille fortè bonus, quem cupitis: innocentem calumnioso ore deglubere; rem vestram augere detrimento alieno. Scilicet insuevistis sic vexandis hominibus Hæreticis! Licebat. At ubi ii desunt vobis, subtractaq; nocendi materia; ad quid, turbando Academiam Catholicissimam, cujus pietas toti Orbi perspecta, fides Serenissimis Regibus probata, innocentia toti Regno commendata, bonum effectum speratis? Eundem obsessores viarum, eundem, qui hæ pagant aliena, exoptent. At frustrà benè sperat, qui malè agit. Veneno hoc morbum, inter Academiam & Societatem gliscentem, sanari posse; ignem oleo hoc extingui; rancore & rabie tantâ charitatem restitui posse; (cujus restitutio, vestri officii erat) figmentis & commentis contumeliosissimis perniciosisq;, aliquid vos boni obtinere posse, arbitramini? Intellectus bonus, & justitia, facientibus eam: qui verò ponit laqueum pedibus innocentis, incidet in ipsum: convertetur dolor mali in caput ipsius; & in verticem ejus iniquitas illius descendet. Est Dei, est Justitiæ manus in terris, quæ eum effectum, in quem cudistis Protestationem vestram, in sinum vestrum rejiceret, facientes malum consilium, involvet illud; nec agnoscetis, unde adveniat vobis.

4. Ad necessarium effectum.

Inevitabilis necessitas defendendi sui, compulit Societatem ad protestandum; an libido maledicendi ad contumeliam? Vos-ipsi judicate. Necessitas illa hic est, quam dicunt Scholæ; effectum causæ suæ, vinculo quodam naturæ inseparabili, dèvinctum esse. Cantus avem, rugitus leonem, mugitus bovem, hinnitus equum, & singula animantia sua vox, prodit. sic Protestationis stylus, immodestia, fingendi libertas, ruditatem, petulantiam, impudentiam autoris sui demonstrat. Quòd si ne hoc sufficit, Patres mei: necessarium illum effectum arbitrabor, qui in recessu fati est; qui in manu ejus, qui præest, ponitq; leges necessitati. Hunc verò effectum, non Monarchiæ, non Regna, non quidvis in terris excelsum, non Schola nostra, non vestra Collegia, evitabunt. Sed id duntaxat agere debemus; ne malè-agendo, meliores opprimendo, contumeliam pauperi faciendo, & abutendo bonis à Deo concessis, superbiam, certissimam interitûs indicem, colendo, necessitati illi magnæ fo-

res aperiamus. Fiat de nobis, quodcunq; magnus ille necessitatis arbiter voluerit. Quantuli enim homunciones nos Academici sumus? Non tanti certè, qui huic Regno pro dignitate commodemus: non potentiam, non magna & supra nos quærimus ambimus, prædicamus; re nostrâ tantillâ contenti: &, cùm omnia fecerimus, quæ nostro officio incumbunt, ignavi & inutiles servi sumus. Quámvis autem tales, pro thesauro innocentiam ducimus; scilicet nec nos nostrum officium deseruisse; nec alienum invasisse. Quâ de re, coram hoc amplissimo Regno, fronte apertâ protestamur: exspectamusq; magnum illum necessitatis effectum, securi conscientiæ præsidio, quócunq; nobis ille eveniat.

5. Omni meliori modo, quo licet & opus est.

Formula hæc usitata est. Sed vobis, inusitato more procedentibus, eo modo aptari potest; quo prætexta viro, quo toga puero. Ad quid enim, dum non eo modo facitis, quo vulgus solet, modis dicendi utimini vulgaribus? Ut pallium nempè vulgare, factis minimè vulgaribus prætendatis. Criminatione conficere Scholam Cracoviensem, animus erat, pessimâ. Ad quid hoc, Omni meliori modo? *Reponite: Calumniamur, omni deteriori modo. Non latebat vos, id, quod tentatis, omni jure vetitum, prohibitum, & illicitum esse. Frustrà ergo ponitis,* modo, quo licet. *Expungite hoc: & restituite; Modo, quo non licet; necessitate nullâ, sed animo convitiandi. Expressa bella illa vestra Protestatio. Ad quid adjecistis,* Opus illâ fuisse? *Quin-imò dicere debebatis, si boni essetis: Inanem, futilem, & supervacaneam illam exstitisse. Id nempè, quod faciendum erat, dicitis; non, quod fecistis. Inferam ego ex hoc vestro,* Omni meliori modo, quo licet & opus est; *hunc modum, quo protestati estis, omnium deterrimum, illicitum, & minimè necessarium fuisse. An verò, cùm vos aliquid asseritis, totum ejus, quod dicitis, contrarium accipiendum est?*

6. Salvâ & integrâ charitate sinceræ dilectionis erga Universitatem Cracoviensem &c.

Joab ille, libris Regum, cùm vellet interimere Amasam, blandè eum in ipsâ cæde & sanguine affatus scribitur. Salve, mi frater, *inquit:* interim eum gladio transverberat. *Idem mihi facere videmini, Patres. Quàm dolet Academia, illud,* sinceræ dilectionis, *parùm sincerè, & per deridiculum, adjectum! Illam quippè charitatem salvam vultis; quam tanto furore aggredimini, & exstirpare conamini? Eâdem operâ salvum dicas, cui toxicum propines; cujus cordi ferrum infigas. Nostri pôl seculi mores egregiè possidetis! ut, cui per-quàm ægrè-facere cupiatis, ei blanda verba detis! Securitatem nempè præfari oportebat, titulo charitatis: ut faciliùs noxam inopinantibus inferretis.* Molliti sunt sermones vestri super oleum, *inquit Psaltes. Quid suavius charitate, benevolentiâ, sincerâ charitate? Facies Angeli hæc est; facies hominis. Perge ulteriùs; Charitatem in mortem mutatam videbis. & ipsi sunt jacula, facies Leonis & Draconis: molliti sunt sermones super oleum. Quid enim tranquillius oleo? Sed exspecta tantillum: videbis mare acerrimum, impetuosum: in quo naufragium faceret Schola innocens, nisi caveat. Euge ergo, exspectamus à vobis argumenta charitatis; & dabimus econtrà: ut videat Mundus, uter transfugium fecerit à virtute; à cujus vexillo discedere nefas: uter nostrûm hypocrita dici mereatur: uter corde duplici, linguâ perforatâ? Jurisconsulti eum, qui contumeliam dixit,*

dixit, licèt præfationem honoris præmittat, à crimine injuriarum minimè excusant. plùs enim id attendunt, quod agitur; quàm quod dicitur: nec Protestatio facto contraria quenquam juvat. Quid fiet coram illo magno tribunali? An hæc labia charitatis in præsidium vobis, an in perditionem erunt?

7. Quòd hoc anno 1622. Mensis Julii die 13. horis pomeridianis, &c.

Pertexis historiam Disputationis Philosophicæ, à vobis habitæ; & Protestationis, quam contra illam Academici fecerunt. Hîc trutinemus, quàm verè, quàm candidè, quàm non-vanè, illius negotii Historiographum agas! Primùm itaq; ais: More in Capitulis provincialibus servari solito, ab aliis Ordinibus regularibus & Monasteriis, in simili conventu seu congregatione nostrâ Provinciali, quam nostra Societas statis temporibus habere solet, Disputatio Philosophica instituta. *Hîc sto. More ergo aliorum Religiosorum instituta? Quin-imò, ne satis impudens esses, bone Protestator; Monasteriorum? Etiámne vos Monachi? &, cùm nocere libet, cucullam induitis; eremum crepatis? Sed enim, more aliorum Religiosorum. Miror, quid vobis commune cum cæteris Religiosis, hac in parte; quâq; ratione audeatis ad mores aliorum confugere: cùm toto cœlo religio vestra hîc ab illis dissideat: hocq; inprimis in votis habeatis; ut non, sicuti cæteri, sitis! Sed quæ ad me non spectant, omitto. Religiosi illi duntaxat in Capitulis disputare solent, qui Studia generalia habent: quibus ea non sunt; neque disputatur. Quorsum enim Disputatio, sinè Studio? Quis propugnabit? Quis oppugnabit? Quæ causa, quis eventus disputandi? Disputatio ergo, reliquis Religiosis argumentum studii: apud vos, Collegii & Scholæ esset. Nam ipsi probè scitis, nec ire infitias potestis, nulla vobis studia Religioni propria esse, quæ non publica, quæ non communia sint. Si ergo Disputatio illa argumentum studii fuit: certè Schola, certè Collegii talis, quale vos consuêstis habere. Quâ ergo fide sic obliquè rem alienam invadere, jura Collegii usurpare, audetis? &, dum authoritate publicâ, jureq; aperto, Sanctitatem Academiæ tam afficere non potestis; hîc cuniculis eam aggredi visum est. Bellum argumentum! Disputant cæteri: nobis ergo licet. Disputant: sed nullâ injuriâ, nullo periculo nostro, nullâ suspicione erigendæ Academiæ novæ contra veterem. Disputant: gratulamur, ornamus; & ornamur ab iis vicissim. Vestras verò Disputationes, tanquam non eâ fide, quâ decet Religiosos, institutas, tentatas, fugimus, exsecramur; eiq; contradicimus. Subit animum magni Senatoris facetum dictum, de his conatibus vestris; dum eos exemplo cæterorum Religiosorum tegitis, contra Universitatem. Lupum quondam, inquiebat ille, corniculâ dorso ovis insidente, vellenteq; lanam, conspectâ, prudentiorem vobis, secum dixisse: ò, si ego facerem idem, quàm totâ viciniâ in me conclamaretur, convocaretur! Prudentiorem vobis, inquam: qui, dum vultis facere id, quod avis innoxia, cum detrimento alieno; debebatis scire, rem sinè contradictione, sinè pugnâ minimè futuram.*

Religiosi verò illi, quos allegatis hac in re, quàm vobis applausêre; quàm agnovêre vestras Disputationes esse suarum similes! Omnes invitâstis, quotquot sunt Cracoviæ. Nemo illorum venit; ne-dum ut disputaret: sed ne adspiceret quidem novitatem conatûs vestri. Adeò offendebat integros Viros, spectaculi illius deformitas & perplexitas! Pa-

tres Franciscani soli, ignari, quid rerum ageretis, primæ Disputationi adfuêre: iiq; cùm, blandimentis vestrorum illecti, disputare promisissent; ubi advertunt, hac re caput Academiæ peti, discedere conati sunt, testantes, se nolle vobis connivere ità agentibus: vixq; vestrorum summis supplicationibus detenti, ne actus desereretur, remanserunt. Posteriori Theologicæ, quam vos longè celebriorem & splendidiorem apparabatis, dicite, quis Religiosorum hujus Civitatis interfuit, etiam tanquam spectator? Interfuisse autem poterat non-nemo; cùm circiter mille numerentur in ambitu Civitatis: omnesq; non tantùm invitati à vobis; sed obnixè rogati essent. Scit Christus, quia non mentior: & nollem tot dicere, nisi tu adigeres.

Sed quorsum ego hoc refuto? Quorsum tu argutaris, similitudine aliorum Religiosorum; quæ vobis, quæ nobis, quæ toti Orbi comperta est dissimilima? Nisi fortè eam ad hoc adducas; ut omnes videant, te, Ruscovi, malâ fide cum tuis, cum Academiâ, agere? Quorsum, inquam, ad Religiosos recurris; si eàdem Protestatione profiteris, vos Collegium Cracoviæ habere? Non audebas scilicet dicere, disputâsse vos jure Collegii & vestro: quia nullum habetis. Ad aliorum ergo exemplum recurris, & dicis, id vos fecisse, quod nunquàm cogitâstis facere re-ipsâ: nisi ut fucum nobis faceretis; & à metu conatuum vestrorum securos, ut faciliùs opprimeretis. Illud vos rogo: quot anni sunt, ut Cracoviæ vos agitis? quot Conventus, Synodos, ibi celebrâstis? Certè plurimas. Qui factum ergo, illis Disputationibus ornamentum à vobis nunquàm adhibitum? Nunc primùm, scilicet, postquàm quadraginta annis Cracoviæ sedem plùs-minùs habetis, didicistis vos Disputationes instituere; idq; instar aliorum Religiosorum facere debere! Sed enim Conventus vester apud S. Petrum minimè celebrabatur: & negare non potestis, ad S. Barbaram eum factum. Ut quid itaque Disputationes ad S. Barbaram non fecistis? ut quid eas transtulistis à loco Conventûs vestri; si ad ornamentum Conventûs instituta erant.

8. Disputatio intra domesticos parietes habita, &c.

Non pudet vos, hæc ità venditare? Si ornandi Conventûs caussâ habita: non debuit intra domesticos parietes haberi. Dicite, quod res est, & quod scitis. Privatim quidem habitam eam, casu quodam & necessitate: vestro autem cogitatu, publicè debuisse fieri utramque, tàm Philosophicam, quàm Theologicam, in Basilicâ divi Petri. Sed, cùm de Philosophicâ aliter vidistis dispositum Constitutionibus Synodalibus, Illustrissimi D. Episcopi Cracoviensis, cùm, inquam, serò videretis, Constitutiones contra conatus vestros facere: ut cauti estis; metuentes, ne unâ Disputatione, & Academiam, & Illustriss. Episcopum offenderetis, demùm eam in privatum locum transtulistis. Verum esse, quod dico, testatur inscriptio Thesium vestrarum. Lege, obsecro: invenies, puto: Disputabuntur in Basilicâ D. Petri, Societatis Cracoviæ. *Jam & dic privatim celebratam; cùm omnes probè sciamus, te id dicere, quod vobis per-quàm agrè fuit: qui difficile hoc consilium mutâstis, quiq; nihil magis in animo volvebatis; quàm, ut magis quam publica concertatio illa fieret.*

9. *Pòst*, pacificè *(ais)* habitam.

Egregia sanè veritas se-ipsam prodit. Pacificè, inquis, habitam, ad discrimen posterioris:

ris: ad quam vos, per summam vesaniam, Satellitium vocâstis, imò conduxistis; cùm vertiginosi aliqui vestrûm spargerent, Academicos vi impedituros Disputationem: ridentibus vestram Disputationem, vestrasq; nugas, Haidonibus accitis, hominibus minimè vafris. Cùm enim juberentur intrare Ecclesiam; jocabantur, se contra muscas & cyniphes, ut eos ab excalefactorum Patrum capitibus abigerent, vocari. Pacifice ergo celebrata Philosophica? Laudo. Ad Theologicam vocatum Satellitium, minimè laudo. In contumeliam quippè Academiæ hoc faciebatis; ut si vobis defensione tali adversùs eam opus esset. In contumeliam, dico. sed, cùm totus Orbis viderit improbitatem vestram, hac in parte: quicquid contumeliæ nobis inferre conati estis, totum id in sinum vestrum redundabit.

10. In præsentiâ variorum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, &c.

Puerilis vanitas, & nimiùm balbutiens! Varios Canonicos Cathedrales ais. Quid hoc verbi est, amabò? Omnes sunt ejusdem Ordinis. Tibi videntur varii, colore, ætate, studiis. Sed enim varios dixisti; ut qui multos non auderes planè dicere: sed multitudinem ut varietate circumloquereris. Varii ergo illi fuêre, quatuor vel quinque: varii profectò studiis. Nam aliqui eorum vestrarum partium, ut opinor, duo: iiq; non ex animo vestri; sed spei suæ causâ. Alii duo trésve, diversa à vobis sentientes, spectaculi & novitatis gratiâ convenêre.

11. Quidam Professores venêre, cum Protestatione scriptâ, &c.

Adeò furis, Ruscovi; ut etiam homines tibi probè-notos honestè appellare dedigneris. Quidam verò illi, totâ Urbe sunt noti, pro bonis viris integris, & doctis; & vicini tui quidem: isti, inquam, tales ad quosdam Jesuitas, quos non novimus, nec vidimus unquam; invadentes jura Academiæ, alienamq; Professionem sibi usurpantes.

12. Cum scriptâ Protestatione venêre, &c.

Ex his jam pingitis, ô boni Patres, non satis benè; nec iis coloribus, quibus prædita fuit Protestatio nostra. Quemadmodum, qui pupillam flavâ bile infectam habent, iis omnia flava videntur: qui atrâ bile, iis omnia nigra: ità vobis, atrâ bile in Universitatem correptis, quicquid ab eâ proficiscitur, atrum videtur. Tuæ Protestationis (ità me Deus amet) isti colores sunt ipsissimi: nec eam vel Apelles meliùs pinxerit; quàm injuriosam, multis non-veris respersam, jus vestrum in alienam perniciem extendentem. Ut verò singula exsequar:

13. Injuriosa vobis videtur Protestatio nostra.

Non verum est. At hoc ità esse, tu agnosces, Ruscovi, cum tuis: si modò fastum & tumorem domas, qui te ità loqui compellit. Defensionis quippè causâ, Protestatio illa intimata vobis. Quòd si jam ille, qui jure suo utitur, protestando nemini facit injuriam: multò minùs faciet, qui defendit id, quod suũ est; nec moderamen inculpatæ tutelæ excedit. Majorem ego malitiam, & superbiam cogitare non possum, hac vestrâ: qui, cùm alios invaditis, premitis, eripitisq; aliena; si læsus defensionis suæ jure utatur, irascimini, proq; injuriâ acci-

accipitis. Quod nemo Tyrannorum fecit unquàm; ut ne læso conqueri liceat, id vultis. Jura Scholæ vobis usurpatis, Patres. Nos ad hæc quid? Dicemus, nullam injuriam nobis fieri? Mille concatenatas calumnias contra nos nectitis: neque hîc aliqua injuria est? Falsos rumores per Poloniam spargitis: ne hîc quidem mutire debemus? Ad famosos libellos vestros, ad Protestationes infames, tacere debemus? ne, si quid dicamus, id pro injuriâ accipiatis vos: quibus omnia quoquo modo agendi, à Deo & hominibus, libertas data est: nobis ad solam injuriam ferendam, patiendumq́, quodcunque mali inferre libuerit, natis. Quis (malùm) iniquè injuriæ rationes & partes inter nos dispertitus est? Quis credet, bonam Matrem omnium nostrûm, Naturam, omnia nobis jura sua subtraxisse? Inter quæ primum est defensionis, muscis etiam & culicibus concessum. Vobis verò ea tribuisse, quæ nulli unquàm hominum ordini, ne-dum tributa, sed ne somniata quidem? Pudorem vestrum appello; & demùm peto, ut discatis, naturale esse, injuriam facienti injuriam reddere; calumniam calumniâ, contumeliam contumeliâ, verberibus verbera, pensari.

14. Rebus non-veris respersa.

Fateor, Protestationem respersam rebus non-veris, h. e. à vobis confictis. Falsis quippè eam respergitis; dum injuriosam, falsam, & jus alienum invadentem, dicitis. Vellem copiam illius toti Orbi fieri; ut eam cum hac vestrâ conferat. Eâdē operâ modestiam, candorem, innocentiam Academicā, cum vestris artibus collatam, omnes viderent, agnoscerent: ut in scripto illo, sic in animis Professorum, nihil esse maculæ, præter id, quod à vobis inspergitur. Illas verò res non-veras quare non exprompsistis, Patres? Fecissetis profectó. nam, qui ex omnibus falsis vestram conflastis, vestraq́ commenta publicâstis; non dubitâssetis, si quid falsi in Academicâ esset, potiùs propalare. Quâ in re magis, & prudentiæ, & conscientiæ, & fidei vestræ satisfecissetis: si aliena non-verè dicta indicaretis; quàm vestra manifestò non-vera, & commentitia, in publicum efferretis. Gratulor autem mihi, vos veritatem appellâsse. gaudeo, in theatro veritatis vobiscum versari. Utinam & vos non dubitetis, in illud prodire, & periculum causæ cum Academiâ facere! Provocamus vos, certi, non aliud, quàm confusionem & opprobrium, relaturos.

15. *Tandem ais*; Protestationem illam, jurisdictionem Universitatis ad varia, ad quæ eam nunquàm habet, eam extendere, &c.

Miror ego majorem in modum, in Scripto, à Synodo Patrum confecto, pleraq́ ejusmodi reperiri insulsa, imperita, & rudia. Siccíne flos ille Collegiorum Societatis est doctus? húcne illa vanitas, & jactatio eruditionis, evadit? En hîc unum, quod aitis, jurisdictionem suam Universitatem extendere. Nescitis, quid verbi sit Jurisdictio, quantumq́ à Jure differat. Jus enim suum debebatis dicere, Universitatem extendere; non jurisdictionem. Ubi enim tribunal erectum? ubi jus dictum? ubi vocatæ partes? ubi sententia ab Universitate prolata? vel quid simile factum, quod jurisdictionem redoleret? Puerum aliquem è viciniâ accersere debebatis: docuisset vos, Protestationem, querelam, appellationem, non à jus-dicente fieri; sed à jus-petente: neq́ hac jurisdictionem suam extendere; sed alienam respicere. Eadem eruditio apparet, per universum corpus Protestationis vestræ: nec plus illius fuit in priori illâ Reprotestatione, quâ ad Scriptum Academicum ante an-

num

num respondistis, puerili, nugis nugacissimis refertâ; fastûs tamen ditissimâ: quam Academici, eâdem operâ, falsitatis & ignorantiæ condemnârunt, & contemserunt; respondere dedignati: ut vobis relinquerent apud vos opinionem eruditionis; quam nuspiam aliàs haberetis.

16. Meritò Protestationem à Patribus tùm non receptam; imò rejectam, testaris.

Rideo prudentiam, & rerum peritiam vestram. Nihil refert, reciperetísne Protestationem, an non: dummodò vobis intimata fuisset. Unde imperitiæ illud argumentum haud leve: dum vos excusatis, quasi à noxâ; quia Protestationem non recepistis. Utar ego ignorantiâ vestrâ. Assero, immeritò vos non recepisse. Cùm enim Protestatio nostra, sanctissimi Domini nostri, Serenissimi Regis, Illustrissimi Episcopi, nomen appellaret, contineretq; : in contemtum summamq; injuriam horum fecistis; cùm provocationem ad illos non recepistis: quin potiùs abjecistis, ludibrio habuistis nomina; quibus hîc in terris apud nos nihil majus. Ità vos diceretis, & urgeretis impudenter dicta: qui, ex longè-levioribus occasionibus, nos accusatis contemtûs Regii. Sed nos nolumus esse similes vestrî, improbi & calumniatores. Concedimus itaque, meritò vos rejecisse Scriptum nostrum; immeritò planè justitiam. Quâ in parte, si quid Regiam Majestatem offendistis, si quid Pontificiam: absq; eo, ut vos in invidiam adducamus; probè noverunt ii, quibus dedit Deus honorem in terris, quo pacto illum tueri & defendere debent.

17. Religiosi domicilii immunitatem, quietem & pacem, Ecclesiasticis canonibus, Summorum Pontificum Decretis ac Privilegiis, Regiâ authoritate stabilitam, violatam, perturbatam.

Intimatione Protestationis, gravissimè, & vix non cum lacrymis, conquereris: ubi nihil non addidistis, quo ignorantiam & malignitatem vestram non exprimeretis. Unde enim didicisti, immunitatem loci Sacri sic violari? Ego pôl, dum omens Canones, Summistas, de Immunitate Ecclesiasticâ scribentes, evolverem; nuspiam vidi, intimatione Protestationis, Appellationis ad Romanū Pontificem, locum Sacrum Religiosúmve violari. Eâdem operâ, quôvis motu, quôvis verbulo contra vos, loci Sacri volarentur: atque adeò nullus inviolatus toto terrarum Orbe esset; ut querelarum contra vos plena omnia. Sed agite, ò boni & docti Patres; ubi illum Canonem legistis: Si quis sinistro oculo Jesuitam adspexit, excōmunicatus esto? Si quis protestatus fuerit, contra locum quemcunque Patrum; tanquam violator immunitatis Ecclesiasticæ, pœnas dato? *Hos verò Canones ità vobis veros & receptos esse, credo; ut illud,* Neminem salvum esse posse, qui minùs Societati favet, *mulierculis per gynæcea, plebeculæ per compita, pueris per Scholas, à vobis decantatum.*

Qui cœlum verbo clauditis,
Serasque ejus solvitis;
Nos à peccatis omnibus
Solvite jussu, quæsumus.

Ejusdem farinæ erat in pompâ vestrâ, cùm Emblematis pictis proferretis orbem Polonum,

cum ipsis Aquilis; & circumstantes Jesuitas, illum sustinentes. Quæ tabella prudentibus risum, & indignationē, movit. Hoc verò lepidius; & ad summam petulantiam, impiamq; audaciam, propius. B. Ignatium pingebant, Populoq; monstrabant, qui totum terrarū Orbem teneret; atq; igne, ex corde suo orto, inflāmaret, & irradiaret, ex Symbolo Scripturæ: Veni ignem mittere. *Scitis, nugatorum omnium audacissimi, quid sit ille ignis? nempè Paracletus. Scitis, cui proprium sit, illum mittere? Nemo ignorat sensum Doctorum hac in parte: & interprete vix opus est; ubi Christus, veritas summa, tanquam jus suum hoc dicit esse, ignem mittere. Quærite ex Beato vestro, an sibi hoc usurpare velit? Indignaretur profectò, se adulatione adeò improbâ; & plebem imperitam errore, peti! Pietatem prætendetis, scio. Laudo ego omnibus in rebus pietatem: inordinatam tamen, confusam, laudare non possum; quia pietas non est. Quis autem jam alicui Sancto simile adfinxit? Hic gladium habet; hic fustem; serram ille. Salvatori Orbis in manus datur, quem igne cœlesti regat, inflammet; & nisi à se regi patiatur, æterno comburat. Vobis verò non aliud visum convenientius symbolum Sancto vestro, quam quod Christi esset? non ejus profectò; sed vestro ambitu. Eodem profectò studio, Christo Salvatori nostro Orbem terrarum, quo Academiæ prærogativas, præripitis.*

Sed satin' hoc fuit mulis ejusmodi? Quievêre hic illorum somnia? Eundem Beatum Ignatium Principi Apostolorum æquârunt; pro dimidiâq; parte functionis Pontificiæ, & juris primatûs, Dominum voluerunt. Magni meriti fuit apud Deum D. Ignatius: scio. Illud nescio, an Principi Apostolorum æqualis. Et suspicarer æqualem esse: metuerem tamen comparationem quæ omnis odiosa: metuerem, id, quod Christus Petro dedit præ Apostolis, judicio meo præ illis alicui dare, & cum Petro commune facere. Vos verò id bello schemate Populo Cracoviæ exhibuistis; cùm induxistis Deum Patrem, jam non soli Petro, sed unà cum Ignatio, & ex æquo commendantem, & Urbem Romam, & terrarum Orbem. Christus quidem soli Petro commendaverat. Vos indignè ejus sententiam tulistis: provocâstis ad Patrem. & hic, ne Filium & vestrum Ordinem offenderet, Petro quidem non abstulit prærogativam; sed eam cum Ignatio communem fecit. Agnoscitis vestras nugas; sub quibus immanis fastus, & exitio suo proximus, latet? Primatus itaq; tuus, Petre, jam non tuus est in solidum: jam non tanti fiet. Partem enim ejus Ignatius habet. &, quo fidei vinculo adstringimur, ad credendum te Principem Ecclesiæ; eodem, Ignatium, & suos posteros.

Multa alia hîc omitto, à vobis ridiculè & impudenter excogitata, magnoq; cum probro ad vulgus propalata: quæ eò minùs negare potestis; quia non verbis, sed picturis, inscriptionibus, emblematis constabant: ut res tantò magìs Populi animis infigeretur. Quid mirum itaque, si Romanæ Sedis hæredes ex semisse, & ex Divûm Concilio nunc primùm venientes, Canonum condendorum, de novâ immunitate, quæ Appellatione violaretur, facultatem habeatis? Secundi rerum successus, & fortuna nimiùm blandiens, in elationem animi, & petulantiam intolerandam, ex quâ hæc somnia proveniunt, vos redegit; ignorantes quàm eâ cautè & reverenter uti debeatis.

Si ergo violata immunitas domicilii religiosi Protestatione: quid, cùm hanc vestram Rectori Collegii Academici intimaretis? Non putâstis, in quoquam vos immunitatem offendisse? Nihil Privilegii Academia, præ vobis, à Sede Apostolicâ; nihil à Serenissimis

Regibus;

Regibus; nihil à sacris Canonibus, habet? Vos omnia, cum pulvisculo, etiam abstulistis. Tadet me vestra impudentiæ: quam demonstrare, nihil opus; indicare & numerare, sufficit. Quid ibi loci religiosi habetis, cujus immunitas violaretur? nescimus. Collegium destinâstis ad S.Petrum. Scio, habebitis; si habebitis. nunc verò non habetis quicquam. Ecclesia non-consecrata gaudet immunitate: locus illi adjacens an gaudeat, non planè memini. Neque Ecclesiam ergo, neque locum illum ità vestrum esse, non potestis dicere; ut non liceat Serenissimo Regi, illum alteri cuipiam, qui magìs prodesse possit Ecclesiæ & Reipublicæ, tribuere: Vobis potissimùm duos nobiles in Urbe occupantibus; tertium non in alium usum quærentibus, quàm ut Academiam ibi novam, nec duraturam, in eversionem veteris, & hinc æternam maculam Serenissimæ Domûs Jagellonianæ, exstruatis, & excitetis! Qui ergo vobis locus religiosus, qui non vester? Eâdem operâ hospitia Clericorum religiosa & immunia dicentur: & multò magìs illo vestro, in quem quis non admissus. Pauci dies sunt, an' non pueruli insolentes, omnis generis opifices, & in aurificum magno numero, major pars Hæreticorum; qui malleorum tinnitibus omnem plateam infestam, maximè vicina Professorum musea, faciebant? Parcere nobis debebatis; si nesciebamus, locum illum religiosum esse, die 13. Julii: contra quem tota Civitas, & nos ipsi conquerebamur paulò antè; quòd omnis generis hominum, neque rei, neque fidei, neque virtutis certè, plenus esset. Jam quanta illa, & quàm digna notâ, quæ subdis, numeremus.

18. Immunitatem Sacris Canonibus fundatam, Summorum Pontificum Decretis, Regiâ authoritate stabilitam; *& alia.*

Nempè, novam immunitatem loci, nec prorsus sacri, neque profani; contra quem tamen nefas protestari. Nugas ego majores, majori malignitate, neminem unquam nugari, audivi. Hinc jam similia ruunt impetu quodam, & ardore fingendi: ut fermè fieri assolet iis, qui verecundiæ fines semel transgressi sunt, eos gnaviter oportere esse impudentes. Extergite frontem, si eam habetis, Patres; & recensete id, quod scripsistis.

19. Inchoatam Disputationem, nulli injuriosam, nemini præjudicantem, in Jurium & Privilegiorum Universitatis præjudicium non institutam, &c.

Gauderem, si cum rectis & candidis mihi res esset! Sed vos ipsi, & aliàs semper, & hac ipsâ Protestatione, an' non contrarium dicitis? an' non sentitis diversum? Nempè, in injuriam Academiæ non instituta; quæ in Collegio (ut tu asseris) novo, in Facultate principe, habita? Lege id, quod scripsisti post aliquot verba, Domicilii & Collegii S.Petri. *Inferiùs autem (ex illâ-ipsâ Scholâ hederam pendentem, quâ Juventus convocaretur, cùm abstractam indignaris) ais:* à portis dicti Collegii theses avulsas. *Quin-imò paulò pòst, eidem Scholæ Rectorem tribuis Reverendum. Ut jam vel hinc te improbè fingere, vel in Protestatione falsum dicere aliquoties, oporteat. Habetis Collegium; habetis Disputationem. Quid vobis reliqui, ad Academiam habendam? Concursum Juventutis facere conamini; quámvis irrito nixu: quod vobis cor odio sauciat. Rectorem Scholæ nescio quem vobis finxistis! Quid vultis ulteriús? Non injuriosa nobis Disputatio? non inju-*

riosum Collegium? non injuriosus Rector? Aufertis Collegium; Disputationum jura usurpatis; Juventutẽ abstrahitis; Scholam contra Scholam manifeste erigitis, Disputationes contra Disputationẽ; Juventutem contra Juventutem! Nos tamen adeò bardos & fungos arbitramini; ut non sentiamus, quid nobiscum agatur? Et, si protestemur, injuriam factam nobis, accusamur, tanquam capitalis facinoris. Nempè, non debemus sentire, quantum intersit, totam Academiam nos habere; an ejus angulum, qualem nobis dare Patribus libuerit? Neque capiemus; dum Privilegiorum nostrorum major pars & potior nobis eripietur? dum in civitate Regiâ successores nobis, in prærogativis Academiæ, dabuntur? Cumq; novis Academicis, non ad otium literarium, sed ad pugnas, vitam ducemus? relictâq; veteri simplicitate & virtute, artibus novis contra eos nos fingere, formare, & amare debebimus? En, quomodo Disputatio vestra, in præjudicium Academiæ instituta non est!

Illud quod asseris, eam consuetudini aliorum Religiosorum conformem; *refutatione iteratâ non habet opus. Pudorem tamen appello tuum, Ruscovi: quòd geminare pro vero audeas, non solùm rem falsam; sed quæ etiam vestram malam fidem arguit, & ad amussim repræsentat. Vulgatum est, Omnem similitudinem claudicare. Hæc verò similitudo vestri ad alios Ordines, tùm primùm nata, cùm nocere vultis, in utrumque pedem clauda est: &, dum vos illi canabinos pedes subditis; nihil agitis, quàm risum popularem & fabulam. Vulpecula Aesopi, cùm videret mulieres gallinam edentes, pari similitudine usa, asserebat, sibi idem licere; pari similitudine, inquam. Ut enim cibus perinde gallina mulieribus, ac vulpeculæ: ità vobis eodem modo est Disputatio, ac Religiosis cæteris, eadem materiâ, idem modus: sed jus, sed intentio, candor, innocentia, cœlo, terrâ & mari differens.*

20. Disputationem in Privilegiis Sedis Apostolicæ fundatam, & menti Illustrissimi Domini Episcopi, Cracoviensis Academiæ Cancellarii, conformem.

Prorsus blatis, quod edisserere & probare nunquàm poteris. Disputationem illam vestram, apud S. Petrum habitam, Summus Pontifex suis Privilegiis comprobavit; & quidem singularibus? Ut quid ea non exhibuistis? cur non publicastis? Appellâssemus ab eis: usi fuissemus remediis juris. Sed quid ego tecum; qui nugatorum omnium princeps meritò clues? An jus disputandi, docendi, erigendæ Scholæ, dedit vobis Pontifex? Hoc verò nostrum jus, nobis non vocatis, quod ab omnibus aliis Pontificibus habemus, minimi fecit; qui in primâ parte justitiæ reponit, Jus suum nemini tollere? Et quantùmvis vos vel Acheronta moveatis; nunquam evincetis, ut Sedes, quæ Sanctitati & Justitiæ in terris est princeps, rem prærogativam, jus alienum, sinè causâ aliâ, quàm ut vobis gratum faciat, auferat.

21. Illustrissimi Episcopi mente conformem, *ais.*

Quid hoc verbi est, te obsecro? Inspexistis intùs & in corde, quid mentis Illustrissimo esset? Vos scitis, quid Jupiter Junoni in aurem dixit. Vos scrutamini corda Pontificum, Principum, Episcoporum: & gnari, quod cuiq; menti sit, in publicum profertis secreta, contrà quàm omnes sciant. Quæ verò illa mens Illustrissimi Episcopi? Procul dubio officii, dignitatis, justitiæ, & honoris sui & Academici, tenax ac amans: nec aliam unquam

Scholæ

Schola hæc est experta in se, quàm propensam & sinceram. Nec nos fugit, quantum vos in illâ mente mutandâ adlaborâstis: & quantum ille, pro Justitiâ & Veritate, fortem & virum se exhibuit, memor institutionis in hac Scholâ habitæ: memor, Collegiorum vestrorum plena esse omnia, ad fastidium & importunitatem; eaq; Lunâ mutabiliora, momento augeri, & decrescere: Academiam Cracoviensem regiam, magnam, sui semper similem, unicum diœcesis suæ, atq; adeò totius Regni, ornamentum & gemmulam esse. Quid vos itaq; (malùm) nugamini? Mentem illam, in abdito, aliud sentire de nobis, & vobis; quàm quod monstret forìs? Qui geminam pupillam oculi habent, eis omnia videntur duplicia. Vobis gemino corde hominibus, duplici mente & animo, tàm Romanus Pontifex, quàm Illustrißimus Episcopus videtur. Sed parcite. Potiùs vos falsum dicere; quàm rem ità esse, uti dicitis, credimus.

Sequitur virulentia ipsißima. Vidi ego Emblematis vestrìs depictum Cacodæmonem, à Patribus circumdatum, ore flammas hiantem, & Patres cum eo nescio quid contentionis habentes. Jam mihi venit in mentem, succubuisse eos in certamine; & spiritu ejus, qui à principio Mundi fuit calumniator, afflatos ista vomere.

22. Protestationem Academicam præ se tulisse contemtum Apostolicæ Sedis & Regiæ, &c.

Illi, illi mihi videmini falsi testes, qui contra Christum quondam stetêre, &, eum templo maledixisse, & Cæsari tributa dare vetuisse, asseruêre. Vos verò impudentiores, qui manifestum contemtum manifestè falsò & impiè comminiscimini. Sub quâ arbore vidistis, Patres & Seniores Israël, Susannam hanc, Academiam Cracoviensem, rem habuisse cum contemtu Pontificis? cum contemtu S. Regiæ Majestatis? atq; fœdo se adulterio maculâsse? Aliàs, ecce Angelus Domini stat, qui vos secet per dimidium. Eja verò, expromite vel unum verbum ex illâ Protestatione; quod vel obliquè hunc contemtum præ se ferat? Si non habetis, quo nos convincatis: ut quid rem tàm atrocem comminiscimini? Scio equidem, Regnum hoc amplißimum, moris Academici satìs gnarum, non requirere à nobis defensionem: sufficereq; illi, si dicamus, Patres falsa contra innocentem Academiam comminisci. Sed tamen adeò à contemtûs illius suspicione abfuit protestando: ut non tantùm Regem & Pontificem, sed ipsos Jesuitas, peßimè de se meritos, honorificè nominârit. Lege, Ruscovi, Protestationem. Si intelligis id, quod legis: reperies, eam conditio natam fuisse: Si, & in quantum, præjudicium inferret Academiæ vestra Disputatio, protestamur. *Quid hìc læsi estis; nisi lædere cogitabatis? Quorsum indignatio tanta, furor & ardor criminandi; si offendere nolebatis Disputatione? Ablatâ conditione, evanescebat Protestatio. Sed conscientia vestra tenêre non potuit secretum. Conditionem illam-ipsam oppugnatis, evertitis; tueminiq; injuriam, cujus avertendæ caußâ à nobis protestati sumus: & jam huc sanctum nomen Pontificis accersitis: ut, si ille cupiditatem vestram tueri, insolentiam promovere cogitet: & se contemtum statim existimet; si quis vos perperàm agentes accuset.*

Contemtus est Pontifex? Fateor: sed à vobis, qui venerandam ejus Majestatem, ad tegendam vestram insolentiam, adducitis. De Academiæ submißione securus est. Plùs enim ducenti anni testantur, eam ne latum quidem unguem, à divinâ illâ & suspiciendâ Re-

manæ Sedis Majestate, discessisse: testantur literæ & diplomata Summorum Pontificum: testatur res ipsa. Cùm enim in hoc Septentrione aliæ Academiæ descivissent à fide, & obedientiâ Ecclesiæ Romanæ; hîc ne suspicio quidem mali comperta: quin potiùs tenacissimè & fervidissimè, non solùm se-ipsam, sed totum hoc Regnum, quo-ad fieri potuit, in obsequio Romanæ sedis continuit. Non est opus, ut hæc repetam: siquidem res ipsa convincit falsi Protestatores nostros. Legite sub finem Protestationem Academicam; & excutite temetum, quo laboratis: In & contra Disputationes hujusmodi protestor, &c. & appello ad Sanctissimum Dominum nostrum Gregorium, divinâ providentiâ, &c. Sedemque ejus Apostolicam: submittens me protectioni ejusdem, &c. *Quid jam ad hæc? Idem vobis contemtus; quod submissio? quod appellatio? An non vos potiùs contemtores illius Sedis; qui eruditissimè asseritis, hac ratione, quoties appellatur Romanus Pontifex, toties eum contemtu & contumeliâ affici? Quem volebatis alium appellâssemus? Nisi fortè id agatis, ut ne contra facta vestra provocare, & appellare ad quenquam, liceat.*

De contemtu Sacræ Regiæ Majestatis, non habeo quod dicam: Res enim est ob oculos totius hujus Regni: & Sacra sua Regia Majestas, pro divinâ suâ prudentiâ probè novit, quo animo id à vobis scribatur! Non contemtum cogitatis, scilicet; sed rem vestram. Et cujusmodi nos homines sumus, qui contemnere audeamus nomen Regium? cujus potentiæ? ambitionis? cujus factionis? Testis nobis Deus; testis tota Polonia; testes beatæ illæ animæ Serenissimorum suæ Majestatis Majorum! Nos nihil unquam potiùs in sapientiâ humanâ ducere, innocentiâ & candore: Superbiâ, contemtu, nedum S. Regiæ Majestatis, sed ne cujuspiam alterius, nihil magìs exitiosum putare. Ad nomen Regium, tanquam cœleste, ita movemur: ut moveri par est ad nomen ejus, qui loco Dei in terris est, qui imaginem Regis cœlestis in terris præ se fert. Si æquè vanus essem, ut tu: referrem solennes supplicationes, quæ pro suâ Majestate, Serenissimâ Conjuge, & Prole regiâ, pro animabus Serenissimorum Benefactorum nostrorum, crebrò, candidè & sincerè, instituimus. referrem anno præcedenti institutum Oratorium Juventutis Academiæ, quod vobis oculos effodit: cujus prima cura est, ut innocentes pueri orent, & tantò faciliùs exorent, quia innocentes, pro Majestate suâ, & quicquid eam propè attingit. Hic noster contemtus est, scilicet, Patres: Deum primo loco habere & venerari; secundo Majestatem suam. Quod tantò nos candidiùs aliquis facere meritò dicat: quia his annis, quibus felicissime Majestas sua huic Regno præest, nihil postulavimus adeò magni, nihil petiimus: &, dato uno, non perreximus, libidine habendi, & importunitate petendi, liberalitatem Suæ Majestatis fatigare. Id verò nobis in contemtûs parte si imputatis; parcite. Novimus, quid nos deceat: novimus, quid securitatem nostram: scimus, quàm tædiosa res sit, postulatio & petitio aulica: quàm invidiosa, rei petitæ consecutio. Sufficere arbitramur nobis paupertatem nostram: quæ, si invidos vestros oculos concitavit; quid fieret, si rem paulò lautiorem haberemus? Gaudete vos itaq;: fruimini illâ aurâ aulicâ. Nos privatum & angustum decet; qui à Patribus accepimus, non cuivis convenire, in luce illâ Majestatis Regiæ versari.

Quid autem ego vobiscum de contemtu Regum? Dicite, an est quis, à maximo ad minimum, in hoc Regno; qui nesciat, quomodo à vobis tractentur nomina, diademata, imò

corpora

corpora Regum? Et vos tales, audetis cum Academiâ innocentißimâ contendere, de honore Regio? Debebatis scire antiquum illud: Quámvis plerunque Principi delatio sit grata; delatorem tamen semper odiosum esse & suspectum, idque eò magis, si criminis ejus notam habet, cujus alterum insimulat. *Litera sacra testantur, Doëg Idumæum falsò accusâsse Achimelech, & Sacerdotes, Rebellionis contra Saulem. Obtinuit calumnia apud impium Regem: innocentes cæsi sunt. Quid postmodùm? Calumniatoris filius (teste Hieronymo) infert manus eidem Regi, detrahit diadema: &, quod Pater falsò confinxerat, Sacerdotes innocentes fecisse; id malus filius verè præstitit. Defendet nos Deus (non dubitamus) ab hujusmodi delatoribus; contra quos clypeo Davidico uti possumus. Audi, Ruscovi cum tuis, qui gloriaris in malitiâ, & potens es in iniquitate. Judicet vos Deus; si justitiam cogitavit lingua vestra! An non potiùs, sicut novacula acuta, fecistis dolum? An non Academiam succidere conati estis, contemtum ei duorum magnorum in terrâ, Pontificis & Regis, objiciendo? Dilexistis malitiam, iniquitatem, quâ nos conficere arbitrabamini; quàm loqui æquitatem, quæ vobis ob oculos fuit, luceq; istâ lucidior. Dilexistis verba præcipitationis linguæ dolosæ: cùm nos in fastigium Majestatis Regiæ & Pontificiæ deducitis: indéq;, contemtum objicientes, præcipites datis. Sic Psaltes regius contra Doëg: sic Academia contra vos, eodem periculo, eodem casu. Ulteriùs autem: Deus destruat vos, & evellat de tabernaculo suo; qui speratis in multitudine divitiarum vestrarum, & prævaluistis in vanitate vestrâ! Academia autem, sicut oliva fructifera, in Domo Domini florebit: quia speravit in misericordiâ Dei sui.*

À contemtu ficto, venisti ad injuriam commentitiam.

23. Cum injuriâ, *inquis*, Sacri Domicilii, & Collegii S. Petri, à Serenissimo Rege Domino Nostro, Patribus Societatis, in Urbe hac, in Ecclesiæ & Reipublicæ bonum, fundati & erecti.

Nova prorsus hæc res, & inaudita nobis; Collegium Patrum Cracoviæ fundatum, à Serenißimo Domino nostro! Non tantùm inaudita, sed incredibilis! Miramurq;, vos audere id suæ Majestati imponere; quod purum & putum somnium vestrùm est! Historia sacra ajunt, fratres septem, persecutionem fugientes, speluncâ unâ occlusos, aliquot annis dormiisse. Simile quidpiam evenit in Poloniâ. Patres enim plures, quàm quater vel quinquies-mille rerum successu lascivientes, multis annis vigilando somniant; & pro vero asserunt, se Collegium Cracoviense à suâ Majestate erectum habere! Uladislaus Jagello, ingenti solicitudine & curâ, summâq; liberalitate, erexit Cracoviæ Universitatem omnium scientiarum. Eandem posteri Reges, quisq; Sanctum ejus voluntatem prosequuti, multis prærogativis cumulârunt: tanquam unicam filiam in deliciis habuerunt, tutati sunt. Magnâ enim exsecratione devinxit D. Jagello posteros Principes: ne quid contra Scholam à se fundatam moverent. Idem ipse Serenißimus Dominus noster, paucis antè annis, omnia Privilegia Universitatis perpetuâ Regni Constitutione, sanxit: &, cùm didicisset, vos Scholam moliri, severißimè pro suâ Regiâ autoritate interdixit. Hæcq; omnia vera sunt; non in somniis acta. Vos tamen, quid (malùm) impudenter jactatis Collegium vobis erectum: ut destrueretur vetus, desereretur, in nihilum redigeretur, artibus vestris?

Verbis

Verbis Scripturæ utar. Sit in habitationem erinacei, noctuæ, & vespertilionis! Vestris artibus, inquam. Quàm enim projectè, quàm miris modis solicitare Juventutem scitis: non ut eam doctiorem; sed ut vestra Collegia frequentiora ad speciem faciatis: non dicam ad præsens. Videlicet, desiit esse Collegium Jagellonianum, quod nudius-tertius Professoribus plùs octoginta constans (quorum infimus cum optimo vestrûm comparari possit, si phaleras demas) limis oculis adspiciebatis! Desiit esse, inquam; ut vestro Cracoviæ opus sit! Parum vobis est, replevisse hoc Regnum nugamentis Scholarum vestrarum: ut etiam Urbem regiam, ejusdem vanitatis contagione, afficere cupiatis? Illi, qui sapiunt profectò, & gnari sunt rerum seculi veteris juxtà ac nostri, minoris Collegia illa vestra æstimant, quàm Scholas olim oppidorum, ab Academicis præceptoribus habitas: ex quibus, Dii boni, quàm magni Viri, quàm admirandi prodiêre! Scilicet, erant tùm temporibus in precio literæ, amabantur, colebantur, majestatem suam retinebant: veræ enim erant, & sinè fuco. Nunc, postquàm vanitate vestrâ coinquinatæ sunt; postquàm in angustum loci & temporis redactæ; postquàm discipulos precariò quæritis; postquàm eruditionem muliercularum auriculis, & cuivis de plebe, commodatis; postquàm sinè quæstu rei faciendæ docetis; desiêre literæ: desiit eruditio: species virtutis pro re est; fucus pro veritate!

Quid ergo jam vos, obsecro, tàm magni in urbem Regiam inferetis: si Scholam, qualis Sandomiriæ, Duclæ & Ravæ, est vestra, inferatis? Quo enim illa fabula Cracoviensis Collegii à cæteris vestris differet; quam iidem Mimi, iidem agent Pantolabi? Eâdem methodo, eâdem ratione, eâdem arte, convocandæ Juventutis per imagunculas, per solicitationem matrum, per cantillationem calumniatoriam de Academiâ, quâ vos res vestras stare arbitramini. Iidem, inquam, agent rudes juvenculi, unius Scholæ discipuli, alterius Magistri: audaciam hinc pro sapientia venditantes: tragœdiolas, declamationes, versiculos, ab aliis ante triginta annos scriptos, pro suis venditantes; & rudi Popello in scenâ exhibentes. Nam, quod probrum fuit Majoribus nostris, ingenuos pueros scenæ ludicris contaminari: id vobis honori & laudi, (si Diis placet) ducitur! Putatis nempe, Patres, Poloniam ignorare; vos, cùm per totum Regnum habeatis annui redditus plus quadringentis millibus, tanto sumtu, tamq; insano, Oratorem nullum, Historici-Politici ne umbram quidem, Semitheologastros Scholasticos aliquot, Philosophum Sesqui-alterum, qui non dicere, sed dictare duntaxat scit, habere? Sub horum verò vexillis & pallio, aliquot millium gregem, solis factionibus, practicis, captandis animis mulierculárum, re augendâ, versari; melioresq; se inquietare? Interim, ut si ignari essemus moris vestri & virtutis, duo vertiginosi vestrûm, per summam amentiam, Academiam veterem & augustam, perindè prosternere, & Scholis exsuere, facile putant; ac Magistrum aliquem Scholâ Ravensi vel Duclensi propellere: Collegiumq; tale excitare suum; quale hîc ad S. Mariam, & S. Johannem, est? Nempè, non esset illud, Basilicam regiam fœdare ineptiis Scholæ: ut scilicet pueri Ecclesiam frequentiorem reddant, & nomina sua in marmore sculpant regio! ut pedore pulveris Scholastici repleatur ædificium, non ad hos usus factum, ut ex Basilicâ delubrum, & Ecclesiâ regiâ hypodidascalium fiat? Nam, ut pro dignitate Collegium aliquod excitetis, Patres, nimiùm falsum est. Quod enim ex novioribus vestris bonum? quod simile illis primis, quorum coloni ex Academiæ gremio prodiêre, Viri gnavi, laboris & paupertatis patientes; solum honorem Dei, & bonum Ecclesiæ, quærentes?

Nunc

Nunc verò nimiùm degeneràstis; nimiùm saturati estis: nimiùm vos omnium rerum copiâ fortuna blandiens implicuit: plus commodorum, voluptatum & rei, habetis, quàm ut ad duram discendi primùm, demùm docendi provinciam, pistrinumq́ꝫ, redigi valeatis. Colore solo fallere, & eo, quia nos calumniamini apud malè-credulos, non putetis vos diù posse subsistere. Color, color est: quovis vento facilè mutatur, alteratur. Alienæ plumæ facilè excident: movebitq́ꝫ aliquando cornicula risum. Serenissimus certè Princeps ejus prudentiæ est; quâ novit, quid de vestris studiis, quid de viribus, quid de conatibus, sentiendum sit: quid juri, quid impotentiæ alienæ, concedendum. Sed quo-usqꝫ ego hæc! Expergiscimini itaqꝫ, & sentire incipite, vos Collegium Cracoviæ nullum habere; nisi fortè illud, de quo olim Psaltes: Beatum esse, qui non fuit in Collegio malorum; qui in cathedrâ calumniæ & contumeliæ non sedit.

24. In bonum Ecclesiæ & Reipublicæ, erectum *ais*, Collegium vobis.

Gratulor sané. Polona verò Respublica benè habuit huc-usqꝫ, sinè vestrâ Scholâ Cracoviæ; & benè habebit: nisi aliam Rempublicam vobis imaginemini; cui aliquo modo benè esse poßit à Collegio vestro. Quo verò illa-ipsa Respublica Polona meliùs habuit; dum vos implèstis eam Collegiis? quo plures ei doctos dedistis? Imò quo plures verè-pios? Nam exstirpatio hæresium, Serenißimæ suæ Majestatis Pietati & Religioni debetur. ut vos gnaviter impudentes esse oporteat; dum eam vobis vendicatis: dum instar muscæ, quadrigæ insidentis, creditis, à vobis illum motum & pulverem excitatum esse: nisi quid turbatum fortè à vestris datum sit, abutentibus plerunqꝫ iis rebus; quibus boni non nisi in bonum uti nôrunt. Vos ergo meliùs habere, auctis Collegiorum vestrorum proventibus, minimè dubito: Rempublicam auctiorem factam, nego.

De Ecclesiâ non dicam hîc apud nos. Videmini enim esse instar prodigorum, hoc tempore: qui, cùm nemini prodesse poßint, tùm sibi minimè commodant. Videmini, inquam, mihi, ne-dum Ecclesiæ, sed ne Religioni quidem vestræ, doctos præstare. Ante aliquot annos contra vos vulgò agitatum: Meliora quæque ingenia à vobis in Religionem abripi; deseri Rempublicam; Parentes filiis destitui. *Nunc illos-ipsos, quos vobis conciliatis, tales institutione vestrâ fecistis: quales vobis nemo invideat, nemo abreptos in Societatem conqueratur. Academicis enim illis floruistis. Vestræ institutionis subjecta, quámvis delecta, in re seriâ, quid seriò præstent, videmus: ut, è quibus magni Senatores esse possent, si in Academiâ instituti essent, ex iis vos, in Religionem pellectis, mediocres Jesuitas habeatis; ingentis familiæ nomine velantes tenuitatem suam, & audaciam vestram.*

Ne autem inanias vobis, Patres, dicere videar: conferte Ordinem vestrum totum, quantus-quantus est, quiq́ꝫ tanto constat non adeò diviti Poloniæ, cum Ordine Prædicatorum, Minorum, Bernardinorum, quantò plures doctos illi habent! quàm ferventes, solidos, utpote uni rei intentos, præclaros Concionatores, Theologos, Philosophos! Conferte vobiscum, & cum eruditis Viris, illos humiles, de quibus nihil sentimus, nisi magni & boni: qui, à paucis annis, quasi successores dati insolentiæ vestræ. Quod vos deteriore odore infecistis; illi suavitate unguenti bonæ conversationis innocentiæ, humilitatis, corrigunt & replent. Illos, inquam, quorum reformatrix fœmina, cum vestro autore canonizata:

quos nec adſpicere ipſi, nec intuitum eorum ferre valetis. Vos tamen ſoli (ſcilicet) Eccleſiæ & Reipublicæ nati eſtis: qui nihil minùs unquam cogitâſtis, quàm his prodeſſe. Dum verò, cum ejusmodi jactatione, in Academiam ruitis; videre debebatis, ne vetus Schola, cujus merita, erga Eccleſiam & Rempublicam, præclara omnibus nota ſunt, fiat vobis Lapis offenſionis. Metuere debebatis, ne illa ſagina, quam cogitatis Cracoviæ inſtituere, aliquot Semimagiſtellorum, Coadjutorum, & Paterculorum, gregis juſti ſagina eſſe, & non Collegium, detegatur: nullumq́ bonum aliud proferre; quàm ut contentionem veſtram, ſi quam habetis, reſolvat; prorſusq́ vos in deſidiam, quâ non caretis, abjiciat. Vellem ego aliquot verbis dicere; quantum Academia noſtra bonum Eccleſiæ, quantum Reipublicæ, præſtitit: ſed pauperis eſt, numerare pecus. Per totum hoc Regnum ampliſſimum, non reperietis Eccleſiam, non Senatorium ſubſellium, non ullius Magiſtratûs ſpeciem, in quo non floreat inſtitutio Academica: periculoſaq́ commutatio foret cum re, quam vos nunquam præſtitiſtis, nec præſtabitis, certa & experta virtutis, fœcunditatis Schola Cracovienſis.

25. Hinc occaſionem datam tumultûs & ſeditionis, *comminiſceris.*

Quod unde exſculpſeris, prorſus ignoro; niſi è cerebro tuo. Putas te Lublini verſari, Vilnæ, Poſnaniæ, vel alibi, ubi Collegium habetis? ubiq́, ex qualibet occaſione leviſſimâ, tumultus luctuoſi & periculoſi oriuntur? Cracoviæ ego non dubito datam occaſionem tumultûs à vobis: ſi per vires licuiſſet; vel ſi à nobis acceptata fuiſſet. Non primum verò hoc eſt inventum veſtrum, neq́ novum. Anni ſunt elapſi ſex, cùm Poſnaniæ nulla adhuc Schola, nulla juventus Academica eſſet; veſtriq́ Synagogam Sectariorum demoliti eſſent, & combuſſiſſent. Sparſiſtis, id ab Academicis Studioſis factum; ab iis, inquam, quorum ne unus quidem Poſnaniæ fuit. Tàm eſtis exacti, comminiſcendi & fingendi, artifices! Hem verò, tumultibus ſanguinariis etiam cauſam datam! *Quicquid vos ſanguinarii cogitetis, & crepetis; nobis cum ſanguine nihil, nec fuit, nec erit unquam.*

26. Non contenti hoc Academici, per Magiſtrum & Sapientem (ut vocant) Univerſitatis, voce altâ, exceſſionem Juventuti à Diſputatione mandârunt.

Hoc tu crimen urges pro magno: nec tamen ita rem deſcribis, ut fuit. Facta autem ſic. Bedellus Univerſitatis, homo facetus, ſenex, nec aliàs magnæ authoritatis, nullius certè mandato; ſed ut vel riſui cauſam daret, vel ut aliquid de ſuo Proteſtationi Academicæ adjeciſſe videretur; vir ſimplex, & minimè malus, dixit Juventuti Academicæ, ut Diſputatione excederet. Ex muſca hac, quantum elephantem feciſtis? Primùm, Sapientem illum producitis: ut ſi ex illis ſeptem Græciæ octavus eſſet. Inprimis enim aitis, Magiſtrum quendam Philoſophiæ ſubmiſſum, qui Juventutem evocaret: demùm, cùm Philoſophus ille nihil valeret jubendo, Sapientem ſubmiſſum, abitionem Studioſis Academicis imperâſſe. Noſtris ædibus ille Sapiens nugari ſolet, & fabellas narrare: hunc ſalutare; illi ſilentium imponere. Nec indignè unquam ferimus. Vos, quia verbulum dixit, uti delicati eſtis, offendimini? Vellem faciem hominis hîc, vellem vocem, vellem mores ad riſum factos, depingere: ut quisq́ vos adeò tetricos agnoſcat; qui ab illo dictis jocoſis offendami-

damini: cujus amœnitate magni Senatores plerunque, in actibus publicis, delectantur.

27. *Sed verò* exceſſionem *Imperator ille hiſtricus & Thales imperavit, & quidem* nomine Rectoris, ſub pœnâ Excommunicationis.

Sub pœnâ proſcriptionis, ſeu excluſionis à Scholâ, debebas dicere. Sed eſto; & seriò imperâſſet; & ſub cenſuris imperâſſet. Tu, Ruſcovi, ſolis fabris cæmentariis inſuetus, tantum audaciæ habes; ut hîc dicas, Rectorem Univerſitatis excommunicandi facultatem non habere? Sed quia nomine omnium, qui ſymbola ad Proteſtationem contulerunt, loqueris; ignoſco tibi, eâ lege: ut tuis mandatoribus & principalibus, h. e. Patribus Societatis, qui hæc dictârunt, dicas; imperitè eos & malignè hoc aſſerere; debereq; aliquando ignorantiam ſuam, & malitiam, cum probro agnoſcere. Malitiosè, dico. Nam quid ad Patres Societatis attinet, an Rector Academiæ Cracovienſis habeat facultatem excommunicandi, an non? Quid ad præſentem Proteſtationem? An non eſt aliquis, cujus juriſdictionis eſt excommunicare; qui ducentis annis in hunc errorem non advertiſſet? Sed, poſtquàm in calumniam omnem effuſi ſunt; quicquid eis in mentem venit veri-falſi, ad propoſitum, ſinè propoſito, totum in miſeram chartam, contra Academiam, effudere. Malitiosè, dico, fecerunt. eo enim animo jam-pridem de juriſdictione Rectoriâ muſſitant: ut obſequium, Rectoribus juramento à juventute adſtrictum, abrumpant; negotiumq; hoc pacto Magiſtratui Academico faceſſant; & ſolutam legibus Juventutem, faciliùs in caſſes ſuos trahant. Quis jam cogitare poteſt, quàm malè, exſuto ſuâ authoritate Magiſtratu, feneſtra inſolentiæ, ſeditionis, Juvenibus aperiatur? Quámvis itaq; Rector non habuiſſet illam authoritatem: vos id propalare minimè deberetis, ne quid hinc deterius ſequeretur; & ut veſtra vitia, veſtroſq; errores, taceri à nobis cupitis.

Quàm verò imperitè, & impudenter, hac in parte, Rectori detrahatis; ipſimet agnoſcite. Juriſdictionem ſpiritualem qui à Romano Pontifice habet, vel Epiſcopo loci; eum excommunicandi facultatem habere, ſciunt, qui elementa Caſuum Conſcientiæ diſcunt. Rectorem verò Cracovienſis Scholæ, eâ juriſdictione præditum eſſe, dum ſpiritualis perſona ſit; nemo huc-uſq; dubitavit, nemo ignoravit, præter vos: ſcilicet indignè ferentes, haberi id à Rectoribus Academiæ, quod vos in Collegiis veſtris minimè habeatis. Sed enim volvendi erant Scriptores, tùm antiqui, tùm novi; & nonnulli quidem veſtri ordinis: qui paſſim fatentur, à Rectoribus Academiarum prærogativam excommunicandi haberi. At vos, alii rei, quàm literis & libris, intentos, præſumtio & calor, in rebus etiam planis, decipit, eò periculoſiùs: quòd, cùm ſinguli vos Magiſtros Conſcientiarum profiteamini; univerſi tamen ità in re planâ hallucinamini. An vobis ità conſuetum, non aliud tractare, non aliud dubitare; quàm, habeátne hîc Rex, hîc Magiſtratus, hanc poteſtatem: ut eo modo omnes à vobis pendére videantur? At enimverò, non haberet Rector jure communi poteſtatem illam: habuiſſet jure privo, conceſſione Pontificis, uſu perpetuo. hocq; ſufficere, debebatis vobiſcum reputare, Patres: ne fingere, vel impudenter aliquem jure ſuo ſpoliare, dicamini. Non poſſum reticere, id, quod nunc vulgatis, jam-dudùm vos inter Juventutem Academicam ſparſiſſe. Cracoviæ aliqui ante annũ tumultum excitârant; cujus capita fuêre

nonnulli ex Scholis Patrum, huc profecti. Dum Rector, officii sui arbitratus, examinat factum; juramento, metu Censurarum, adigit Juventutem, ad profitendos principes tumultûs complices. Illis-ipsis discipulis Patrum, Jesuitæ aliqui ad S. Barbaram persuadent; non teneri eos obtemperare Rectori: neque juramento, neq; Censuris adigi posse, ad proferendum quicquam de tumultu: maléq; Rectorem agere; qui in tantum vindicet tumultum, contra hominem hæreticum excitatum. Hæc res inter Studiosos palàm fuit; publicéq; a non-uno coram judicio narrata. nec eam Patres negare possunt: qui publicè, manifestè; non clàm id duntaxat asserebant. En, quomodo Juventutem instituitis? An non hæc seminia sunt confœderationum, conspirationum in Principem, tumultuum: dum, Magistratûs autoritate elevatâ, licentiæ portam aperitis? cùm potissimùm, quicquid vel minimum hac in parte Juventuti conceditur, crescat in immensum, nec in solâ Scholâ consistat; verùm etiam in ruinā & perniciem Reipublicæ, & communis Patriæ, erumpat.

28. Irritum conatum illum, avocandæ Juventutis à vestrâ Disputatione, *asseris* vanissimè; *atq;, ut pius es*, justo Dei judicio id evenisse, *autumas*.

Scilicet, ut figmento tuo credatur per Poloniam, Juventutem vobis favere, vos quærere, optare, admirari, & ejusmodi nugas meracissimas; quibus philautia vos replevit. Non mirum esset profectò, si Juventus Bedellum, hominem parvi momenti, non fuisset secuta! non mirum, si ei non obtemperasset; quem aliàs de ridiculo habere consuevit. Et tu id, Ruscovi, hominis levitati tribueres, si bonus esses; potiùs quàm justo Dei judicio! Quòd si delirare libuit; etiam miraculo evenisse dixisses: ut eò faciliùs te omnes nugari animadverterent. Ego verò justo Dei judicio evenisse dicam contrarium; & verè: Juventutem omnem, ad voculam hominis haud-magni pretii excitam, abiisse; præter illam, quæ scabellis impedita, exitum nō habuit: testata tamen quocunq; modo potuit, se ægrè ibi retentam. Falsum ergo, quod dicis, nihili habitam authoritatem Magnifici Domini Rectoris: cùm Bedelli, nullius jussu per jocum Juventutem evocantis, mandatū plurimi fieret. Cùm mihi venit in mentem, vos coram principibus hujus Regni Viris, nil crebriùs & magis jactâsse, quàm Unionem cum Academiâ; ut scilicet unū corpus sub uno capite essetis: nunc verò ità autoritatem Rectoriam adgredimini, ità fertis voculam unius Bedelli; qui aliàs in actibus vestris esset, si uniti essetis: prorsus video verum esse id quod ab Antiquis nostris accepimus: Concordiam quidem, inter Professores, ejusdem conditionis, difficilem esse: inter dissimiles conditione, quales vos estis, prorsus esse non valere; inter candorem Academicū, simplicitatem; & inter malignitatem, quam exseritis, ne cogitari quidem de eâ posse.

29. Deindè finitam disputationem, *ais*, in Auditorum coronâ frequentissimâ; quam locus satìs amplus capere non poterat.

Putas, qui hæc leget, dolebit, se non interfuisse tàm celebri Actui: qui hæc leget, inquam, nec sciet, quid rerum agatur. Nam, qui sciet, ridebit vanitatem prostitutam: Vos scilicet per Poloniam more vestro spargere, magni quidpiam fecisse; cùm nihil omninò fecissetis. Hem verò, Disputatio vestra celebrata fuit in triclinio mediocri, & ducentorum vix capace!

pace! quem tu locum ſatis amplum dicis: in quo ad centum plùs-minùs Jeſuitarum fuit; tùm Familia D.Capitanei,& aliquot Canonicorum Cracovienſium; tùm veſtrates Studioſi aliquot; noſtrorum ſeptem vel octo; demùm famuli aurificum, ahenatorum, ſartorum, pellificum, numero circiter decem. Hæc fuit tibi frequentiſſima, & nobiliſſima corona: neq; ego nugas tecum ago; ſed rem ex nomenclatore, & ut numeratam habeo, refero.

30. Præter alios verò commemoratos, *inſis*, Magiſtrorum & Baccalaureorum honorifica præſentia.

Cum diobolari aliquâ & edentulâ anu mallem agere, quàm tecum; ità blatis: & ad ſingula ſi moverer, tui ſimilis nugator eſſem. Ex eodem itaque nomenclatore tibi indico Magiſtros, qui honorârũt veſtram Diſputationem. Duo quidam Academiâ pulſi, ob ſuſpicionem non-inanem certi criminis, ut ægrè nobis facere viderentur, prima ſubſellia, vobis concedentibus, occupavère: utpotè, qui favore veſtro crimen & proſcriptionem tegere vellent; vos præſentiam illorum, pro Academicorum honoratâ præſentiâ, venditaretis. Et hæc fuit honorifica, ut dicis, aſſiſtentia Magiſtrorum! Atqui illorum ipſorũ unus, aliquot diebus pòſt, in facinore, ob quod Academiâ pulſus fuit, deprehenſus, niſi manibus familiæ elapſus eſſet; ſuâ honorificâ præſentiâ carcerẽ ornâſſet: metuendum, ne duriori ſpectaculo fuiſſet!

Vana huc-uſque, & non-vera: ſequuntur falſa magìs, & calumnioſa.

Alumni ſeu Studioſi Academiæ, ipſis benè-noti, ad incrementum inchoati tumultûs, & multiplicis injuriæ, ſæpiùs Theſes Philoſophicas, & Theologicas, à portis dicti Collegii, & Templi S.Petri, violentè ac tumultuariè, injurioſèque, cum ſcandalo Hæreticorum & Catholicorum, avulſerunt, lacerârunt, combuſſerunt.

Nimiùm obeſæ naris ſit ille, cui non innoteſcat, quid hæc ſibi velint; quoq; animo dicantur. Singula percurro.

31. Alumni ipſis benè-noti.

Quia falſum ſatis aſſerere non poterant Patres; in certis & generalibus verbis involvunt: ex quibuſq; patet, non veritatem illos; ſed commentum ſuum malè-excogitatum, malè-concoctum, dicere. Illi ergo ipſis benè-noti: nempè ſibi-ipſis benè-noti; non cuipiam alteri, vel certè Univerſitati toti, quanta-quanta eſt, cogniti: vobis verò ignoti procul dubio. Si ità: quî ſcitis, alumnos Univerſitatis fuiſſe? Qui aſſerere audetis, eos feciſſe, quos non nôſtis? Quomodo, hac in parte, conſcientiæ & fidei veſtræ conſuletis? Quis vos vindicabit, ne calumniam puerilem & fatuam dixiſſe videamini? Quid, ſi figuli famulus abripuit chartam, ut eâ lithargyrum involveret? Quid, ſi Pharmacopœi ſervulus, ad alium uſum? Alumnum Academiæ ducetis ſtatim feciſſe: & quidem eò faciliùs, quia ad nominandum & demonſtrandum autorem facti, non adſtringimini; niſi ut, generali calumniâ, ab alumno Academiæ factum dicatis.

32. Ad incrementum inchoati tumultûs, Theſes avulſas, *ais*.

Etiámne incrementum? ut ſi de tumultu jam-facto conſtaret, qui poſtmodùm incre-

mentum caperet. Hoc verò incrementum, cum tumultu suo, planissimum vestrum figmentum, & incrementum malignitatis est. Debebatis vobiscum reputare, tumultum rem capitalem esse publicam: & debere omnibus de tumultu constare, quàm ejus aliquis autor accusetur. Vos, cùm Cracoviæ de tumultu ne somniatum quidem esset usquàm, tumultûs Academiam accusatis; qui nunquàm fuit.

33. *Hæc ego aliàs: nunc ad* avulsionem Thesium venio.

Eam verò nemo huc-usque pro injuriâ accepit. Publici quippè juris sunt hæc programmata, vel legentium; vel accipientium; dum lecta sunt: ut loco avulsarum, nova substitui, passim moris sit. Vos verò novi Dictatores, admirandam nobis præturam hic geritis: perduellionis & tumultûs avellentem condemnatis. Alibi, Prætoris corrupti pœna est jure non adeò gravis; licèt illud publicâ authoritate fulciatur. Vestrarum verò Thesium, nullâ authoritate affixarum, abreptionem non immeritò impunem quis credat: oportere vos deducere primò, quo jure adfixistis; quoniam injuriâ refixas protestamini. Quærite verò jam (etiamsi aliquid juris haberetis; quod vobis non concedo:) ex Ordinibus religiosis hujus Civitatis; quoties disputant, an Thesium affixarum refixione moveantur? an ad Protestationem ejusmodi recurrant? an eo statim tumultûs aliquem insimulent? & non potiùs vel levitate, vel curiositate alicujus, factum prudenter dissimulent? Vobis verò naturale est, quâlibet occasione tumultum insinuare; idq; iteratò & iteratò dicere. Quòd si vires adfuissent, contra Academiam fecissetis.

34. *Sequitur*, multiplicem illatam injuriam Societati, avulsione Thesium.

Ità superbi facere consueverunt, rem nullius momenti pro injuriâ capere; eamq; cum suo fastu comparatam multiplicare. Unde vos, Patres, non multiplicem debebatis dicere; sed sexcentuplicem, atque adeò millies-mille multiplicatam. Quæ tamen illa injuria sit, Ruscovi, tu nunquàm edisseres: ut alio Cicerone hîc opus sit. Ego verò illos, qui hæc vestra abripuerunt, meritò fecisse, ajo. Si enim hederam pendentem avellere cuivis licet; si ea ibi pendeat, ubi vinum non est venale, neque ejus vendendi facultas: profectò, qui hederam Thesium vestrarum (Indicem Scholæ, Collegii, quod non est, nec esse potest) avulsit, non immeritò fecit. Loquebantur illæ quippè Theses falsò transeuntibus, Collegium hîc esse Patrum, esse Studium, esse Disputationem publicam: loquebantur cum detrimento Universitatis. Non immeritò igitur eas punivit, qui tanquam falsos indices suo loco tulit.

Hîc verò exaggerationes tuas, Ruscovi, prorsus rhetoricas, & urgentes rem, quis non admiretur? ais enim,

35. Violentè, tumultuariè, & injuriosè abreptas.

Dixisses aliquid ampliùs: sed tibi verborum copia desiit; imò ultra hæc non poteras quicquam gravius dicere. Violentè chartam abreptam, est quòd indignetur aliquis; summâ vi scilicet adhibitâ: utpotè quòd illa fortior quolibet chalybe esset. Si fundamentum ædis, columna, à quopiam subvertatur; id verò violentè fieri solet. Chartam lacerari absq; violentiâ,

violentiâ, commune est. Sed vos augere calumniam, modo dicendi inconsueto, volebatis: si aliquem inveniretis aquè fungum; ut vos hîc estis.

36. *Ejusdem farinæ est,* tumultuariè.

Aliquot millia hominum, civitatis agmine facto, vi armatâ aggressi sunt Theses vestras: & quisque illorum cum literâ, syllaba, verbo, versu, pugnavit, ut se-se cuique obtulit alea prælii! Dicam, quod res est; ut ingenuus sum. Transiens fortè, speciem hujus tumultûs vidi. Tres puerulι, quorum natu maximus erat annorum sex, secum conferebant de chartâ Thesium vestrarum habendâ; se-seq; ad eas aggrediundas excitabant: nisi unus eorum diceret, se vidisse unum Jesuitam latentem ad postes, scuticâ armatum, quâ exciperet invasores Thesium. Remq; postmodùm adverti sic se habere. Unus quippè vestrûm ad postes occultus stabat, puerulι ferulâ instructus, quâ seditionem illam averteret. En vobis tumultum, quo nunquàm major à Cracoviâ conditâ exstitit: in quo compescendo tantum adlaborârunt omnes Magistratus hujus Urbis: nec res componι potuit sinè sanguine, cæde! Sed tu, ô bone Protestator, post exhibitos hos montes nobis, immemor tui, (quod tibi creberrimè inter protestandum accidit) parturis murem ridiculum! Post violentiam enim & tumultum, quanti capax esse potuit laceratio chartæ unius, rem totam reducis ad simplicem injuriam.

37. Injurioseque, *inquis*, abreptas Theses.

Injuriosè adepol dicis; tibiq; injuriam facis hoc verbo, in tantum à te detrito, & ornatui orationis tuæ, & veritati. Ut quid enim illam injuriam aliter eloqui non vales; quàm ut injuriam & injuriam vocites? Scholæ vulgò habent; Injuriam quandam esse datam, quandam acceptam? Hæc tua, non data à nobis; sed à vobis accepta.

38. Cum scandalo Catholicorum & Hæreticorum, *subdis*.

Si hîc scandalum ullum esset: non aliundè proveniret profectò, quàm ex manifestatione facti. Rei enim occultæ & ignotæ, nullum est scandalum: & tantò magìs est, si ille, qui vulgavit rem, scandali nomine indigitavit. Hoc verò est, quod fecistis; cùm rem levem in tantũ vulgâstis & auxistis; ut si omnibus vobis caput perfractũ esset. Esto verò; fuerit hoc scandalum. Ejus verò causam Academia non dedit, jure suo & defensione usa; sed vos, qui jus alienum invaditis, atteritis, abripitis. Putatis verò, rem scandalo carituram; cùm calumniæ manifestæ, contumeliæ & vanitates vestræ, quibus conficere Academiam credebatis, in publicum proferentur? Quoties enim huc-usque mille scandalis, hac in parte, fores aperuistis: cùm per cathedras, pulpita Civitatis, apertè-perplexè, directè-obliquè, clàm-palàm, innocentissimæ Scholæ honorem proscinderetis; tacentibus nobis, & nunc demùm, cùm ferrum jugulo infigitis, criminis gravissimi accusatis, ad defensionem necessariam adactis? Creditis, civitatem hanc ignaram esse vestrarum artium? Cùm enim aliàs crebrò scandalo fuissetis: tùm hîc videns iniquitatem conatûs vestri, cùm pompam illam inchoati Collegii tanto apparatu cogitâssetis, tanto sumtu instruxissetis, tantâ vanitate ab aliquot mensibus deprædicâssetis, deseruit vos triumphum agentes, abhorrens à cogitatu vestro: quo aliud agebatur; aliud fingebatur. Fingebatur religio & pietas:

tas: agebatur rei alienæ invasio, occupatio. Vos interim, pro consolatione, pro strepitu Scholarum, ad boatus tormentorum recurristis: quovis prudentiore secum recogitante, dare pœnas Patres Cracoviam convocatos, unâ vice, tot scandalorum, quot huc-usque fecerunt.

39. *Quid verò de his Thesibus actum, tu omnium Oratorum maximè exaggeras.* Avulserunt? *crimen.* Lacerarunt? *scelus.* Combusserunt? *facinus.*

Et una charta quidem tot suppliciorũ capax fuit, mi Ruscovi? Non debebas tu dicere, combusserunt: sed, pro firmandâ illâ multiplici injuriâ, aliquid de illis fecerunt. Combustio enim non in probrum vestrum facta fuit; sed triumphum. Nam, cùm exemplarium aliquot millia excudi curâssetis; ut sperabatis solennitatem Disputationis: postquàm sola ducenta expendistis; quod reliquum erat, triumphali rogo faciendo a vobis impensum est. Sed ego alicui nugari videor tecum, & te autore.

Huc-usque calumniæ ejusmodi, quæ plus joci & puerilitatis haberent, quàm noxæ: nunc atrocissimæ & audacissimæ sequuntur. Sed ô summa veritas, quàm magna est justitia tua! quæ calumniantem ipsius ore conficis; improbitatemq́; in caput improbi refundis; &, ut alii nocere cupiens se-ipsum in laqueum conjiciat, efficis! Si unquàm hujus rei exemplum visum: hîc certè; dum manifestò ignis labiorum vestrorum, quem in tecta Academica conjicere volebatis, in vos decidit. &, quod huc-usque vagis rumoribus spargebatur, vos nocendi esse avidos, & calumniandi; hoc exemplo demùm planum, manifestum, & extra omnem controversiam erit.

40. Domicilium *itaq;* ad Sanctum Petrum, lapidibus sæpè nocturno tempore impetitum ab Academicis.

Admirandam patientiam vestram! Contigerat aliquando, Puerum nobilem, in vicinâ Academicâ æde versantem, lapillum projecisse in impluvium Patrum; eâ re neminem læsum fuisse; nihilq́; actum, quod jura viciniæ afficere posset. Quantas tùm querelas, Deus bone, excivêre? quas non accusationes, gaudentes datam sibi occasionem conquerendi! Poterat quidem tùm temporis (nam res à tribus annis circiter acta est) objici Patribus, eos fovere in eâdem domo Juvenes petulantes, qui jaculis confixerunt copulam D. Petri, tùm temporis recentem; in periculumq́; adduxerunt, ne corruat, incidente pluviâ inter tegulas areas, & asseres ligneos: mirumq́;, id Patres potiùs curare debere; quàm ut jactu lapilli offendantur. Sed, quia hæc ad nos non spectabant; vapulavit nobilis Puer: severissiméq́; prohibitũ, ne quis unquàm in-posterum, jactu lapillorũ, in viciniâ Patrum, luderet. Quòd si ità Patres exarsêre olim, ob jactum lapilli: quid jam non fecissent? an non implessent Urbem ejulatibus? non cathedras querelis? an non asservâssent lapides illos? non attulissent in conspectũ S. Regiæ Majestatis? Quid verò verbi est illud; Sæpiùs projecti? *Numerari debebant. Si unus semiuncialis tanti habitus: proferri conveniens erat, quid damni eis datum.*

41. Sed nocturno tempore.

Scilicet, ut calumniator hoc-ipso se falsum dicere convincat. Jurisconsulti testem, qui

aliquid se vidisse noctu, & per tenebras, dicit, non immeritò repellunt, pro falsóq; habent. Tu ejusmodi es: per tenebras vidisti: noctu speculatus es Academicos, fundis lapides jacientes. addidisses, (cum D. Doctore loquar) dormientes Jesuitas id duntaxat speculatos esse. Dormientes testes adhibes? Verè tu-ipse obdormiisti: qui in profundâ versutiâ & malitiâ demergeris, cùm hoc dicis.

42. *Tandem,* fenestras aliquot iis violentè, & studio nocendi, jactatis, confractas, *quereris.*

Quid ad hæc? nisi falsa esse, & improbè conficta: eoq; faciliùs jactata à vobis, quia probationem effugiunt. cùm circumstantiis locorum, temporum, qualitatis, personarum minimè describantur; sed tantùm jactentur, & spargantur. Fenestras verò, seu specularia confracta, libenter à vobis dici audimus. Habemus enim hinc magnam occasionem, agendi contra vos, cum non-exiguâ parte Civitatis: qui bombardarum gemitibus, majorem partem vitrearum in viciniâ, loco emovistis, conquassastis. Confractæ vobis fenestræ? Non tantùm vobis; sed vicinis ferè omnibus: ut communem jacturam leviùs ferre deberetis. Quærite ex vicinis vestris, quotquot sunt, an Scholares illas vitreas confregerint? Si annuent: habebitis testimonia virorum proborum, quibus convincatis nos. Sed ego probè scio, illos dicturos: Jesuitas, dum imperitè, importunè, majora tormenta in angustum platearum deducta explodunt, non tantùm fenestras confregisse; sed etiam ædium fundamenta loco movisse. Ita dicent, Hercules, viri probi, & animum calumniandi non habentes. Vobis interim egregiis Religiosis, errorem & factum vestrum, in calumniam alienam convertentibus.

43. *Sed ut figmentum auges?* Lapidibus violentè jactatis.

Quod verbum ità detrivisti tuâ Protestatione: ut jam vix ullum habere videaris, cui potiùs calumnias tuas, veritate tamen ità volente, ineptiùs inniti velis. Catapultis, puto ego, ballistis, ingentis molis lapides immissos in vestra tecta pluisse, omniaq; pertudisse, aliquem vestrûm interemisse, unde ille animus nocendi colligatur: quin-imò tumultum in Patres excitatum, lapidum vi promotum. Hæc verò tàm vera sunt; quàm tu tibi constas, cùm ea refers. Equidem, diligenter speculantibus, utrùm vel vitrum in vestrarum ædium fenestris confractum esset; nullum prorsus tùm visum. Idq; eò factum, quòd, prævidentes tonitrua bombardarum eis nocere posse, omnes vel movistis loco, vel aperuistis: ut illa clades confractionis à vobis transierit ad vicinos ignorantes; quo pacto vitreas suas à bombardis vestris tueri deberent. Dic jam ergo, Ruscovi, fenestras confractas ab Academicis; quæ à vobis, calumniæ intentis, facilimè confringi poterant. Dic confractas à nobis; quas ipsi confregistis. Sed ut calumniæ tuæ, & falsitatis, summum apicem consequaris: dic confractas è plateâ publicâ; quæ omnibus plateam publicam transeuntibus integræ prorsus visæ. Multiformem ego calumniam audivi: vitream, qualem hîc machinati estis, & quidem confractam, nunquàm audivi huc-usque. Postquàm viderunt nostri Protestatores, sibi non succedere commenta, de lapidibus jactis; de fenestris fractis: relapsi sunt ad antiquam cantilenam.

44. De Thesibus, valvis Ecclesiæ affixis, per Academicos avulsis.

Sed quia hoc leve videretur, miro artificio (ut ipsi putant) criminationem augent; perfrictâq; prorsus fronte exoticum, & inauditum nescio quid sceleris, in Thesium refixione comminiscuntur. Ut verò dicam, quod veritas est: nemo in Academiâ scit, quis, cujus jussu, fecerit id, quod queruntur. siq; detulissent, accusâssent: suâ pœnâ non caruisset. Oro vos, Patres, cur non indicâstis? cur non detulistis autorem facinoris potiùs; quam ad fœdas hujusmodi Protestationes devolveremini? Factum à vobis esset, quod à viris probis fieri consuevit: qui, ab hominibus alieni juris offensi, primùm administrationem justitiæ petunt. Si Dominus superior eam facere recusârit: demùm accusandi ejus facultatem se habere arbitrantur. Idem ratio naturalis, idem omne jus à nobis requirit. Porrò, si quis Dominum reum faciat facti; quod eo inscio puer, servulus, discipulus fecit: calumniatorem illum & insigniter malignum esse oportet. Quis jam hîc probitatem vestram, Patres, quis candorem; quis animum, quo hæc funditis, non perspiciat? Fecissent pueri id, quod dicitis, fecissetis vos id, quod vobis incumbebat: accusâssetis. Nisi vapulâssent: demùm differendi erant Protestationibus famosis Academici. Sed vos capita Academiæ, per insaniam summam, petere vultis, crimine puerili, & quidem falso: probè scientes, duntaxat id, quod fingitis, nunquàm vos præsentes, contra præsentes pueros nostros, probaturos: à remotis autem, & malè-credulis vestris artibus, faciliùs fidem commentis & calumniis vestris habendam. Age ergo, Protestator, Theses abreptas iterum quereris! Jam respondi, nugas esse. Sed tu rem auges.

45. Cùm altiori loco affixæ fuissent, quodam instrumento ferreo, impetu facto illas abstraxerunt.

Prorsus inscitus & rudis commemorator es. Quid (malùm) illius ferrei instrumenti est? Ariete, ballistâ, scorpione, catapultâ, impetu facto, Theses abstraxerunt? Nesciebas nominare illud. nam ne Vitruvius ejusmodi habet. sed à Mathematicis Cracoviensibus excogitata est machina, ad Theses vestras avellendas. Quantus terror, putas, Civitati fuit? & debebas scribere: cùm seditiosi plùs mille, molem illam ferream moverent, ad postes ædium S. Petri; ut Theses adimerent. Vides tuam imperitiam, & nugacitatem! utq; magìs videas: cùm vos terrorem hujus instrumenti deprædicaretis; inquisitio sedula habita: quódnam genus instrumenti illud esset, quod centum-quinquaginta Jesuitæ, conventu facto, nec describere, neque nominare Latinè potuerunt? tandem compertum, uncinum ferreum puerulos adhibuisse, quo vulgò mulieres ex cisternis Civitatis aquam capere solent. Equidem, Ruscovi, hæc ità referebant Mendici illi, qui ad postes S. Petri desident: ità nominabant instrumentum. Tu si nominâsses; metuebas, ne deridiculo fores.

Demùm auges atrocitatem facti falsitate; quâ sub hoc Sole nulla impudentior & virulentior magìs; tùm inepta, & se-se prodens.

46. Hoc non contenti, alias Theses, avulsarum loco fortiùs affixas, majore vi & impetu aggressi, luto ac sordibus consperserunt; tantâ violentiâ conati eas avellere: ut etiam, in eâ violentiâ, lapidem è Templi

Templi interioris pariete tumultuariè extruserint, alioqui validè adhærentem muro, & benè impactum; cum magnâ, Dei inprimis, Sacrificii Missæ, Sacri loci, Regis Serenissimi, iniuriâ & contemtu.

Maledicat vobis summa veritas, parietes dealbati! Ego credo, vos calumniarũ lernam alicubi reperisse; & ex ea nocentissimas quasq; delegisse: quibus scriptum hoc infarciretis, & Academiam impeteretis. Excæcavit vos, qui hac vobis instillavit, princeps mendacii: excæcavit, ne ea videretis prorsus, quæ manifestò falsa & ficta à vobis, vel pueri advertent. Ab Athanasio olim Magno occisum Arsenium, & vim illatam mulierculæ, Arriani calumniati; rei veritate evidenter detectâ, opprobrium calumniæ retulêre. Idem vobis oppidò fiet, qui contra lucem, ipsam facti evidentiam, & communem hominum notitiam, hæc spargitis. Loquimini jam, ut cœpistis.

47. Alias Theses, avulsarum loco fortiùs affixas, majore vi ac impetu aggressi.

Comparas postremam vim ac impetum cum antecedentibus; majoremq; asseris. Vel hoc certè nobis explicabis: nam jam secundò hanc cramben coquis. Dixeras ergo priùs; Violentè, tumultuariè, injuriosè avulserunt, lacerârunt, combusserunt: *nunc* majore vi & impetu aggressi, *quid fecerunt?* Luto & sordibus consperserunt. *Dii vos magni & minuti, Patres, quanti nugatores estis? Sed verò non hîc terminus.*

48. Magno impetu, *inquis*, aggressi, & avellere conati, lapidem extruserunt.

Qui hæc attentiùs leget, videbit procul dubio: maximè qui affixas Theses, & locum lapidis (quem vos-ipsi extrusistis) considerabit. Cur, rogo, vos omnium mortalium optimi & innocentissimi subticuistis hîc, cui rei affixæ erant Theses? Ut scilicet aliquis secum reputaret, affixas fuisse lapidi extruso. Nam, si postibus affixas dixissetis: minùs efficax esset illa vestra calumnia, de turbato Missæ Sacrificio; postibus plurimùm à loco confluxûs Populi & celebrationis Missæ remotis; illa verò, de lapide evulso, exolesceret. Postibus ergo ligneis, loco alto, extra Ecclesiam, ad quinque cubitos à terrâ, Theses adfixistis. Id negare non potestis: manent enim etiamnunc integræ, adglutinatæ tabulæ, quam cum postibus confixistis.

Producamus jam in proscenium crimen nostrum, & vestram calumniam. cujus vos ità fabulam agere instituistis: ut primas partes ejus obtineret accusatio nostrî ad Serenissimum; quasi nos suum regium ædificium invasissemus: secundas, criminatio Hæresis; quasi nos deteriores Sectariis, & Sacrificium, & locum Sanctum, contemsissemus. Postremas habere debebat odium nostrî, per totum hoc Regnum. At ex hac Comœdiâ contrarium quid habebitis: cùm in eâ libido fingendi & calumniandi ostendent, vos omnium mortalium summè improbos & malignos esse. Pergamus autem.

Quis ille impetus fuit, quo aggressi sunt Academici Theses, sex vel quinque cubitis à terrâ distantes? vel giganteâ staturâ illis hîc opus fuit: vel tibi aliquo ferreo instrumento, quo illas aggrederentur. Tandem autem magno impetu avellere conati, scilicet à postibus.

Id autem factum, postibus immotis cardine. Quod verum esse, testabuntur pauperes illi, qui ad apertas fores sellulas suas collocârunt tùm temporis. Jam confice figmentum tuum, de lapide extruso.

A postibus avellere conati sunt chartam extra Ecclesiam; & extruserunt lapidem in interiori pariete? Postes non moverunt cardine: lapidem tamen intra Ecclesiam extruserunt? Extra Ecclesiam stantes, chartam discerpere tentabant: & intra Ecclesiam, è pariete, aliquot cubitos à postibus distante, ingentem lapidem extruserunt? Scilicet id, quod nemo usquam mortalium somniavit, Hominem alibi exsistentem alibi operari, demùm novo miraculo evenit! Scilicet vos ebrios, sed non à vino, quin potiùs à poculo ejus, quæ sedet super Bestiam coccineam, datq; superbis bibere de calice mysterii sui, lapis iste de pariete clamat! Arriani, calumniatores Athanasii, mortuo manum absciderunt, dicentes eam ab Athanasio præsectam. Vos lapidem loco emotum circumfertis; impudentissimè jactantes à nostris extrusum.

Sed autem, Ruscovi, lapidem firmissimè impactum. *Debebas erubescere hæc proferre, qui Procurator ædificii illius es, tam segniter te ad operas artificum advertere: ut lapides ad chartam amotam sequantur; nec aliâ vi opus sit, ad movendum ædificium illud, quàm quæ in chartâ lacerandâ adhibetur. Vellem ego te audire Historiam, facti hujus causas & rationes edisserentem. Profectò diceres, (ut non malus es) te scire, illum quidem lapidem aliâ causâ emotum: sed Patres in Concilio ità jussisse te protestari, dicereq; id, quod falsum tu esse sciebas. Sed, si illi Patres lapide nos conficere putabant: non unum duntaxat in medium afferre debuissent; sed plurimos, qui intra unam hebdomadam, diversis partibus Ecclesiæ, exciderunt: cùm tremeret tota Basilica illa, & rimas duceret, à Thesium abreptione. Sed veritas secùs se habet. Cùm enim vos ad octo muralia tormenta sub ipsum Templum induxissetis, eaq; imperitè onerâssetis, explosissetis: non tantùm ædificio vestro, sed vicinis circumquaque, causam extrusionis multorum lapidum, imò ruinæ, dedistis. Multi hac de re conquesti sunt apud Proconsulem Cracoviensem. sed inter multos vir nobilis, qui, videns domum suam concuti, tremere, & ruinam minari, metuens, ne quid ei deterius eveniret à bombardis vestris, jussit tormenta in forum producta abduci. Vos hac occasione gavisi, ea sub ipsum Templum deduxistis, innumerisq; vicibus explosistis. Interrogate Copulam illam vestram: dicet vobis, dum fulcimenta adimetis, quam benè à vestris bombardis habuerit. Interim nos lapide uno convincere apud S.R.Majestatem vultis; qui de sumtu ingente & regio, lasciviâ & petulantiâ, ludos facitis.*

49. Postmodùm, 17. Julii, dum in Ecclesiâ SS. Petri & Pauli inchoata esset Disputatio Theologica.

Jam tertiò magna nomina vocas, ad vanitatem: quæ vobis consuetudo, in re ancipiti & periculosâ, vestra vitia Magnatum titulis velare. Quodq; Agyrtæ & circumforanei Medici solent: quam reputationem habere non possunt artis nomine; eam testimoniis & diplomatis pictis diversorum venantur: Idem vos facitis. Et vellem equidem, vobis id quàm optimè cedat; nisi eo in perniciem alienam utamini. Utinam vani sitis vobis solis! utinam confidatis (quod nec Christiani, nec Religiosi est) in potentiâ humanâ! utinam vel Sejani apud omnes Principes dicamini! Nostrâ nihil interesset, quicquid dicatis, scribatis,

batis, faciatis perperàm, venandi favoris humani ergò; dum nos quietè à vobis viveremus. Sed, cùm magnos vestros, ut putatis, in terrorem & damnum alienum accersitis: videte, ne Mundus, quem specie contemtûs, utrâq; manu prênsatis, vobis illudat aliquando, incidatisq; viri Religiosi in foveam, quam prudentes Aulici metuunt & declinant. Nunquam quippè alienum infortunium quæsivit ullus, sinè periculo sui; dum illud quæsivit gratiâ vel irâ hominis. Vos-ipsi vobiscum numerate, quot procellis, quot fluctibus jactati estis: non aliundè ortis profectò, quàm ex illâ gratiâ Magnorum, quâ vos stare arbitrabamini; quàm ex felicitate vestrâ! Unde non est, quòd nobis in posterum objiciatis Illustrissimos & Reverendissimos: cùm nos absq; illis securiùs stare, & vivere arbitramur; dummodò eis reddamus id, quod eorum est, honorem, obsequium, & reverentiam.

50. *Veruntamen quid tu de posteriore Disputatione?* Eam habitam in præsentiâ Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Laodicensis, Suffraganei Cracoviensis; Illustrissimi D. Capitanei Cracoviensis; aliorumque Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis.

Miror ego, quòd hos Canonicos, saltèm Illustres, non dixeris. Nisi eò feceris; quòd paucissimi adfuerint. De reliquo Auditorio, planum est te fingere, & nugas meras agere. Nam præter hos nemo illi Disputationi adfuit; nisi mulierculæ aliquot: non Studiosus, non Magistellus; præter illum, quem tibi suprà dixi: non Religiosus: omnibus, à nugis vestris, ad devotionem Patrum Discalceatorum concurrentibus; insignemq; desolationem in Ecclesiâ, atq; adeò Disputatione vestrâ, relinquentibus. Propior res fuit miraculo! Nam cùm impudentes (ut soletis) vulgassetis; Academicos vi impedituros Disputationem: ut vestra convinceretur impudentia; nemo vel minimus ex Academiâ adfuit illi Actui, præter eos, qui Protestationem detulêre.

51. *Tùm relaberis in tua antiqua, protrita, putida.* Occasione Congregationis Provincialis, quæ tùm finem accipiebat, & non aliam ob causam, Disputationem institutam.

Inter hæc tamen, ut ostendas, te falsum dicere, ponis Rectorem Reverendum (si Diis placet) Collegii S. Petri. Næ tu impudens es! Quot Reges sunt in hoc Regno? quot Scholæ regiæ? quot Academiæ? quot Collegia in hac Urbe? Ut alium Rectorem mihi pingas, præter eum, qui est in Collegio Universitatis? Vides, hac de solâ re vobiscum agi posse acriter, & meritò, invasoribus honoris alieni! Vides, pœnâ falsi vos teneri; qui Rectores & Collegia ficta spargitis! Vides, te occæcatum prorsus, cum tuis blatire id, quod velles esse; quod tamen non esse in rerum naturâ, & omnes sciunt, & tu-ipse excusas! At mihi venit in mentem, Collegia varii generis haberi in hac Urbe, Sartorum, Sutorum: iisq; Rectores suos esse. Si ita sentis: abi, vicisti. Reliquia Protestationis tuæ facilè everti possunt.

52. *Quòd* Academici venerunt aucto suorum numero; *putà tanto, quanto possent facere tumultum, & sustinere accersitum à vobis satelli-*

tium. Sed enim subdis: Novâ Protestatione turbârunt. *Hoc verum est.* Exclusione Auditorum per Sapientem. *Hoc falsum.* Violantes pacem publicam,& immunitatem loci Sacri,& Disputationis quietem,&c.

Videte, quantilli Patres, quanta verba funditant! quàm ex parvâ nubeculâ ignis, grando iterum prorumpit; imò fulmina contemtûs Dei, Serenissimi Regis, scandali Auditorum; ex eo, quia Academici contra Jesuitas protestati sunt! Te equidem, Ruscovi, jampridem egressum Scholâ, non miror oblitum esse, quomodo illationes & consequentiæ faciendæ sint. At Patribus tuis dices; jam-dudùm convictos esse nugacitatis, calumniarum, contumeliarum: ut eis hæc tàm atrocia, nullo fundamento innixa, credantur. Scirent illud fabulatoris; Poëtam semper præsumi Poëtam esse, atq; adeò versus & figmenta scribere. Et scilicet de Thesibus vestris labor superis; ea cura quietos sollicitat!

Epiphonema Protestationis horrendum esset, nisi secundò in Protestationem veniret. Nam vos, cùm non satis haberetis calumniarum, quibus scriptum infarciretis: quas acriores putabatis, eas gemináſtis, & publicáſtis.

53. Magnâ occasione per eos datâ ad seditiones,& tumultus,& cædes, *inquis.*

Suspendo votivam tabellam Jovi Liberatori. Nam huc-usq; tumultus excitatos & factos ajebas: nunc, ad te rediens, tantùm occasionem datam conquereris. Rogo te autem, quo loco, quo tempore, species ulla tumultûs à te conficti visa? Quis audivit ab ullo hujus Civitatis incolâ, de tanto malo? Quid Magistratus egit, dum tantum incendium seditionis inter Patres & Academicos glisceret? Atrâ bile laborantes, cùm soli sunt, maximè existimant, se à militibus circumdari, turbari, agitari: eos pavent; clamant, accersunt in auxiliũ vicinos. id vobis evenit, Patres, planissimé. Nam cùm deserti essetis à totâ civitate, in pompâ D. Ignatii: cùm in Disputatione, habitâ ad S. Petrum, vix quadraginta Auditores haberetis: tùm temporis tamen tumultum vobis fingebatis; armatos circumstantes imaginabamini. Sed id dicitis fortè; quòd volebatis videre, cujus occasiones non leves dabatis: ut scilicet, sic re transversùm actâ inter vos & Academiam, ad concordiam speratam deveniretur; & ut Academici abuti juribus suis viderentur, neq; vos turbarent in-posterum. Quæ omnia prævidit prudenter Magistratus Academicus; & prævidet etiam nunc: si cum vestro Collegio standum est, omnes huc tumultus Vilnenses, Lublinenses, Posnanienses, transferendos; & Patres nihil acturos, quàm suam innocentiam semper testaturos, tumultûsq; causas in Academicos ità relaturos; & nunc tumultûs nequaquam facti eos accusant: ut vitra, quæ ipsi confregêre; lapides, quos ipsi extrusère, sinè omni pudore, ab Academicis extrusos, asserere audent. Utinàm vobis, Patres, aliquando verecundia sit propitia! utinam discatis homines in hoc Regno non posse, clàm esse improbitatem vestram! Ad tumultum redeo.

Tumultuata est Juventus nostra ipsâ die. Frequentissima enim in Ecclesiam B. Michaëlis Patrum Discalceatorum confluens, ad Deum preces ardentissimas fudit: ut à civitate hac luem morbi; ab Academiâ triminatorum averteret perniciem. Equidem exaudita est oratio innocentum pro parte; vobis Protestatiunculâ vestrâ ità confusis, turbatis

batis fingendo: ut, quid, quorsum, quomodo dicatis, prorsus nesciatis. Cùm enim excæcati, Academicos Rigenses vel Gedanenses putabatis; & quibus telis uti consuêstis in homines Hæreticos, cum exiguo nunc successu iis contra nos vires experiri voluistis: improbè sanè Juventutem tumultûs accersitis; certè eò, quòd, ad ornandum diem Festum B. Teresiæ, solenni & spectando apparatu frequentissima concurrisset; quòd vocibus festivis implêsset civitatem; quòd ignibus artificiosis exornâsset triumphum. Tumultus is erat; sed qualis in cælo laudantium Dominum, ferventium charitate æternâ. Voces illas, gestus, applausum, fervorem, expressit amor Sanctæ, & pietas candorq; Religiosorum Discalceatorum in Scholam hanc. Vobis interim lætitiam communem & sanctam pro tumultu accipientibus; & malis oculis probitatem alienam adspicientibus. Hæc vobis occasio ad cædes data: hæc ad perturbationem pacis privatæ & publicæ: hæc insuper ad famosam Protestationem, in quâ de tumultibus dixistis id, quod fecissetis: non quod nos unquam cogitavimus.

Poteram quidem breviùs Protestationem vestram perstringere, & tribus verbis respondere; quicquid dicitis in eâ, falsa, calumniosa, & inania esse. Sed, quia scio eam, quoquo versùs per Poloniam sparsam, habituram suos commentatores, interpretes ex ordine vestro: ideò, ut ne ei genuina & sua propria deesset interpretatio, hic eam dispungere & notare brevissimè volui. Quòd si aliquando acriùs quidpiam dictum à me, quàm vellem; id extorsit defensionis necessitas. Patribus valedico dicto Beati Hieronymi: Benè, quòd malitia non habeat tantas vires, quantos conatus! Perierat innocentia; si semper nequitiæ juncta esset potentia, & totum, quicquid cupit calumnia, prævaleret.

DE TURBIS ET CALAMITATIBUS, IN BOHEMIA, UNGARIA, ET VICINIS ILLIS PROVINCIIS, PER JESUITAS DATIS.

CAPUT VI.

ANNO 1592. redintegrato, inter Cæsarem Rudolphum II. Ungariæ Regem, & fedifragos Turcas, bello, neque-dum ità sopito, ut firma Orbique Christiano proficua Pax reparari posset; constat simul omnibus, quantæ turbæ ac mutationes, passim per Imperium Germanicum, propterea quoque inciderint, & adhuc continuârint. Ubi verè quidem id fatendum venit, nullum Romanum Imperatorē, insignioribus contra Turcas victoriis usum, aut præclarioribus Legationibus peregrinis, è Moscoviâ atque Persiâ præsertim, celebratum fuisse; quàm quæ huic Rudolpho contigerunt. Quàm-primùm autem, anno 1602. in Regno Bohemię primùm; posteà verò aliis quibusdam locis in Imperio, Religionis caussâ, severa admodum Edicta publicata; atque etiam in Ungariâ & Austriâ, templa Euangelicorum intercepta & occlusa sunt; sicque bonis Christianis (Cæsare hæc ut-plurimùm ignorante) exercitio Religionis suæ interdictum, eisq; persecutio mota est; statim etiam

prædi-

prædictæ contra Turcas victoriæ cessârunt; ac rebelliones, non solùm per Potzkajum in Ungariâ, verùm etiam exinde in omnibus propè locis ac provinciis, sunt consecutæ: quibus non tantùm Rudolphus ipse Imperator, utrâque Coronâ suâ, Ungaricâ putà & Bohemicâ, excidit; sed &, juxtà cum successore suo, Matthiâ Cæsare, ex animi potissimùm ægritudine, præmaturiorem mortem obiit.

Jesuitæ, horumque creaturæ, cõmunem pacem ac tranquillitatem orbis Christiani perturbât.

Ista verò omnia, Jesuitarum in-primis impulsu & artibus, ità accidêre. Introductâ enim, in Regna & Provincias illas, novæ istius religionis, præter alias, monstrosâ Sectâ, taliumque humani generis dehonestamentorum, ac libertatis Christianæ hostium Collegiis; in eam curam laboriosè atque ærumnosè incubitum est: quò non solùm incautæ, ac blanditiis illectæ Juventuti, cum Romanæ synagogæ præceptis, odium avitæ Euangelicæ religionis, legumque patriarum, instillaretur; sed ipsi etiam Jesuitæ in Magistratuum, ac in Republicâ potentiorum animos, se penitùs insinuarent; eosque, quasi organica quædam, sed communis sensûs, judicii, sapientiæ, ac boni-publici intellectûs expertia corpora, animarent; sibi-ipsis verò omnium rerum, bonæ mentis, indolis, habilitatis, pietatis, & erga Romana sacra zeli, censuram vendicarent; discipulis & adulatoribus suis, ad honores & quæstus, viam complanarent; mores Romani saporis nil habentes, pro infrequentibus, militiâ domum remitterent: adeóque penes alios nomen ac species dignitatis esset; ipsi vim ac interiorem potentiam obtinerent. Hinc ergo iterum incrementa non contemnenda sumsit obsoleta pridem Pontificia religio: sed juxtà etiam Regiæ majestatis imminuta est reverentia; quietus Regni status conturbatus; Ordines in semet-ipsos, Regemque suum, (cujus voluntatis prætextu, omnia inquietorum hominum attentata palliabantur) armati; & licentiæ, ultrà quàm par fuit, frenum laxatum. Dum enim Ordines cernunt, præcipuos quosque honores non conferri, nisi iis, qui, in Regno precariam *quodammodò* vitam ducentes, Pontificii essent, aut patriam Religionem ejurâssent; munera verò onerosa, ac odiosa, solis Euangelicis, & quidem ambidextris, aut oneri imparibus Laicis, (ne scilicet hi illorum luminibus officerent) relinqui; illos denique indulgentiâ Principis, & Ordinum patientiâ, abuti; Justitiam Euangelicis venalem exponere; suæ farinæ hominibus facilem eam, aut in juris defectu sufflaminatam reddere; successores sibi, in iisdem muneribus, similes sui designare; aut ea Apostasiæ pręmium polliceri; urbano Senatui, Tribunorum Opificumque Collegiis, peregrinos, conturbatores, infames, quadruplatores, adulteros, & alios societatis civilis vibices, cæterùm devotos Papicolas, obtrudere: mussare primùm, & passim in cœtibus, aut conviviis, facetè risu mixtis querelis, dolorem publicum testari, animum recondere; quòd, è Jesuitico (ut illi loqui amant) seminario enatis filicibus, domestica seges enecaretur. Proinde non potuêre non ingemiscere, nata tuendæ communi saluti pectora, se despicatui haberi; tradique mercenariis ac inquilinis, nihil, præter suam cuticulam, & Romani Vejovis emolumentum, curaturis.

Sed

'Sed illis,vanam privatorum iram,Majestatis obtentu,ridentibus; nec singulos metuentibus; nihilo tamen minùs Principi ipsi (vixerat tùm adhuc temporis Rudolphus II.) diffidentibus; crevit comes superbiæ violentia. Namque,ut securiùs cervicibus publicis inequitarent: cum Ecclesiasticis,nullum ordinem in Republicâ constituentibus,sed,sub Fisci regii protectione,fruges duntaxat consumentibus,adversùs Ordines conspirârunt: ità demùm se extra fortunæ aleam futuros arbitrati,si eos invidiâ sacri ordinis premerent.

Archiepiscopo Pragensi nullum jus fuerat in domestica sacra,explosâ,superioribus seculis, Pontificum arrogantiâ; & Bohemorum ingeniis,naturali quodam impetu,religiosam severitatis traditionem abhorrentibus. Ille tamen, favore aulico fultus,& jam-tùm invalidâ Administratoris Consistorii Euangelicorum authoritate, pennas nido majores extendere; & arrogatâ sibi, per extortam ab Imperatore Reformatorum proscriptionem,(*Piccardos* per contumeliam vocant: cæterùm illorum veterum Thaboritarum genuini sunt posteri) rerum sacrarum universali inspectione, cœtus Clericorum, etiam ex urbibus & ditionibus regiis,ab idololatriâ Romanâ alienis,cogere; illis Epitomen quandam, ex Tridentinæ Synodi Canonibus congestam,obtrudere; eosdem in verba sua,sive (ut tùm loqui amabant) Synodalia,adigere; adeóq; exsecutionem Tridentini Concilii meditari, tentare. Hinc primæ Bohemorum lacrymæ; origoque omnium, adversùs Reges, aut ipsorum Ministros, motuum. Nam,dum Archiepiscopus omnibus Diœcesibus obtrudere conatur Sacrificulos,non nisi à se,aut suæ farinæ Antistitibus,sacris initiatos; cæteros verò passim,prętextu Piccardicæ hæreseos,exturbat; aut eis statûs controversiam movet; templa hinc-indè,per Urbes & agros,Euangelicis adimit; Incolas,in Fisci ditionibus, ad ejurandam Majorum religionem adigit: Administri verò regii, omnia ejus attentata rata habent,imò paria faciunt; necnon quibusdam liberis Urbibus, (exempli caussâ Brixiæ,Cadano,& Aussicio: in quas sensim Jesuitarum discipulos immiserunt; & mox publicis honoribus ac muniis auctos, in argumentum regii favoris & gratiæ,clavo admoverunt) Euangelicos persequendi, eosque non solùm societate civili, ac communi,sed etiam gentium ac naturali jure, putà Matrimonio & Sepulturâ, prohibendi,authores sunt; Pilsnensibus, Budvvicensibusque, Privilegium quoddam,de excludendis penitissimè Urbium istarum pomœrio Euangelicis, à Pontifice impetratum, (securo, aut, quod multi tunc suspicabantur,inscio talium rerum Rudolpho) obreptitiè confirmant; Cives Pragenses promiscuè,ad Supplicationes sive Processiones suas,Edictis severis urgent; memoriæ *Hussi* ac *Hieronymi Pragensis,* à Majoribus institutam, & à Posteris religiosissimè observatam, annuam solennitatem obliterare student; ideóque Sacerdotes, ne sacra facere possent,quotannis,ad eam diem,in Cancellariam ludificatoriè citant; ipsi quoque (in quibus *Borzita Smeczansky* palmam tulit: cujus tamen Rusticis,ad Communionem,ut vocant,squalore diutini carceris, inediâque adactis,Hostiam occultatam ventri immergere,religio; & ab uno

Origo hodiernorum motuũ Bohemicorũ.

eorum, strophiolo involuta una, in constantiæ suæ, ac delusi Domini argumentū, circumlata fuit) Subditos suos, Religionis caussâ, mirū horrendumq; in modum, ac tantùm-non Busiridis bove, excarnificant: Jesuitæ deniq; non solùm tribunitiis suis concionibus, illos in proposito confirmant; sed transigere cum continuis molestiis semel, imponere irrequietis solicitudinibus finem, approbare Romano Pontifici, nunquam eis aut moras exstirpandæ aut caussas auctæ hæresis, imputari potuisse, clàm-palàm perurgent; quin-etiam infamibus ludis, aut anniversariis Corporis Christi feriis, deterrimâ licentiâ ac impunè, factitatis carminibus picturisq;, (in quibus Anseres, qui hieroglyphicè Hussitas designabant, ad aram accedentes, & de calice sorbillantes) probra & invidiam in Euangelicos jaciunt: coire Ordines, conditionem suam queri, statum Religionis deplorare, animum obstinare, & Gravamina sua in singulis propemodùm Comitiis proponere, urgere; dumque spe, promissis, blanditie, morâ, eludi ea, se verò deludi, cernunt, subsidia postulata negare; & contra Archiepiscopum, ac indifferenter Pontificios zelotas, *protestari*, & defensionem audere.

Hinc, cùm anno 1608. mense Majo, in cœptis Pragæ Comitiis, Ordinibus Euangelicis Regni Bohemiæ, ad instantissimas Supplicationes ipsorum, nomine Imperatoriæ Majestatis, condictum tandem promissumq; esset; *Unumquemq; in Christianâ religione suâ, ad finalem usque compositionem, inturbatum esse ac permanere debere: liberè illam publicéq; exercere posse; clausaq; adeò Templa passim aperiri rursus oportere*: illud tamen à mancipiis & creaturis Jesuiticis, consuetâ sibi æquivocandi arte, denuò perverteretur, abrogareturq;; contraria quin-etiam Mandata, sub Imperatoris nomine, Ordinibus insinuarentur: Hi, necessitate adacti, pro suâ suorumq; securitate, in aliis Comitiis, anno sequente 1609. solennem propterea querelam instituerunt, publicæq; Defensionis consilia agitârunt, & concluserunt. Querela talis fuit: *Quòd, ab aliquot jam annis, Reformatæ religionis per Bohemiā sectatores, à putativis illis Catholicis, multa magna, intolerabilia, minimè ferenda, ac novata gravamina, miserabilemq; adeò tyrannidem, liberæ ac Christianæ suæ Confessionis caussâ, sustinere, perferre, & cum dolore maximo devorare, coacti fuerint. Illos namq;, multis ex Ordinibus Pastores suos, curatoresq; animarum, etiam propriis suis domibus, vi apertâ, abripuisse, & abegisse: horumq; alios, duris carceribus priùs excruciatos & lassatos, tanquam hæreticos & pestilentes seductores infamatos, officiis postmodùm etiam violenter deturbâsse ac movisse; in eorum verò locum, Sacrificos Pontificios sub Unâ, ipsis Ordinibus per vim obtrusisse ac imposuisse: néve hi, in Templis, pro exercitio veræ suæ Christianæ Religionis, magno sumtu à se exædificatis, exercitio ejuscemodi defungantur, graviter ac severè prohibuisse; imò Templa illa-ipsa occlusisse, suisq; sigillis obsignâsse: multis bona sua hæreditaria vi eripuisse, & ad se traxisse: aliis Templorum struendorum copiam, illicitis modis, negâsse: Rusticos à Decimis, pro Pastoribus suis, solvendis, certâ mulctâ, severè prohibuisse: neq; eo contentos, irrequietos ac seditiosos Sacrificos, insuper illos pro suggestibus, ceu Hæreticos, titiones infernales, atq; Diabolos, traduxisse, aliisq; hujuscemodi conviciis & contumeliis denigrâsse ac violâsse: Cadavera defun-*

Jesuitæ cū suis omnia, etiam Imperatoria regiaq; pmissa, sibi nō placita, retractāt ac violant.

Ordinum Euāgelicorū per Bohemiam gravamina.

defunctorum sub Utrâq;, in templis ac cœmeteriis sepelienda non permisisse; quin potiùs illa juxta vias, aliaq; loca inhonesta, suppliciorum publicorum putà, reponenda ac tumulanda mandasse: Campanarum sonitum, Baptismum, Nuptiarum benedictionem, iis, qui ad Pontificios transire, & à suâ religione deficere nollent, denegasse. Multos quoq; Dominorum Papisticorum, Subditos suos sub Utrâq;, per vim, ad apostasiam, & Pontificiæ doctrinæ acceptationem, carceribus, fustibus, violentâ diductione & apertione oris, coëgisse: multos majoris Dignitatis Viros, coram Cancellariâ Cæsareâ, immeritis modis accusasse, durisq; ibi verbis excepisse, ac in eos invectos fuisse: alios ad præstandum corporale juramentum adegisse: alios in Arce manere jussisse: minoris conditionis homines, per aliquot septimanas, captivos detinuisse: pauperes etiam, magnâ pecuniæ summâ, (quæ in Capuchinorum commodū posteà cesserit) cum jacturâ alimoniæ suæ suorumq;, è profundis turribus & custodiis se redimere coactos, ac pro hæreticis insuper contumeliosè traductos fuisse. Ad hæc, Dominos etiam nonnullos coactos, ad redditus fructusq; Parochiarū, quos ipsi à Cæsareâ Majestate præsenti pecuniâ redemissent, Jesuitis tribuēdos: idq; in Tabulas insuper publicas inscribi curâsse; sicq; illos Privilegiis suis coëmtis vi dejecisse; justitiam ordinariam super ejusmodi causis, contra omnem æquitatem & honestatem, denegâsse, ac præcidisse: multas perniciosas seditiones, minas, turbasq;, celeribus technis dedisse: Comœdias plures in Reformatorum sub Utrâq; contemtū ac despectum, habuisse ac lusisse: non paucos officiis suis, ob solam Religionis causam, magno cum dedecore destituisse: multis negotiationes, opificia, victumq; adeò suum, inhibuisse, impedisse, denegâsse: aliaq; consimilia plura & inaudita gravamina, cōtumelias & ignominias, varias miserias & angustias, Reformatis intulisse. Et hæc quidem omnia, contra omnia jura Bohemica, & Comitiorum decreta, in quibus expresse id cautum ac conclusum sit: Ne qua pars alteri noceat; quin potiùs utraq; pars, tam sub Unâ, quam sub Utrâq;, bonam amicitiam colant, mutuasq; operas tradant. His verò contraria omnia illos patrasse: tantùm ut omnis Christiana charitas & concordia, atq; adeò vera Religio, prorsus tolli, aboleri ac pessumdari queat.

Quoniam igitur ipsi tres Ordines Regni Bohemiæ sub Utrâq;, ista diutiùs ferre ac sustinere non possint: iccircò apud Imperatoriam Majestatem, Regem & Dominū suum clementissimum, quartùm jam in Comitiis Pragensibus submisse comparuisse; ad eamq; rem nulli tempori pepercisse, neq; magnorū graviumq; impensarū, propriive damni, rationem habuisse; multas præclaras & illustres intercessiones obtinuisse, suaq; Majestati exhibuisse: quo Illa tandem aliquando ipsos, tàm miserabilibus in-dies augescētibus gravaminibus liberet, releveta;, libertate Religionis confirmet ac stabiliat; in Bohemicâ, aliàs dictâ Augustana Confessione, fidem Christianam aliosq; articulos, ex fundamentis divinarū Scripturarum collectos, in se continēte ac complectente, (prout ea Cæsari quoq; Maximiliano, anno 1575. oblata fuit) quietè perseverandi, licentiā concedat; neq; juxta Compactata, in Comitiis anni 1567. abrogata, vivere cogat, Pastores suos, tàm Germanicos, quàm Bohemos, moderandi, & parœciis præficiendi, potestatē sibi tribuat; cæteris verò intempestivas illas, ac prorsus illegitimas prohibitiones Sepulturarū, usûs Campanarum, Baptismi, ac benedictionis Nuptiarum, in-posterum ne permittat; Consistorium deniq;, & Academiam, novis Theologis ac Professoribus constituendam, ad eamq; rem ex Ordine suo certos Defensores eligendos, (prout antehàc semper consuetum fuerit) sibi restituat.

Ad quæ postulata, tametsi Ordines à Majestate Cæsareâ, in Comitiis anni 1608. ac Mandato insequenti anno publicato, tantum impetrârunt; ut cunctis Ordinibus, qui Confessionem Bohemicam amplecterentur, tàm præteritis, quàm præsentibus Comitiis, promissum fuerit, libertatem Religionis ipsis præstitum iri, eosq; in illâ defendendos atque asserendos esse: nullam tamen Ordines ipsos finalem certamq; securitatem ejusmodi, quantum ad articulum de Religionis libertate pertinet, hactenus obtinere potuisse. Quin-imò, cùm è contrario illi, qui sub Unâ communicant, quibusdam à Cæsareâ Majestate sub- & obreptitiè impetratis resolutionibus, (quia satìs Ordinibus constet, nunquam anteà tàm violenta sibi & injusta gravamina intentata fuisse) sibi cavere, sicq; ab Ordinibus sub Utrâq; separationem facere præsumerent; ipsos Ordines Reformatos hisce omnibus meritò contradixisse; atque ut illa, quæ regnantibus ac superstitibus Ferdinando & Maximiliano Imperatoribus observata fuissent, etiámnum hoc Imperatore regnãte rata haberentur, postulâsse. Interea non-leves discordias, sed insignes distractiones animorum atque seditiones, inter Ordines exstitisse; variosq; in vulgus rumores, de militaribus delectibus in aliis Provinciis institutis, & benè-armatâ manu jam-jam comparatâ, sparsos fuisse: quæ quorsum tenderent, & ad quem pertinerent, à quovis intelligente facile existimari posse. Quandoquidem igitur Ordines sibi mutuò obstricti ac devincti essent: eos in omnibus teneri, in-primis Regiam Majestatem, tùm verò etiam quemque se-ipsum, & Regnum hoc, cum omnibus bonis ac laudabilibus Statutis ac Juribus, ante omnia verò legitimum Dei cultum, & omnipotentis honorem, ac suam cujusq; animæ salutem, & quicquid præterea pro cõservatione veræ Religionis sub Utrâq; facere potest, defendere ac manu tueri. Hinc etiam à fide-dignis compertum esse, quòd omnia illa mala adbuc tantùm à malis Consiliariis, & perturbatoribus, sint profecta; qui destinato ac malitioso animo hæc ità instituerint: quò tandem, Cæsareâ Majestate à Coronâ istâ Bohemicâ (prout jam antea, per mala ejuscemodi consilia, Ungariâ, Moraviâ, & Austriâ, exciderit) omnimodò destitutâ, soli illi sub Unâ rerum potiantur; Ordines autem sub Utrâq;, persecutione tyrannicâ, Regno miserè ejiciantur; illudq; contrà, in perpetuam nationis Bohemicæ ignominiam ac dedecus, peregrinis & exteris hominibus repleatur, &c.

Quibus tàm diuturnis ac multiplicibus querelis, supplicationibus ac instantiis, Rudolphus Imperator tandem commotus, cognitâ postulatorum æquitate; Cleri verò, eique addictorum suorum quorundam Ministrorum, religiosâ truculentiâ; Ordinibus Euangelicis in Bohemiâ est assensus: ac Constitutione publicâ, (quam *Majestatis literas* nominant) Religioni Euangelicę; nec-non Interdicto Uti possideris, publicæ securitati cavit; ideóq; etiam Ordines ipsos, cum illis, qui Romanenses erant, de mutuis offensis transigere jussit, Amnestiamque sanxit. Majestatis literæ illæ verbotim ità habent.

Majestatis literæ Bohemis datæ.

RUDOLPHUS II. Dei gratiâ, electus Romanorum Imperator, &c. ad perpetuam rei memoriam, omnibus ac singulis, tenore præsentium literarum, notum facimus. Posteaquàm omnes tres Ordines Regni nostri Bohemici, qui Corpus & Sanguinem Domini Jesu Christi sub utrâq; specie accipiunt, dilecti fideles nostri, in publicis Comitiis, præterito anno 1608. die Lunæ post Dominicam Exaudi, in arce Pragensi cæptis, eodemq; anno, die Veneris post Johannis Baptistæ festum, finitis, apud Nos, tanquam Regem suum Bohemi-

cum summâ, quâ decet, subjectione, institerunt, ac rogârunt: ut in communi illâ Fidei suæ Confeßione, (quam nonnulli Augustanam vocant) anno Christi 1575. in generalibus Comitiis conscriptâ, ac tùm Cæsareæ Majestati, Imperatori Maximiliano, dilectißimo Domino Patri nostro, laudatißimæ beatißimæq; memoriæ, oblatâ; (quæq; ipsis tunc temporis, uti certò cognovimus, atq; ex literis, dilectißimi Domini Patris nostri propriâ manu exaratis, alisq; in Tabulas publicas relatis documentis, percepimus, à Majestate illius concessa fuit) nec-non illâ inter se mutuò institutâ, & coram Judicio expositâ Transactione; alisq; postulatis ac petitis Religionem suam concernentibus, conserventur: quò Christianam banc Religionem suam, sub utrâq; specie, liberè, & à nemine impediti, exercere ac propagare poßint; ipsisq; Ordinibus, in hisce omnibus, sufficienter à Nobis cautum esse queat. Prout Articulus iste, ac petitum ipsorum, in prædictis Comitiis, & Comitia in Tabulis publicis, in Libro viridi generalium Comitiorum, anno 1608. die Lunæ post Exaudi, inserta, prolixiùs ac diffusiùs istud in se complectitur. Quia verò tunc, propter alia gravißima negotia, quorum causâ Comitia prædicta in-primis convocata erant, quæq; nullam prorsus dilationem ferebant, illud eis confirmare non poteramus: ad ulteriorem rerum illarum cognitionem, usq; in proximè-futura Comitia, ad diem Jovis futurum ante Martini festum indicta, negotium clementißimè ampliavimus; interea verò temporis, Ordinibus sub Utrâq; cavimus: ut, nisi illud in Comitiis generalibus ad finem perduceretur, ipsi interim Religionis suæ liberum, ac minimè impeditum exercitium, obtinerent; neque ad ullam considerationem tractationémve aliorum articulorum, in propositione Comitiorum illis à Nobis exhibendorum, progredi tenerentur, dum ad finem iste articulus deductus atq; conclusus foret: clementißimâ nostrâ petitione, & cautione, id ubeiriùs docente & attestante..

Post communem hanc ampliationem, quum Comitia, ad dictum terminum diei Jovis ante Martini indicta, gravibus de causis à Nobis prorogata; & alia, ad diem Martis post Conversionis Pauli, anni 1609. instituta, Mandatisq; nostris in arce Pragensi denuntiata essent: suprà-dicti Ordines sub Utrâq;, priorem illam Confeßionem suam, & mutuam inter ipsos Transactionem, denuò nobis obtulerunt; & non modò subjectißimis humilimisq; precibus ac deprecationibus, verùm etiam multis gratisq; interceßionibus, apud Nos, Regem ac Dominum suum, instare & solicitare non cessârunt; quò in petitum ac postulatum istud Ordinum Euangelicorum, dilectorum fidelium nostrorum, consentire dignaremur. Illo igitur, cum supremis nostris Officiariis, Consiliariis provincialibus & aliis Regni hujus Bohemici, in aßiduam deliberationem tracto: visum nobis est, ad subjectam demissamq; petitionem & instantiam Baronum, & Equitum, itemq; Pragensium & aliarum Civitatum Legatorum, omnium trium Ordinum sub Utrâq; Regni hujus Bohemici, prædictam Confeßionem amplectentium, dilectorum fidelium Subditorum nostrorum, modò-nominatis omnibus tribus Ordinibus communiter, generalia Comitia, ad diem Lunæ post Dominicam Rogationum, anni hujus 1609. per Mandata nostra regia indicere, in arce Pragensi habenda; atq; in Mandatis publicè istud quoq; disertè adscribere: Quòd, in Comitiis istis, conclusivam decisionem articuli de Religione, propositioni Comitiorum inserere; quâ ratione itèm universis ac singulis, tàm sub utrâq;, quàm sub unâ specie, & oblatam illam nobis Confeßionem amplexis, ad Religionem suam, citra ullam

molestiam & impedimentum, sive ab Ecclesiasticis, sive Politicis personis, liberè exercendam & propagandam, satis cavere ac providere vellemus: Mandatis nostris, sub dato in Arce Pragensi, die Sabbathi post Dominicam Jubilate, anni hujus 1609. in prædicto articulo, id ampliùs edicentibus. In quibus generalibus à nobis indictis Comitiis, cùm omnes tres Ordines obsequentissimè subjectissiméq; comparuerint; Nosq; etiam, tenore clementissimi promissi nostri in dicto Mandato, articulum de Religione propositioni Comitiorum ante omnia inseruerimus: sæpè-dicti tres Ordines sub Utraq;, unanimiter prius suum postulatum ac petitum, oblato Nobis scripto, renovarunt; ac sufficientem cautionem, ejusdemq; in Tabulis publicis confirmationem, subjectissimè rogarunt.

Quoniam ergo gratius nobis nihil accidere potest, quàm ut, in nostro hoc Regno, inter omnes tres Ordines, tam sub Unâ, quàm sub Utraq;, omnibus nostris dilectis fidelibus Subditis, nunc & in perpetuum, constans amor & concordia, pax & consensio, pro incremento & conservatione Reipublicæ, propagetur; & utraq; pars, in eâ Religione, in qua salutis animæ suæ compotem se fore firmiter credit, libera, non impedita ac imperturbata invicem conjunctim maneat ac relinquatur: quò sic, utì decet, conclusioni Comitiorum anni 1608. ac recèns publicatis Mandatis. (in quibus Nos, unitos Ordines Euangelicos, qui dictam Confessionem amplectuntur, pro illis, qui semper fuerunt, nempè pro nostris fidelibus & obedientibus Subditis, sub clementissimo patrocinio nostro, omnium ordinationum, jurium, ac privilegiorum hujus Regni participibus, ad quos se-se juramentum nostrum regium, jus & statuta provincialia, extendant, agnovimus & habuimus; atq; etiámnum agnoscimus & habemus) par & satis fiat: visis & consideratis suprà-memoratis præclaris intercessionibus; multiplicibus quoque & assiduis petitionibus ipsorummet Ordinum Euangelicorum; juxtà cum fidelibus utilibusq; officiis, quæ illi Nobis, toto felicis regiminis nostri tempore, ipso facto demonstrârunt ac probârunt: His omnibus, pluribusq; aliis de causis, maturâ deliberatione, bono scitu nostro, authoritate regiâ, & consilio supremorum nostrorum Officiariorum, Assessorum Judicii provincialis, & Consiliariorum, articulum ad Religionem pertinentem, cum omnibus tribus Ordinibus Regni Bohemiæ, præsentibus Comitiis, in arce Pragensi celebratis, decidimus, tandemq; ita conclusimus; prout Ordinibus sub Utrâq;, sequentibus literis Majestatis nostræ regiæ, cavimus, atque nunc cavemus.

Primùm: Sicuti jam antè in Tabulis publicis Regni comprobatum est, quantum ad Religionem, tàm eorum qui sub Unâ, quam qui sub Utraq;; ne quis alium molestiâ afficiat; sed in unum, tanquam fideles amici, coëant; neque una pars alteram convitietur: illud in hoc articulo ita prorsus maneat; eoq;-ipso utraq; pars, utì nunc, sic etiam inposterum, mutuò teneatur, sub pœnis illis, quæ hac de re in dictis Tabulis Regni continentur. Et quia illi, qui sub Unâ communicant, in hoc Regno, liberum suæ Religionis, ac non impeditum exercitium habent; in quo illis hi, qui sub Utraq; Confessionem amplexantur, nihil movent aut præscribunt: in eo par utrinq; ratio teneatur. Quapropter concedimus Nos, ac jus potestatemq; his tribuimus; ut sæpè-dicti uniti Ordines Euangelici, Barones, Equites, Civitates, Pragensis, Cuttebergensis, & aliæ, unà cum Subditis suis, summa, omnes illi, qui Bohemicam Confessionem, olim Cæsari Maximiliano, sanctæ laudatissimæq; memoriæ, dilectissimo Domino Patri nostro, in generalibus Comitiis anno 1575.

&

& nunc denuò etiam Nobis, oblatam, (super quâ clementißimum nostrum patrocinium illis pollicemur) amplexi sunt, & adhuc amplectuntur, nemine excepto: ut, inquam, Christianam suam Religionem, juxta tenorem Confeßionis, ac mutuò inter se constitutæ Transactionis Unionisq; liberè ac citra impedimentum, paßim & ubivis locorum, exercere ac præstare queant; in fide ac religione suâ, sacerdotio, ac ordine ecclesiastico, qui jam apud eos servatur, aut deinceps instituetur, pacificè relinquantur, ad-usq; omnimodam Christianam & unanimem compositionem Religionis, in sacro Romano Imperio: atq; ità, neque nunc, neque in-posterum, secundùm Compactata, quæ in generalibus Comitiis anni 1567. in Privilegiis Regni & alibi, omissa sunt, vivere teneantur.

Insuper, in sequentibus, Ordinibus sub Utrâq;, etiam hanc peculiarem gratiam facturi sumus; ut omnibus tribus Ordinibus, Confeßionem illam amplexis, Consistorium inferius Pragense, in potestatem & administrationem ipsorum restituamus: ideóq; clementißimè consentimus, ut uniti Ordines Euangelici, Consistorium illud, cum suis Sacerdotibus, juxta Confeßionem suam, & in hoc quoque factam Transactionem, reforment ac redintegrent; suos Prædicatores, tam Germanos, quàm Bohemos, ibi ordinari faciant; aut, qui jam ordinati essent, exindè, citra ullam interceßionem Archiepiscopi Pragensis, in Collaturas suas recipiant, in easq; istos intromittant.

Non minùs etiam clementißimè, in potestatem Ordinum Euangelicorum tradimus (prout etiam antiquitùs ad illos pertinuit) Universitatem Pragensem, cum omnibus pertinentiis: ut illam idoneis doctisq; Viris constituant; bonas ac laudibiles ordinationes & consuetudines introducant; atq; etiam utriq;, & Consistorio, & Universitati, certos atq; idoneos Viros, Defensores ac Patronos, constituere & ordinare valeant. Intereà verò, ac priùs, quàm omnia ista convenienter exsecutioni mandentur, non minùs omnes Euangelici Ordines, in suprà-scripto puncto, liberi ac minimè-impediti exercitii Religionis suæ, per omnia relinquantur. Ac, quot personas, uniti Ordines sub Utrâq;, è suis, in Defensores dicti sui Consistorii & Universitatis, unanimi consensu suo, ex omnibus tribus Ordinibus, pari numero, designabunt, eosq; Nobis, Regi ac Domino suo, exhibebunt: eas omnes Nobis nominatas & editas personas, nemine illarum exceptâ, intra duarum hebdomadarum spatium, à dato exhibitæ Nobis designationis, ad eam rem, ex officio nostro, confirmaturi, eosq; Defensores declaraturi sumus; nec tamen, ultra juramentum & instructionem, ab Ordinibus ipsis præscriptam, ullam aliam instructionem aut juramentum ab eis exacturi. Quòd si autem, aliis præpediti, intra dictum tempus, confirmare illos non valeremus: hoc nihilominùs etiam casu, utriusq; illius Defensores manere, omniaq; facere ac præstare illi debent, tanquam à Nobis confirmati fuissent. Si quem etiam illorum mori contingeret: Ordines sub Utrâq;, in ejus locum, proximè-sequentibus Comitiis, alium eligere, cæterisq; superstitibus adjungere poterunt. id quod tamen in-posterum semper, modo suprà-scripto, sicut à Nobis, nostris Hæredibus, & futuris Regibus Bohemiæ, sic etiam ab ipsis Ordinibus Euangelicis, atq; Defensoribus, observari & præstari debet.

Quòd si etiam quispiam, ex omnibus tribus unitis Ordinibus Euangelicis Regni istius, præter Templa & Oratoria, quæ nunc habent, & jam priùs ad eos pertinent, (in quarum pacificâ poßeßione etiam defendi ac conservari debebunt) ullibi in Civitatibus, Oppidis, Pagis, alibíve, plura Templa, Oratoria, Scholásve, pro informatione & educatione Juventutis,

tutis, ædificare aut exstruere vellet: illud, sicut Baronibus & Equitibus, sic etiam Pragensibus, Cuttebergensibus, aliisq; Civitatibus, communiter ac sigillatim, & nunc, & in-posterum, sinè ullius impedimento, faciendi, libera & aperta potestas esto. Quandoquidem etiam porrò, in multis nostris regiis Civitatibus Regni istius, non pauci sub Unâ & Utrâq; communicantes conjunctim habitant: iccircò peculiaris hæc nostra est voluntas atq; mandatum; ut, pro amore & concordiâ conservandâ, neutra pars alteram, in Religionis & Ecclesiastici ordinis sui exercitio, turbet, eíve præscribat; sepulturas cadaverum, in templis ac cœmeteriis, utì & campanarum sonitum, non deneget aut prohibeat; sicq;, ab hodierno die, nullus, utì è superioribus ac liberis Ordinibus, sic etiam è Civitatibus, Oppidis, & Pagis rusticanis, neq; per magistratum suum, neq; per aliam ecclesiasticam aut politicam personam, à Religione suâ avertatur; & ad aliam amplectendam, neq; vi, neq; dolo & excogitato artificio, cogatur aut inducatur. Quæ omnia nullo alio fine, quàm amoris & concordiæ conservandæ, fideliter sic constituta sunt & ordinata.

Eo nomine Nos verbis nostris regiis pollicemur; quòd omnes tres uniti Ordines Euangelici, Bohemicam Confessionem amplectentes, unà cum Pastoris suis, in omnibus suprapositis articulis, à Nobis, nostris Hæredibus, ac futuris Regibus Bohemiæ, omninò ita, nemineq; impediente, relinqui, conservari, ac defendi debeant. Prout etiam illos in Pace religiosâ sacri Imperii, tanquam præcipuum membrum illius, prorsus includimus: ita ut, quantum ad ista, in-posterũ, neq; à Nobis, Hæredibus nostris, & futuris Bohemiæ Regibus, neq; ab ullâ aliâ ecclesiasticâ aut politicâ personâ, futuris perpetuis temporibus, ullum impedimentum aut intercessio fiat, ac permittatur. Ac contra hanc prædictam sancitamq; Pacem regiam, & Euangelicis Ordinibus à Nobis indultam securitatem, nolumus, ullum mandatum, aut aliquid ejusmodi, quod minimum impedimentum, aut ullam immutationem istius, causari posset, à Nobis, nostris Hæredibus, & futuris Regibus Bohemiæ, aut alio quoquam, promulgari, aut etiam acceptari. Quale si maximè aliquid promulgaretur, aut ab alio acceptaretur: illud tamen irritum esto; neq; super eo quicquam, sive in judicio, sive extra judicium, judicator pronunciatórve. Pro-ut etiam, hac de causâ, omnes alias jussiones ac mandata, antehàc contra Ordines Euangelicos, dictam Confessionem amplexos, pro nihilo in totum agnoscimus & habemus. Pariter etiam, quicquid Ordines, tàm nunc, quàm antehàc, pro confirmatione istius articuli, postulârunt, cum omni eo, quod interea temporis accidit, neq; nunc, neq; in-posterum, in ullum præjudicium aut detrimentum bonæ famæ, aut aliud quodcunq; gravamen & offensam, omnium trium Ordinum Euangelicorum, communiter aut sigillatim, à Nobis, nostris Hæredibus, & futuris Regibus Bohemiæ, trahi, dictísve Ordinibus in contemtum allegari aut explicari debet; idq; futuris ac perpetuis temporibus.

Quocirca mandamus hisce, omnibus nostris supremis Officiariis, Assessoribus Judicii provincialis, & Consiliariis, cunctisq; Ordinibus atq; Incolis Regni istius nunc præsentibus, ac in-posterum futuris, nostris dilectis fidelibus: ut prædictos Barones, Equites, Pragenses, Cuttebergenses, aliasq; Civitates, omnes tres Ordines Regni istius, cum omnibus Subditis ipsorum; summa, omnes Ordines Euangelicos sub Utrâq;, Bohemicam Confessionem amplectentes, in hac nostræ Majestatis securitate, secundùm tenorem omnium articulorum, sententiarum, & clausularum, defendant ac tueantur; neq; ipsi quicquam eis impedimenti

menti afferant; multò minùs ab aliis id fieri permittant: sub evitandâ nostrâ irâ atq; offensâ. Quòd si verò aliquis, ultra hæc, sive ecclesiasticus, sive politicus ille fuerit, hanc Majestatem nostram violare præsumserit: officii nostri fore agnoscimus, juxtà cum Hæredibus nostris, & futuris Bohemiæ Regibus, Regniq; hujus Ordinibus, unumquemq; talem, tanquam turbatorem ac violatorem pacis publicæ, prehensare; Ordines contrà in juribus suis defendere ac propugnare: prout hoc articulus in Constitutionibus Regni, de defensione Provinciæ, bonarumq; ordinationum ac jurium ejusdem, clariùs edocet.

Denique, majoribus minoribusq; Officiariis, apud Tabulas publicas Regni hujus Bohemiæ, mandamus: ut, pro futurâ memoriâ, Literas Majestatis istius, in relatione comitiali, Comitiis istis ab omnibus tribus Ordinibus Regni istius futurâ, in Tabulas publicas simul referant; Originale postmodùm, cum aliis Privilegiis ac Libertatibus Regni, in Carolomontio, deponant, & custodiri faciant. In cujus rei fidem, sigillum nostrum Cæsareum Literis Majestatis hujus appendi jussimus. Datum in arce nostrâ regiâ Pragensi, die Jovis post S. Procopii, anno 1609.

Post impetratam igitur & obtentam Constitutionem publicam, ac Literas istas Majestatis, Ordines Euangelici, ac Religioni orthodoxæ addicti per Bohemiam, aliquot annis, superstite præsertim Rudolpho Imperatore, mediocri pace ac tranquillitate usi sunt: adeò, ut ipsi proprium Consistorium ecclesiasticum, juxtà cum Universitate Academiæ Pragensis, ex suis hominibus constituerent; novaq; etiam, tàm in Urbe, quàm extra Urbem Pragensem, Templa exstruerent; suisque exercitiis religiosis publicè defungerentur. Sed neque etiam intereà quieverunt Jesuitæ; mortuo præsertim Rudolpho, eique succedente Matthiâ Cæsare; hocque totum se, & Reipublicæ curam, industriæ Viennensis Episcopi Cleselii securè commendante. Illi etenim, cùm per se-ipsos, tùm verò per creaturas ac mancipia sua, quæ paulatim firmum pedem in Bohemiæ Regno fixerant, & ad summas dignitates atque officia illius asscenderant, omnibus viis modisque id agere; ut hanc Religionis libertatem retractarent, easque Majestatis literis irritas redderent. Ideóque ad consuetas suas, & tragœdiæ congruas artes revolvi: multiplicibus conviciis, calumniis, & condemnationibus, Euangelicos denuò aggredi: publicè, quà scriptis, quà vivâ voce, Hæreticos proclamare; quibus nulla fides, dicta illa scriptáve, quantacunq; esset, servari deberet: etiamq; in libellis suis famosis, cunctis eorum, qui sub utrâque communicarent, adeóque singulis eorum, qui Romanæ religioni non forent addicti, vitam cum honore abjudicare; atque ad exstirpationem illorum, supremum Magistratum politicum instigare. Quóque faciliùs homines circumveniant, ac malarum suspicionum dissensionumque semina, inter Ordines Euangelicos, spargant: ex eorum numero, ac tenore Literarum Majestatis, constitutos Defensores ab invicem separare, indéque Consistoriũ quoque ecclesiasticum dissipare conantur; qui aliàs concordiâ inter se, & authoritate foris validi, subverti non posse videbantur. Defensores igitur illos aggrediuntur; atque nunc largis promissionibus, nunc comminationibus gravis offensæ Cæsareæ, ad renuntiandum officio, persuadere satagunt: adeò

Jesuitæ literas Majestatis suis technis enervant ac perforant.

ut infirmos nonnullos in fide vacillare facerent; alios, ſpe ac delatione præcipuorum officiorum, eò adducerent; ut, cùm alioqui parvi ſe fieri cernerent, commodi ſecularis gratiâ, contra propriam ſuam conſcientiam, ſemel-agnitæ & confeſſæ veritatis obliti, à fide deficerent, & in hoſtium caſtra tranſirent. Longiùs poſtmodùm progreſsi, & magna officia adepti, non ſolùm in regiis regniq́ue expeditionibus, ſed etiam in ipſis Cæſareæ Majeſtatis ditionibus, veteres ac utiles Miniſtros cum ignominiâ ſubmovent; & alios contrà, ſuæ religioni addictos, in illorum loca intrudunt: perq́ue illos, variis modis, miſeros homines religionis cauſsâ excruciant; ſub ſpecie delictorum ſecularium proſcribunt; Paſtores Euangelicos abrogant; illisq́ue Sacerdotes miſſaticos ſufficiunt. In Urbibus Pragenſibus hoc curant, ut Pontificiis primaria loca & officia tribuantur: qui poſteà, dolis minisq́ue ſuis, cæteris Euangelicis Senatoribus ità inſultarent; ut hi, quicquid illi vellent poſtularentq́ue, omne id ipſis præſtarent. Se-ipſos, quin-etiam, absque legitimi judicii conſtitutione, pro judicibus ſæpè-dictarum Literarum Majeſtatis gerentes, concludunt; *Ad Monaſteria pertinentibus Subditis, Templa exſtruendi poteſtatem fasq́ nullum eſſe.* Hinc Archiepiſcopus Pragenſis, protinus novum opus Cœnobio-Grabienſibus nuntiat; maximisq́ue ſumtibus exſtructum templum, (ad quod Electores ac Principes Imperii, aliiq́; Magnates, plurimum contribuerant, in Euangelicæ Religionis ignominiam, demoliri, dirui, ſoloq́ue æquari facit. Pariter & Braunovienſes coacti ſunt, recens à ſe conditum templum Abbati cedere, ipſi illo abſtinere, clavesq́; ad illud in Cancellariam Bohemicam, quæ Pragæ eſt, mittere: primarii quiq́; illorum, qui id facere recuſarent, ac templum ſuum ſibi relinqui peterent, in arcem Pragenſem acciti, & in cuſtodiam miſsi. Obſignato inſuper per Miniſtros regios templo illo, id ſpectatum fuit; ut ſigilla, ſi non juſſu, ſaltèm conniventiâ Defenſorum, rumperentur. Quod ſi eveniſſet: ſatis tunc cauſæ habiturum Cæſarem, Defenſores Majeſtatis arceſſendi; eoq́ue compendio ſæpè-dictam Conſtitutionem, ſive Majeſtatis Literas, cum ipsâ Transactione, reſcindendi. Hujusmodi, tùm temporis, Ordinum libertati, à Pontificiis Jeſuitarum diſcipulis, ponebantur laquei. Defenſores autem, prudentiùs, quàm ab illis ſperabatur, agentes, legitimam cauſæ cognitionem urgendo, & oppreſſorum in integrum reſtitutionē orando, Grabienſium Braunovienſiumq́ue ſuccurrere conſcientiis ſtudebant; neque fidem clementiamq́ue Cæſaris obteſtari deſinebant. At fruſtrà. Matthias enim Imperator, à parte contrariâ jam totus præoccupatus, accerſito in arcem Brandeſienſem Comite Turnæo, cum duobus aut tribus aliis è Defenſorum Collegio, per interpretem Cancellarium, Baronem Lobcovvicium, Adverſariorum Religionis facilè principem, ad poſtulata eorum reſpondit: *Ea juri minimè congrua; cauſam verò Grabienſium, Braunovienſiumq́, planè iniquam eſſe. Proinde deſinerent, poteſtatem Eccleſiaſticorum in Subditos in controverſiam trahere; ſibi verò, interioribus ſuis contra eosdem exceptionibus, negotium faceſſere.*

Turbarum Bohemicarum initia & progreſſus.

Paulò pôſt Imperator, ſive curarum tædio, ſive (quod prudentiores ſuſpicaban-

bantur) ut,eo absente,destinata invidiosę exsecutioni mandarentur; & juxtà nuper-designato Successori,quem jam Ministrorum plerique tanquam Solem exorientem suspiciebant, proclivior ad opprimendos Euangelicos via præstrueretur; exportatis è Bohemiâ thesauris,unà cum Cancellario Viennam se contulit: commendatâ Reipublicæ administratione, septem vel octo personis,Pontificiorum acerrimis. Dictis igitur, ac similibus infinitis angustiis, presi Euangelici Bohemi, rem ad constitutos Defensores retulerunt; cúmq; non mox levamen aliquod succederet, passim per circulos Regni eosdem insimulârunt, quasi qui officio ac juramento suo minùs rectè satisfacerent. Quocirca Ordines, certiores jam ex Comite Turnæo, & Brandisiensis itineris Comitibus, facti, de Principis, in causâ Grabiensium Braunoviensiumque plùs-quàm definitivâ sententiâ, è singulis Districtibus sive Præfecturis, quarum quatuordecim sunt, more Lege firmato,(ne quid eos novi, ac in fraudem summæ potestatis, fecisse putetur) certo numero personas ad se evocant, sententiam Cæsaris eis aperturi; & juxtà, quid se facere porrò oporteret,consilium rogaturi: solis Pragensibus conventu hoc vitato; quos, per Præfectos Urbi,suggestu Vicariorum regiorum, protelatos fuisse constat. Sed quia cæteri evocatorum,sententiæ regiæ & facti Præfectorum atrocitate commoti, quàm aliquid constituerent,deliberaturos se priùs cum aliis Religionis consortibus, recipiebant; nihil tùm temporis actum fuit, dilato conventu in aliud sex vel octo hebdomadarum spatium: frustrà interim Defensoribus, Legationis ad Imperii Electores, quorum interventione Cæsar ad mitiora consilia flecteretur,expeditionem urgentibus.

Quod ubi percrebuit; protinùs Vicarii Cæsarem de consilio Ordinum certiores reddunt, monentq;: Si Status in ordinem coactos cupiat,continuò in hunc modum (exemplar enim juxtà missum) rescriberet: *Dolere sibi contumaciam eorum, qui Defensorio nomine tumentes, Regi ac Domino suo obluctari, &, sub specie tuendæ Religionis, alienos Subditos in legitimum Magistratum concitare, non vereantur. Proinde mandare se illis, ut,ubi hanc indubiæ voluntatis suæ testificationem receperint, ocyùs citatis significent: Se,explicatâ animi sui, in causâ Grabiensium Braunoviensiumq;, sententiâ, clarè edixisse,quid eâ in re in-posterum observari deberet; Cæterùm,cùm illi,spreto clementi decreto,conventus agitent; non posse se id aliorsum accipere,quàm quòd ista coitiones adversùs suam personam instituantur. Quocirca moneri severè, ut jam tandem ab omni conventu abstineant; & quieti, reditum suum in Bohemiam,ulterioremq; animi sui declarationem, exspectent.* Vicarii, receptis his,inventione suis,at ratihabitione Cæsareis literis, eas vocatis in Cancellariam Defensoribus prælegi curant; ac tandem, nomine Imperatoris, abstinere ab omni cum Ordinibus congressu imperant, & conventicula Legibus prohibita agitare vetant. Sed nihil unquam æquè offensis auribus à Defensoribus acceptum, quàm ista Denuntiatio: quâ non solùm conventus, Constitutione publicâ permissi, vetabantur; probrosoque illicitorum Collegiorum nomine traducebantur; sed etiam ipsi,corruptorum Servorum,imò

(quod majus est) imminutæ Majestatis, rei pronuntiabantur; adeóque ex legibus patriis paratam condemnationem (cujus, insinuatæ jam sibi, exsecutionem tempus duntaxat moraretur) haberent. Deprecati tamen publici muneris invidiam, responderunt: *Non ampliùs per se stare, quò minùs Ordinum Deputati conveniant; cùm eorum arbitratu conventui dies dicta sit, ei fini: ut, dum per Procuratores suos (Defensores puta) nihil æqui hactenus impetrare potuerint, ipsimet ad clementiam Cæsaris, per intercessionem Imperii Principum, & suas preces, confugerent.* Iccircò jussi sunt, Deputatos per literas à conventu dehortari, ac seriò monere; ne quicquam illi in diversum, sinè expresso Principis mandato, auderent. Verùm hi, terriculamentis istiusmodi, jus suum Ordinumque eripi sibi; Constitutionem verò publicam tàm enormi processu rescindi, non passuri, perscripserunt in singulos Districtus ea, quæ à Vicariis accepissent: utique liberâ Deputatis, stato die conveniundi, relictâ facultate. Unde factum, ut jam non certo numero Deputati; sed ipsi Ordines, quietis sedibus, per istam Vicariorum intemperiem exciti, constitutâ die concurrerint. Quorum congregationem impedituri, aut certè per factiones, & Ordinum separationem, divulsuri illi, authores fuêre Cæsari, scribendi ad Pragenses, & blandè gratias agendi, pro fide erga se declaratâ; quòd nullum è suis Civibus proximè-habito, in Collegio Carolino, conventui interesse permiserint: missâ simul in eam rem literarum formulâ. Paret Imperator, & ad deformes grates provolvitur. Gliscente jam palàm, hinc Vicariorum importunitate; indè, sive Defensorum, sive Ordinum perseverantiâ: redduntur singulis Urbibus Pragensibus eucharisticæ illæ literæ; non tàm ullius Cæsareæ gratiæ testes, quàm, instar pomi Eridos, in nervum erupturarum discordiarum semina. Illarum enim obtentu hoc agebatur; ut Civitates Pragenses, per contemtum Defensorum, Collegioque palàm irrogatam contumeliam, renuntiarent Constitutionis publicæ, non minùs pro se, totoque tertio Civium, quàm Baronum Equitumque Ordine, introducto beneficio; ejurarentque commune sibi, cum Statibus Euangelicis, solenne illud jus Patronatûs. Quod ut occultiùs optabiliúsque fieret: subministrata fuit Palæo-Pragensium Senatui, per Secretarium Michnam, copia Renuntiationis, specie formulæ responsoriæ ad Cæsareas illas literas epistolæ: eademq; Neo-& Micro-Pragensibus per Præfectos, tàm strenuè frigidam suffundentes; ut negarent, vel latum unguem ab ejus, sive verborum contextu, sive sententiarum periodis, recedendum; multò minùs mentionem ullam Constitutionis publicæ faciendam; acerbè iis, qui id suffragiis suis sive suadere, sive probare ausi essent, increpitis. Mox itum ad exauthorationem Defensorum, è Civibus Pragensibus, in publicis Comitiis, à toto Ordine (non verò ipsis Urbibus) electorum; adeò, præter incompetenter exercitam jurisdictionem, impotenter obitam: ut illis, legum jurisjurandique, totius Regni communitati præstitæ, religionis tenacibus, nec publico munere, clàm Ordinibus extraque Comitia, privatim abire volentibus, Cæsarei interdicti rigore, omni Collegarum societate abstinendi, non sinè gravissimâ indignationis Cæsareæ denuntiatio-

tiatione,necessitas imponeretur. Et quidem tàm effusa Neo-Pragensium Pręfecti licentia erat: ut & audentiores conticere juberet,& accepta à Graphiario Exceptionum,necessitati isti concussioniq; oppositarum, ex Protocolo apographa,pro lubitu suo,induceret,immutaret; sicque interpolata, falsi securus, ad Cæsarem mittenda,Michnæ tradere non verecundaretur.

His ità,ex parte Cæsaris,in Urbibus Pragensibus, per Ministros peractis, ac cæteris consequenter Urbibus perculsis; Ordines frequentes conveniunt: &,cognitâ,non solùm Defensorum quorundam frivolâ,sed probrosâ exauthoratione; verùm etiam Senatûs triurbis Pragensis, sui & Religionis curâ, abdicatione; ne acta per silentium probare viderentur: Literas,ex more antehàc à Defensoribus usurpato,in Senatum,per Nobiles quosdam,non solis Senatoribus, sed Decurionibus quoque ac Tribunis Plebis,adeóque universæ Civium Communitati, Euangelicam religionem profitentibus, inscriptas, mittunt; illorumque Deputatos,nî proditam ex parte suâ Religionem velint, adjungi sibi postulant.Sed ob machinationes Pontificiorum,convocationem, quorum interfuit,prohibentium, ad extremum verò cœtu eorum se excludi recusantium,ideóque nimis importunè, postulata Ordinum interpretando, aut scopticè cavillando,falcem in alienam messem immittentium,nihil obtineri potuit,tantisper: dum,orto jam tumultu,Cives Euangelici, spretâ Prætorum cæterorumque Pontificiorum Senatorum obluctatione,magìs ipsorum, quàm suæ saluti consulturi, & jam-jam in seditionem erupturum Populum cohibituri, eoque Pontificiorum exterminationem,vel saltèm Cœnobiorum vastationem prohibituri, missis ad Ordines primariæ authoritatis Viris, se Religionem Constitutionemque publicam illibatam velle,professi fuissent.

Sed Ordines,non exspectatâ Civium Pragensium sive resipiscentiâ,sive impetu ac bonâ æmulatione, postquam diù multumque, expediendæ Defensorum suæque saluti, nec-non conservandæ Autonomiæ, adversùs prædictas Ministrorum regiorum molitiones,consilium habuissent; ad extremum viam inierunt, quam & necessariam, & compendiosissimam, & juri suo,tanquam Legibus patriis conformi, & ex Protestatione suâ *(ut,si quemquam contingeret, adversùs Constitutionem regiam,Transactionem Ordinum, & Amnestiam sancitam,vel minimum moliri, ex lege Majestatis, perduellionatûs ille teneretur)* repetito, convenientissimam,ipsa eis ratio dictaverat. Rogârunt enim Vicarios: *Numquid ipsi interdictorum,Cæsareo nomine Defensoribus insinuatorum,& tàm expediti consilii,unâ scilicet ruinâ universos Ordines subvertendi, authores essent?* Illis autem omnibus, excepto Slavvatâ & Smeczansky, post longas tergiversationes,culpæ affinitatem à se removentibus; his verò, tàm ad Ordinum interrogata,quàm asseverationem istam Collegarum, obmutescentibus: per quendam celebratæ eloquentię Virum,vim juris-jurandi,non minùs toti Ordinum ac Reipublicę communitati,quàm Regi, præstiti, eis explicari, & juxtà consilia ipsorum ad eam,legesque patrias,examinari ac expendi,curârunt; & exprobratâ eis perjurii,ac in Ordines conspirationis,notoriâ improbitate,Protestationem illam,

ante octennium solenniter in Acta relatam, per Baronem Rziczanium publi-
cârunt, in hunc penè modum publicè arguentes: *Cùm notorium sit, Barones*
Slavvatam & Smeczansky, posthabitâ omnis salutis publicæ curâ, hoc pravis suis consiliis
egisse unicè; ut, oppressis jam Grabiensibus Braunoviensibusq́; perculsis Defensoribus, pro-
hibitis de re Ecclesiasticâ consultationibus, vetitisq́; legitimis Ordinũ conventibus, non so-
lùm Constitutionem Transactionemq́; publicam, adeóq; in cæteris istas potiores ac funda-
mentales Regni leges, subverterent; sed etiam, diffamando ipsos Status ac Ordines, quasi
alienorum Subditorum corruptores exsisterent, & adversùs Regem, Dominumq́; suum,
conventus ac illicita Collegia agitarent, inaudita hactenus scelera eis imputare; ac conse-
quenter, ex priore calumniæ capite, prævaricatoriè capitis eos arcessere; ex posteriore verò,
Majestatis nimis impotenter ac insidiosè postulare, non dubitaverint: Se, vigore Protesta-
tionis suæ, Legumq́; patriarum, in turbatores pacis publicæ omnium manus armantium,
subnixos, cæterùm extremâ necessitate compulsos, ad succurrendum proditionibus ipsorũ
labefactatæ Reipublicæ, adigi. Proindè suam sibimet illi acceptam ferrent perniciem, in
quam tàm luculentâ perfidiâ incurrissent. Stare enim Ordinibus sententiam, istâ die, cer-
tum edendi in posteritatem, & summæ multorum annorum patientiæ documentum, &
memorabile expressi zeli impetûsq́; antiqui argumentum. Postquàm perorâsset
Rziczanius; continuò duos illos pertinaces in præceps jaciunt: paulò pòst,
quasi in cumulum, adjicientes Secretarium, Philippum nomine, è scholâ Je-
suitarum ad id honoris progressum: qui ardelio, intempestivâ Ordinum in-
terpellatione, infortunium id famamque sibi comparavit: ac indubiè pro
Michnâ, pridie ejus diei aliquid mali sagaciùs subodorato, ideóque ab Urbe
profugo, vicem istam obiit.

Sumto ità de nocentioribus, tanquã manifestis Reis, (quorũ improbo ausu
Respublica in maxima pericula devenisset; quiq;, fœda ac crudelia facinora in
Ordines Patriamq; parâsse, partim indicio suo cõvicti, partim confessi essent)
more Majorum, supplicio; si tamẽ supplicium dicendum est, eorum in proxi-
mam, eamq; declivem, fossam præcipitatio: Ordines censuerũt, nequaquam è
re fore, si residui illorum ad clavum Reipublicę diutiùs sedere permitterentur;
cujus administratione indignos se, per ratihabitionem tantorum facinorum,
comprobaverant: ideóq; iterũ ex officio sibi coëundum, ac de necessariâ quoq;
Defensione in commune consulendum sibi esse. Præcavendæ igitur rerum o-
mnium cõfusionis, sistendorumq; ulteriorum motuum causâ, commendarũt
Rempublicã triginta Viris, è singulis Ordinibus decem per suffragia lectis, ac
Directorum titulo insignitis: tantisper scilicet, donec Reipublicæ, quæ tùm in
paucorum potentiam atq; ditionem concesserat, aliter prospiceretur. Nec ob-
liti suæ erga Principem reverentiæ, eos tàm pro illo, quàm pro hac, sacramen-
to adegerunt, non sinè hac expressâ mandati clausulâ: Ut omnia consilia sua
ad utriusq; salutem dirigerẽt. Quo pacto nihil aliud agere visi sunt, quàm præ-
cavere deformem Anarchiam, aut Pontificiorum expetitam à Plebe interne-
cionem. Deniq;, redditâ Principi per literas, prolixè in eam rem scriptas, facti
ratione, nequaquam exsuerunt ejus erga ipsum reverentiam; sed veriùs, effla-
gita-

gitato ejus in Regnum reditu,& juxtà ingravescentibus malis petito ex ipsius præsentiâ remedio,confirmârunt. Inter alia verò etiam considerantes omnium istorum malorum flabella,unanimes in hoc Decretum consenserunt: *Ut Jesuitæ ex toto Bohemiæ Regno,tanquam hostes illius,ac publicæ pacis salutisq; perturbatores,exigantur.* Quod Decretum,die 2.Junii,anno 1618.Jesuitis ab Ordinibus est transmissum; *Ut videlicet,intra octidui spatium,Regno excedant,ac nunquam in illud redeant:* intereà temporis autem,ante Collegium ipsorum,foresq; Templi,ad quinquaginta Sclopetariorum,ne à Plebe vis eis afferretur,dispositi fuerunt. Sed & aliud Decretum Ordinum, ad Jesuitas pertinens, in Hypocausto Provinciali publicè prælectum est,in hanc sententiam: Jesuitæ ex Bohemiæ Regno proscripti ab Ordinibus.

BARONIBUS, Equitibus, Pragensibus,Cuttebergensibus,& aliarum Civitatum Legatis,omnibus tribus unitis Ordinibus Regni Bohemiæ,qui Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi sub utrâq; specie accipiunt, & Confessionem Bohemicam amplecti se profitentur,in Arce Pragensi unanimiter nunc congregatis,satìs & communiter constat, quantis periculis & incommodis laudatissimum hoc Bohemiæ Regnum,tot jam annis,indè à primo hypocritica Secta Jesuiticæ in illud ingressu,assiduè expositũ fuerit; quámq; frequentes mutationes atq; turbas illud adhuc experiatur: quæ omnia Nos Ordines,nostri Subditi,aliiq; Regnicolæ,gravissimè ferre & experiri,nec minùs tamen corpus & bona quoq; nostra propterea impéndere cogimur. Re-ipsâ autem comperimus,horum malorum omnium nullam potiorem causam,quàm dictam pestilentem Jesuitarum Sectam,exsistere: ut quæ unicè id sibi propositum habet,quomodo Sedem Romanam firmare,omniaq; totius Mundi Regna & Provincias sub potestatem suam redigere possit; ac ne Deum quidem reverens,omnia ubiq;,quæ ad eam rem facere possint,sedulò faciat; laudatissimos Principes politicos adversùs se invicem concitet; inter Ordines regiorum, diversam Religionem foventium,dissidia & seditiones excitet; Magistratus adversùs Subditos,& Subditos contra Magistratus suos,incitet; Reges & Unctos Domini,per considerationem Dei omnipotentis & Conscientiæ suæ,ad nutum ipsorum se componere nolentes,cujusq; Sicarii libidini exponat; ac sceleratos quosque, ad ejusmodi parricidia in Regibus perpetranda,peculiari salutis æternæ consequendæ,& Purgatorii evitandi,promissione,animet; Amicos adversùs invicem committat; in secreta omnia per auricularem confessionem suam inquirat; conscientiis hominum laqueum immittat,easq; ità constringat, ut,sinè consensu ipsorum, ne quidem quod bonum sit facere audeant. Quemadmodum etiam Secta ista thesauros ingentes,Templariorum exemplo,sibi comparavit; in politicam gubernationem se-se immiscuit; & iis, qui Romanam religionem non amplectantur,fidem servandam nullam esse,docuit,Hæreticos eos proclamando. Cujus rei testimonia satìs manifesta & perspicua, Gallia, Anglia, Ungaria, Transsylvania, Venetiæ, Belgium, & Regna Regionesq; alia, suppeditant. In hoc-ipso quoque Bohemiæ Regno, cùm, post perpessas,ex indubio ipsorum instinctu, afflictiones varias, Christianæ nostræ Religionis nomine, pro futurâ providentiâ contra ipsos, ac dolos ipsorum, Regales Majestatis literas, à Cæsare Rudolpho, Rege ac Domino nostro, super libero Religionis exercitio, obtinuissemus; & Pacta cum illis, qui sub Unâ communicant, de non vituperando,criminando,ac se-se invicem damnando,iniissemus,quò utraq; pars religione suâ liberè

ante octennium solenniter in Acta relatam, per Baronem Rziczanium publicârunt, in hunc penè modum publicè arguentes: *Cùm notorium sit, Barones Slavvatam & Smeczansky, posthabitâ omnis salutis publicæ curâ, hoc pravis suis consiliis egisse unicè; ut, oppressis jam Grabiensibus Braunoviensibusq;, perculsis Defensoribus, prohibitis de re Ecclesiasticâ consultationibus, vetitisq; legitimis Ordinū conventibus, non solùm Constitutionem Transactionemq; publicam, adeóq; in cæteris istas potiores ac fundamentales Regni leges, subverterent; sed etiam, diffamando ipsos Status ac Ordines, quasi alienorum Subditorum corruptores exsisterent, & adversùs Regem, Dominumq; suum, conventus ac illicita Collegia agitarent, inaudita hactenus scelera eis imputare; ac consequenter, ex priore calumniæ capite, prævaricatoriè capitis eos arcessere; ex posteriore verò, Majestatis nimis impotenter ac insidiosè postulare, non dubitaverint: Se, vigore Protestationis suæ, Legumq; patriarum, in turbatores pacis publicæ omnium manus armantium, subnixos, cæterùm extremâ necessitate compulsos, ad succurrendum proditionibus ipsorū labefactatæ Reipublicæ, adigi. Proindè suam sibimet illi acceptam ferrent perniciem, in quam tàm luculentâ perfidiâ incurrissent. Stare enim Ordinibus sententiam, istâ die, certum edendi in posteritatem, & summæ multorum annorum patientiæ documentum, & memorabile expressi zeli impetûsq; antiqui argumentum.* Postquàm perorâsset Rziczanius; continuò duos illos pertinaces in præceps jaciunt: paulò pòst, quasi in cumulum, adjicientes Secretarium, Philippum nomine, è scholâ Jesuitarum ad id honoris progressum: qui ardelio, intempestivâ Ordinum interpellatione, infortunium id famamque sibi comparavit: ac indubiè pro Michnâ, pridie ejus diei aliquid mali sagaciùs subodorato, ideóque ab Urbe profugo, vicem istam obiit.

Sumto ità de nocentioribus, tanquā manifestis Reis, (quorū improbo ausu Respublica in maxima pericula devenisset; quiq;, fœda ac crudelia facinora in Ordines Patriamq; parâsse, partim indicio suo cōvicti, partim confessi essent) more Majorum, supplicio; si tamē supplicium dicendum est, eorum in proximam, eamq; declivem, fossam præcipitatio: Ordines censuerūt, nequaquam è re fore, si residui illorum ad clavum Reipublicę diutiùs sedere permitterentur; cujus administratione indignos se, per ratihabitionem tantorum facinorum, comprobaverant: ideóq; iterū ex officio sibi coëundum, ac de necessariâ quoq; Defensione in commune consulendum sibi esse. Præcavendæ igitur rerum omnium cōfusionis, sistendorumq; ulteriorum motuum caussâ, commendarūt Rempublicā triginta Viris, è singulis Ordinibus decem per suffragia lectis, ac *Directorum* titulo insignitis: tantisper scilicet, donec Reipublicæ, quæ tùm in paucorum potentiam atq; ditionem concesserat, aliter prospiceretur. Nec obliti suæ erga Principem reverentiæ, eos tàm pro illo, quàm pro hac, sacramento adegerunt, non sinè hac expressâ mandati clausulâ: Ut omnia consilia sua ad utriusq; salutem dirigerēt. Quo pacto nihil aliud agere visi sunt, quàm præcavere deformem Anarchiam, aut Pontificiorum expetitam à Plebe internecionem. Deniq;, redditâ Principi per literas, prolixè in eam rem scriptas, facti ratione, nequaquam exsuerunt ejus erga ipsum reverentiam; sed veriùs, efflagita-

gita-

gitato ejus in Regnum reditu, & juxtà ingravescentibus malis petito ex ipsius præsentiâ remedio, confirmârunt. Inter alia verò etiam considerantes omnium istorum malorum flabella, unanimes in hoc Decretum consenserunt: *Ut Jesuitæ ex toto Bohemiæ Regno, tanquam hostes illius, ac publicæ pacis salutisq; perturbatores, exigantur.* Quod Decretum, die 2. Junii, anno 1618. Jesuitis ab Ordinibus est transmissum; *Ut videlicet, intra octidui spatium, Regno excedant, ac nunquam in illud redeant:* intereà temporis autem, ante Collegium ipsorum, foresq; Templi, ad quinquaginta Sclopetariorum, ne à Plebe vis eis afferretur, dispositi fuerunt. Sed & aliud Decretum Ordinum, ad Jesuitas pertinens, in Hypocausto Provinciali publicè prælectum est, in hanc sententiam:

Jesuitæ ex Bohemiæ Regno proscripti ab Ordinibus.

BARONIBUS, Equitibus, Pragensibus, Cuttebergensibus, & aliarum Civitatum Legatis, omnibus tribus unitis Ordinibus Regni Bohemiæ, qui Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi sub utrâq; specie accipiunt, & Confessionem Bohemicam amplecti se profitentur, in Arce Pragensi unanimiter nunc congregatis, satìs & communiter constat, quantis periculis & incommodis laudatissimum hoc Bohemiæ Regnum, tot jam annis, indè à primo hypocriticæ Sectæ Jesuiticæ in illud ingressu, assiduè expositũ fuerit; quámq; frequentes mutationes atq; turbas illud adhuc experiatur: quæ omnia Nos Ordines, nostri Subditi, aliiq; Regnicolæ, gravissimè ferre & experiri, nec minùs tamen corpus & bona quoq; nostra propterea impéndere cogimur. Re-ipsâ autem comperimus, horum malorum omnium nullam potiorem causam, quàm dictam pestilentem Jesuitarum Sectam, exsistere: ut quæ unicè id sibi propositum habet, quomodo Sedem Romanam firmare, omniaq; totius Mundi Regna & Provincias sub potestatem suam redigere possit; ac ne Deum quidem reverens, omnia ubiq; quæ ad eam rem facere possint, sedulò faciat; laudatissimos Principes politicos adversus se invicem concitet; inter Ordines regiorum, diversam Religionem foventium, dissidia & seditiones excitet; Magistratus adversùs Subditos, & Subditos contra Magistratus suos, incitet; Reges & Unctos Domini, per considerationem Dei omnipoténtis & Conscientiæ suæ, ad nutum ipsorum se componere nolentes, cujusq; Sicarii libidini exponat; ac sceleratos quosque, ad ejusmodi parricidia in Regibus perpetranda, peculiari salutis æternæ consequendæ, & Purgatorii evitandi, promissione, animet; Amicos adversùs invicem committat; in secreta omnia per auricularem confessionem suam inquirat; conscientiis hominum laqueum immittat, easq; ità constringat, ut, sinè consensu ipsorum, ne quidem quod bonum sit facere audeant. Quemadmodum etiam Secta ista thesauros ingentes, Templariorum exemplo, sibi comparavit; in politicam gubernationem se-se immiscuit; & iis, qui Romanam religionem non amplectantur, fidem servandam nullam esse, docuit, Hæreticos eos proclamando. Cujus rei testimonia satis manifesta & perspicua, Gallia, Anglia, Ungaria, Transsylvania, Venetiæ, Belgium, & Regna Regionesq; alia, suppeditant. In hoc-ipso quoque Bohemiæ Regno, cùm, post perpessas, ex indubio ipsorum instinctu, afflictiones varias, Christianæ nostræ Religionis nomine, pro futurâ providentiâ contra ipsos, ac dolos ipsorum, Regales Majestatis literas, à Cæsare Rudolpho, Rege ac Domino nostro, super libero Religionis exercitio, obtinuissemus; & Pacta cum illis, qui sub Unâ communicant, de non vituperando, criminando, ac se-se invicem damnando, iniissemus, quò utraq; pars religione suâ

liberè

liberè, ac citra impedimentum, defungi posset; eaq; Majestas sua nobis confirmâsset, inq; Tabulas publicas, majoris confirmationis ergò, omnia ista inserenda curâsset; veriti non sunt, posthabitâ pœnarum, Majestatis literis expressarum, comminatione, in contemtum dictarum Majestatis literarum, nos Ordines sub Utrâq;, pro concionibus suis, atque etiam in scriptis publicè sparsis, audacter calumniari, ac tanquam Hæreticos condemnare; verba literarum Majestatis in alienum & contrarium sensum trahere, ac si literæ illæ ad Cæsareæ Majestatis, Cameræq; regalis, Monasteriorum itèm & Ecclesiasticorum, nec-non Ordinum sub Unâ, Subditos minimè pertinerent: non minùs etiam Cæsaream, ac Regiam in Bohemiâ, authoritatē ac potestatem imminuere ausi, publicè dictitantes, Majestatem illius Literas tales, Religionem concernentes, fidelibus suis Subditis, sinè Pontificis Romani consensu, dare non potuisse; cùm tamen Papa, neq; in nos Ordines, neq; in Regem ac Dominum nostrum, juris quicquam habeat. Quin eò rem adduxerunt, ut Majestatis suæ homines, & Ecclesiasticorū Subditi, atq; etiam nonnullorum ex Ordinibus sub Utrâq;, à Religione suâ, ad alteram sub Unâ, per incarcerationes, aliaq; ad hoc excogitata nequissima media, publicè, etiam sub prætextu ac titulo politici alicujus facinoris, inviti traherētur; Templa ipsis præcluderentur, & aliquibus in locis solo æquarentur; Religionis exercitia prohiberentur; omnia Regis, Regniq; ac Civitatum, officia primaria, non nisi ab illis, qui sub Unâ sunt, administrāda permitterentur; illi verò, qui sub Utrâq; sunt, & quâcunq; occasione, pro Regis & Patriæ bono, ex cōscientiâ suâ locuti sunt, atq; in practicas ipsorum consentire noluerunt, ab officiis, summo cum dedecore & ignominiâ, removerentur; & ad summam, paucis quibusdam Religionis sub Unâ hominibus, perfidis Patriæ filiis, totum regimen directioq; Regni istius, in manus traderetur: quorum operâ pestilens hæc Secta, dilectæ nostræ Patriæ gravem casum & interitum; nobis verò fidelibus illius amatoribus extremam perniciem & exterminationem, accelerare studuit; ac suo quasi ductu nutuq;, penitissimam omnium nostrûm ruinam nobis jam attraxissent; nisi Deus solus, ex singulari magnâq; gratiâ & misericordiâ, quâ salvificum Verbum suum ac Nos prosequitur, illud præcavisset. Cùm igitur malorum omnium in hoc Regno authores sint: indigni quoq; sunt, qui in eo diutiùs vivant ac tolerentur. Quocirca, ex omnibus præcedentibus, aliisq; justis causis, animadvertentes, quamdiù Sectæ isti perniciosissimæ locus aliquis in Regno relinquatur, mala ista finem nullum habitura esse, nec pacem in Regno constantem fieri posse; sed & Regem in-primis, & nos Ordines omnes, cum uxoribus liberisq;, corporibus ac bonis nostris, in perpetuo ac summo periculo versari oportere; Notum facimus omnibus, quòd deliberato consilio, & omnium Ordinum impetrato consensu, totum Ordinem Jesuiticum, ex hoc Regno, & ex omnibus Civitatibus ac locis ejusdem, ubi nunc Collegia ac sustentationem suam habent, nimirùm ex Urbibus Pragensibus, Crumano, Commotavio, Neuhusio, Glacio, omnibusq; aliis locis, quibus in hoc Regno fuerunt, & adhuc sunt, & quibus id priùs denuntiavimus, proscripserimus, & præsentibus hisce literis in æternum proscribamus: ità ut omnes, quotquot illorum adhuc in quibuscunq; locis, & apud quoscunque, in Regno hoc sunt, eo quietè excedere; & nullo unquam tempore in perpetuum, quâcunq; ratione excogitari posset, ne sub alterius quidem Ordinis titulo, in Regnum istud redire debeant. Quòd si quis autem ex illis, ubicunq;, aut apud quemcunq;, aut quocunq; prætextu, deprehendatur ac inveniatur: de eo, & omnibus illum, aut

ali-

aliquos ex illis, excipientibus foventibusq; , tanquam perturbatoribus Reipublicæ, & manifestis hostibus, ex Regni Constitutionibus, certissima pœna sumatur. Nullus etiam sæpè-dicto Jesuitarum Ordini, post hanc semel factam ex Regno proscriptionem, neq; ad Romani Pontificis, aut cujusquam alterius intercessionem, nec quácunq; aliâ ratione, dolo humano excogitatâ, reditus in Regnum istud patere debet. Et quámvis unquam in-posterum, quibuscunq; id artibus fieret, (quarum illi admodùm gnari sunt) id ab ipsis tentaretur, & in generalibus Comitiis, aut etiam extra illa, de receptione ipsorum in Regnum, tractaretur: tùm nullus ex Ordinibus Regni hujus, pœnâ quietis publicæ turbatoribus debitâ, in eum, qui id faciat, constitutâ, pro illis intercedat. Notum id, Literis hisce publicis, ad perpetuam futuram memoriam, facere omnibus volumus. Alios tamen Ordines sub Unâ, in Monasteriis & alibi viventes, & quietos se gerentes, hac proscriptio minimè tangit; sed ad solos sæpè-dictos Jesuitas illa pertinet: quippè quæ pestilens ac seditiosa Secta, jam-pridem, ob perniciosos suos laqueos, quos Magistratibus politicis, totisq; adeò Provinciis, tendere solet, tàm à Magistratibus illis, quam etiam Romanæ Ecclesiæ addictis Ecclesiasticis, ex aliis quoq; Regnis ac Provinciis, quietis in illis reparādæ caussâ, proscribi meruit, & adhuc proscripta manet. In cujus rei testimonium, Literæ hæ publicæ, sigillis certarum personarum ex nostro numero, nomine omnium nostrorum trium Ordinum Regni istius sub Utrâq; , munitæ sunt. Actum in arce Pragensi, die Sabbathi post festum Pentecostes, 9. Junii, anno 1618.

Jesuitæ igitur, tempore constituto emigrandi adveniente, Regno Bohemiæ excesserunt; & in alias Regiones, præsertim autem Viennam & Bambergam, se distribuerunt. Sunt qui dicant; Jesuitis Pragâ, post lamentabilem concionem valedictoriam, tanquam tristi procesione funerariâ, egressis, ad quinquaginta cados pulveris pyrii, quo templa Euangelica displodi debuissent, cum multo alio bellico apparatu, in Collegio ipsorum repertos fuisse. Imperatrix quoque ipsa ad Cæsaris pedes provoluta, ac ne tantam injuriam in Bohemicis Ordinibus inultam velit, deprecata esse dicitur: id quod ei Cæsar condixerit. Motibus autem Bohemicis, post hæc, non decrescentibus, sed indies magìs atque magìs accrescentibus: cui camino Jesuitæ, cum suis complicibus, abundè olei affudêre; donec is in apertam flammam cruenti belli erumperet; quod vicinas quoque Provincias ac Regna simul comprehendit & invasit: ipsi quoque proin ex quibusdam aliis Regionibus, ob pariles caussas, proscripti & ejecti fuêre. Quam in rem, sequente anno 1619. ab Ordinibus Marchionatûs Moraviæ, sequens Decretum contra Jesuitas factum, & promulgatum est.

Nos N.N.N. Barones, Equites, & Personæ ex Regionibus & Incolis Marchionatûs Moraviæ, qui Religioni Euangelicæ addicti, Corpus & Sanguinem Domini & Servatoris nostri Jesu Christi sub utrâq; specie participamus, & nunc in urbe Brinnensi congregati sumus, notum facimus palam omnibus per literas hasce, ubi illæ legentur, aut legi audientur, ac præsertim ubi id opus fuerit: Qualiter Nobis, à Dominis Ordinibus Regni Bohemiæ, hoc non solùm per typis editam Apologiam, sed etiam per plura & varia scripta documentaq; , significatum, quin-imò jam antè per universum Orbem notorium factum est;

Jesuitæ ex Moraviâ quoq; proscripti.

quantæ practicæ, Jesuiticæ Sectæ instinctu, ut in dicto Bohemiæ Regno, sic in aliis quoque Regionibus ac Provinciis, usq; & usq; agitatæ fuerint: quibus multi Principes vitâ privati sint; ipsiq; Jesuitæ magnorum ac violentorum motuum bellicorū, profusionisq; innocentis sanguinis, omnimodò authores ac rei deprehensi. Similiter etiam intelligimus, ab ipsis Jesuitis, præsentium motuum, quibus Marchionatus Moraviæ, dilecta Patria nostra, non tantùm gravi ære alieno premitur, verùm etiam ad extremam perniciem redactus est, causas subministratas fuisse. Unde illos pro talibus practicantibus ac seditionum authoribus habemus, qui à malis falsisq; consiliis desistere nolint: ideóq; unanimiter conclusimus, ipsos sæpè-dictos Jesuitas, ex hoc Marchionatu Moraviæ, in perpetuum proscribere ac rejicere. Quapropter Vobis Rectoribus, Magistris, Præceptoribus, cunctisq; Jesuitis, qui in hoc Marchionatu Moraviæ, sive in Urbibus ac Pagis, sive quibusvis aliis locis, jam degitis, hisce seriò mandamus: ut Commissariis à Nobis ad Vos ablegatis, nunc quam-primùm, ac citra moram & exceptionem omnem, claves Templorum & Collegiorum tradatis, indéq;, post publicationem Literarum harum patētium, è Marchionatu hoc Moraviæ discedatis; dilectam hanc Patriam nostram fugiatis ac vitetis; nec quenquam vestrûm, aut Sectæ vestræ addictum, futuris perpetuis temporibus, unquam, quocunq; prætextu aut specie id fieret, in hoc Marchionatu Moraviæ, deprehendi sinatis. Quòd si verò aliquis vestrûm, ultra hanc communem denuntiationem nostram, porrò in hac Regione, ubicunque locorum, substiterit, is, citra ullam gratiam, aut processum judiciarium, à quibuscunq; ex nobis Ordinibus deprehensus fuerit, capitis supplicio luet. Quâ de re, cùm certa hæc voluntas nostra vobis constet ac palam sit; vestrum est, ità, & non aliter, vos gerere: ne in-posterum necesse sit, aliâ severitate in vos animadvertere. In cujus rei majorem fidem ac testimonium, Nos initiò dicti Barones, Equites, ac Civitatum Legati, sigilla nostra Literis istis patentibus imprimi fecimus. Datum in urbe Brinnâ, die 6. Maji, anno 1619.

Jesuitæ ex Ungariâ quoq; proscripti.

Non minùs etiam, eodem hoc anno 1619. die 16. Junii, in Ungariâ, ab Ordinibus Regni illius, Decretum in Jesuitas promulgatum est, quo illi ex Ungariæ Regno in perpetuum proscripti fuerunt, in hanc sententiam.

Domini Ordines Euangelici Regni Ungariæ probè reminiscuntur, quòd Jesuitæ, mox ab eo tempore, quo, imperante Ferdinando Cæsare, in Ungariæ Regnum introducti sunt, multas & varias discordias practicis suis excitaverint: quin eo magìs adhuc commoti sunt, quòd consilio & culpâ ipsorum Rudolphi Imperatoris, laudatissimæ memoriæ, tempore, bellum Turcicum in cassum abierit. Romanus siquidem Episcopus (id quod Dominis Ordinibus Regni Ungariæ benè constat) Rudolphum Cæsarem vehementer fuit exhortatus, ad bellum Turcicum cum pace commutandum; omnemq; belli molem adversùs Hæreticos, qui bello illo Turcico succrescerent, convertendam. Id quod etiam sic factum, bellumq; Turcicum, (quod sedecim continuos annos duraverat) non exiguo tamen cum despectu & contemtu totius Christianitatis, maximè verò Regni Ungariæ, & ineffabili damno, multis potentibus & insignibus Familiis excisis, aut exspoliatis, præpeditum fuit. Quantam enim sanguinis profusionem, per Jesuitarum technas, Imperatoris Rudolphi exercitus, (cui Georgius Basta supremus Dux generalis datus; & Belgiosa, homo exterus, primùm, contra omnem ordinem

ac privilegia Regni Ungariæ, in metropoli Cassoviâ superioris Ungariæ, Capitaneus præfectus erat: qui Templa Scholasq; abstulit; Sacerdotibus & Scholæ magistris, unà cum Studiosis ac discipulis, ex Urbe fugatis) inter Christianos ipsos, in Regno Ungariæ instituerit; universo jam Orbi palàm notum est. Eo verò dicta Secta Jesuitica (cui à Cæsare Matthiâ inprimis magnus & immoderatus progressus est permissus) non contenta, etiam in omnia politica negotia se-se ingessit; omniaq; nostra arcanissima consilia, ad Ungariæ Regnum pertinentia, rescivit; eaq; cuncta, suis practicis, apud Magistratum (rebus omnibus alienum sensum affingendo) irrita reddidit. Quin-imò eadem hæc Jesuitica Secta, publicè pro concionibus sonuit & inclamavit: Hæreticos trucidandos excidendosq; esse; aliasq; graves, ad Regni hujus perniciem facientes, comminationes facere instituit. Quocirca Domini Ordines Regni Ungariæ, Practicantes tales, clanculariosq; Regum ac Principum sicarios, communis Pacis turbatores, Provinciarum & Regnorum proditores, Juventutisq; Christianæ malâ ac perversâ doctrinâ suâ seductores, diutiùs in Regno isto ferre non valentes; eosdem illos, exemplo Dominorum Ordinum Regni Bohemiæ, & Marchionatûs Moraviæ, dilectorum Amicorum ac Vicinorum nostrorum, ut perpetuis deinceps temporibus Regno Ungariæ abstineant, neq; in illud, quâcunq; excogitatâ specie, revertantur, proscripserunt & amandârunt. Quòd si verò aliquis ipsorum Jesuitarum, post factam hanc proscriptionem, in Regno Ungariæ, intra quatridui spatium, deprehensus fuerit; is, sinè omni gratiâ, capitis supplicio luet. Si quis etiam, quicunq; ille fuerit, quempiam de Sectâ hac Jesuitica post exactum quatriduum, in Regno Ungariæ offenderit; eum, tanquam seditiosum ac Regni proditorem, liberè & audacter occidere atq; è medio tollere poterit; nec quicquam propterea luere tenebitur, &c.

Paucis diebus posteà, in generalibus Comitiis congregatorum Ordinum Protestantium in Silesiâ, eodem illo tempore Vratislaviæ celebratis, inter alia Decretum factum est; Jesuitas nunquam in Ducatum illum intromitti, aut in eo recipi debere. Tenor Decreti illius hic est. Jesuitæ etiā ex Silesiâ proscripti.

JOHANNES-CHRISTIANUS, Dei gratiâ, in Silesiâ Dux Lignicensis & Brigensis, supremus Capitaneus in superiore & inferiore Silesiâ, omnibus ac singulis supremi Officii nostri jurisdictioni subjectis, ac subditis nostris, qui literis hisce compellantur, officia ac studia nostra, amicitiam, favorem, gratiam, & omnem salutem, &c. Non dubitamus, quin Dilectionibus Vestris, Dominis, ac Vobis, memoriâ repetentibus id, quod ante hoc tempus, maximè verò 12. Martii, anno 1596. à tùm regnante Cæsareâ atque etiam in Ungariâ & Bohemiâ Regiâ Majestate, sanctæ memoriæ, Principes & Ordines superioris & inferioris Silesiæ, Augustanam Confessionem amplectentes, super pestilente illâ Jesuitarum Sectâ, ac perniciosis consiliis fraudulentisq; machinationibus illius adversùs omnes bonas politias, ordinationes, constitutiones, & communem quietem atque pacem, in omnibus Regionibus, (toto Orbe id contestante) directis, prolixè & graviter, in eum finem subjectissimè petierint; ut, quoniam propositum jam illis sit, in Silesiâ, Patriâ hac nostrâ, considere, firmumq; in eâ pedem figere, ipsi tandem ab eo retineantur, &, quantum fieri potest, prorsùs à Regione istâ excludantur; omninò adhuc constet, neque oblivioni datum sit, quid summè-honorati

ac laudati nostri Antecessores, simul etiam tunc clarè sint protestati: quòd nimirum, recipiendâ Sectâ illâ, jam-tùm suam ipsorum, & successorum suorum, totiusq; adeò Posteritatis, perniciem, & extremum interitum, præ oculis suis habeant, videantq; ideóq; nec apud Cæsaream Majestatem, nec apud vicinas Provincias, neq; etiam apud Posteritatem, excusari poßint: nisi apud suam Cæsaream Majestatem, tanquam supremum divinitùs sibi datum Principem, super hoc sibi imminente exitiali malo quer ularentur; omniaq; media & vias, pro aversione tàm intolerabilis jugi & angustiæ, pertentarent. Etsi verò benignissimus Deus, mediante mirâ suâ gratiâ, & largâ misericordiâ, (pro quâ infinita illi sint gratiæ) tunc temporis, dicta sacra Cæsarea Majestatis, summis virtutibus dotatum animum ità gubernârit, eóq; inflexerit, ut ista omnia clementißimè ad rationis suæ sensa revocârit; hucq; direxerit, ut Regio ista ab inquietis istis hominibus tùm quidem libera manserit: ipsa tamen experientia, proh dolor, jam testatur, ac deplorandum potiùs, quàm probandum est, quòd vicinæ regiones Regni Bohemiæ ab hominibus istis liberi esse nequiverint; quin huc-usque, indesinentibus suis practicis ac persecutionibus, eò cuncta illi protruserint & adduxerint, ut nullus alius effectus fructusq;, quàm in multis aliis Christiani Orbis provinciis, miserandis exemplis, factum est, indè exsistere potuerit; omniaq;, in unâ Regione æquè, ac alterâ, ad cõfusionem ac perturbationem illarum, prout nunc res habet, cedere oportuerit. Quocirca, uti laudabiles Ordines Euangelici aliarum Provinciarum, malum istud, omnimodâ exclusione tàm perniciosorum hominum, semel pro semper, averruncare decreverunt: sic etiam Principes & Ordines, Augustanæ Confeßionis, in hac Regione, omne id, prout decet, maturè ad animum sibi revocârunt, ac, proposito simul ob oculos prædicto laudatißimorum suorum Antecessorum exemplo, justißimis de causis, in hanc unanimem conclusionem consenserunt: cùm dubitandum non sit, non modò id daturos operam alibi locorum proscriptos Jesuitas illos, non minùs atque antehàc facere præsumserunt, ut in hac etiam Patriâ nostrâ se-se per insidias insinuent; verùm etiam nonnullos fautores ac patronos ipsorum hoc ausuros, ut locum ipsis in ditionibus suis permittant: ne igitur hoc ab ipsis, aut aliis, ullâ ratione fiat; Jesuitis quidem, & sequacibus ipsorum, ne in loca ista, & Regionem hanc Silesiam, ullâ ratione ingrediantur, sub capitis pœnâ; aliis verò, ne locum ipsis ullum permittant, sub dignitatis & bonorum omnium amißione, severißimè mandamus. Ut autem nihil propterea dubitamus, laudabiles Status & Incolas hujus Regionis, pacis & quietis studiosos, æquè minùs in Augustanæ Confeßionis Principibus ac Ordinibus, atque in Antecessoribus eorum antehàc, (de quibus suprà dictũ) sinistrè id accepturos; quin potiùs intellecturos esse, non melius utiliusq; principium ac medium, ad constantem pacem, concordiam, ac sinceram Germanicam fidem reparandam, capi posse; quàm si, quantum fieri potest, ab irrequietis istis ac malè-feriatis hominibus, paciq; contrariis practicis ipsorum, liberi ac immunes esse poßint; quibus mediantibus, omnes bonæ Constitutiones, vincula & nervi omnis bonæ fiduciæ, & animorum consensionis, tam inter Magistratus & Subditos, quàm ipsos etiam pacis ac quietis studiosos Catholicos & Euangelicos Ordines, imò unicum illud arctißimumq; humanæ societatis vinculum, quod in datâ fide & pactorum observantiâ consistit, in omnibus Regionibus pervertitur, perforatur, ac disrumpitur. Ita Nos, ex superioritate Officii nostri, & ad certiorem promotionem publici boni, pacis & tranquillitatis conservationem, ac veteris sinceri

teri affectûs propagationem, inter utriusq; Religionis professores, ad petitionem Augustanæ Confessioni addictorum Principum & Ordinum; aliter non decuit; quàm ut modò-dictum unanimiter conclusum Decretum ipsorum, pro uniuscujusq; notitiâ, publici juris faceremus. Dilectiones vestras, Dominos, atq; Vos, amicè, favorosè, gratiosèq; rogantes & exhortantes; nostris autem districtè mandantes: ut quisq; Princeps, Dominus, Status, Officium atque Magistratus, suo loco, certò ac speratò provideat, quò Conclusioni ac Decreto isti, omni occasione, re-ipsâ satisfiat; nec quicquam vel minimum contrà fieri permittatur, indulgeatur, aut conniveatur; nec minùs quisq;, ad quem ista pertinent, à damno, dedecore, & infortunio sibi præcavere nôrit. Dilectionibus vestris, Dominis, ac Vobis, simul ad omnia amica grataq; officia, amico, favoroso, gratiosoq; affectu, pro omni bono, assiduè parati ac proclives. In testimonium, sub Principali nostro secreto ità actum, datumq; Briga, 24. Junii, anno 1619.

Paulò post hæc, magnum Brigæ incendium obortum fuit: quo ad trecentas ædes absumtæ sunt. Incendiariorum tres capti, & fassi sunt, à Jesuitis in Poloniâ se emissos fuisse: taliumque multò adhuc plures esse, qui omni, quo possint, modo Silesiam incendiis fœdare debeant. Jesuitę suos quoque incendiarios habẽt, quibus se-se vindicent.

Quanquàm autem Jesuitæ, prædictis modis, è Regnis & Provinciis istis proscripti essent: ventum tamen meliorem captare, ac potioribus intereà occasionibus in rem suam studère, haud neglexerunt. Ideóque mox post cruentam illam Bohemorum stragem, ante urbem Pragensem, anno 1620. mense Novembri factam, (ubi tùm illi catervatim militibus intermisti inveniebantur) pristinos nidos suos repetierunt; omnique studio id egerunt, quâ ratione ex contrario passim Euangelicos exstirpare, suamq; Papanam idololatriam ac tyrannidem propagare queant. Hinc, militibus comitati, per oppida & pagos vagari; homines noctu invadere; è lectis protrahere; fustibus, oneratis & ad os appositis sclopetis, aliisque inauditis mediis, ad recipiendã Hostiam suam missaticam, adigere. Nonnullos majoris dignitatis homines ità vexârunt: ut nullum illis somnum permitterent; sed unus post alium Jesuita subintrans, finem blaterandi nullum faceret, donec assensum ad partes suas transeundi extorsissent. In pago quodam, non procul ab urbe Pragensi, ipsis, Academiæ Carolinæ nomine, (quam, utì priùs etiam Viennensem, malis suis artibus sibi subjecerunt) juxtà cum multis aliis appropriato, Subditos suos, Papatum amplecti nolentes, post multa nefanda media tentata, per proprios suos Discipulos invaserunt, totosque exspoliârunt. Superiora officia per Regionem, in Civitatibus præcipuè, Jesuitarum promotione, exigui intellectûs, & ad regimen ineptis, imò nauci prorsus hominibus, veluti spuriis, & à patibulo redemtis, Judæis itèm baptizatis & nequam, demandantur: idque in his potissimùm spectatur, quis illorum bonos & honestos Viros, atque Subditos, variis gravaminibus artificiosè torquere nôrit. Res quin-etiam cum Conjugibus eò rediit: ut, qui illorum ad Papismum transit, divortium ab altero facere, & ad alia vota pergere possit; idque iterum, si & hanc personam Euangelicam exsistere contingat. Sed neq; Archiepiscopi Pragensis dignitas, à Jesuitis

Ad pristinos nidos redeuntes, pejùs, quã anteà unquam, se gerunt.

Jesuiticum regimen cujusmodi:

tuta inviolataque mansit. Ei namque non Cancellariatum solùm Academiæ, de jure & officio ipsi competentem, eripuerunt, sibique vendicârunt, verùm etiam mitram prorsus Episcopalem detrahere voluerunt, exterum illum, neq; natum Bohemum dictitantes; alium proinde, qui, vigore Statutorum, Bohemicâ gente oriundus esset, à se substitutum iri: eâque occasione etiam Archiepiscopatum uni alicui de Sectâ suâ lubentes transmisissent. Sic & aliis Ordinibus religiosis, Jesuitarum technis, beneficia sua subtrahuntur minuunturq;: quo ipso omnium illorum odium & invidiam isti incurrũt. Nec multùm gloriabuntur Jesuitæ, quid non adeò pridem, in publicâ quâdam Disputatione, apud Minoritas Pragenses, ad S. Jacobi, ignominiæ exinde retulerint.

Jesuitæ ex Transsylvaniâ jamdudùm proscripti.

In Transsylvaniâ, Jesuitæ, ob notorias audacissimasque molitiones suas, jam-dudùm, anno videlicet 1590. publico Ordinum Principatûs illius decreto, totâ Provinciâ proscripti & ejecti sunt. Nec tamem cessârunt seditiosi homines: sed authores fuerunt clandestinis suis consiliis, ut SIGISMUNDUS BATHORIUS, Transsylvaniæ Princeps, varios motus concitaret; nonnullos ad perniciem persequeretur; bello inextricabili se implicaret; ac deniq; miser & inglorius, amisso Principatu suo & dignitate, vivere, atque in custodiâ perire, cogeretur.

Eorundem operâ quoque STEPHANUS POTSCAJUS, & ipse Transsylvaniæ Princeps, cruentæ Sectæ huic se animosè opponens, tandem veneno propinato, è medio sublatus est, anno 1607.

Post aliquot annos, sub Principe GABRIELE BATHORIO, dolis, ac tandem conjuratione sanguinolentâ, aditum sibi rursus in hanc Provinciam parare conabantur: idq; hac occasione. Erat in aulâ Principis, præcipuæ nobilitatis Vir, Religione Pontificius, gente & nomine Balthasar Kornis. Is, permissu Principis, cujus gratiâ adulatione & obsequio sibi conciliaverat, alebat in familiâ Jesuitâ, peculiari privilegio: cùm nemini id præterea concederetur, ex lege, quâ Monachi isti aditu Provinciæ prohibẽtur. Erat autẽ annexa concessioni conditio: ut sacra is tantùm curaret; Rempub. non attingeret; neminem ex reliquâ Societate alliceret; Juventuti informandæ nullam operam daret: & si quæ alia sunt, quibus genus istud hominum, maximam Orbis partem, in venerationem & admirationem sui pridem pellexit. At vir bonus, qui aëre faciliùs caruisset, quàm ab instituto Sodalitii sui recessisset vel tantillum, Dominũ suum solicitè instigare: ut Patribus accessum in Provinciã aperiret; Principem in partes suas pertraheret; cultum Papisticũ restitueret. Qui diligentem quidẽ & sedulam operã rei navabat: sed cùm nihil proficeret, nihilq; impetraret, ad alia consilia, impellente haud dubiè Jesuitâ, conversus est. Indè insidiæ Principi fieri cœptæ: in caput ejus conjuratum: alii magnę authoritatis Viri, & inter eos Cancellarius Bendis, qui fugâ posteà salutẽ sibi peperit, in consortium pertracti; sed (ut accidere plerumq; solet) infelici eventu. Detecta enim conspiratio est. Ubi id ad notitiam Principis pervenit; ille dissimulare initio: ubi autem periculum augeri, cõsilia procedere vidit; accitis iis, quorũ

Vel unicus Jesuita totã Provinciam turbare valet.

fidei

fidei maximè se permittebat, rem aperit: militē clàm acciri, & in insidiis collocari extra Urbem, jubet. Indè venatum proficiscitur, stipatus fortissimorum Virorū non-contemnendâ manu: educit unà conjuratos. qui ignari, quid animi gereret, Principem comitantur: & occasione arreptâ, quòd superiores se viribus esse, aut pares saltèm, existimarent, aggredi instituunt. Nec mora, unus è complicibus, educto acinace, rectà illum petit. At is curru, quo ad insidias tegendas vehebâtur, exsiliens, generosissimo equo confestim conscenso, vim repellit. Accurrunt satellites; accurrit ex insidiis miles: comprehenduntur precipui ex conjuratis, & necantur. Reversus in Urbem, magnam Adversariorum stragem edidit: sic securitati suæ in posterum prospexit.

DE TURBIS ET PERSECUTIONIBUS, IN STYRIA, CARINTHIA, ET CARNIOLA, PER JESUITAS EXCITATIS.

CAPUT VII.

VT Jesuitæ in omnes terras & provincias, longè lateq;, fraude dolisque, irrepserunt: ità & in Styriam suis se-se artibus, exiguo quidem ab initio numero; at mox in immensum sic aucto, ut jam vix Styria, Carinthia, & Carniola, simul illos capere possit, intruserunt. Et cùm id genus hominum nil, nisi crudelitatem sub hypocrisi, spiret: ibidem eandem, præsertim Græcii, quæ est Styriæ metropolis, quam aliis in locis antehàc & tentârunt, & egerunt Tragœdiam, mutatis solummodò personis, renovârunt. Inprimis autem CAROLI, Archiducis Austriæ superioris, animum, adversùs Subditos innocentes & fideles, exacerbârunt; atque eò, unà cum iis, qui stabant ab illorum partibus, adduxerunt: ut persecutionē gravissimam, temporibus iis, quæ aliàs, ob Turcicam expeditionem, aliaq; incōmoda, periculosissima erant, adversùs Protestantes institueret. Cujus semel atq; iterum præludia quidem incepta & præmissa fuerunt: nihil tamen, quod alicujus fuisset momenti, effectū est; Carolo Archiduce tunc morte sublato. Nihilominùs Jesuitæ toti in hanc curam unicè incubuerunt: ut propositum suum in effectum producerent; & veram Religionem, quæ illis sudes erat in oculis, ex totâ Styriâ ejicerent. Tandem igitur, ubi de processu quodam astutissimè excogitato deliberâssent, in scenam eruperunt; & Tragœdiam, quam diù secum privatim meditati erant, instituerunt. Mense enim Septembri, anni 1598. Parochus Græcensis, M. LAURENTIUS SONNABEND, (qui quondam Præceptor juniorum Principum, filiorum Caroli fuit, scriptum aliquod, instinctu Jesuitarum, Ministro Græcensi misit: quo pro authoritate, quâ tunc se pollere jactitabat, ei mandat, ut ab omni religionis Protestantium exercitio desistat: sibi enim hanc curam demandatam esse, & ad suum munus id spectare, dicebat. Sed hoc scripto non territis Ministris; Sonnabendius, illis relictis, Dominos Ordinarios Styriȩ (sic nominantur Quinqueviri, penes quos summa rerum potestas est) aggreditur; Ministros graviter apud eos accusat; &, ut illi, quem magistra-

Principium Austriacæ persecutionis Græcii.

giſtratum ſuum legitimum ipſe appellarent, Concionatoribus ſuis munere publicè fungendi poteſtatem interdicant,petit. Domini Ordinarii,memores privilegiorum ſuorum,nitentesque promiſsis Caroli Principis; non etiam ignari impudentiſsimorum Jeſuitarum poſtulatorum & technarum,quas antehàc ſæpè moliti erant; ſilentio hominem dimittunt. Ille verò, filum Ariadnes jam-dudùm expeditum ſecutus,& Miniſterium Proteſtantium,& Dominos Ordinarios,Styriæ Proceres illuſtres,apud Ferdinandum,jam tùm Styriæ Archiducem,accuſat: & ut is, pro eâ,quâ inſtructus eſſet divinitùs authoritate,& amore erga Romanam Eccleſiam præditus, petitioni ſuæ ſatisfaciat; & Concionatores Proteſtantes coërceat,ne illi, ab eo neque vocati, neq; ordinati in Urbe,in quâ ipſe Princeps reſideat,ipſo invito res ſacras adminiſtrent; ſed indè potiùs eos expellat; etiam atque etiam contendit.

Decreto ad Ordinarios Provinciæ, abrogâtur Concionatores euangelici.

Princeps,à Jeſuitis Præceptoribus jam anteà edoctus, petitioni Parochi locum dat: & Dominis Ordinariis Edictum ſeveriſsimum mittit,mandatque illis; *dent operam, ut Miniſtri Proteſtantes ab officio concionandi deſiſtant,& intra 14.dies finibus totius Styriæ expellantur.* Verba Edicti hæc ſunt.

Nomine Serenitatis Archiducalis, Domini noſtri clementiſsimi, Dominis Capitaneo Provinciali & Ordinariis Provinciæ Styriæ,gratioſiſsimè ſignificandum: Recogitent ſecum,apud Suam Serenitatem, Dominorum Fratrum ſuorum Præceptorem,M.Laurentium Sonnabendium, Paſtorem Gracienſem, non adeò pridem oblato ſcripto petiiſſe; ut Concionatores in Templo capitulari loci,atq; etiam exercitium Auguſtanæ Confeſsionis, quam vocant, (quippè quod ſibi Paſtori,in paſtorali ſuâ juriſdictione multiplici impedimento ſit; ideóq; ferri ac permitti non debeat) abrogentur. Et quia ipſi,ad amicam illam ſuam petitionem,tàm à dictis Dominis Ordinariis,quàm ipſo Exercitio, nulla ſatisfactio data,neq; exercitii intermiſsio facta eſt; ſed illi in eodem continuè pergunt; quod quidem ab illis contra vetuſtiſsimum,& à multis ſeculis obtentum jus & morem fit; ideóq; prædictus Paſtor apud Serenitatem ſuam, libello ſupplice, pluribus id queſtus eſt: Iccircò Serenitas Sua, & quidem, ſi maximè Paſtor ſupplicando id non petiiſſet, proprio motu, pro ſalvatione Conſcientiæ ſuæ, tanquam Catholicus Archidux Auſtriæ, ac Princeps hæreditarius Styriæ, Tutor itèm ac Dominus feudalis Parœciæ loci, uti & generalis ſupremus Tutor omnium Capitulorum eccleſiaſticorum, in Provinciis ſuis hæreditariis ſitorum, tenore Privilegiorum ſpecialium Sereniſsimæ Domûs Auſtriacæ, ac virtute per totum S.Romanum Imperium conſtitutæ atque obſervatæ communis Pacificationis religioſæ,ipſis Dominis Capitaneo Provinciali & Ordinariis, cum omni ſeveritate, hiſce injungere & mandare voluit: ut Concionatores ſuos capitulares, totumq; adeò capitulum cum exercitio eccleſiaſtico & ſcholaſtico, tàm hîc, quàm Judenburgi, atque in omnibus Serenitatis Suæ Urbibus hæreditariis, Pagis, ac Diſtrictibus illorum, intra 14.dies à dato, certò abrogent ac dimittant; eosq; à ſe ſuſtentatos Concionatores & Miniſtros commoneant, quò intra terminum iſtum omni Serenitatis Suæ Provincia excedant,neq; inibi deprehendi ullâ ſe ratione patiantur: ipſi quin-etiam Domini Capitaneus Provincialis & Ordinarii,vocatione talium perſonarum ac miniſtrorum, in Serenitatis Suæ Urbibus proprietariis, pagis & vicis,eorumq; diſtrictibus, prorſus deſiſtant

Quo

Quo-ipso Serenitatis suæ propriæ & finali voluntati, ac seriæ sententiæ, satisfacturi sunt. Actum 13. Septembris, anno 1598.

Domini Ordinarii, perlectis his literis, scripto prolixo respondent: partim se-se excusantes, quòd mandato huic, sinè præscitu reliquorum Dominorum Provincialium, morem gerere non possint: partim petentes, ut ab hoc proposito, hisce periculosissimis temporibus, quibus Provincia aliàs majoribus cōflictaretur incommodis, quàm ut inde eluctari possit, desistat: Jesuitas animum suum exulcerare non patiatur adversùs Subditos innocentes; ut contra juramentum, quo ex privilegiis Provinciæ obligatus esset, quicquam committat: cōmemoratione simul incommodorum, quæ indè secutura essent, adjectâ. Sed tantum abfuit, ut, scripto illo gravissimo, ab instituto suo averteretur Ferdinandus: ut in-dies magìs magisq;, Jesuitis facem subministrantibus, ad persequutionem accenderetur. Ac proinde mox, 23. Septembris, mādatum alterum, non quidem (ut anteà) Dominis Ordinariis; sed Ecclesiæ & Scholæ Ministris, mittit: quo præcipit, *Ut eo ipso momento, sub capitis pœnâ, à docendi & concionandi officio, tam in Scholâ, quàm Ecclesiâ, desistant; & intra octiduum omnibus suis finibus excedant.* Decreto altero provinciâ proscribuntur.

Hoc mandatum ubi accepissent Ministri; Dominos Provinciales adeunt, ipsisque rem aperiunt. Convocantur & Ordinarii, & Provincialium quidam, qui tùm Græcii erant, in domum Capitanei Provincialis: quò & Ministri accersuntur. Deliberatio instituitur; an illo die (qui erat Veneris, & precibus publicis destinatus: quo etiam Eucharistia iis, qui die præcedente confessi erant, distribuebatur) concio sit intermittenda? Ministri negant. Capitaneus periculum imminens exponit: &, ut exeuntes de hac re deliberarent, monet. Revocati respondent: omninò sibi in sententiâ persistendum videri; velleque quævis pericula subire potiùs, quàm docendi provinciam, & concionandi officium, deserere: modò ipsi Domini Ordines Styriæ, prout unicuiq; in vocatione suâ polliciti essent, debito præsidio sibi adessent. Discedere iterum, & exspectare responsum jubentur. Interim, dum libelli supplices ad Principem mittuntur, & à Principe respondetur; tempus, quod concionibus destinatum erat, Jesuitarum consilio, cunctando præterlabitur: & sic illi conciones, ab eo die, intermittere in-posterum coguntur. Ac, licèt octiduum ipsis præscripserit Princeps; tamen exspectare illud, ut elaberetur, præ summo expellendi eos ardore, noluit: sed 28. Septembris postremum illis mandatum mittit; & *ut illâ adhuc die Urbe exeant, sub capitis periculo,* præcipit. Decreto tertio, unâ die exiguntur.

Illustres quidem Domini Ordinarii, nec-non Provincialium pars maxima, nihil non agit supplicibus libellis, & scriptis gravissimis, quæ vel cautem Marpesiam emollire potuissent: ut manere Ministris suis liceret. Sed Jesuitarum instigationes plus, quàm totius Provinciæ illustrissimæ supplicationes humilimæ, poterant. Et, ut conatus ille succederet, rem ità Jesuitæ compararant. Abiit paulò antè Archidux, paucissimis ipsum comitātibus, in Italiam, (ut ferebatur) ad Principem Ferrariensem. Eâ verò occasione Romam quoq; Apparatus persecutionis illius.

profectus est ad Pontificem. qui, ut ajebant, mensâ eum dignari noluit, antequàm sibi, Cœnâ Dominicâ ab ipso ministratâ, promisisset; se Lutheranos ex Provinciis suis expulsurum. Redeunte illo, mox advolant Regis Hispaniarũ, Pontificis, & Principum quorundam Italiæ, Legati, militibus non-paucis stipati: eo quidem nomine, ut Sororem Archiducis Regi Hispaniarum adducerent; utì verò eventus docuit, ut Jesuitarũ voluntati satisfieret. Cùm enim illi cum militibus, in urbe Græcio essent congregati; persecutio instituitur, & acerrimè urgetur. Archiducissa, se non abituram in Hispaniam protestatur, antequàm Ministros in exsilium ejectos videret. Proceres terrentur: Ordinarii coguntur: Cives minis & vi coërcentur: res eò deducitur, ut Ministri Ecclesiæ & Scholæ omnes, uno eodemq; die, Græcio ejiciantur; quorum numerus novendecim erat personarum. Factum id 28. Septembris, anni 1598. Domini Ordinarii, Comitiis habitis, gravissimè de Jesuitarum technis conqueruntur: in literis etiam, ex Comitiis ad Principem missis, eos accusant, quòd subindè Principem hortentur, ut Privilegia suis Provinciis data, Concessiones itèm, Conventiones, Cõditiones, Pacificationes Religionis, & Pacta omnia, quantúmvis sigillis & juramentis approbata & confirmata, infringat, rescindat, & irrita reddat. Ministros quoque in integrum restitui, à Principe suppliciter flagitant: sed omnia frustrà. Literæ illæ supplices ac intercessoriæ ità habent.

Literæ supplices Ordinum Euangelicorũ in tribus Provinciis Austriacis, super Religionis Libertate.

Serenissime Archidux, Domine ac Princeps clementissime. Ad Serenitatis Vestræ clementissimè indicta, & jam nunc durantia Comitia, Ordines Styriæ provinciales, magno numero congregati, obsequentissimè devotissiméq; comparentes, post acceptam Serenitatis Vestræ propositionem, ad desideratam communem concessionis deliberationem, statim & facto ipso perquàm lubentes progressi fuissent. Veruntamen præsens trium istarum Serenitatis Vestræ obedientissimarum, indéq; ab immemorabilibus annis laudabiliter ac salutariter unitarum, celebrium, præcipuarum Provinciarum, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, summè-perturbatus, miserabilis, ac dolorificus status, in quem Provinciæ, ac præsertim fideles Ordines illarum, Christianæ, veræ, Euangelicæ, ac salvificæ religioni, Confessionis Augustanæ, addicti, ex Dei permissione, conjectos se vident, eos impellit ac movet: ut, juxtà cum duarum Provinciarum, Carinthiæ & Carniolæ, insignibus Delectis, & cum plenipotentiâ literisq; creditivis ad Serenitatem Vestram, Dominum ac Principem nostrum clementissimum, Legatis missis, modò-dicti laudati Ordines Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, non immeritò ad fidelissimos animos revocent; considerantes, quàm constanti, instantissimoq; & ardenti studio atque zelo, sui in Deo requiescentes, meritoq; suo honoratissimi laudatissimiq; Majores & Antecessores, omni tempore, summâ cum fiduciâ, mutuam sibi fidem dederint, salutariterq; obstrinxerint: quâ fiduciâ factum est, ut antiquissima sua, masculè, & cum decenti corporis, honoris, fortunæ, & sanguinis objectu, carè acquisita, & ad nos usque, optimo titulo & honore, deducta Privilegia & Libertates, fundamentales Provinciarum Constitutiones, aliasq; Immunitates, bonas laudabilesq; Consuetudines, indè à Majoribus acceptas, tanquam optimum thesaurum, in hoc terreno ac fluxo seculo rerumq; statu, constanter adeò semper manu tuiti sint: ut, licèt illorum

causâ

causâ sæpenumerò varios & adversos casus experiri cogerentur; illa tamen ad dilectam sibi Posteritatem, hæc videlicet nostra tempora, integra & inviolata, quin-imò insigniter adaucta, & Cæsareis, Regalibus, Principalibusq; Confirmationibus roborata, efficaciter transmiserint. Cujus rei circumstantiarum maturâ consideratione, Nos, omni fide jureq; naturali, omninò non immeritò obligatos agnoscimus; eadem illa, prout à sæpè-dictis charis nostris Majoribus, integra & inseparata, hoc vitæ nostræ tempore, ex divinâ benignitate, accepimus, iisq; fruiti sumus, non minùs etiam, omnipotentis Dei gratiâ favente, ad nostros Posteros usq; re-ipsâ propagare. Quòd si igitur id, in seculari hujusmodi & mundanâ fide, rebusq; fluxilibus, summâ cum laude, gloriâ, omniq; jure meritò fit: multò etiam magìs omnipotenti ac fideli Deo nostro, sub jacturâ divinæ gratiæ ipsius, omniumq; nostrûm æternæ animarum salutis, obstricti obligatiq; tenemur; ut Christianam nostram supremam Libertatem, preciosissimumq; thesaurum in spiritualibus, h.e. veram, sanctam, salvificam Religionem, Christianæ nostræ Conscientiæ ac fidei Confessionem, ante omnia, primo loco, summoq; cum zelo, curæ habeamus; neq; eam supremam, Christianorumq; æternùm constantem libertatem, per turbulentos Adversarios illius, cum jacturâ æternæ salutis nostræ, eripi nobis patiamur.

Quocirca, & eodem hoc fine, Nos trium S.tis V. obedientissimarum Provinciarum fideles Ordines, prædictæ Christianæ Euãgelicæ Religioni addicti, universi, ac Delegatorum more, cum summè-urgente ac dolorifico Conscientiæ nostræ gravamine, apud S.tem V. sequentibus modis obsequentissimè comparére, omni debitâ subjectione, coacti ac compulsi sumus. Propterea quòd jam, nostris procul dubio omnium gravissimis variisq; peccatis ità promerentibus, ultimo hoc Mundi seculo, præter alias horribiles plagas atque pœnas, (diutinum bellum publicum puta, annonæ defectum & caritatem, aquarum inundationes, terræ-motus, ac pestilentiales lues) sapientissimi ac justissimi Dei permissione, manifesti hostes divinæ Veritatis, magnæ licèt spiritualis speciei & sanctitatis prætextu, ad tàm atrocem, abominandam, miserabilem, ac dolorificam persecutionem, nostræ veræ ac salvificæ Religionis, prorsus inconsideratè, immaturè, & inhumanè, rem adduxerunt; cujusmodi certè vix semel audita aut facta esse potest. Id siquidem, proh dolor! in sæpè-dictis istis S.tis V. tribus obedientissimis Provinciis, præsertim verò hic Styriæ & Carniolæ, jam anteà obtinuerunt; ut S.tas V. contra congenitam alias sibi Christianam Austriacam mansuetudinem ac lenitatem, gravissimos Processus (de quibus suo loco fusiùs) severè instituerit: haud-dubiè, à Christianæ & salvificæ nostræ Religionis persecutoribus & hostibus, penitùs ad id persuasa; quasi Christiana fidei nostræ Confessio, in sacris divinis Literis minimè fundata esset. Unde porrò pro injustâ, non-divinâ, imò falsâ, hæreticâ, sectariâ, (citra tamen ullum fundamentum) S.ti V. illam proponunt; simpliciter

Non rectum esse dictitantes,
Nec unquam rectè pellegentes,
Aut nobile Verbum audientes:
Num miserè ipsi insanientes?

Quâ re, clementissime Domine ac Princeps, Nos summâ necessitate adacti, intermittere nec debuimus, nec potuimus, juxtà cum hoc deposito, Serenitati Vestræ, primùm sæpè-dictæ nostræ Christianæ & salvificæ Religionis, ac fidei Confessionis, articulos illos ad fidem

nostram pertinentes,qui anno 1530.sacræ in Deo requiescenti Cæsareæ Majestati Imperatori Carolo V. laudatissimæ memoriæ,in publicis Comitiis Imperii,Augustæ,obedientissimè oblatos,fusiúsq; auditos ac prælectos,cum debitâ subjectione coràm exhibere; per intimam Dei misericordiã,deprecabundi simul,& rogantes, ut S.tas V.eosdem, dicti laudatissimi Romani Imperatoris beatissimo celebratissimoq; exemplo, (cùm alia secularia Scripta legere ac perscrutari ipsam haud pigeat) in patientiâ Christiana,non gravatim, clementissimè brevibus percipere,sibiq; haud dissimulanter, pro majore clementissimâ suâ recogitatione,opportuno tempore exponi,dignetur. Sic enim,cum bono Deo,futurum est, ut ne unum quidem certè,minimúmve errorem,cujus divinam Veritatem hostes ejusdem insimulant; contrà verò clarè animadversura sit,ac deprehensura,hanc ipsius subjectissimorum fidelium Ordinum,trium harum vicinarum Provinciarum, Augustanæ Confessionis,agnitam ac professam Religionem, in sacræ inprimis divinæq; Scripturæ,Veteris ac Novi Testamenti libris; nec minùs etiam probatorum,vetustissimorum,Christianorum Patrum,ac Doctorum Ecclesiæ,authenticis scriptis,sufficienter fundatam esse. Cùm utiq;, juxtà cum omnibus aliis nostræ Christianæ fidei participibus,in unum omnipotentem,solum verum Deum,prout divina Majestas ipsius,in tribus distinctis Personis, per sacras Literas,se-se hominibus manifestavit,firmiter credamus; quódq; preciosissimo merito Jesu Christi,unici Servatoris,ac Satisfactoris pro peccatis nostris,ex purâ-putâ ejus gratiâ,justi beatiq; constituamur. Veneramur quin-etiam & honoramus,Christiano ac decenti modo,dilectos Sanctos Dei: minimèq; rejicimus, quod, post sanctos Prophetas & Apostolos, dilecti Patres,ac Christianæ Ecclesiæ Doctores,salutariter docuerunt atq; scripserunt. Sic quoq; divina summéq; venerabilia Sacramẽta,ceu indubitata sigilla Salutis nostræ,cum Christianâ Euangelicâ Ecclesiâ,in Templis nostris, juxta veram,legitimam, & non-mutilatam institutionem ordinationemq;.Jesu Christi,per legitimè-ordinatos,Christianoq; more ac ordine vocatos Ministros, ac Dispensatores mysteriorum Dei,(à Sancto Paulo sic cognominatos) communicantur, ac distribuuntur: & ad summam, omnes alii articuli veræ & Christianæ fidei nostræ,secundùm unicam normam atque regulam Salutis nostræ, quæ est æternum Dei Verbum,purè & incorruptè tractantur, ac Dei populo proponuntur.

Atq; hæc nostra Christiana salvifica Religio,utì in Sacro Romano Imperio, juxtà cum Pontificiâ religione, citra persecutionem clementissimè libera permissa est: ità quoq; omnes,qui liberè & incoactè illam,ex Christiano pectore,publicè professi essent,imperturbati in conscientiis suis,quieti liberiq;,sunt relicti. Nos quoq;,sæpè-dictarum harum Provinciarum fideles Ordines,hanc nostram Christianam Religionem;(quæ non quidem annis,quod ad præmemoratam oblationem in Comitiis Augustanis attinet; essentiâ tamen ac fundamento suo,æternùm vetus est manetq;: ut quæ per ipsum æternum Dei Filium, mox à principio Mundi conditi,prædicata fuit) ex Dei benignitate, indè ab eo tempore, sub clementissimâ protectione in Deo requiescentium Imperatorum ac Regum,Ferdinandi,Maximiliani,atq; etiam nunc-regnantis Cæsareæ Majestatis; tùm verò etiam Serenissimi Archiducis Austriæ Caroli,Serenitatis Vestræ charissimorum Avorum ac Parentis, laudatissimæ memoriæ, usque ad hoc præsens calamitosum ac infortunatum persecutionis tempus,ipso facto quietam habuimus ac propagavimus. Ideóq; coram Deo omnipotente, & in nostris Christianis conscientiis,propter conservandum Dei æternum favorem & gratiam,

gratiam, sub jacturâ salutis animarum, summoperè obstricti, obligati, devinctiq; sumus: ut nequicquam nos à semel-agnitâ & professâ Veritate divinâ, ullâ coactione aut vi humanâ, dimoveri patiamur; sed omnia potiùs temporalia pro illâ impendamus. Utì enim nobis, in omnibus politicis casibus, dilecto Magistratui seculari, tanquam Dei ordinationi, omnem debitam obedientiam præstare, convenit: (cujus quidem obedientiæ, citra inanem jactantiam, tres istæ vicinæ Provinciæ, cum bono Deo, ità sibi consciæ sunt: ut etiam, si opus sit, toti Mundo, vivum ejus rei exemplar non immeritò sisti possint:) sic non minùs, quin-imò multò magìs, Deo omnipotenti, supremo omnium Dominorũ Domino, sua quoque obedientia debetur. Atq; in rebus Conscientiæ ac fidei illud valet, quod Sancti Apostoli in Actorum libro protestantur; Magìs Deo, quàm hominibus, obediendum: illumq; potiùs, qui corpus & animam in gehennâ perdere; quàm eos, qui solum corpus occidere possunt, timendum esse. Id quod suprà-dicti laudatissimi Romani Imperatores & Reges, suaq; Serenitas, clementissimè, Christianissimè, & sanæ rationi convenientissimè, ponderantes; quò Christianis conscientiis meritò parceretur; divina summéq; exoptata aurea pax, parilis bona affectio, Christianaq; Concordia, inter Cæsareas ac Principales potestates, horumq; in politicis rebus obedientissimos, fidelissimosq; Ordines Provinciales ac Subditos, conservaretur; salutarem Religionis concessionem dederunt, liberamq; eam permiserunt: ita ut, qui hanc vel illam, Pontificiam aut Euangelicam Christianam religionem, liberè & incoactè profiteretur; is juxtà cum eâ, in Conscientiâ suâ semper quietus, citra persecutionẽ, manere deberet. Præsertim autem sæpè-dictus Archidux Austriæ Carolus, S.tis V. dilectissimus Dominus Parens, noster verò clementissimus Dominus ac Princeps, beatissimæ memoriæ, à Nobis, semper ipsi constanti fide sincerè addictis Styriæ Ordinibus, Christianam Augustanam Confessionem amplexis, pridem elapso anno 1569. ad sibi promissam, &, pro levando ex parte gravi æris alieni onere, fideliter præstitam insignem pecuniæ summam; (quæ, in capite & usuris, ad duos Auri milliones excurrit) præter alias diversas, hanc quoq; disertam conditionem clementissimè acceptavit, ipsoq; opere integram præstitit, hìce verbis conceptam: Quantúmvis Provincia de Serenitatis suæ clementissimâ pollicitatione & confirmatione, in rebus ad Conscientiam pertinentibus, nullum prorsus dubium sibi subjectissimè faceret: nihilominùs, si fortè, quâcunque occasione, medio ac viâ, brevi aut longo ab-hinc tempore, contingeret, universam Provinciam, nemine illius excepto, in agnitâ & professâ Christianâ suâ Confessione ac Religione, adeóque etiam Christianos Concionatores & Pastores in Provinciâ, ullum impedimentum, gravamen, aut persecutionem pati, atque ità quempiam in Conscientiâ suâ molestari ac turbari; ut ne promissa illa præstarentur. *Cúmq; non minùs etiam reliquæ duæ fideles Provinciæ, Carinthia & Carniola, ad promovendum Serenitatis suæ ac Provinciarum illius, bonum & tranquillitatem, maximis & insignibus promissis, ad summum usque, se-se oneràssent: deinceps quoq;, & omninò tandem, Christiana & summè-salutifera Religionis Pacificatio, cum tribus hisce Provinciis, clementissimè instituta & transacta fuit; Serenitate suâ, ad veram, firmam & constantem ejus observationem; claris illis, Germanicis ac Principalibus verbis, ità se adstringente:* Quòd, ne ulli homini, nostræ huic Christianæ Religioni addicto, vel pilus violetur, summo opere contestata sit,

jurârit, promiserit; idque ad summum solatium, & pacificationem istarũ Provinciarum, clementissimè post se reliquerit. *Prætereà, jam-dictæ conditiones anni 1569. etiam ad insignia illa promissa & condicta sequentis anni 1581. quando Serenitati suæ Provincia Styria, in annos viginti-duos sigillatim, præter omnia alia Comitialia decreta, quinquaginta-millia Aureorum, (faciunt, his proximè elapsis octodecim annis, novies centena-millia Aureorum Rhenensium) in Aulam contribuenda, fideli-animo obedientissimè consensit; tenore præsentium & inviolatarum literarum Principalium, sub Serenitatis suæ manu-scriptione, majoreq; sigillo, de novo repetitæ ac renovatæ fuerunt; ubi Serenitas sua claris hisce verbis clementissimè utitur:* Quemadmodum sibi honorabilis Provincia prædictam insignem pecuniæ summam, anno 1569. quibusdam peculiaribus & in specie expressis conditionibus, quas Serenitas sua statim tunc acceptâsset, atque etiámnum per omnia illis acquiesceret, obsequentissimè condixisset: ità vicissim se promittere ac polliceri, pro se, suisque Hæredibus ac Posteris; quòd honorabili Provinciæ, fida hæc concessio, nullum in Libertatibus ac Privilegiis ipsius præjudicium incommodúmve párere, nec minùs etiam prædictæ in habitis anno 1569. Comitiis specificè insertæ conditiones, per omnia firmæ ac validæ manere debeant.

Ac licèt jam antehàc, superstite adhuc laudatissimo & dilectissimo Serenitatis Vestræ Domino Parente, sanctissimæ memoriæ, temerarii ac lividi Persecutores nostræ Christianæ, veræ, salvificæ Religionis, sæpe-numerò vehementissimè hoc egerint; ut modò-dictas Cæsareas, Regias, ac Principales Concessiones, Pacta, Conventa, & Religionis Pacificationes, quantis possent viribus, oppugnarent, ac Serenitati suæ eas minimè servandas persuaderent: omnipotens tamen ac fidelis Deus, manifestam suam gratiam planè paternè ad hoc concessit; ut, cùm fideles Ordines, eorumq; nomine communis Provinciæ Ordinarii, subindè inevitabilem suam necessitatem, suo loco, in contrarium demississimè obsequentissiméq; allegarent; Serenitas sua, ceu Princeps Christianus, sapientissimus, providentissimus, ac laudatissimus, mitisq; ac prudens Austriæ Archidux, maturà per circumstantias consideratione, quòd, in rebus ad Religionem ac Fidem pertinẽtibus, Christianæ conscientiæ, uni ac soli omnipotenti Deo, non verò humano brachio ac potestati, obstrictæ essent, sic omnia illa ad animum suum revocârit: ut, mediante illo, sæpè-dicti fideles Ordines, in semel-agnitâ suâ & professâ, verâ, salvificâ, Christianâ Religione, Augustanæ Confessionis, ejusdemq; libero, imperturbato publico exercitio, huc-usq; relicti fuerint. Nec minùs etiam, cùm Archidux Austriæ Ernestus, laudatissimæ memoriæ, tempore gubernationis suæ Principalis, per inquietos Adversarios nostros, ad difficultatem aliquam hac in parte commotus esset; per Romanam Cæsaream Majestatem, Dominum nostrum clementissimum, (ad quem tres hæ Provinciæ Legatos suos quàm-subjectissimè destinaverant) cum gratiâ Cæsareâ, salutare remedium contrà malo isti adhibitum fuit.

Jam verò Serenitas quoque Vestra, sub ingressum non adeò pridem Princincipalis sui regiminis, quoad Religionis ac Fidei negotium, in hisce Provinciis suis, non alium statum deprehendit; sed prædictas dilectissimi sui Domini Parentis, sanctissimæ memoriæ, Principales Concessiones, Pacta, Conventa, & acceptatas claras in literis conditiones, laudatasq; Christianas consuetudines, (in quibus, Christianum & salvificum Religionis nostræ exer-

exercitium, meritò supremum, nobilißimum, ac saluberrimum, agnoscimus ac reputamus) Principalibus verbis ac sigillo suo, per omnia clementißimè confirmavit; simul etiam, ad ipsorum fidelium Ordinum Provincialium, pro sufficiente suâ, summè-necessariâ, & extra periculum ponendâ securitate, quantum ad Religionem pertinet, interpositam, oblatam, & acceptatam, disertam Protestationem, debitam suam fidem ac juramentum Principale ipso opere clementißimè præstitit; neq;, ad hoc usq; tempus, contra unam alterámve Concessionem, notoria Pacta, Conditiones, laudabiles Christianas consuetudines, aut Religionis Pacificationem, quicquam vel minimum de facto movit aut suscepit. Cúmq; Serenitati Vestræ, Provincia hac Styria, adhuc superiore anno habitis Comitiis Styriensibus, ad illius tàm clementißimam ac solicitam instātiam, replicationes ac triplicationes, ultra omnia alia sibi obsequenti Provinciæ variè incumbentia, in-posterum planè intolerabilia, gravißima, onera annua, apud Civitates & Oppida insigniter magna exstantia tributa, quæ ultra quindecim Auri tonnas conficiunt, ex subjectißimo fidelißimoq; affectu, liberè pro Aulâ suâ donaret; & in notum finem, quatuor Solidos, in singulas Libras pecuniarias peculiariter imponendos, cōcederet: istud, juxtà cum aliis in specie expreßis, etiam cum omniū præcipuâ hac disertâ & clarâ conditione factum est: Ut, quemadmodum ipsa honorabilis Provincia, pro exsequendo, quantum in se esset, omnipotentis Dei mandato, in omnibus temporalibus, sibi ullâ humanâ ratione posibilibus, erga Serenitatem Vestram, quod sui muneris esset, fidelissimè, etiam cum periculo corporis, bonorū, atq; sanguinis sui, prout necessitas & occasio ferret, ipso facto præstet: sic quoque vicissim Serenitas Vestra honorabilem Provinciam, universim ac singulatim, tàm Dominos ac Proceres, quàm cōmunem Civitatem in Urbibus & Oppidis, juxta tenorem salutariter initæ, seriò contestatæ, ac constitutæ Christianæ Pacificationis religiosæ, in cujusquam, hujus vel illius, Conscientiâ, & contra illā, quippè quæ ad solam Dei majestatem pertinet, clementissimè nequicquam urgeat graveté; : quandoquidem in hoc etiam Serenitatis Vestræ, & obsequentissimarum Provinciarum ac Provincialiū ipsius, temporale & æternum exitium versetur. *Quam omnium præcipuam conditionem, juxtà cum aliis, ut S.tas V. meritißimè ac clementißimè sibi ad animum revocet, plus satis causarū habet. Nam, cùm honorata Provincia, hoc loco, ad priores suas, sæpiùs ac necessariò repetitas Protestationes, subjectißimè se retulisset ac provocâsset: S.tas V. istam allegatam claram conditionem non minùs, atq; alias, clementißimè acceptavit, nullū verbulum contrà excepit, ac super his clemētißimè ità respondit:* Ubicunq; prædictam insignem & grandem Donationem, erga honorabilem Provinciam, ejusq; dilectam Posteritatē, universim ac singulatim, Principali gratiâ satis recognoscere, ac demereri queat; Se nullâ in parte ullâ ratione defuturam aut defecturam esse. *Quòd si ergo Serenitas Vestra, ut præstiti homagii tempore ad factam Protestationē; sic etiam tùm, ac superiore anno, contra istam cōditionem, ullam cogitationem habuisset; aut eam acceptare ratamq; habere non consensisset: omni æquitati & rationi cōsentaneè, non dißimulanter eidem clementißimè renuntiandi, libera illi potestas fuisset. Quo casu, obsequentißimi ac fideles Ordines, inevitabilem suam neceßitatem debito modo subjectißimè in medium allegare, haud fuissent intermissuri.*

Nunc-

Nunc verò illi apud Deum in summo cœlo, perturbatissimo ac severissimè-afflicto animo & affectu, flebiliter gementes, conqueri coguntur: quòd, non-consideratis & attentis jam-allegatis, tàm insignibus, multiplicibus, Cæsareis, Regiis, ac Principalibus Concessionibus, Pactis, Conventis, bonis ac laudabilibus Consuetudinibus, ipsáq; adeò summè-salutari Religionis Pacificatione, (dum Serenitas Vestra, juxtà cum dilectissimis suis Fratribus ac Principibus, prædictarum fidelium Provinciarum, tàm variis & insignibus donationibus, ex manibus dilectissimi sui Domini Parentis, beatissimæ memoriæ, in quas Provinciæ illas fidelissimè tradiderunt, ipso facto fruiti sunt; & adhuc isto die evidenter fruuntur) indesinente instinctu apertorũ divinæ Veritatis hostium, ac salutaris exoptatæq; Pacis turbatorum, res Patriæ nostræ (eheu!) in eum statum adductæ sint: ut nõ solùm miseri Cives in Urbibus & Oppidis, vehementissimè propterea affligantur ac tribulentur; Euangelici honesti Viri, tantùm, & nullam aliam ob causam, quàm quòd Christianæ Euangelicæ Religioni addicti sunt, juribus municipalibus priventur, & officiis suis moveantur; in consuetis electionibus Judicum, contra consuetudinem antiquam, varia illis impedimenta objiciantur, neq; ordinariis dictis Judicibus jurisdictio ulla committi velit: verùm etiam tandem malignus hostis, per instrumenta sua perniciosa, ac fidos devotosq; ministros, mediantibus periculosis ipsorum, ac Provinciis hisce summè-damnosis, versutiis, & perniciosis practicis, indirectò, tantùm effecit ac obtinuit: ut non modò Christianum nostrum, in Dei verbo probè-fundatum, salvificum Euangelicum exercitium, incorruptarum concionum publicarum sacri Euangelii, & integræ administrationis venerabilium Sacramentorum, in expressè ad-id deputatis ac nominatis, antehàc liberè ac citra prohibitionem concessis Urbibus, (nempè hìc in Styriâ, Gracii ac Judenburgi; in Carinthiâ, Clagenfurti, in Carniolâ, Labachii) omninò abrogatũ fuerit; sed etiam fideliũ Christianorum Euangelicorũ Ordinum, magnis laboribus ac sumtibus impetratarũ, laudabiliterq; constitutarum, communi puræ Augustanæ Cõfessioni addictarũ, nulliusq; Sectæ (cum bono Deo) unquam verè convictarum, Christianarũ Euangelicarum Ecclesiarũ, fidi, legitiméq; vocati Concionatores ac Pastores, per dubia ac præcipitata, antehàc nunquã audita & insueta Decreta, cum gravissimâ denuntiatione extremi capitis periculi, & jacturæ ipsius vitæ, itemq; sub laquei pœnâ, & nescio quibus aliis impendentibus comminationibus, ante Solis occasum, ex dictis Urbibus, Gracio, Judenburgo, Labachio, aliisq; pluribus locis, quin-imò ex omnibus Serenitatis Vestræ, in inferiori Austriâ, Principatibus ac Provinciis, in perpetuum sint relegati, proscripti, & ejecti: nec minùs etiam, adversùs ipsorum fidelium Ordinum Provincialium benè-constitutas Christianas Scholas, abrogandis ac parili ratione proscribendis Rectoribus & Scholarum ministris, absq; ullo discrimine hujus illiúsve Facultatis, importunè procedatur. Et tamen intereà, ad majorem & graviorem dolorificam offensionem fidelium Ordinum, & ipsorum Christianæ fidei sociorum, Serenitas Vestra, in Principalibus suis Decretis ac Literis protestatur; Maximam sibi injuriam fieri, quando insimuletur, quòd quemquam in Conscientiâ suâ gravare cogitet.

In hisce autem fidelium Ordinum, communiter habitis, at malè dissipatis Christianis Ecclesiis, & Collegiis Scholasticis, tantum abest, ut substitum fuerit: ut etiam præthereà, & ab eo tempore, dicta summè-miseranda persecutio ulteriùs, & ad fidelium Dominorum ac Provincialiũ particulatim, in suis propriis dominiis, oppidis, ac domibus, jam antè habitæ,

aut

aut de novo ab ipsis exstructa Templa,(in quibus tamē nequicquam juris alius ullus commune habet; sed Dominis ipsorum ac Provincialibus patrocinium illud,præscriptionis bono titulo, citra contradictionem, solis competit: qualia in specie recensere,hac vice non necessarium existimamus) prorogata fuerit: dum ordinarii ipsorum,ad id constituti & vocati,Christiani Concionatores & Scholarum ministri, pari ratione & æquè non feruntur; verùm, sub corporis ac vitæ jacturâ,abrogati,in perpetuum è Provinciâ proscribuntur: etiam cum violentâ protractione,& miserorum Subditorum extra Provinciam exportatione; reclusione,apertione, & invasione,comminatâ quoque destructione,Templorum & Collegiorum,ipsorum Dominorum ac Provincialium; justitio ac juris dilatione; citatione & arrestatione Dominorum ac Provincialium; prohibitione Aulæ Principalis; ignominiosâ redditione oblatarum submissißimarum literarum querulatoriarum,cum vehementi adjunctâ exprobratione; itemq; reali inclementißimâ comminatione,quòd, nisi Domini ac Provinciales statim,Euangelicis illis suis & Christianis Concionatoribus dimittendis, obtemperent, contra illos absq; ullâ veniâ procedi,& in aliorum terrorem viva exempla statui debeant. & quæ similia,antehàc in istis Provinciis,à præcedentibus clementißimis Dominis ac Principibus nostris,adversùs fideles suos ac benè-meritos Ordines ac Provinciales,nunquam usurpata,prorsus insueta,immerita,& cum notoriis eorum privilegiis, & Constitutionibus Provincialibus pugnantia, plura alia comminationum sunt genera,&c. Adeò ut tandem omnes illi pii & innoxii Christiani,tantùm Christianæ suæ fidei Confeßionis caußâ, corporis, vitæ,ac sanguinis sui,non ampliùs securi; neq; hac ratione in rerum suarum posseßione quieti & imperturbati, citra violationem Conscientiæ suæ,degere possent.

Sed & super elocatione spiritualium feudorum in hisce Provinciis,hujusmodi planè novum Generale typis mandatum est: Quòd,nisi illa,intra dictum ad eam rem bimestre spatium, & constituto modo, Pontificiis Sacerdotibus elocentur; tunc ab ipsâ Serenitate Vestrâ elocari debeant. Quòd Generale prorsus & per omnia, conventis illis, anno 1572. cum Serenitatis Vestræ dilectißimo Domino Parente,beatißimæ memoriæ,salutariter pactis,contravenit. Ibi tùm siquidem, patrociniorum & feudorum ejusmodi nomine,clarè conventum fuit: Ut Patroni,pro more in his Provinciis antiquitùs recepto,Pastorem aut Beneficiatum,suæ Religioni addictum, constituant; eumque Domino feudi sive Ordinario,quantúmvis ei Religioni non addicto,indicent atque nominent; atque sic Ordinem obtinere debeant. Quòd si autem Dominus feudi & Ordinarius, eidem elocare aut confirmare nollet: ad Judicium Provinciale remittatur. Et quámvis ibi graviores sententiæ caderent: suam tamen Serenitatem talem moderationem & conniventiam interposituram esse; ut obsequentißimi Provinciales prorsus contenti esse queant.

Insuper,nec minùs illud in evidenter-magnum Conscientiæ gravamen cedere oportet; quòd super Christiano Baptismo infantum,copulatione itèm novorū Nuptorum,& participatione venerabilis Sacramenti Cœnæ Dominicæ,talia Edicta hîc loci, etiamq; Labachii, & alibi, publicata sunt: quibus non solùm Civibus in Urbibus & Oppidis districtè mandatur,ne dictis Sacramentis,aliisq; officiis spiritualibus,ullibi,quàm apud Pontificios Pastores & Sacerdotes,sub pœnâ corporis & bonorum,communicent: verùm etiam,citra

discrimen, Domini ac Provinciales, & fideles Provinciæ Ministri, qui tamen nec Pontificiæ religioni addicti, neq; instantiæ Civili vel in minimo subjecti sunt, ad id cogi, & cum magnæ mulctæ irrogatione, atq; arrestatione in Aulâ, iis compellari volũt. Omnibus quoq; Bibliopolis in Provinciâ istâ, omni severitate prohibitum est; ne in-posterum ullos Euangelicos & Christianos libros (quos Hostes nostri sinè omni fundamento, hæreticos vocant) inferre in eam ausint.

Quin-etiam si ad Vestram Serenitatẽ, harum fidelium obedientissimarum Provinciarũ Ordinarii, & quidem nomine illarum, unam alterámve breviter nunc dictam & exercitam insignem novationem, intolerabilem Conscientiarum gravationem, ac vera nostræ, salvificæ, & Christianæ Religionis persecutionẽ, ex habitâ potestate ac plenipotentiâ, subjectissimè ac fidelissimo affectu referant; atq;, ex hujuscemodi iniquo persecutionis processu, necessariò consequentem Provinciarum ac limitum perditionem, ominando saltèm ante oculos ponant: id omne illis, magnâ cum severitate, indignatione, & injustâ comminatione hujus vel illius pœnæ ipsis infligendæ, exprobratur; ipsiq; adeò rebelles, perduelles, & charæ Patriæ hostes, qui temeritatis suæ exiguum commodum indè referre debeant, immerentes proclamãtur: quin & ipsi fideles Domini ac Provinciales, ipsæq; Provinciæ cõmuniter, antehàc usitato stylo prorsus cõtrariè, simpliciter Feudatarii, Vasalli, ac Subditi, cognominantur. Prout hoc tempore stylus Cancellariæ aulicæ, adversùs fideles hasce, S.tis V. præcipuas, ac multùm-privilegiatas tres Provincias communiter, ipsosq; Dominos ac Provinciales, ità comparatus est: ut, si is cum priore, quo S.tis V. dilectissimus Dominus Parens, laudatissimæ memoriæ, clemẽtissimè usus est, conferatur, valdè insigne & magnum discrimen inter utrumq; cernatur: cùm prior utiq;, erga fideles Provincias, & laudabilem Nobilitatem, multò mitior exstiterit; è contrario nunc sæpenumerò, in Mandatis Principalibus, eadem illæ asperè habitæ, ac satis contemtim tractatæ videantur. Quanquam enim ipsæ hæ summè-privilegiatæ, vicinæ, fideles Provinciæ, pro V.a S.tis, tanquam clementissimi Domini ac Principis nostri, obsequentissimis Incolis provincialibus, fideliter ac spontè se recognoscant: regiminis tamen illarum, & aliarum Regionum, Provinciarum, ac propriorum Fisci bonorum, quibus Domini ac Principes absolutè imperant, longè diversissima est ratio, magnumq; ac notorium discrimen. adeò ut etiam S.tis V. dilectissimus Dominus Parens, laudatissimæ memoriæ, cum fideli suâ Provinciâ Styria, anno 1569. hanc conditionem, cum aliis, benè-meditatè & clementissimè inierit: Quòd ne quidem propria Fisci sui bona ulteriore ære alieno gravare; nedum illa, sinè præscitu ipsarum fidelium Provinciarum, oppignerare debeat. Ad-hæc S.tas V., æquè ac laudatissimi Antecessores ipsius, itemq; (pro Dei nutu) suo aliquando tempore futuri Successores Principes, corporaliter præstito juramento, obligata tenetur; ad has fideles suas, laudabili vicinitate benè-unitas Provincias, Styriam, Carinthiam, & Carniolam, non aliter, quàm juxta earundem insignes, carè masculéq; acquisitas libertates, privilegia, antiqua laudabilia jura, bonos mores, ac temporis præscriptione obtentas consuetudines, clementissimè gubernãdum. Quòd si enim non ità esset: indictione consuetorum generalium Comitiorum, eorumq; celebratione, itemq; Literarum Cautionalium justâ expeditione, nihil omninò opus foret. Quia verò ipsæ fideles Provinciæ communiter, & obsequentissima fidaq; illarũ membra, adversùs omnes impositiones & gravamina, ipsis invitis obtrudenda, maximis privilegiis gaudent; & hoc nihilomi-

hominibus tempore, quo se, juxtà cum dilectis suis Majoribus, spontaneâ fidelissimâq; impensione & periclitatione corporis, bonorum, & sanguinis, omnibus jam viribus prorsus exhaustas enervatasq; sentiunt, tàm duro insuper & insueto processui, crudelis simul, abominandæ & horrendæ persecutionis ejusmodi in Christianis conscientiis suis, subjiciuntur: istud quidem certè, non immeritò, gemebunda & impatientia pectora, vel apud vivos Sanctos ipsos, excitare valeat.

Quocirca si V.a S.tas, fideles & obsequẽtissimas suas Provincias ac Provinciales, in pace & trãquillitate clemẽtissimè gubernare gestit: per intimas Dei miserationes, laudatissimis vestigiis suorũ, in Deo requiescentiũ ac honoratissimorũ Majorum, dilectissimiq; Domini Parentis, beatissimæ memoriæ insistant: dignoscant ac discernant minimè-fucatam ac sinceram fidẽ & integritatem, perpetuò sibi, cum constãti & masculo Germanico pectore addictorum obsequentissimorũ Provincialiũ Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, ab aliis peregrinis, paci inimicis, perniciosis, totiq; Provinciæ damnosis hominibus; qui notoriè, sub Religionis prætextu, tàm S.tem V. ipsam, quàm fidos illius Ordines Provinciales, ad extremum usq; exhaurire satagũt; ac posteà, quàm rem suam fecerint satis, omneq; malum atq; damnũ, pro pernicioso avaritiæ suæ genio, dederint, dominosq; & servos (quod proverbio dici solet) crinibus invicẽ colligaverint, ridentibus pectoribus Provinciâ exeũt. cùm è cõtrario S.tas V. ad quemq; etiam extremũ necessitatis casum, sæpè-dictis suis fidelibus obsequẽtissimis Provincialibus, ac laudatissimæ Nobilitati, contra omnes hostes suos, quàm-promtissimo corporum, bonorũ, & sanguinis objectu, constanter ac indubitatò cõfidere possit. Contrà verò, ad ejuscemodi, his præsertim extremis Mundi periculosissimis ac difficilimis temporibus, in hasce Provincias, per adversarios pacis, apertos hostes nostros, invectam & cõmotam propè inauditam, crudelẽ, & horribilem persecutionẽ nostræ Christianæ, Euangelicæ, veræ, salvificæ Religionis, nihil profectò aliud metuendũ est; quàm ut Respublica, Statusq; politicus, altàs amicè beneq; constitutus, mox aliquando de improviso cõfusus jaceat; ac per summè-damnosam nostrã discordiam, diffidentiã, ac summoperè exhausti Populi læsam patientiã, sanguinario hæreditarioq; Christiani nostri nominis hosti, Turcæ, datâ quasi operâ ac studio, porta lata citra contradictionem adversùm nos aperiatur. Uti reverà, clementissime Domine & Princeps, cum Croaticis, Moravicis, & Vandalicis, S.tis V. obsequentissimarum Provinciarũ vicinis limitibus, tàm miserè, vastificè, pessiméq; jam comparatũ est; ut verba propemodùm deficiant, ad angustias & pericula illorũ enumeranda: ac Serenitati quoq; Vestræ, procul dubio, plùs notum est, quam gratum sibi habere possit. Modò Croati milites limitanei, quibus stipendia soluta non sunt, præ necessitate & paupertate, in fidelium Dominorum ac Provincialium Carniolanorum bonis jacent: quo fit, ut limes iste, in summo damni periculo, nudus deprehendatur. Idem facilimè cum Vandalicis limitaneis cõtingere posset; qui totis jam undecim mẽsibus, ob defectum recipiendorum redditũ ex tributis, per luem pestilentialem, sterilitatem & caritatem annonæ, (quæ & ipsa, hoc miserabilis persecutionis religiosæ tempore, quo cuncta commercia in Provinciâ cessant ac impedita jacent, plurimùm deficit) nullum ordinarium stipendium accipiunt: ut, ob non-solutionem ad impatientiam commoti, in has superiores regiones profecti, tàm S.tis V. propria Fisci, quàm fidelium Provincialium bona invaderent; & jam antè gravatissimis pauperibus Subditis plenariam demùm ruinam afferrent, &c.

Ipsarum obsequentissimarum Provinciarum adhuc laudabiliter conservata fides, (quâ mediante, post Deum, Respublica in hunc usque diem, quantum fieri potuit, erecta constitit) periculoso hoc novo Processu, ac dolorificâ Religionis persecutione, in tantum exstinguitur, & quasi ex proposito aboletur: ut neq; intra, neq; extra Provinciam, vel minimum porrò, etiam pro usuris, nomen fieri possit; sed quisq;, qui apud fidelium Provinciarum Receptores, hîc Graecii, Clagenfurti, & Labachii, pecunias debitas habet, illarum capita simul vehementer sibi restitui expostulat. Prout jam Styriæ Ordinarii, illius Provinciæ nomine, ad proximè-futurum Præsentationis Christi festum, ad quindecim millia Aureorum capitalis summæ, infallibiliter dissolvenda, tenentur: ità ut hinc, necessitate pressi miseri limitanei milites Vandalici, cum stipendiorum suorum solutione, etiámnum longiùs differri cogantur. Quæ omnia, originaliter, ex sæpè-dictâ persecutione Christianæ nostræ Euangelicæ & salvificæ Religionis promanant; hancq; Provinciarum ac limitum perniciosam perturbationem pariunt: ut tandem etiam totum sacrum Romanum Imperium, cujus afflictissima & periclitantia propugnacula sunt, Christianæ hæ inferioris Austriæ Provinciæ, jacturam illarum (quod Deus clementer ac paternè prohibeat!) luere cogeretur; eoq; casu haud-dubiè, etiam earum caussâ, quippè quæ in illius tutelâ & protectione sunt, commoveretur.

Alia multò plura, & catervatim oboritura inconvenientia, Nos trium harum fidelium Provinciarum obedientissimi Ordines, jam-nunc tacebimus; neq; illis Serenitati Vestræ, Domino ac Principi nostro clementissimo, negotium facessemus: sed post hæc omnia supplicamus, gemimus, atq; precamur, & nostro, & multorum millium Christianorum afflictissimorum pectorum & animarum, dilectorum fidei nostræ sociorum, nomine, per intimam Dei misericordiam, ac Vestræ Serenitatis ipsius & nostrûm omnium, æternam animæ salutem, cum debitâ subjectione, demississimè & obsequentissimè: ut Serenitas Vestra clementissimè ac paternè, omnigenas illas, brevibus hîc deductas rerum circumstantias, inprimis autem summè-periculosa hæc Mundi temporum curricula, ceu à Deo magnoperè illuminatus Princeps & Archidux, consideret; apertis nostris hostibus ac persecutoribus, horrendam ejusmodi & injustam persecutionem & confusionem introducere, ne permittat; neq; fideles suos Provinciarum Ordines, in Christianis suis Conscientiis, adeò gravari ac torqueri; sed consuetum adhuc mite & suave jugum Austriacum, (quod utiq;, & non aliud, carè probéq; meriti sunt) re-ipsâ experiri faciat; cum suis laudabiliter-obtentis, ac supra-dictis summè-contestatis Pacificationibus, & similibus Religiosis tractatibus, imperturbatos ac quietos relinquat; Christianos ipsorum, Euangelicos, ac puros Concionatores, fidosq; Pastores & Scholarum ministros, in vicinis hisce Provinciis, ad Christianam ac salutarem doctrinam, eruditionem Christianarum Ecclesiarum & Auditorũ, institutionemq; dilectæ ipsorum Juventutis, officia & ministeria sua, locis suis, ad quæ vocati sunt, citra persecutionem obire concedat; varia hinc-indè, ad fideles Dominos ac Provinciales, ipsorumq; Ordinum communiter ac singulariter constitutos Concionatores & Scholarum ministros, emissa Mandata, Decreta, Edicta & Generalia, clementissimè retractet ac seponat; ac, juxtà cum remediis antè & summariter dictorum, fidelibus Ordinibus, sub Religionis prætextu, intentatorum gravaminum, restitutioneq; per vim ereptorum Templorum & Conventuum, omnia in pristinum concordem ac pacificum statum redigat;

ipsorumq;

ipsorumq; fidelium Ordinum & honoratissimorum Majorum illorum, magnam dilectionem, & obsequentissimum affectum, quem erga S.tis V. laudatissimos Majores illustrissimæ Domûs Austriacæ, præsertim erga Serenitatem Vestram, tanquam præsentem suum clementissimum Dominum ac Principem, semper gesserunt, & adhuc gerunt, clementissimè ac paternè consideret: quippè qui soli, ut nulli alii, tàm sincerâ fide & constantiâ, cum honoratissimo dilectissimoq; Domino ac Principe suo perseverant; omni & pacis & belli tempore se-se studiosè obsequentes præbent; etiamq; corpus, bona, & sanguinem suum, pro S.te V., dilectâq; Patriâ, quoties necessitas postulaverit, contra hæreditarium hostem, omnesq; alios S.tis V., dilectæq; Patriæ inimicos, promtissimè impendunt. Ex contrario notorii ac aperti hostes nostri, injusti persecutores, & peregrini, exteri, malè-affecti, ac perniciosi homines de irrequieto illo Ordine, nihil aliud cogitant, sibiq; propositum habent; quàm ut S.tem V. contra fideles suos Ordines, communiter & sigillatim, immerito suo indesinenter irritent: omnis offensæ instigatores & authores sunt; (de quo tamen aliquando, coram omnipotente Deo, gravem rationem sunt reddituri:) intolerabilem respondendi necessitatem sibi imponunt; ac fortean etiam in hoc seculo, coram Serenitate Vestrâ, totoq; Mundo, (prout jam in aliis quoq; Regnis & Provinciis evênit) dedecus suum atq; ignominiam referent. Cogitet igitur S.tas V. clementissimè, quomodo fideles illas suas Provincias atq; Ordines, cum mansuetudine & pacifico regimine, moderatè tractet: quò hi liberas suas, spontaneasq; Comitiales donationes, amico animo, sicuti hactenus propemodùm supra omnes vires fideliter factum est, pro ulteriore S.tis V. Provinciarum illius, ac limitaneorum terminorum, diutinâ conservatione, re-ipsâ præstare valeant.

Qui nostri obsequentes, flebiles, Christianiq; gemitus ac preces, si apud S.tem V. clementissimè ac paternè locum invenient: Nos quidem de eo, pro tranquillandis Christianis afflictis Conscientiis nostris, ac propter diuturniorem dilectæ Patriæ conservationem, ac Reipublicæ salutem, animitùs nobis gaudebimus; Deum omnipotentem, qui nobis per S.tem V. tàm ineffabilem gratiam summumq; beneficium præstat, laudabimus, honorabimus, ac celebrabimus; etiamq; adversùs S.tem V. in perpetuâ obsequentissimâ subjectione, gratos exhibebimus. Nec minùs S.tas V. pro suâ parte, clementissimè cogitabit; ut, secundùm dilectissimi, in Deo nunc requiescentis, Domini Parentis Vestri, laudatissimæ memoriæ, multiplicia ac sæpiùs repetita, tàm ore, quàm scriptis, clementissima monita, Religionis causâ, nemo quicquam contra alterum attentet; sed in fraternâ amicitiâ omnes optimè sibi mutuò faveant, ac juxtà cum S.te V. summam operam dent; quò dilecta Patria, & Reipublicæ salus, contra vicini archityranni Turcici violentiam, & aliam perniciem custodiatur; & ità ubiq; locorum agatur, utì id Christianum, pium, mansuetum, Austriacum Magistratum, ac fidos sincerosq; Ordines Provinciales, atq; obedientes Subditos, decet. Serenitatem Vestram adhuc, per sacrosanctam gloriosam Trinitatem, ejusq; infinitam misericordiam, hîce quàm demississimè, obsequentissimè, flebiliter deprecantes: ut, pro clementissimâ, justissimâ, Christianâ, plenariâ ablatione ac depositione, sæpè-dictis præsenti Religionis persecutione summoperè gravatis, obsequentissimis fidelibus Ordinibus, in tribus his vicinis unitis Provinciis, insigniter-intolerabilis oneris, omnia ista clementissimè & paternè ad animum revocet ac ponderet; atq; ità negotium hujus Christianæ ad Religionem & Conscientiam pertinentis causæ, eo statu, quo in ingressu sui

Principalis regiminis offendit, atque ad Ordinum omnium trium Provinciarum, Christianæ Augustanæ Confeßioni addictorum, hac in parte solenniter factam Protestationem, corporaliter factum Principale juramentum ac fidelitatem præstitit, in-posterum imperturbatum relinquat. Id quod ad propagationem Dei omnipotentis laudis, honoris & gloriæ; ad præcautionem & amolitionem damnosißimæ fidelium Provinciarum perniciei atque interitûs; è contrario autem ad saluberrimam dilectæ Patriæ communis pacis conservationem ac promotionem, certò facturum est. Atque ipsi etiam sæpè dicti fideles obsequentißimi Ordines, communiter ac sigillatim, cum omnibus ad se pertinentibus Christianæ fidei sociis, totâq; suâ Posteritate, fidelißimâ impensione & objectu suarum adhuc reliquarum corporis, bonorum, ac sanguinis virium, tanquam sinceri ac fideles Provinciales, Subditiq; obsequentißimi, id demereri semper quam-subjectißimè promtißiméq; studebunt. Serenitati Vestræ juxtà universi ac singuli, ad omnem Principalem gratiam, pro clementißimâ, indubiè satisfactoriâ atq; exhilarabundâ resolutione, subjectißimè obsequentißiméq; nos recommendamus. Gracii, in Comitiis, die 19. Januarii, anno 1599.

Denegatoria responsio Principis ad præcedentem Ordinum Supplicationem.

Ad flebilem illum libellum supplicem, Princeps, die demùm ultimo Aprilis, anno 1599. finalem suam declarationem ac responsionem dedit; quæ sic etiam in Resolutione, Styriis, Carinthiis & Carniolanis, ad instantem petitionem ipsorum super libero exercitio Augustanæ Confessionis, die 8. Decembris, anno 1609. datâ, repetita fuit: *Serenitatem suam propterea ad proponendam sibi ac prosequendam Religionis reformationem, inductam atq; adactam fuisse; quòd inter fideles suos Subditos tàm multæ falsæ doctrinæ falsæq; ac perniciosæ opiniones, exstiterint: inobedientia ac realis oppositio, contra Principalem Magistratum, ejusq; authoritatem, magis magisq; accreverit: ecclesiasticæ ac seculares Superioritates, sine ullo respectu, publicè pro suggestibus, aliisq; multis locis, duris ac impudentibus verbis, & calumniosis aggreßionibus, citra pudorem, proscissæ; multiq; alii, contra Deum, communem pacificam salutem, & charitatem Christianam, pugnantes excessus, & indecentia attentata, commissa fuerint. Serenitatem quoq; suam, ab hoc suo decenti ac salutari Reformationis opere non destituram; sed corpus potiùs, vitam, principatus, & quæcunq; haberet, impensuram, eorumq; jacturam facturam; seq; adeò suosq; in frusta concidendos præbituram; quàm ut, in suis Provinciis, oppreßionem Catholicæ Religionis patiatur: propositumq; sibi habere, in hac sententia sua ad sepulcrum usq; perseverare; neq; permissuram, ut quicquam sibi vel minimum contrarium persuadeatur.*

Progressus persecutionis in tribus inferioris Austriæ Provinciis.

Hinc ergo Jesuitica persecutio, in omnibus tribus Provinciis, Styriâ, Carinthiâ, & Carniolâ, subindè promota; Papistica antehàc templa, domusque parochiales occupatæ; & Sacerdotes missatici in illis collocati; Jesuitæ hinc-indè, ubi jam anteà nondum erant, introducti; eisq; partim alia monasteria incolenda data, partim nova Collegia exædificata; recèns-exstructa Euangelica templa, domusq; parochiales, aut destructa, aut pulvere tormentario dissipata: defunctorum cadavera è sepulcris eruta, cremata, aut in præterfluentem projecta: Concionatores domibus ac possessionibus suis, procul ab uxoribus & liberis, ejecti; redditusque illorum omnes dari prohibiti: multa millia librorum (in qui-

quibus ne ſacris quidem Bibliis parſum) paſsim publicè exuſti: homines, bonis partim verbis ac promiſsis perſuaſi, partim verò vehementibus comminationibus duriſque pœnis, ad Religionem deſerendam, & Miſſam frequentandam, tantumq; ſub unâ ſpecie Sacra communicanda, coacti: atq; ita cunctis locis Euangelica religio eliminata, & Papatus denuò inſtauratus eſt.

DE MOTIBUS, QUOS IN REPUBLICA VENETA JESUITÆ DEDERUNT.

CAPUT IIX.

CUM Jeſuitæ Patavii, ut alibi paſsim, publicas in ſuis Collegiis Lectiones habere, & hoc modo ſtudioſam Juventutem ad ſe pertrahere conarentur; gravis, eâ de causâ, inter ipſos & Academiam illam, contentio exorta eſt. Tandem Academia illius loci, de novatione iſtâ, apud Magiſtratum Venetum, anno 1591. admodùm conqueſta eſt; & per delegatū ſuum, CÆSAREM CREMONINUM, hæc talia proponi ipſi curavit: Quòd nimirū Jeſuitæ, privatâ quâdam authoritate, contra Academiæ iſtiuſce leges, ac conſuetudinem antiquam & approbatam, peculiare quodpiam Collegium, ſeu Anticollegiū potiùs, occultò, ſub Pontificiarum quarundam, à Superioribus in Republicâ Venetâ, tanquam à Magiſtratu ſuo legitimo, nondum-approbatarum ſeu confirmatarum, Bullarum prætextu, introduxerint. unde contétiones inter Studioſos per-quàm multæ & variæ exſiſterent: eoque non celeberrimæ tantùm Academiæ deſpectus haud-ferendus; ſed ipſis etiam Jeſuitarum diſcipulis illis putativis, ab ineptis iſtis Præceptoribus, majus detrimentum, quàm emolumentum, accederet. Rogare itaque, ut Anticollegium iſtud, temerariè, necnon clandeſtinè, contra Leges inſtitutum, abrogetur. Domini CREMONINI Oratio, contra Jeſuitas, Latinè ita ſonat.

Jeſuitæ in Academiâ Patavinâ nidum erigere tentant.

Ab eo tempore, (Dux ſereniſsime, Voſq; Senatores præſtantiſsimi) quo Patavina Civitas, ob multivariam excellentiam ſuam, tantò famoſior ac celebrior, quantò antiquæ ſuæ originis cauſsâ dignior atq; honoratior, ſponte ſuâ Leges feliciſsimæ Reipublicæ Venetæ acceptavit; ac Univerſitas ſtudiis illius Civitatis à Friderico II. Imperatore fundata, (quæ quidem Univerſitas, ante diviſionē ac diſtractionē ſui, qualis nunc temporis eſt, non ſolùm cum Univerſitate Bononienſi, cum quâ & ipſa ab eodem Imperatore excitata eſt; verùm etiā cum veteri Academiâ, celeberrimoq; Lycéo Ariſtotelico Athenis, cõparanda fuerat) atq; ab illuſtriſsimo Senatu Veneto rectè conſtituta fuit; laus hæc, cuncta alia, quæ in Regimine heroico cõmendari ſolent ac poſſunt, exſuperat: quãdo conſideratur, quanto ſtudio ac zelo Univerſitati iſti, cõtra novos cõcitatos caſus, ſemper proſpectū; quantáq; curâ & vigilantiâ incrementū augmentumq; illius procuratū ſubindè fuerit; Senatu illam omni, quâ poterat, gratiâ & favore proſequēte, à tributis ac vectigalibus immunem jubente, magno deniq; honore ac dignitate inſigni eam afficiente. Nec minùs admiratione & conſideratione dignū eſt, quantâ famâ & exiſtimatione, Venetorum magnanimitas, gloria, ac celebritas, pro-

propter Universitatem istam, etiam apud remotissimos Populos, sit diffusa. De rebus ejuscemodi loquor, (Dux serenissime, Senatores præstantissimi) quas ipsimet universi ac singuli jam antè novistis: ut qui, optimè intelligentes, quantum augustæ ac præclaræ hujus Reipublicæ intersit, celebrem ac singularem Universitatem Patavii esse, nobilibus Majorum vestigiis insistatis, vestræq; propriæ sapientiæ ac prudentiæ ductum sequamini, in illâ quotidiè novis gratiis ac privilegiis dotandâ; præclarissimisq; ac doctissimis undequaq; Viris, pro salute ac dignitate illius conservandâ, eò advocandis. At verò, (Dux generosissime, Senatores prudentissimi) quorsum ampliùs facit studium illud, quorsum cura illa, Universitatis nostræ gloriam dignitatemq; conservandi? quando Patavii homines deprehenduntur, qui eo-ipso, quòd propriam ibi Scholam instituerunt, vestram jam totam deperdiderunt ac vastàrunt: ut, quantum Vos quotidiè, pro authoritate & incremento illius soliciti estis; tantum ipsi pro decremento in-dies quoq; allaborent. Vos gratias ac privilegia tribuitis, ejus per multitudinem & copiam Studiosorum amplificandæ caussâ: contrà homines isti technis & artibus suis nihil aliud agunt, quàm ut multitudinem Studiosorum, quam vos elegistis & procurâstis, dissipent ac dispergant. Ecce igitur, Dux serenissime, Universitatem vestram Patavinam ad pedes vestros, Serenitatem Vestram de statu suo ipsam edocturam, suppliciterq; imploraturam ac oraturam: ut posthàc, in tàm gravi causâ, seria defensio ac tutela, quam Serenissima Respublica semper ei præstitit, nullatenus desiderari queat. Id verò illa agit petitq;: ut, quia reverendi Patres Jesuitæ, propriâ authoritate suâ, contra Leges Serenitatis Vestræ, Patavii, clanculùm, juxta Serenitatis Vestræ Universitatem, aliam Scholam, quam suam vocant, instituerunt; hæc Anti-schola ipsorum, (quæ meritò sic nuncupatur) secundùm Leges Senatûs Veneti, abrogetur.

Quocirca Serenitati Vestræ ego, ad hoc delegatus & ordinatus, causas & argumenta aliquot ejus petiti, paucis ob oculos ponere studebo: ac pro ejusdem honestate, Vestræq; Serenitatis ac prudentissimi Senatûs summâ sapientiâ, parem exsecutionem exspectabo. Indigitavi paulò antè, Patres Jesuitas, propriâ authoritate ac potestate, (neq; enim video sentióve, hanc ipsorum Scholæ institutionem, in Senatûs Veneti decreto ullibi fundatam) Magnificis duntaxat Universitatis Rectoribus Literas quasdam exhibuisse; de quarum argumento dicere, meum jam non est. Quia tamen de Privilegiis ipsorum respondere habeo, quatenus illa contra Universitatem, tenore literarum illarum, allegantur; dicere hoc mihi convenit: Universitatem Academiæ Patavinæ, præsertim quod ad Studia pertinet, neminem alium, præter serenissimum Venetiarum Ducem, pro Magistratu ac superiore suo recognoscere. Quòd si igitur Patres isti aliter ac diversimodè sentiunt, ut asserere audeant; aliis fortè etiam Principibus, privilegia & potestatem, in Venetorum ditione, ipsis tribuendi & conferendi, jus fasq; esse: istud ad S.em V.am pertinet; neq; causam nostram vel minimùm attingit.

Dixi quoq; antea; Institutionẽ novæ hujus Scholæ, Reipublicæ Venetæ Legibus prorsus contrariam esse. Legatur, in Statutu Universitatis, quo-ad Professores liberaliũ Artium, caput nonum libri secundi; & in Legibus illis, sub gravibus pœnis, prohibitum intelligetur, Lectiones, quæ in Scholis Padi habentur, ab ullo alio, præterquàm à deputatis ad eas, ullâ ratione aut modo fieri posse aut debere. Et quàmvis Leges illæ, casum hunc Patrum

Jesui-

Jesuitarum expreßè non indigitant: non propterea sequitur, illis ipsos non teneri. Sufficit siquidem, rationem, ob quam Leges illæ conditæ sunt, eos expreßißimè tangere. Nullam verò aliam ob causam Leges illæ factæ sunt; quàm ut Studii hujus salus conservetur, gloriaq; & dignitas defendatur & asseratur. Quocirca etiam Patres Jesuitas tantò attinent magis; quantò Lectiones ipsorum è diametro, cum Studii istius authoritate dignitateq; pugnant. Neq; verò tempore illo, quo Leges istæ latæ sunt, Patrum horum peculiaris mentio fieri poterat: quia neq; scire, neq; divinare tùm erat, fore, ut à tàm longè-dißitis locis homines venirent; ac Patavii, ditionis Venetorum urbe, ubi jam antè præclara Universitas esset, aliam adhuc Scholam instituerent. Et quotus-quisq; est, qui nesciat; si jam tùm cogitatum fuisset, quempiam tàm audacem temerariumq; futurum, ut novam Scholam Patavii instituere præsumeret: hunc talem severißimis gravißimisq; pœnis quibusq; absterrendum fuisse? Jam olim quoq; clàm introierant aliqui, tametsi nullam ejus ab Imperio potestatem accepissent, (utì constat, neq; Patres istos à Venetis potestatem ullam talem accepisse) qui Alexandriæ docere præsumebant. Quàm-primùm autem id Imperatori Justiniano cognitum fuit: severis illos Edictis, quæ quidem etiámnum inter Leges ejus reperiuntur, arcuit. Sed quid ego de solo Justiniano dico? Quid, si mihi, Dux serenißime, alias quoq; Leges imperatorias, velutì Juliani & Valentiniani, huc allegare, liberum esset? Verùm existimo, hoc casu nullas alias, præterquàm Reipublicæ Venetæ, ordinationes atq; leges arcessendas esse: inter quas præter eas, quæ adhuc dictæ fuerunt, pro confirmatione, ulterioreq; illarum declaratione, Rescriptum illustrißimorum Dominorum Reformatorum reperitur; quo omnes ac singuli, tàm privatim, quàm publicè, Anatomiam eo tempore, quo Chirurgus, ab Universitate ad hoc constitutus, artem illam publicè profitetur, alii docere prohibentur. neq; unquam, tametsi sæpiùs id Venetiis petitum esset, ullâ conceßione contrarium obtineri potuit.

Quoniam igitur nullam unquam conceßionem, contra Leges, impetrare convenit, quantúmvis illa in Universitatis commodum cederet: quantò minùs id permittendum est, ut quis suâ propriâ authoritate, juxtà cum Universitate, & quidem cum ejusdem omnimodâ ruinâ & interitu, profiteatur? Quòd si, Dux serenißime, Respublica Veneta, pari cum aliis Principatibus formâ gubernanda foret: etiam Universitatum, Papiensis, Pisanæ, Bononiensis, Perusinæ, Ferrariensis, aliarumq;, Leges allegaturus essem; (solâ Romanâ, ob peculiare suum præjudicium, exceptâ:) in quibus nulla Schola, præter publicam Academiam, permittitur. Quin-imò Roma quoq; ipsa (cujus mentionem injeci) pro convenienti exemplo, Reipublicæ Venetæ proponi potest: quòd Universitas illius loci, per introductionem Collegiorum dictorum Patrum in Urbem illam, tota jam pessumdata est ac vastata. Sed prætereo id omne, & ad propositum meum revertor.

Patres istos Scholam, Universitati nostræ contrariam, instituisse, dixi. Videamus ergo, ac consideremus, num etiam verum in hoc dixerim. Ego quidem nunc, ad dictum hoc meum confirmandum, multa non afferam, quæ possem; ut, quòd Patres illi Studiosis assentantur ac abblandiuntur, quò eos, desertâ Serenitatis Vestræ Universitate, ad Scholam suam pelliciant: dictitantes, in suâ Scholâ magno ac vario cum commodo fructuq; profici; in Vestræ Serenitatis Universitate contrà parum doceri, plurimum verò turbarum ac tumultuum sentiri. Quasi verò Universitas Vestra, Dux serenißime, quantum ad docendi

ordinem, malè constituta esset! quasi Serenitatis Vestra Leges, illustrißimorumq; Dominorum Reformatorū Civitatis Patavina ratio prudentiaq;, nō satis efficacia gravitatisq; in se haberent, ad pacem tranquillitatemq;, tàm in Urbe, quàm Universitate, conservandam? Et quasi non in-dies singulos coràm cerneretur, hanc nova Schola institutionem, juxta publicam Universitatem, dissensiones atq; sectas inter Studiosos excitare! cùm jam-nunc diversarum partium Studiosi deprehendantur; quorum alii Jesuistas, alii Paduistas; (exemplo Guelforum ac Gibellinorum) se-se cognominant. Quis verò scit, qua inconvenientia incommodaq; exindè aliquando enascitura sint, ac oboritura? Id quidem certum est, ac omninò credibile; quòd discordia distractioq; omnis, multa mala & incommoda secum ferat.

Prætereà, neq; hoc tangam; quòd sensus iste, quem nunc Studiosis Universitatis Vestra instillârunt, propterea quòd multi peregrini Pataviū veniant, per totam Europam dimanârit: quo fit, ut S.tis V. Universitas, in extremum contemtum atq; ignominiam adducatur. Consilium quoq; illud tacebo, quod Patres isti, in Conventibus suis, his, qui se ipsis associârunt, publicè dedêre; ut nimirum se-se abstineant, porrò ad S.tis V. Universitatem commigrare. Tametsi hoc omni maturâ deliberatione indigeret; atq; etiam sufficienter comprobari posset: si occasio ad id idonea suppeditaretur. Unicum duntaxat hoc loco attingam. Peculiarem Patres isti Rotulam sive Matriculam sibi confectam, & cum hoc titulo impressam, habent; In Societatis Jesu Scholâ Patavinâ: *(ac si Patavii alia, prater Reipublica Veneta Scholam, tolerari deberet!) eamq; publicè prælegunt, pro Universitatis more & consuetudine; juxtà cum exhortatoriâ ad Juventutē, ut ad se venire velint, debeantq;: idq; non sinè evidente præjudicio reliquorū Professorum. Eoq; facto & expedito; per totam Civitatem publicis locis affigunt, quò in omnium notitiam perveniat. Suas quoque constitutas Scholas habent, ad quas campanis signa dant: certasq; docendi horas habent, idq; publicè; prout in S.tis V. Universitate fit. Videat hìc mihi aliquis, num hoc sit, (quod falsò prætendere audent) tantùm pro Novitiis suis Scholas agitare: an potiùs Scholam publicam, juxta Reipublica Universitatem, instituere? Unde insignis imminutio dignitatis Academica Universitatis exsistit: quippè cui, hac occasione, solitus Studiosorum numerus imminuitur.*

Et quoniam Patres isti parati esse videntur, quasi campanarum pulsus, rotularum confectionem, & quosdam alios actus publicos, omittere vellent: consultum omninò esse judico, ut diligenter expendatur; utrùm moderationes ista, qua aliàs per se contra Universitatis privilegia veniunt, prædictam distractionem tollere queant? Cùm plurimùm utiq; intersit, (quia Patavii quoq; duplices Studiosi, Patrum videlicet Jesuitarum, atq; Universitatis, futuri essent) discordiam omnem turbasq; præcavere: præsertim cùm adhuc usq;, quoties Jesuitarum Studiosi in lectiones Padi veniunt, illis acclametur; Foras Jesuistæ! *Quod consimiliter fit, quando Studiosi Padi in Scholam veniunt Jesuitarum. Ad-hac, mihi rectè dici videtur: si ista eorum moderatio admittatur, approbeturq;; simul etiam Literas ipsorum probari, Scholamq; confirmari. Unde, quia sinè omni datâ potestatè, in magnum Universitatis præjudicium & incommodum, id opus ausi orsiq; sunt; inposterum multò plura & majora ausuri essent.*

Hìc ego fortean (ne quis credat, Studiosos ad Patres Jesuitas, tanquam ad Scholam solùm

sillam, ubi plus commodi fructûsq; percipiant, itare) aliquid dicere deberem: Quânam illi formâ ac ratione doctrinæ atque institutionis utantur? num illa simplex tantùm, an verò recta solidaq; sit? Utrùm illi, quos cathedris præficiunt, adhuc juvenes sint, quibus exercitio ipsis meritò opus foret; an verò idonei sint aliis instituendis? Utrùm ex chartâ sibi propositâ doceant, quod ipsi probè intelligant; an verò aliundè id acceperint? Utrùm denique, multiplicibus suis lectionibus, ac celeri cursu artium ac disciplinarum, Auditoribus suis plùs commodent, an verò incommodent? Dicendum fortè etiam esset; Quibus modis Patres isti Juventutem ad Scholam suam pertrahant? Utrùm media illa legitima sint; an fortaßis prohibitæ artes, falsiq; prætextus? Utrùm laudabilia; an verò vituperanda ac dolosa sint media? Utrùm ad eorum, qui ad ipsos itant, commodum: an verò proprium ipsorum bonum atque lucrum, tendant? Quòd si autem talibus rebus tantùm immorarer: terminos utiq; propositi mei transgressurus, meoq; mandato minùs defuncturus essem. Universitas siquidem Academiæ Patavinæ, non ideò coram Serenitate Vestrâ comparet, ut Patribus hisce ullum defectum exprobret: sed magis pro Serenitatis Vestræ officio venit, ut ei Studii sui salutem & decorem ponderandum cõmendet; rogetq;, ut Serenitas Vestra procurare dignetur, quò Patres isti omnia, quæ in Serenitatis Vestræ Universitate publicè docentur, docere ac profiteri prohibeantur. Nam hoc-ipso dicta Universitas existimat se facere, quod officii ac jurisjurandi sui caußâ debuerit; simulq; etiam illustrißimæ huic Dominationi gratum officium præstare. Firmiter siquidem credit, Serenitatem Vestram, unà cum præclarißimo hoc Collegio, totoq; Senatu Veneto, Universitatis Patavinæ majestatis ac dignitatis tuendæ, magno zelo duci: propterea quòd eadem hæc Academia sit, è quâ, sinè Patrum Jesuitarum adjumento, indè à multis seculis, tot præclarißimi & celeberrimi Viri, Regum Principumq; Consiliarii, Prælati Ecclesiastici, Episcopi, Cardinales, Papæq; adeò ipsi, prodierint: quódq; eadem hæc Academia sit, quæ, sinè Patrum Jesuitarum adminiculo, serenißimæ isti Reipublicæ tot præclarißimos Viros, cùm eos, qui jam mortui, æternam laudem & gloriam, imò desiderium immortale sui, post se reliquerunt; tùm eos, qui adhuc superstites, de serenißimâ Republicâ quotidie benè merentur, probè educârit, atque in lucem eduxerit.

Restitue ergo, Dux serenißime, huic Universitati tuæ ornamentum decusq; suum. Quòd si muri sacri, præstantißimi ac sumtuosißimi Palatii, quod Serenitas Vestra Universitati pro sede habitationeq; attribuit, (qui quidem annis præteritis, frequentiâ Nobilitatis tantoperè honorati esse solebant; nunc autem, propter novam à Patribus istis institutam Scholam, deserti ac solitarii visuntur) linguis etiam, quas non habent, instructi, profari aliquid possent; ecquid aliud, quàm lamentabili ac miserabili voce, dicerent? Memento, Dux serenißime, nostri! Cogita, te, te-ipsum, non Patres Jesuitas, Venetiarum Ducem esse! Universa Græcia non nisi unicam Academiam habuit: & Patavium duas habeat? Númne igitur jam alii Populi veniunt, ut cum Venetis, in propriis ipsorum Urbibus, unà regnent? Recordare tandem, (dicturæ forent, unanimi voce, omnes ac singulæ Academiæ; si loqui illis daretur) Universitatem istam, cui tu, serenißime Dux, nos tanquam membra inseruisti, à sapientißimo Imperatore Friderico, pari dignitate authoritateq;, cum Civitatis Bononiensis Academiâ, institutam fuisse; nunc verò dignitate & authoritate, non illi solùm, verùm etiam vilißimis Italiæ Academiis, concedere coactam.

LIII 2

Patavina civitas, Dux serenißime, Patrum Jesuitarum opis haud indiget, ad artes scientiasq; profitendas; quamdiù Venetorum providentia sibi constat ac durat: quæ, utì undequaq; dispicit, quâ ratione Viros doctos huic fini parare poßit; sic, ubi intelligeret, duas Patavii Scholas esse, majestatemq; ac dignitatem Universitatis Reipublicæ Venetæ imminutam, non tàm facilè in-posterum, prout adhuc fecit, illud actura foret. Unde lectionibus Academiæ Patavinæ, caussâ Patrū istorum, futurū esset; quod eorundē caussâ, Scholis puerilibus jam factum est, ut nihil propè nunc Patavii, Patavii inquā, tàm vile reperiatur; de quo non ponderandū cogitandumq; foret, num damnosum illud cōmodúmve sit futurum?

Scholam deniq; hanc, dixi, serenißime Dux, quæ Legibus ac Majestati Vestræ contraria est, clanculùm furtimq; institutam fuisse. Et verum in eo dixi. Initiò Patres isti pauperes ac miseri adventabant, contemtâ specie habituq; puerulis Grammaticæ rudimenta tradentes: tandem verò paulatim, posteaquam sibi (quibus rationibus, haud scio) magnos thesauros compararunt, seq; jam apud istum, mox apud illum, insinuârunt & familiares facti sunt, eò processerunt; ut hoc tempore omnes artes scientiasq; doceant ac profiteantur, eo proposito: ut Patavii monarchæ sapientumq; primi habeantur, atq; dicantur. Neq; verò parvo isto contenti, etiam Reipublicæ Venetæ Universitati dominari, deq; illâ triumphare, etiam cum extremo illius exitio & ruina, volunt: prout eos cum Scholis puerilibus, quas penitùs deleverunt, jam fecisse, indigitavi.

Hæc gravamina atq; argumenta sola, inter complura, quæ Academia Universitas Serenitati Vestræ exponenda haberet, attingere hoc loco voluimus: qui ob hanc quoq; caussam coram Serenitate Vestrâ comparére veriti non sumus; multùm licèt Adversariis laborantibus, ut ab eo instituto nos absterrerent: idq; cùm literis, quarum à principio commemini; tùm insolenti jactatione, quòd in ditione istâ tantum ipsi valerent, ut noster labor studiumq; frustrà impensum foret. Universitas, inquam, Academiæ id nihil est verita: quippè cui constat, in Nobilitate Venetâ sapientes adeò atq; integros Viros esse, tantâ discretione & intellectu, ut nunquam cuiquam, ullâ in causa, contra communem authoritatem atq; dignitatem, favere cupiant; probè id intelligentes, neminem, in officio publico constitutum, in proprium suum commodum ac bonum judicare, aut quicquam aliud instituere faceréve debere. Universitas, inquam, argumenta illa movere & attingere voluit: quò Serenitas Vestra, sapientiâ providentiâq; suâ, (intuitu proprii judicii sui, quo ad causam istam semper promta fuit: intuitu Legum Universitatis, quæ à Republicâ Venetâ ipsi datæ sunt; quibusq; his modis contrà venitur: intuitu veri communis boni; non autem prætextu reverendæ Paternitatis: intuitu Pacis ac tranquillitatis conservandæ, quæ cum duabus Scholis, quarum una alteram per omnia æmulatur, haud-facilè consistere potest: intuitu deniq; honestatis, officii, ac fidei debitæ) id agere dignetur; ut, pro exsecutione Legum Reipublicæ suæ, Universitas Studii Urbis Patavinæ, ipsiusq; serenißimæ Reipublicæ, in bono suo statu confirmetur ac conservetur: quæ licèt ab illis non fundata & instituta; privilegiis tamen ab iis donata est: atq; ut altera illa Anti schola, ab hominibus peregrinis, propriâ authoritate ac potestate, in serenißimâ Republicâ Vestrâ, constituta, abrogetur: ut deniq;, ad mandatum Serenitatis Vestræ, supplicatio Universitatis, in illustrißimo Collegio suo Pregadino, prælegatur; ejusq; exsecutio in dicto Collegio decernatur. DIXI.

Ad

Ad quæ omnia, Senatus Venetus, die 23. Decembris, anni ejusdem 1591. tandem decrevit, ac rescripsit: *Nostra hæc est sententia ac voluntas; ut Jesuitæ Lectiones, nisi inter se-se, & apud asseclas sive socios suos, habeant omninò nullas: utq; Statutis ac Privilegiis Academiæ Patavinæ neutiquam adversentur.*

Jesuitæ ab Academia Patavina, decreto Senatûs Veneti, arcentur.

Anno verò 1605. inter Venetos, & Paulum V. Pontificem Romanum, gravissima & periculosissima intercessit Controversia, super Constitutionibus quibusdam; quarum renovandarum occasionem, Senatui Veneto, Jesuitarum artes, & doli testamentarii, præbuerunt. Cùm enim Ecclesiastici, maximè verò Jesuitæ, Venetiis hactenus multa ædificia, & bona alia mobilia, & immobilia, tàm in Urbe, quàm extra eam sita, ad se-se, sub titulo Testamentorũ, aliorumque Legatorum, variis technis & molitionibus, pertraxissent; & verò bonis spiritualibus adnumerata, ità jam possidere inciperent; ut tributi indè ad Magistratum politicum nihil amplius, vel parum admodùm, rediret: Magistratus Venetus, ne cum Reipublicæ detrimento maximo illi ditescerent, lege cavendum, & in eos maturè animadvertendum censuit.

Ecclesiastici in Venetorũ ditione plus bonorum possidẽt, quàm Respublica ipsa.

HIERONYMUS VENDRAMENUS, Sacerdos & Theologus Venetus, pro serenissimâ Venetorum Republicâ, ad Cardinalium Romanorum Collegium; *Triginta-decies*, inquit, *centena-millia, & ampliùs, Ecclesiasticorum bona ac facultates, æstimantur valere, sub Venetæ ditionis Imperio. Et quidem, quócunq; te Venetiis, vel alibi in toto Veneto dominio, conferas: ædificia quæcunq;, prædia, agros, domos, & cætera hujusmodi meliora, pulcriora ac magnificentiora, conspexeris; illa Ecclesiasticorum esse, certò scias. Quòd si ex urbe Venetâ solùm, atq; agro, extrahas templa, ædificia, bona, facultates Patriarcharum, Episcoporum, Abbatum, Archipresbyterorum, Plebanorum, Presbyterorum, Monasteriorum, Hospitalium, Ecclesiarum, & cæterorum hujusmodi; quæ temporibus, quibus Veneta Respublica cœpta est, vel prorsus nulla exstabant, vel certè admodùm pauca: illaq; omnia simul in unum locum conferas; ac seorsim quidem templa, domos, ædificia, & cætera hujusmodi opera, ponas; seorsim verò prædia, agros, rura, hortos, & similia: quid, obsecro, Venetorum civitas ac dominium erunt, cum his collata? Illa certè, urbs maxima erunt: hæc verò, vicus & provincia per-quàm angusta apparebunt. & tamen Ecclesiastica illa omnia, vel plura certè, Venetæ Reipublicæ Subditorum erant; ac proindè Veneta. Principes enim, in Subditorum suorum bona, jus aliquod habent. Necessariò igitur Reipublicæ Venetæ Patribus, his malis medendum, ac legibus cavendum fuit: ne, contra vitæ suæ rationẽ, & Christi Servatoris Domini institutum, Ecclesiastici viri tandem omnia secularia occupent, ac possideant.* Huc-usq; Vendramenus.

Jesuitæ verò, hoc indignissimè ferentes, totum hoc negotium Romam, ad Papam Paulum V. perscripserunt. Compellati igitur hoc nomine à Pontifice, Veneti jure suo cedere noluerunt: sed protestati sunt, sibi, in ditione suâ, supremam jurisdictionem, & sic etiam legum ferendarum potestatem, non autem Pontifici, competere. Hoc responso accepto, Pontifex Excommunicationis fulmine eos territat: idque non alio fine, quàm ut Subditi, per Religionis exercitii interdictum, ad seditionem concitarentur; adeóque Senatus Jesuitis cedere, suaque decreta retractare, cogeretur.

Jesuitę VenetãRemp. corã Papã accusant.

Veneti jure suo cedere nolunt: à Papa propterea excommunicati.

Dux verò & Senatus contrà, Excommunicationem illam Decreto publico, pro iniquâ, injustâ, & omninò nullâ declaravit: omnibusque Ecclesiasticis ac Religiosis mandavit; Religionis exercitio, quisque in suâ Ecclesiâ, pro more hactenus recepto, ac sinè ullâ innovatione, vacarent. Decretum illud de verbo ad verbum sic habet.

Decretum Venetorũ cõtra Pontificis Excommunicationem.

LEONARDUS DONATUS, Dei gratiâ Dux Venetiarum, &c. Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, totius Dominii nostri Veneti; & Vicariis, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus Ecclesiarum parochialium, & aliis Prælatis ecclesiasticis, Salutem. Ad notitiam nostram pervenit, die 17. Aprilis nuper præteriti, de jussu & sententiâ Sanctissimi Patris, Pauli Papæ V. publicatum & affixum fuisse Romæ BREVE quoddam, fulminatum contra Nos, & Senatum ac Dominium nostrum; directum ad vos, ejus tenoris & argumenti, quod in eo continetur. Quapropter, cùm devinctos nos esse consideremus, ad conservandum in quiete & tranquillitate Statum nostrum, Nobis ad gubernandum à Deo datum; utq; vindicemus & defendamus authoritatem Principis, qui in rebus temporalibus alium Superiorem, præter Divinam majestatem, non agnoscit; præsentibus hisce nostris Literis, coram Deo & toto Mundo, protestamur; Nos non intermisisse omnibus possibilibus uti, quibus Sanctitatem suam, validissimam nostrarum & indissolubilium rationum capacem redderemus: & primùm quidem, per Oratorem nostrum, apud Suam Sanctitatem residentem; posteà verò per Literas nostras responsorias, ad Brevia ipsius Nobis scripta, & tandem per Oratorem expressum, & in hunc finem missum. Verùm, quum animadverterimus, Suæ Sanctitatis aures occlusas, & Breve istud publicatum esse contra formam omnis rationis, & contra id, quod docet sacra Scriptura, doctrina Sanctorum Patrum, & sacri Canones, in præjudicium authoritatis secularis, concessæ Nobis à Deo, & libertatis Statûs nostri; cum perturbatione possessionis quietæ, quam, per gratiam divinam, sub Dominio nostro, fideles nostri Subditi possident, bonorum, honoris, vitæ ipsorum; nec-non cum scandalo universali & gravissimo omnium hominum: idcircò nullo modo dubitamus, prædictum Breve habere, ac censere, non tantùm pro injusto ac indebito; sed etiam pro nullo, & tali, quod sit precii planè nullius; & ità pro invalido, irrito, & illegitimè fulminato, ac de facto, nullo juris ordine servato, ut indignum atque inconveniens judicaverimus, uti contra illud remediis, quibus Majores nostri, & alii Principes supremi, contra Pontifices usi sunt: qui, dum potestate suâ, ipsis à Deo datâ uti deberent ad ædificationem; terminos transgressi sunt. Maximè cùm certi simus, illum à Vobis, & aliis nostris, Subditis fidelibus, adeòque Mundo toto, pro tali censeri & reputari: in certissimam spem venientes, fore, ut, quemadmodum hactenus fidelem curam gessistis animarum Subditorum nostrorum fidelium, & cultûs divini, qui studio vestro floret in hoc Statu nostro, si quisquam alius; ità in-posterum etiam officium illud pastorale continuetis. siquidem certò constituimus, perseverare in sanctâ fide Catholicâ & Apostolicâ, inq; observatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ; perindè ac Majores nostri, à principio fundationis Urbis hujus, ad præsens, per divinam gratiam, perseverârunt. Volumus autem, ut præsentes hæ Literæ, quò ab unoquoque intelligantur, affigantur in locis publicis Civitatis hujus nostræ, & aliarum Dominio nostro sub-

subditarum: sperantes, istam publicationem, adeò manifestam, perventuram ad aures omnium, qui prænominati Brevis cognitionem habuêre; & perventuram etiam ad aures Sanctitatis suæ: cui, oramus, ut Dominus Deus noster inspiret gratiam, quâ cognoscat Brevis istius nullitatem, & aliorum factorum contra Nos institutorum; &, postquàm justitiam causæ nostræ cognoverit, Nobis augeat animum, ad præstandum reverentiam erga sanctam sedem Apostolicam: cujus Nos, & Antecessores nostri, unà cum hac Republicâ, semper fuimus & erimus devotissimi. Datum in Ducali nostro Palatio, ad 6. diem Maji, Indict. 4. Anno 1606.

Hoc decreto publicato, Dux & Senatus Clerum etiam suum convocant, & jus Reipublicæ eidem exponunt, Pontificiæ Excommunicationis iniquitatem demonstrant; eumque pro authoritate hortantur, ut, curato suo officio, Excommunicationem Papalem pro nullâ habeat. Clerus antiquus ad hæc, unanimi consensu, Reipublicæ causam contra Pontificem probat; & de fide suâ prolixè pollicetur. Recentiores verò Religiosi, nempè Jesuitæ, Capucini, & Tolendini, (quorum Regulæ præsentis temporis conditioni accommodatæ sunt) Reipublicæ causam damnant; &, contra mandatum Senatûs, ecclesiastica sua officia occlusis semper Templis peragentes, varia moliri, & plebem ad seditionem excitare, visi sunt. Quanquàm Jesuitæ, solitâ sibi æquivocatione usi, pollicerentur; quòd & ipsi divinum cultũ continuarent: verùm interim per Civitatem spargebant, quòd publicè Missam dicere abstineant. Hoc cùm cognovisset Magistratus, ipsi ad diem 9. Maji, anno 1606. accersiti fuerunt: ut certò ab ipsis cognosceretur, quidnam tandem animi ipsis esset. & admoniti, ut Principis mandatum in ministerio suo exsequerentur: ipsi, se Missam posse dicere, negabant. Promissioni quin-etiam hoc suæ non adversari. Missam enim, sub nomine officiorũ divinorum, non comprehendi. Quo cognito, deliberatum fuit à Senatu; ut Patriarchalis Vicarius ablegaretur: qui res Ecclesiæ ipsorum consignaret; & mandatum daret Jesuitis, subitò discedendi. Scriptum etiam fuit Civitatum gubernatoribus, ut omni ex loco discessum illorum procurarent.

Decreto Reipub. Venetorũ Clerici omnes subscribunt, exceptis Jesuitis.

Jesuitarum æquivocatio Venetiis nihil valet.

Jesuitę Venetiis discedere jubentur.

Jesuitæ, intellectâ intimatione, tumultuariè ad Ecclesias convocârunt suas devotas mulierculas; & (ut posteà compertum fuit) indè ingens auri & gemmarum pondus depromserunt. Sub vesperam, ministros publicos sibi dari petierunt, securitatis suæ caussâ: qui utiq; ipsis missi fuerunt. Discesserunt igitur, conscensis navigiis, vesperi, sub horam secundam noctis, singuli cum imagine Christi ad collum; ad ostendendum, Christum unà secum pati. Sua Collegia quasi nuda reliquerunt: in quibus, totam noctem, & integrum diem, reliquiæ remanebant ignis: præsertim duobus in locis, ubi immensam copiam scriptorum suorum combusserunt; relictis pluribus instrumentis, quibus funditur metallum. Quod cùm per Urbem increbuisset, non sinè scandalo; Pater Possevinus, paucis diebus pòst, Ferrariâ scripsit: Instrumenta non fuisse, ut funderent aurum & argentum, sicuti calumniosè traducerentur; sed ut concinnarent pileos suos sive baretas.

Jesui-

Calumniæ Jesuitarum contra Venetos.

Jesuitis ex Statu Veneto sic profectis, universa ipsorum Societas, in & extra Italiam, disseminabant infinitas calumnias contra Rempublicam, cùm in privatis colloquiis, tùm in prædicationibus publicis, & in dominio Reipublicæ literis ad ipsis adhærentes. Convocabant ad confinia suos devotos: ingrediebantur dominium, habitu & personis dissimulatis: prædicabant varias indulgentias iis, qui interdictum observarent; aut alios, ad id observandum, & causæ Pontificis patrocinandum, promoverent: fingebant literas falsas; quas sub nomine Reipublicæ Genuensis scribebant Venetæ, & sub nomine civitatis Veronensis civitati Brixianæ. Quæ cùm intolerabilia viderentur esse Venetis; in mandatis datum fuit à Senatu: Ut seditiosarum actionum ipsorum novissimarum, ut & præcedentium aliarum, formaretur processus. Et, quoad ultimas quidem, abundè compertum fuit, ipsos in concionibus suis invectos esse in Rempublicam; appellando illam hęreticam, Lutheranam, tyrannicam, & abominandam, & quæ sunt innumerabilia hujusmodi epitheta: idque Ferrariæ, Bononiæ, Parmæ, Mantuæ, Palermi, & alibi. operâ etiam ipsorum, atque instinctu, omnia ista mala evenisse, quæ evenerunt in Hispaniâ, Bohemiâ, Galliâ, Poloniâ, & Angliâ, Legatis Venetis.

Operam etiam dabant apud Principes Italiæ; ut, in Provinciis ipsorum, Reipublicæ militem conscribendi licentia præcideretur: &, cùm hoc non succederet, vicatim euntes detestabantur nomen Venetum; anathema minati iis, qui in militiam ipsorum proficiscerentur. Seditiones, quas in Dominio excitabant, partim literis, partim instructionibus & tractationibus coràm & ore-tenus, cum subditis Venetis, & in confiniis cum devotis suis, quos illuc accersiverant, fuêre innumerabiles. Compertum præterea fuit, ipsos turbarum illarum fuisse architectos præcipuos; quas tùm temporis concitaverunt apud quosdam: quibus spem fecerant, ut in administratione Reipublicæ partem aliquam locumque obtinerent, distractione excitatâ inter Senatores. Quin-etiam innotuit, quòd, cùm Respublica, à morte Henrici III. Christianissimum appellâsset Henricum IV. Regem Galliæ; ipsi, Romam scriptis literis, multis Senatoribus scrupulum injecerint: qui propterea Venetiis discesserunt, quia Jesuitæ absolutionem eis negabant; nisi retractarent. Pro diversis occasionibus, monstrabant se fautores magnorum Principum, in negotia illorum se ita intrudentes. Menstruatim impendebant plures, quàm centum Coronatos, in curandis tantùm literis. Detegebantur multæ insidiæ eorum, quas struebant bonis & facultatibus suorum amicorum; & præsertim multarum cum damno insigni familiarum.

Quoad doctrinam ipsorũ, innotuit, in rebus quidem politicis, majorem in modum ipsos exaltare Monarchiam, & deprimere Aristocratiam: cum hypothesibus certis, quæ institutis & administrationi Reipublicæ sunt contrariæ. Unde apparuit, Jesuitas authores & instrumenta fuisse omnium turbarum, confusionum, seditionum, & damnorum, nostris temporibus, in omnibus Regnis & Provinciis Mundi subortorum.

Quæ

Quæ omnia & singula, cùm ad diem 14. Junii, anno 1606. in Senatu essent proposita: deliberatum & decretum fuit: *Quòd, cùm Societas Jesuitarum Venetiis, à primo tempore, quo recepta & benignè habita fuit, erga Rempublicam se-se exhibuerit semper ingratam: inq; detrimentum potiùs ejus, quàm emolumentum, fuerit propensa; idemq; etiam-num, non sinè intolerabili molestiâ, & insolenti dicacitate, continuet; in æternum illa ampliùs recipi, in quemcunq; locum Dominii Veneti, non poßit, nec debeat.* Et sanè evidentissimum est argumentum enormitatis delicti eorum; quòd, in tanto numero Senatorum, ne unus quidem ipsis patrocinabatur: & in scrutinio votorum secretorum exploratum fuit, omnia conformia esse, ut perpetua ipsorum proscriptio decerneretur. Decretum de Jesuitis nunquam recipiẽdis.

Ad diem 18. Augusti mensis, deliberatum & conclusum fuit ab eodem Senatu, ut publicaretur mandatum: *Ne ullus, cujuscunq; conditionis & sexûs, sive Venetiis, sive aliis in Civitatibus Reipublicæ, recipere ausit Jesuitas; aut literas ad eorum Societates perscribere; aut commercium ullum cum eis habere; sub pœnâ irremißibili, proscriptionis ex omnibus terris & locis Reipublicæ; & vel sub graviori pœnâ, pro transgreßionis & personarum qualitate. Ut teneantur etiam omnes, qui Liberos suos sub disciplinâ illorum habeant, eos ocyùs & sine morâ revocare; neq; in perpetuum illos ad Collegia eorum remittere: sub iisdem pœnis.*

Quum autem brevì posteà susciperetur tractatio Pacis inter Pontificem & Rempublicam, Jesuitæ solicitè institerunt Romæ, & in Hispaniâ præsertim; ut & ipsi tractationi includerentur: in medium afferentes summa sua in Coronam merita; & quòd exclusio ipsorum, tùm Papæ, tùm Hispaniarum Regi, dedecus magnum sit allatura. Non dubitabat etiam Confessarius Reginæ, è Societate unus, palàm dicere: Non à Rege tantùm, sed à totâ Curiâ, controversiam illam componi, bonâ cum conscientiâ, non posse; nisi Jesuitæ Venetiis restituantur in integrum. Scriptum quoque sparserunt Romæ Italicè, & in Hispaniâ Hispanicè; quod oblatum est Pragæ, à Patribus Societatis Jesu, Nuncio Pontificis, & Legato Hispanico, residentibus apud Imperatorem, anno 1607. Aprili mense: quando fuit nuntiatum, controversiam inter Paulum V. Papam, & Rempublicam Venetam, compositam esse; ità tamen, ut Jesuitæ à Statu Veneto exterminati essent. in quo variæ, sed futiles ac vanæ causæ, afferuntur; quibus probare conantur, non permittendam esse Venetis proscriptionem Jesuitarum ex ipsorum Statu. Id scriptum sic habet:

Quemadmodum Veneti, tempore inobedientiæ & schismatis, declarârunt, se commaculatos esse hæresi: sic, quum quærunt hoc tempore, ut Jesuitæ nunquam revertantur, satìs eo ostendunt id, quod Demosthenes de Lupis dicit; eos, quum pacem inire vellent cum ovibus, petiisse, ut exterminarentur canes, velutì eos, qui distractionis fuerint authores. Quòd si igitur hoc ipsis Venetis concedatur; malum in-dies ingravescet; donec fiat immedicabile; & apertũ bellum indè tandem enascatur. Hoc modo plus lucrabuntur, quàm eo, quod in principio prætendebant; nempè, jurisdictionem in bona, & personas noxias. nunc verò, castigandi & innocentes, potestatem consequentur. Manifestißimum hoc erit signum, Regem & Papam manus dare; nec vires habere, ad redigendum ipsos in ordinem:

sicq; victos esse, tàm iniquâ videlicet conditione. Unde libertati ecclesiasticæ majus detrimentum oborietur; sicut etiam authoritati Papæ: quàm cum omnibus istis legibus, quæ censurarum exstiterunt causa. Papa sibimet facit injuriam, permittendo, ut primi, qui ipsi obedierant, ob hanc causam confundantur, in conspectu totius Mundi, inter Catholicos & Hæreticos; & castigentur proscriptione perpetuâ, & suorum bonorum privatione. Hoc modo confirmabitur id, quod per totum annum publicârunt per Mundum; nempè, Interdictum, & omnes actiones Papæ contra se nullas esse, neminemq; eis debere obedire, quandoquidem prætendebant, atque etiam obtinebant, eos, qui ipsi obedierant, hunc in modum castigari. Ex alterâ causâ, etiam Papa præjudicat suæ authoritati: quandoquidem deinceps non poterit ampliùs publicare Interdictum, quod sit validum. Nam, cùm videat, eos, qui obediunt, pro eo, quòd debent affici præmiis, adeò graviter puniri: nemo Ecclesiasticus ampliùs ipsi obediet; & ipsimet Jesuitæ, qui hactenus in omnibus rebellionibus, quæ in quâcunq; parte Mundi, contra Sanctitatem ejus, & Regem nostrum, fuerant excitatæ, ad ipsis serviendum, periculo exposuerunt facultates & vitas suas, tempore futuro perdent animam. Quod facturi sunt & cæteri omnes Religiosi: cùm videant, se desertos esse; sicq; malè tractari eos, qui in hujusmodi occasionibus adeò benè se gesserunt. Præterea, Sanctitas & Majestas sua dabunt maximum scandalum toti Mundo. siquidem istud exemplum, animum addet omnibus Hæreticis & Politicis, in quâcunq; parte. Molientur enim quidvis contra Sanctitatem ejus; quippè certi, se illud obtenturos. unde facilè isto exemplo se-se justificabunt.

Quòd si fortè existimetur, id precariò posse accommodari: sciendum, illud-ipsum in medium etiam propositum fuisse, cùm tractaretur pax cum Angliâ. Nunc verò apparet, quàm fuerit id sinè fundamento & ratione. Deindè, si consideretur obstinacia, quam hactenus sunt professi, excutiendo pœnas ecclesiasticas, & minas bellicas: prudenter præsupponi nullo modo potest, id ipsos facturos precariò, postquàm periculum evaserunt. Tertiò, non excusabuntur propterea incommoda illa superiora. Quartò, etiamsi id facerent posteà, propriâ suâ voluntate, ut satisfacerent Principi alicui, id ab ipsis postulanti: tamen considerari debet, quantâ existimatione id lucrifaceret ejusmodi Princeps; & quantam indè jacturam faceret & ipsius Sanctitas, & Majestas Catholica. cùm ne quidem omnibus suis viribus, & authoritate, rem tàm justam obtinere potuerint.

Et si quis objiceret: Necessariò admittendam esse illam conditionem, ut non introducatur in Italiam bellum; quandoquidem ipsi volunt, sinè eo, subjicere se Papæ. Primùm quidem, ista dissimulatio, & major subindè propagatio hæreseos, in Statu Veneto, majoris & periculosioris belli causa erit. Secundò, eveniet ex istâ Hæreticorum & Politicorum inventione; ut in conditione illâ, tanquam si esset minoris ponderis, exhibituri se sint obstinatiores: utpotè in quâ, sicut apparet ex superioribus, consistit omnis existimatio, sive justitiæ, sive injustitiæ hujusce negotii; nec-non ipsius Sanctitatis, & Majestatis Catholicæ. Tertiò, Veneti ampliorem habent occasionem, pertimescendi bellum in suâ domo, modo exiguo, quem habent ad se defendendum; & exiguâ securitate erga suos Vasallos, in re tàm pudendâ & injustâ: ut non debeant habere Papam, vel Regem Dominum nostrum,

nostrum, qui inferant ipsis bellum, ad redigendum eos in officium. quod ocyùs amplectentur, si videant ex alterâ parte constantiam & resolutionem: quâ ipsis conditio negatur tàm indigna & intolerabilis.

Anteà dictum est, antiquos Ecclesiasticos ac Religiosos, se-se cum Republicâ Venetâ, in causâ illâ controversâ, conjunxisse. In illis igitur erant quidam etiam praeclari doctiq; Viri, nominatim verò PAULUS SERVITUS Venetus; qui totos libros atque tractatus pro suo Magistratu ediderunt: quibus non solùm causae ipsius justitiam asserebant; verùm etiam, partim Jesuitarum technas ac Sinonias artes detegebant, & graphicè depingebant; partim potestatem Papae in temporalibus usurpatam, solidè, & sacris Literis congruenter, impugnabant. Ut igitur Jesuitae, praesertim in praedicto Paulo se-se ulciscerentur: conduxerunt, & pecuniâ corruperunt, *Rudolphum Pomam*, & *Michaëlem Viti* Sacerdotem, cum duobus aliis, Anconâ & Florentiâ oriundis; quorum alter *Alexander*, alter verò *Johannes*, vocabatur, qui, die 5. Octobris, anno 1607. ipsum Fratrem Paulum, Assasinorum more, adorti, pugionibus acutis vulnerârunt, ac pro mortuo in plateâ jacentem reliquerunt. Latrones fugâ elapsi sunt: bonus autem ille Vir domum deportatus, singulari Dei gratiâ, & Chirurgorum operâ, vivus est conservatus. Sed & alii docti Viri extra Italiam, causam Venetorum contra Jesuitas, ac prȩsertim contra Antichristianam Cardinalis BARONII Paraenesin ad Rempublicam Venetam, ità egerunt: ut Jesuitae, quemadmodum semel abire coacti, & nihil secum asportare ausi fuerunt; ità in Venetorum ditionem publicè nunquam sint redituri, aut recipiendi.

Jesuitae se per sicarios ulcisci conantur.

DE PRACTICIS ET MACHINATIONIBUS JESUITARUM PER BELGIUM.

CAPUT IX.

JESUITAE in Belgio, quod Hispaniarum Regi adhuc paret, recepti, passim locorum more suo dominari coeperunt; ac inter alia, sub praetextu Bullae seu Privilegii, à Pio V. Papâ ipsis concessi, etiam jura Academiae Lovaniensis invadere sunt conati. Contra quos Academia insurgens, jurium suorum asserendorum causâ, in Consilio Brabantico, litem illis intendit, sequenti exhibito Scripto.

Jesuitae jura Lovaniensis Academiae invadunt.

AMPLISSIMI NOBILISSIMIQ. DOMINI. Prudentis Judicis ea solet esse cautio, ne suae jurisdictionis terminos excedat: utpotè probè scientis, futurum alioquin, ut sibi impunè non pareatur. *l.ult.ff.de jurisdictione.* Proprietatis autem & possessionis, itèm juris & ejus quasi possessionis, distinctam scimus esse causam: illi, petitorium; huic, possessorium judicium praescriptum esse: ut, qui unius sit judex, saepè alterius non sit competens.

Ità verò in causâ Facultatis Theologicæ contra Societatem, judicium de ipso Privilegio Pii V. fori est Ecclesiastici: quia jus Theologiam docendi ecclesiasticum est, quod à Pontifice sibi datum prætendit Societas; adeóque Clemens IIX. sedi Apostolicæ reservavit. Judicium verò de usu, seu quasi possessione ejusdem Privilegii, ad Serenissimos Principes spectat.

Ne tamen juri suo Facultas diffidere videatur, illius etiam defensionem, contra Societatis prætensum Privilegium, cum usu & perpetuâ illius quasi possessione cumulabit: dummodò id, citra contestationem, de ipso jure fieri intelligatur.

Hæc ergo deductionis erunt capita. 1. Privilegium Pii V. non comprehendere famosas Universitates, nominatim Lovaniensem; illiúsve Privilegiis aut Statutis derogare. 2. Nullo Ducis Brabantiæ placeto Societati concessum esse, ut docere posset Theologiam in ordine ad gradus. 3. Societatem nunquam fuisse in quasi possessione talis Privilegii. 4. Facultatem, etiam post impetratum à Pio V. Privilegium, hactenus perstitisse in contrario usu sui Statuti: quo nullus ad gradus admitti potest, qui non audierit lectiones ipsius Facultatis. 5. Quòd, etsi prætensum istud Societatis privilegium ab initio valuisset; exinde tamen evanuisset, per non-usum Societatis, & contrarium usum Facultatis.

CAP. I.

Privilegium Pii V. non comprehendere famosas Universitates, nominatim Lovaniensem; nec illius privilegiis aut statutis derogare.

Prius illud, de famosis Universitatibus, evidens fit ex ipsâ Supplicatione Patris Generalis ipsius Societatis; quam Pius V. in suâ Bullâ his verbis inseruit: *Ut diversarum Nationum juvenes, qui magistrorum penuriâ literis operam dare desistebant, hac commoditate allecti, rectè vivendi normam edocti, &c.* & infrà: *Nihilominùs cùm in quibusdam Universitatibus, &c.* junctis his, *in præmissis opportunè providere.*

Ex his enim patet, Patrem Generalem solùm fecisse mentionem viliorum & defectuosarum Universitatum; in quibus scilicet erat magistrorum penuria. Ut consequenter tota Bullæ dispositio, cum suis clausulis non-obstantiarum, & aliis quibuscunque, non possit aliter accipi, quàm intra limites & cancellos defectuosarum Universitatum; de quibus fuit actum & cogitatum. *Decius cons. 690. n 34.*

Ità enim Privilegii intellectum à Supplicationis verbis peti oportere, tradunt Juris interpretes; *c. inter dilectos. §. cæterum. de fid. instrum. l. 1. C. de diversis rescript. l. 51. de fœnoribus. §. interrogatus. ff. de interrog. act. Jason in l. Gallus. §. idem credendum. n. 10. ff. de lib. & posthum. in 1. lectione.* & ubicunque ratio legis strictior est dicto seu disposito, ad strictitudinem seu limites ipsius rationis restringi ipsam dispo-

dispositionem. *Everhardus tract. legalium argum. loco 78. n. 1.* Hinc Innocentius III. ad Archiepiscopum Senonensem rescripsit; *c. Sedes. de rescript.* Super majoribus & gravioribus negotiis non audiri eos, qui de minoribus & levioribus faciunt mentionem, his verbis: *Sedes Apostolica consuevit exhibere se petentibus liberalem: sed quidam ejus gratiâ nequiter abutuntur. Nos igitur volentes malitiis eorum obviare, decernimus; ut, cùm in commissionibus nostris minores & viliores personæ solummodò designantur, majores & digniores sub generali clausulâ non intelligantur includi: sed nec liceat, occasione generalitatis, ejusmodi multitudinem effrænatam in judicium evocare.* Quæ à simili quadrare videntur in Provincialem Societatis: qui, occasione generalitatis, vult includi etiam majores & digniores, seu celeberrimas Universitates, multitudinemque effrænatam suo privilegio subjicere: cùm tamen in Bullâ solùm designentur viliores, seu defectuosæ Universitates, magistrorum penuriâ laborantes: adeóque Provincialis, contra mentem Pii V. gratiâ sedis Apostolicæ abutitur. Etsi ergo dispositio concepta sit verbis generalibus, *quandocunq;, quibuscunq;, semper, perpetuò, ubicunq;,* aut similibus: ea tamen dispositionem non extendunt ad plura; sed firmius & præcisiùs eam exprimunt, intra cancellos factæ supplicationis, adeóque intentionis, quam disponens habuit. Planè eodem modo, sicut in dispositione juratâ, juramentum, quod assumitur, non extendit primordialem naturam actûs, cui apponitur; sed ei, intra limites suos manenti, addit tantùm religionis vinculum. *Peckius c. in generali de reg. jur. in 6. n. 6. & latè Covarr. in c. quamvis. de pact. in 6. §. 4. n. 1. 2. 3. 4. & passim.*

Fortè opponet Societas, verba ista Bullæ, *Dummodò per duas horas de mane, & unam de sero, cum lectionibus Universitatum non concurrant,* omninò exigere, ut privilegium hoc Societati concessum intelligatur, etiam in iis Universitatibus, in quibus non est Magistrorum penuria: adeóque ultra limites ipsius supplicationis. quia, ubi tres sunt lectores, ibi nulla subest penuria Magistrorũ. Responsio obvia est: etiam ubi tres tantùm sunt professores, qui negligenter & parùm accuratè doceant, censeri esse penuriam magistrorum. Penuria enim non excludit, imò includit magistrorum aliquem numerum: sed in illo designat paucitatem & insufficiẽtiam, ad plenè instruendum auditorium. Quámvis dicta verba ne hoc quidem importent mandari à Pontifice; ut etiam in iis Universitatibus, in quibus tres sunt lectores, cursuum Societatis ratio habeatur. Ut enim aut duo tantùm, aut unus, aut nulli, de facto in iis sint lectores: usum nihilominùs suum habebit illa modificatio, & Universitatum prærogativa in futurum: ut, quando postmodùm plures assumserint Professores, vigoremque suum restituerint, hanc prærogativam habeant; ut suis Professoribus deligere possint commodas horas, teneanturque Societatis Professores, aliis horis docere.

Stat ergo firmum ex supplici Generalis libello argumentum: Privilegium istud Pii V. non comprehendere Universitates famosas, in quibus est Magistrorum copia; adeóque nec Lovaniensem: quæ, Societatis etiam (ut

putamus) confeſsione,famoſa eſt; utpotè quæ novem habeat Theologię Profeſſores. Et,ut hanc privilegii interpretationem non indicaret libellus ſupplex ipſius Generalis: ratio tamen, & lex officii Pontificii,eandem dictaret. Ut enim ad officium ſupremi Eccleſiæ Præfecti pertinet,Univerſitatibus,quę deficiunt, ſupplementum aliundè ſubmittere: itá quoque ad illud pertinet, in labores eorum, qui Univerſitates florentes vigentesque reddiderunt,non immittere extraneos,qui metant,quod non ſeminaverint,omnesque à ſtudio benè de Eccleſia merendi alienent.

Speciatim verò, iſtâ Bullâ non comprehendi Univerſitatem Lovanienſem, probatur primó. Lovanienſis Academia non eſt erecta merâ liberalitate Summi Pontificis; ſed per contractum initum cum SS. Brabantiæ Ducibus; cum Præpoſito, Decano, Scholaſtico ſancti Petri; cum Magiſtratu ac Oppido Lovanienſi: qui omnes ſuam Jurisdictionem in Rectorem & Magiſtros Univerſitatis contulerunt, hac conditione; ut inibi ſummus Pontifex erigeret Studium generale, in quo omne jus inſtitutionis, omnis jurisdictio & gubernandi poteſtas, eſſet penes Rectorem & Magiſtros: juxta formam erectionis Univerſitatis,& Facultatis Theologicæ; in quâ inter cætera hæc ordinantur.

Primò, ut omnium & ſingularum cauſarum & negotiorum cognitio, atque deciſio Doctorum, Magiſtrorum, Scholarium, membrorum atque ſervitorum eorundem, ſive Clerici, ſive Laici fuerint; & etiam de quibuscunque criminibus & exceſsibus correctio & punitio, ac omnimoda ſuper illis jurisdictio,ad Rectorem Studii in eodem Oppido pertineat.

Secundò, ut ſinguli, qui, curſu feliciter conſummato, docendi Licentiam, ac Doctoratûs ſive Magiſterii honorem, petierint elargiri, per ipſorum inibi Doctores ſive Magiſtros, Præpoſito, ſi illîc præſens fuerit, alioquin Decano, ſive aliis ab eis deputandis, præſententur: ut ab illis, ſi, ſervatis conſuetudine & modis, ſuper talibus, in dictis Studiis generalibus, (Colonienſi, Viennenſi,Lipſienſi, Patavienſi, Merſeburgenſi) obſervari ſolitis,ad hoc exſtiterint idonei, ſufficientesque reperti, Licentiam & Honorem ſortiantur & reportent ante dictos. Si debent omnes graduandi Cancellario præſentari, à ſuis inibi Doctoribus ſeu Magiſtris: oportet ergo, ut ipſi illi Magiſtri Facultatis fuerint ſui, i. e. proprii promovendorum Magiſtri; quos (ut loquitur *Canon primus, 12. quæſt. 1.*) Scholares, tanquam magiſtros diſciplinæ, & teſtes vitæ, haberi poſsint, in ipſâ præſentatione ad gradus. Non ergo poſſunt, juxta hanc erectionis formam, alii præſentari Cancellario; niſi quos ipſi Doctores Facultatis erudierint, tanquam ordinarios ſuæ eruditionis diſcipulos. Si non poſſunt ad gradus promoveri, niſi qui ſervaverint conſuetudinem & modos, ſuper talibus in dictis Studiis generalibus obſervari ſolitos: non ergo poſſunt promoveri, qui tantùm viſitaverint lectiones Societatis. quia neque tempore erectionis, neque hactenus, ſolitum fuit, ut ad gradus Academicos promoverentur, qui Studii ſui curſum abſolviſſent in privatis

vatis Regularium Scholis. Si deniq; omnis authoritas Studii debet esse penes Rectorem & Universitatem: non poterit ullus sibi arrogare jus instituendi, seu erudiendi discipulos in ordine ad gradus; nisi fuerint de gremio ipsius Universitatis, & juxta leges, à Rectore & Universitate latas, de consensu Facultatum, fuerint ad eam functionem admissi: prout ab initio Statutis Universitatis cautum, fuit; omnesque alii ab hoc jure erudiendę Juventutis, in ordine ad gradus, exclusi.

Cùm ergo Pontifex, illâ sui contractûs lege, non minùs obligetur, ad prædictam Studii formam conservandam; quàm illi, cum quibus contraxit, ad suam jurisdictionem Universitati relinquendam: non potest, citra evidentem & publicam necessitatem, validè à contractu resilire, aut illi contravenire. multò minùs censeri debet id voluisse, quod justitiæ ac honestatis legibus repugnat, & pacto cum SS. Brabantiæ Ducibus inito. Si enim juri patronatûs Laicorum, à summo Pontifice derogatum non censetur; nisi id fuerit literis expressum: quantúmvis in iis dictum fuerit, ad cujuscunque collationem seu præsentationem beneficium pertineat: *Covarruv. pract. quæst. cap. 36. n. 1. & 2. ac passim per totum.* multò minùs contractui, cum Duce Brabantiæ inito, censeri potest derogâsse verbis generalibus.

Probatur 2. Tota istius Bullæ dispositio generalis est, Societatique jus docendi tribuit in quibusvis suis Collegiis; etiam in locis, ubi Universitates exsistunt: nullâ Lovaniensis factâ speciali mentione. Hinc ergo Societas, generale quidem Privilegium suum esse, colliget: sed quod generalitate suâ Lovaniensem, speciali dotatam Privilegio, non comprehendat. Etenim in confesso est, Universitatem hanc singulari jure habere Facultatem docendi, præsentandi, promovendi: præstereà, Jus Universitatis antiquius esse Privilegio Societatis. Antiquum ergo speciale Privilegium, novo generali non est antiquatum. *Bald. & Ripa in cap. 1. n. 48. de rescript. ib. Felin. Decius in l. in toto jure. n. 8. de reg. jur. Geminian. cons. 30. incip. quoad primum. Soc. sen. cons. 209. vers. 2. quoniam lib.* In cujus corroborationem non parum facit ipsa qualitas Universitatis, Facultatisque Theologicæ, utique piam causam repræsentantis: cujus hoc jus est, ut posterior non succumbat cedátve privilegio, speciali derogationis clausulâ destituto. *Romanus in l. si verò. §. de Viro. in 24. fall. ff. solut. matrim. Felin. in cap. nonnulli. in 1. reg. de rescript. Gritus in cap. 1. n. 18. de constit. in 6.*

Probatur 3. Exsequutio Bullæ Pii V. iis est commissa, quibus in Belgio nulla est jurisdictio, nec ulla auctoritas extra Brabantiæ fines evocandi; Pontifice vetante, ne quemquam ultra tres dietas evocent. Sive ergo exsequutorum personas quis consideret; sive interdictam eis ultra tres dietas evocationem: neutrum, intuitu Universitatis Lovaniensis, stare potest. tùm, quia Privilegia Brabantiæ hanc evocationem non admittunt: tùm, quia Universitas Lovaniensis longiùs, quàm tribus dietis, ab exsecutorum sedibus distet.

Probatur 4. Ista forma erectionis Universitatis Lovaniensis, hujusque Privi-

Privilegii in eâ descripti, jam à ducentis penè annis ſtetit; hactenusque ſtat: ut nemo potuerit, aut poſsit Lovanii docere, in ordine ad gradus, ſinè conſenſu & authoritate Univerſitatis. prout deductum eſt in Scripto informatorio; & per teſtes, aliaque documenta, in hac cauſsâ probatum. Temporis autem, & usûs immemorialis, ea vis eſt; ut nullâ lege aut ſtatuto, quantumcunque verbis generalibus concepto, excludatur. *text. juxta gloſ. in Novell. 55. ut de cætero commun. Eccleſ. rer. in verb. præſcript. & ibi Ang. Felin. in rub. de præſcript. n. 18. Schurffius conſil. 72. centuriâ 1.* Nihil ergo juris, ex illâ generali Bullâ, habere poteſt Societas, in jura & privilegia Univerſitatis Lovanienſis, tàm longi temporis præſidio munita; aut in Statuta, tàm longo tempore vim legis & privilegii conſecuta. Nulla enim Bullæ aſsiſtit ſpecialis derogatio. Nunquam autem ea mens eſt Pontificis, ut ſuo generali Privilegio Statuta Reipublicæ, Civitatis, aut Univerſitatis, vel in minimâ parte, velit eſſe diminuta. *cap. 1. de conſtit. in 6. c. ſi propter tua, de reſcript. in 6. Innoc. in cap. veniens. de præſcript.*

CAP. II.

Nullo Ducum Brabantiæ placeto Societati permiſſum eſſe, ut docere poſſit Theologiam, in ordine ad gradus.

Privilegia Apoſtolica, more ac inſtituto Belgico, obreptitia & ſubreptitia cenſentur; niſi ea Principis placetum admiſerit. Unde etiam Societas extractum quoddã in hac cauſsâ exhibuit, prætenſi cujusdam placeti de anno 1584. Id verò Univerſitas partim ſubreptitium exiſtimat, legitimisque ſolemnitatibus deſtitutum; partim Societati expreſsè negare illum uſum Privilegii, quem prætendit. Placetum enim, quod in Brabantiâ valeat, in eâque exſecutioni mandari poſsit, in Concilio ſive Cancellariâ Brabantiæ expeditum ſigillatumque eſſe debet. Non poteſt autem Univerſitas ſibi perſuadere, quòd in Concilio Brabantiæ expeditum ſit iſtud prætenſum placetum; aut Regis Catholici, vel ejus in Belgio Gubernatoris mandato, ſignatum. Hunc ergo ſolemnitatis defectum, SS. Principibus cenſendum relinquit.

Sed, ut authenticum eſſet placetum, quod Societas producit: illum tamen uſum docendi, in ordine ad gradus, omninò Societati negaret. Etenim, ſub adverſativâ loquendi formâ, ipſis quidem Religioſis Societatis concedit; ut, citra frequentationem Scholarum Facultatis, admitti debeãt ad gradus: dummodò per examen idonei reperiantur. De cæteris verò Societatis auditoribus ità ſtatuit: *Et quantum ad alios Auditores dictæ Societatis, per eos inſtitutos in unâ vel alterâ illarum Facultatum, & factis poſteà diſputationibus, aliisq; exercitiis conſuetis, idoneos & qualificatos deprehenſos; debent illi ſimiliter ad dictos Gradus admitti, conſuetis juribus ſatisfacientes, &c.* ubi verba, *aliisq; exercitiis conſuetis,* comprehendunt omnia omninò exercitia ſcholaſtica, Statutis Facultatis expreſſa, uſu recepta, & à diſputationibus diſtincta; ſive potiora ſint expreſsis, ſive minùs præcipua:

cipua: perinde ac, dum vinum amphorarium, aminæum, græcum, & dulcia omnia legantur; nomine dulcium veniunt omnia, quæ in genere potionis inferiora aut excellētiora sint expressis *l. qui vinum. 8. §. cùm dulcia. ff. de tritico, vino, vel oleo legato.* Frequentationes autem lectionum inter Scholastica exercitia censeri, tùm per se evidens est; tùm ex Bullâ Pii V. quam istud Placetum respicit, & in quâ sic habetur: *Quibuscunq; Scholasticis liceat, in hujusmodi Collegiis lectiones, & alias Scholasticas exercitationes frequentare.* Cùm ergo illæ Statutis Facultatis præscriptæ sint graduandis: omninò sub nomine consuetorum exercitiorum comprehenduntur.

Id quod ulterius probatur, primò, ex illis verbis: *& ne faciant id cum alicujus notabili præjudicio, &c.* Quibus præfatur is, qui Placetū edidit: nolle se, ut Universitates Belgicæ ullum notabile præjudicium accipiant ex Bullâ Pii V. aut hoc ipso Placeto. Posteriora ergo verba sic interpretanda sunt: ut, licèt exiguum aliquod præjudicium acceperit Universitas, ex eo, quòd Religiosi Societatis, citra auditionem lectionum Facultatis, admitti debeant ad gradus; nullum tamen aliud notabile acceperit. Acceperit autem præjudicium maximè notabile: nisi, nomine consuetorum exercitiorum, comprehendantur frequentationes lectionum Facultatis. Nec enim discipuli tantùm illius Collegii, quod Lovanii habet Societas; sed omnes omnium cæterorum Collegiorum, quotquot intra & extra Belgium habet Societas, admitti debebunt ad gradus: quando, cursu Theologico ubivis absoluto, disputaverint in Scholis Facultatis, & per examen reperti fuerint idonei. Quod cùm præsentissimam omnium Universitatum ruinam contineat, Civitatisque Lovaniensis extremam desolationem: verba ista, *aliis exercitiis,* eo sensu accipienda sunt, qui incommodum istud excludat. quod nullo alio diplomatis verbo excluditur: isto autem sic intellecto excludetur; quia tenebuntur omnes graduandi lectiones Universitatis frequentare.

Probatur secundò. Præter lectionum frequentationes, nulla sunt alia exercitia Scholastica, à disputationibus distincta, & Statutis Facultatis expressa. Aut ergo illæ, nomine cæterorum consuetorum exercitiorum, intelliguntur; aut nihil illo nomine comprehenditur. Examen enim graduandorum, non est exercitatio, quâ quis erudiatur; sed eruditionis jam antè acquisitæ experimentum.

Probatur tertiò. Rex Catholicus, à quo Placetum hoc emanâsse dicitur, in nullâ Hispaniæ Universitate talem privilegii usum Societati permisit. Igitur nec in Belgio illū concessisse existimandus est. Eò magìs, quòd, decennio post editum hoc Placetū, instituerit & dotaverit duas lectiones Scholasticas Divi Thomæ, hac conditione: ut eas audire teneantur omnes graduandi. Id quod huic ipsius Placeto directè repugnaret, adeóque inconstantiam ejus redargueret: si, nomine consuetorum exercitiorum, non intelligantur lectiones Facultatis. Optimè autem cum eo consentient; si illæ hoc nomine comprehendantur. Ità enim tenebuntur etiam Societatis Auditores, si ad gradum aspi-

Nnnn

raverint, has lectiones frequentare, uti comprehensas nomine consuetorum exercitiorum: citra quas alioqui, ex vi hujus Placeti, ad gradus admitti deberent. Unde idem Rex Catholicus, inter cæteras Leges Seminarii sui, quod Lovanii instituit, Lege 19. ordinavit suis Alumnis: *Audient ad unum omnes, exceptis Licentiatis Theologiæ, lectiones regias in Divum Thomam, quæ fiunt in Scholis Theologorum, manè horâ septimâ vel octavâ, & horâ secundâ pomeridianâ; & lectionem regiam sacræ Scripturæ, quæ fit horâ decimâ ante meridiem.*

Probatur quartó. Duces Brabantiæ, in læto introitu, solemniter promiserunt, servaturos se Leges, Consuetudines, Statuta, Privilegia, Jura cujusq; Civitatis, & quorumcunq; Subditorum: eamq; promissionem juramento firmârunt. Cùm ergo Universitas Lovaniensis notabile sit Brabantiæ membrum; à SS. Brabantiæ Ducibus, summâ curâ, præcipuoque affectu defensum: incredibile est, Regem Catholicum in hoc subscripsisse, ut principale ipsius Privilegium, omnes graduandos instituendi, ei pro parte adimeretur; & in Societatem transferretur. Quando præsertim istud Privilegium non modò sit ipsius Universitatis; sed & Civitatis Lovaniensis: quæ, cessione omnis jurisdictionis, quasi pretio, hanc Universitatis erectionem emit; cujusque plurimum interest, ne in Societatis Collegia jus Academicum transferatur: ut & ipsa non minùs, quàm Universitas, SS. Principum fidem, paternumque affectum protestetur, ne id fiat.

Probatur quintó. Illi, quos sua Catholica Majestas consuluit, super Placeto Societati dando, omninò judicaverunt, Societati non amplius concedendum esse, quàm cæteris Ordinibus mendicantibus: signanter Concilium Brabantiæ; quod rationes Universitatis, contra hujus prætensi Privilegii usum allatas, omninò prægnantes & urgentes sibi videri rescripsit, ut patet ex literis ipsius Concilii, in hac causa exhibitis & signatis.

Probatur sextó. Societas, totis triginta-quatuor annis ab hoc edito Placeto, nullo verbo Facultati Theologicæ hoc Placetum insinuavit. Existimavit ergo, negatum sibi esse, quod in hac parte prætendebat. Econtrà Facultas Theologica, suis Statutis inhærens, solemniter anno sequenti, quo Studia per turbas intermissa resumsit, inter cætera publicavit: *Neminem ad gradus admittendum, nisi qui Scholas Facultatis ipsius, juxta Statuta, frequentâsset.* Certò ergo sibi persuasit, nihil tale Societati concessum fuisse: prout adhuc sibi persuadet. Quis enim credat, aut Societatem ad tàm solemnem contradictionem tacituram; aut Facultatem tàm solemniter contradicturam fuisse?

CAP. III.

Societatem nunquàm fuisse in quasi-possessione juris, docendi Theologiam in ordine ad gradus.

Pro hujus tituli elucidatione, non abs re fuerit, explicare unicum modum, quo

quo nancisci potuit Societas possessionem privilegii. ut,illo detecto,pateat,illam etiámnum commodo possessionis non insistere. Aliter acquiritur possessio rei corporalis; aliter rei incorporalis. Prior,corpore & animo; *l.posside-ri autem.3.ff.de acquir.vel amitt.possess.* etiam ignorante Domino: *l.ult. in fin.C.de præscript.longi temp.* posterior,non-nisi sciente eo,contra quem acquiritur: *l.2.C. de servitut.& aq.l.si à te emere.ff.si servitus vindic.* non corpore; sed magìs animo. Nam,ut ait Lucretius,

Tangere enim & tangi,nisi corpus,nulla potest res.

Incorporales res, sunt jura, privilegia, servitutes, quæ animo tantùm concipiuntur: ideóque dicuntur non possideri.*l.sequitur.§.si viam.ff.de servit. l.si ædes. §.libertas.ff.de serv.urb.præd.* At enim eò ventū utilitatis caussâ; ut harum rerum, quæ incorporales sunt, usus habeatur pro possessione: dicunturque hæ res quasi-possideri. *l.quoties.ff.de serv.urb.præd.* Ut autem quis in hac quasi-possessione jurium,sive Privilegii vergentis in gravamen alterius,constituatur; duo sunt necessaria, ex similitudine aliorum jurium sive servitutum: unum, ex parte acquirentis; alterum,ex parte ejus,contra quem acquiritur. Ex parte acquirentis requiritur, ut usus sit Privilegio, tanquam suo, sive jure Privilegii. *l.fin.ff.quemadm.serv.amitt.* Nam non-utendo jure,tanquam suo, nunquam ejus ulla possessio acquiri potest; ne quidem per tempus, quod hominum memoriam excedat: quia animus quasi-possidendi absit.*l.qui jure.ff.de acquir.possess. Paul.de Castro in d.l.fin.ff.quemadm.serv.amitt. Corasius in l.4.n.37.ff.de servit.* Quare Societas necessum habet probare,non tantùm se usam Privilegio; sed etiam jure Privilegii: idque per hujusmodi temporales & congruos actus; qui non nisi ab eo, cui competit Privilegium, possint exerceri.*Innoc.in c.bona.de postul. Prælat.Corasius d.loco.n.39. Bald.in l.2.n.10.C.de serv.& aq.Panorm.in cap.cum Eccles.3. n.22.de caus.possess.& propr.* Quia verò non alii actus Societatis esse potuerunt, quàm Privilegii insinuatio, & testimoniorum datio; quæ auditoribus ipsius, ad examen & promotionem admittendis conduceret.

Ex parte ejus,contra quem Privilegium acquiritur,ad acquirendam quasi possessionem juris aut Privilegii, necessaria est scientia & patientia: *text.in l.quoties.2.ff.de servit. l.1. §.fin.ff.de serv.rust.præd. l.2. C.de serv. & aqu.d.l.si à te.ff.si servit.vindicet.* vel,pro naturâ juris aut Privilegii,tale factum alterius, ex scientiâ Privilegii, & voluntate ei parendi: sinè quo inchoari possessio nequeat. Quod evenit in nullis juribus,quorum ea natura est,ut alius teneatur aliquid facere; velut,viridaria tollere,amœniorem prospectum præstare,&c. Hæc jura servitutis non sunt. quia servitus in eo consistit solùm,ut alius non faciat: non autem, ut faciat aliquid. *l.quoties.ult.§.servi.ff.de servit.* Ex jurium tamen personalium numero sunt.*Jacob.Cujac.ad d.l.quoties.§.servit.in posthumo opere.* Ad horum jurium possessionem,facto alieno semper opus. Simile quid contingit in acquirendâ quasi-possessione ususfructûs: qui vel pacto constituitur; vel testamento in re alienâ legatur,(aliud est in suâ.) Fructuarius tamen,sinè alieno facto,possessionem non incipit: nempè citra introductionem in fundum,

patientiamque Domini uti-frui sinentis *l.3.§.dare.ff.de usufruct.* Duo hæc requiro; inductionem, & patientiam. Cùm enim nec jus usustructûs, nec-possessio, sinè traditione acquiratur; veraque traditio non cadat in jura incorporea: *l.servus.43.§.1.ff.de acquir.rer.dom.* debet aliquid adesse, quod veræ traditionis vicem suppleat. Id efficit inductio & patientia. Inductio magis traditionem refert: quæ verò fuerit mens inducentis, declarat patientia. Sola inductio, sola quoque patientia, traditionem non plenè effingit. accedente patientiâ ad inductionem, res plena est & clara. Et eam reor esse rationem, quare Jurisconsultus Gajus illa duo conjungat *in d.l.3.§.dare.* cùm hæres per damnationem jussus est dare usumfructum: quem tunc demùm dari intelligit, JC. si hæres induxerit in fundum legatarium, eúmve patiatur uti-frui. Non idem juris olim erat, nec hodiè est, usufructu per vindicationem legato: quia ipso jure legatario acquirebatur. Et ad istas diversas legandi species nimis attentè advertendo, Duarenus non rectam tradidit JC. Gaji interpretationem. *Duaren.in l.possideri.3.in punct.l.vers.unde quæritur.ff.de acquir. vel amitt.possess.* Atque in hoc puto, usumfructum ab urbanis rusticis servitutibus separandum. sed hic tractatus non est præsentis instituti.

Privilegium, quod ex Bullâ Pii V. prætendit Societas, ex eorum numero est, quæ requirunt factum alienum nempè Facultatis seu Universitatis, recipientis testimonia Professorum Societatis data auditoribus super lectionibus frequentatis, velut idonea in ordine ad examen & promotionem; ac deinde eosdem Societatis auditores, per examen idoneos repertos, ad gradus admittentis, ipso jure seu intuitu privilegii, quod Societas habeat. Privilegiũ enim, in puncto, de quo quæritur, expressum est his verbis: *Et cursuum, quos in Collegiis prædictis confecerint, ratio habeatur, non minùs; sed pariformiter, & absq; ullâ penitùs differentiâ, quàm si in Universitatibus præfatis studuissent.* Ubi, cursuum Societatis rationem habere, non spectat ad Societatis factum; ut per se clarum est: sed ad factum ipsarum Facultatum, penes quas est jus examinandi graduandos, & ad gradus admittendi. Duoque ista, quæ diximus, importat: quia duo illa sunt, per quæ Facultates dicuntur habere rationem cursuum, quos Studiosi in Universitatibus confecerint.

Ex his efficitur, non potuisse Societatem hujus prætensi sui Privilegii quasi possessionem ordiri: nisi junctim, tùm ex parte Societatis, tùm ex parte Universitatis Lovaniensis, jam dicti actus fuerint exerciti. Si ergo Facultas, ad examen & promotionem, Auditores à Societate tantùm doctos admisisset: ipsa tamen Societas nullum unquàm suum Privilegium insinuâsset, testimoniáve auditarum lectionum dedisset; nullam inchoare potuisset quasi-possessionem. quia non exsisteret animus volentis acquirere. Ut enim sine animo quasi-possessio non inchoatur: *Bald.in l.2.n.10.C.de servit.& aq.Schneidevvinus ad Instit.titul.de interd.§.possidere.n.125.* ità sinè actibus, animus pro non animo est. *l.reprehendendas.C.de instit.& substit.* Si econtrà Societas ex parte suâ hæc præstitisset; Facultas tamen testimonia Professorum Societatis non admisisset,

neque

neque ipsius Auditores ad gradus promovisset: nulla quoque inchoari potuisset quasi-possessio hujus Privilegii. quia defuisset patientia ipsius gravati. Si ergo ostensum fuerit, neque Societatem ullo ejusmodi suo actu ad hanc quasi-possessionem concurrisse; neque Lovaniensem Universitatem: omni ex parte clarum erit, Societatem hactenus nunquàm fuisse in quasi-possessione prætensi sui Privilegii. Id verò quoad utrumque ità probatur.

Et quidem, Societatem neque Privilegium hoc suum unquàm Facultati insinuâsse, neque testimonia auditarum lectionum auditoribus suis unquàm dedisse, quorum jure se Facultati Theologicæ sisterent examinandos promovendosque; satìs fatetur ipsa Societas hoc-ipso, quo nullibi allegat se id fecisse: multóque minùs id probare conata est. Luculenter etiam hoc-idem constare putat, per depositiones testium à Facultate productorũ, super 3.4.5.6.7.8. articulis sui Intendit. Ex iis enim patet, omnes graduatos docere debuisse, quòd audivissent lectiones Facultatis: eos, qui docere hoc non potuerunt, rejectos fuisse à gradu: neminem existimâsse, quòd lectiones Societatis magìs ad gradum conducerent, quàm lectiones Dominicanorum, Franciscanorum, &c. nullos Studiosos ad gradus se præsentâsse, & admissos esse, ex ipsâ lectionum Societatis auditione: Facultatem sæpiùs publicè & solemniter statutum suum, de audiendis Facultatis lectionibus, promulgâsse. Quòd si solita fuisset Societas, suis auditoribus dare testimonia auditarum lectionum, quibus se ad gradus præsentarent: omninò existimâssent illi, Societatis lectiones aliquid ampliùs ad gradus valere, quàm lectiones cæterorum mendicantium, qui nunquàm ejusmodi testimonia dederunt. Auditores etiam Societatis, quando, exhibitis testimoniis Societatis, tantùm à gradu repulsi fuissent, existimâssent sibi ac Societati injuriam fieri: de quâ proindè questi fuissent apud Societatem; Societas apud Facultatem. Multò magìs iidem illi, cùm audivissent à Facultate promulgari Edicta contraria, de audiendis tribus lectionibus Facultatis, ad eandem Societatem id retulissent. Provincialis tamen, in Responsione ad articulum 26. Scripti informatorii, profitetur: neque Societatem unquàm audivisse, quòd aliquis quereretur se repulsum à gradu; neque conquestum esse apud Facultatem, aut Superiores de impedimento.

Facultatem verò nunquam ullum ad gradus admisisse, intuitu lectionum apud Societatem auditarum, quasi ad hoc privilegiatarum; patet ex juramento veritatis, quod obtulit de hoc suo facto in fine sui Intendit, signati literâ F. & juramento calumniæ, oblato coram Amplissimo Domino Commissario van Achelen/14. Februarii 1619. ut habetur in verbalibus & actis, quotatis, literâ VV. Idem satis liquet ex Actis & Statutis Facultatis, testiumq; depositionibus: quatenus ex iis apparet, Universitatem perpetuò & constanter ursisse Statutum, de tribus lectionibus Facultatis audiendis, contra prætensum Societatis privilegium; adeóque repulisse à gradu eos, quos deprehendit, Societatis, & non Facultatis, lectiones audivisse. Quomodo enim hoc fecisset; si se existimâsset vi Privilegii, quod Societas prętendit, obligari ad admittendos

Societatis auditores? Certè, non solùm in Theologico studio, sed in omni etiam aliâ parte, Privilegium hoc Pii V. ad se nihil pertinere existimavit: quando Societatem coëgit claudere Scholas Philosophicas; quas, vi ejusdem prætensi Privilegii, aperuerat. quando eandem Societatem impedivit, ne Leodii Scholas Philosophicas aperiret: quod similiter prætendebat sibi licere. Existimat proinde Universitas, adeò se notoriè illud Privilegium, quod Societas prætendit, omni tempore exclusisse: ut non possit in animum alicujus cadere hæc suspicio; quòd, intuitu Privilegii, quo se obligari crederet, unquàm ullum ad gradus admiserit. Variis tamen modis fieri potuit, ut, citra intuitum seu respectum Privilegii Societatis, aliqui fuerint admissi ad gradus, qui lectiones Societatis, & non plenè tres in Hallis audiverant. prout etiam hoc idem contingere potuisset, & fortasse contigit, circa eos, qui alibi lectiones audiverant, vel aliunde doctrinam hauserant.

Primò, fieri potuit, ut nonnulli Societatis Auditores, per ementita testimonia, obrepserint ad gradus. Sed id, si factum sit, factum est ignarâ fraudis Facultate. Nulla hac in re cautio tàm magna, quæ non possit interdum circumscribi. Adeò hîc verum est illud Plauti:

Qui cavet, ne decipiatur; vix cavet, quum etiam cavet.
Etiam, cùm cavisse ratus est, sæpè is cautor captus est.

Secundò, fieri potuit, ut examinatores, ex quâdam fortè negligentiâ, conniventiâ, aut gratiâ, testimonia auditarum lectionum non requisierint; aut eorum defectum ad Facultatem non retulerint: quantùmvis Statuta Facultatis, sæpissimè renovata, & solemniter in Scholis publicata, id omninò requirerent. Per quod proinde eorum factum, nihil decesserit de jure Facultatis, aut illius quasi-possessione. Siquidem jura, corpori Civitatis, aut Universitati cuidam universim data, non mutant privatim singuli: *text. in c. significâsti. c. si diligenti. §. fin. de for. comp. text. in c. placuit. 11. quæst. 1.* nec juri publico, privatorum pactis derogatur. *l. Jus publicum. ff. de pactis. Bellon. cons. 8. n. 13.* Mittimus, examinatores solùm examinatis gratificari voluisse. Ad alios ergo hic favor à scopo non reflectitur: ne contingat, agentis actum ultra ejus intentionem operari; quod jus non admittit. *text. in l. non omnis. ff. de reb. cred. si cert. pet.*

Tertiò, fieri potuit, & existimamus aliquando factum fuisse, ut ipsa etiam Facultas, in hoc Statuto, de audiendis tribus lectionibus, cum quibusdam gratiosè dispensaverit; sive intuitu ipsarum personarum, quæ id merebantur; sive aliis de causis: & eos, qui non plenè Facultatis lectiones audiverant, ad gradus præsentaverit: non deferendo Privilegio Societatis, (quod nunquam eam agnovisse, suprà deduximus) sed utendo jure suo, quo ei permissum est, tùm in cæteris Statutis, tùm etiam in hoc, ex certâ causâ cum quibusdam dispensare.

Tandem in aperto est, in hoc judicio possessorio, nullum Prætoris interdictum Societati opitulari. Non interdictum Uti possidetis: quia non possedit unquam. *l. 1. §. est igitur. ff. Uti possid.* Nõ etiam interdictum Unde vi: quia vi perdidis-

didiſſe nō potuit, quod nunquàm habuit. *l. 1. §. hoc interdictum. & §. dejicitur. ff. Unde vi.* Non denique interdictum ullum Adipiſcendæ poſſeſsionis: quia Facultas contrariæ ac vetuſtiſsimæ palàm inſiſtit, & Privilegiis multò potioribus defenditur, ut meritò Facultatis poſsidentis melior eſſe debeat conditio: utpote & titulo, & poſſeſsione prioris. *l. quoties. C. de rei vind. l. ſive autem. §. ſi duobus. ff. de Public. in rem act. c. ſi à ſede. de prab. in 6. cap. ſapè. de reſt. ſpol.*

Ex his facilè eſt reſpondere ad leves aliquot conjecturas; quas, pro uſu prętenſi ſui Privilegii, Societas produxit.

PRIMA. Eſt toti Lovanio notum, plurimos etiam præcipuæ notæ Studioſos, ſuperioribus annis, Societatis Scholas Theologicas quotidiè frequentâſſe; ità ut non potuerint, in Hallis, tres à Statuto præſcriptas lectiones audire. Incredibile verò eſt, hos omnes aut ad gradum non aſpirâſſe, aut à gradu prohibitos fuiſſe: eò quòd lectiones Societatis pro lectionibus Facultatis frequentâſſent. Neque enim tàm frequens ſemper fuiſſet Societatis auditorium.

Reſpondetur: Facultati non admodū curæ fuiſſe, ut ſciret, quàm multi, & cujus notæ Studioſi, Societatis Scholas frequentârint: illud tamen ſemper ei curæ fuiſſe, ut nemo ad gradus admitteretur, niſi juxta Statuta viſitâſſet lectiones Facultatis. Ex eo auté, quod allegat Societas, auditorium ſuum frequens fuiſſe, non efficitur, ut contraventum ſit Statuto: quia ex iis ſolis, qui ad gradum non aſpirârunt, frequentius auditorium colligi potuiſſet, quàm unquā habuit Societas. Etenim ex quingentis, aut ſexcentis, qui Lovanii ſtudio Theologico ſolent incumbere, plùs-quàm medietas ad gradus non aſpirat: ſive quia nolint Superiores, ut ferè accidit in Regularibus; ſive quia pleriſq; aliquid deſit, magiſterium ſcilicet in artibus, ingenium, facultates, &c. Societatis verò auditorium longè fuit infra hunc numerum: & tamen potuiſſet ille adhuc augeri, ſalvo uſu Statuti, per eos, qui ultra tres Facultatis lectiones quartam, aut etiam quintam, in Scholis Societatis audiviſſent. Qui ergo ex Societatis auditorio ad gradus admiſsi fuerunt, tres Facultatis lectiones juxta Statuta frequentârunt.

SECUNDA. Societas religioſâ fide affirmare poteſt, nunquàm ſe audiviſſe aliquem à gradu repulſum, ob lectiones Societatis auditas, & non in Hallis. Eſt autem impoſsibile, hoc ſemper factum fuiſſe, & Societati non innotuiſſe.

Reſpondetur: Nullos quidem hoc nomine à gradu rejectos fuiſſe, quod Societatis lectiones audiviſſent. Plures tamen rejectos fuiſſe ex eo, quòd non frequentâſſent lectiones Facultatis; conſtare poterit ex actis Facultatis, & teſtium depoſitionibus. Nihil ergo ad rem facit, ſive Societas id inaudiverit, ſive non.

TERTIA RATIO. Societas de impedimento, in uſu ſui Privilegii, hactenus non eſt conqueſta, pro remedio, ad ſupremam poteſtatem recurrendo. Quod certo argumento eſt, eam non fuiſſe ab uſu ejus impeditam. Nam, ſi quam difficultatem fuiſſet olim paſſa; eam nullo negotio ſuperâſſet: quando, Regis & Concilii authoritate, in profeſsione Philoſophiæ fuit ſtabilita, obluctante Univerſitate.

Reſpon-

Respondetur: argumentum istud nihil concludere. quia potuit Societatis ideò non fuisse conquesta, quòd desperaret, se per querelam posse remedium obtinere. Falsum enim est, eam stabilitam fuisse in professione Philosophiæ, obluctante Universitate. cùm econtrà ipso facto notorium sit, quòd Philosophicas scholas clauserit, jussu Clementis IIX. qui Generali excommunicationem intentaverat, nisi curaret, ut Religiosi Societatis ab usu prætensi Privilegii desisterent. Si ergo non potuit Societas hunc usum privilegii obtinere, quoad scholas Philosophicas: multò minùs eum sperare poterat, quoad Theologicas. Itaque, pro contrario Facultatis usu, certiùs ità licebit argumentari: Facultas apud Clementem IIX. non est conquesta, de impedimento Privilegii sui & Statuti, per Societatem injecto, quoad lectiones Theologicas; neque remedium contra illud petiit. Igitur Societas eo tempore ne prætendebat quidem usum sui Privilegii, quoad Theologiam. Eodem enim illo remedio interminatæ excommunicationis, æquè obtinuisset à Clemente, ut desisteret à docendâ Theologiâ, in ordine ad gradus; atque ut desisteret à docendâ Philosophiâ.

QUARTA. Universitas ipsa, articulo 27. & 29. Informationis, disertè fatetur, se Societatem nunquã positivè in usu sui Privilegii impedivisse. Ergo neminem à gradu exclusit, qui lectiones Societatis audiverat. nam ille est unicus modus, quo Privilegium, de quo agitur, positivè impediri posset. Si nemo est à gradu repulsus: ergo Societas fuit in usu sui Privilegii, & non Universitas in usu sui Statuti, Qualiscunque. Nec ad hoc requiritur, ut Societas aliquid attentaverit. duo siquidem ad usum hujus Privilegii sunt necessaria: scilicet, docere, & admittere ad gradum. Prius præstitit Societas: posterius Universitas. Is, qui habet Privilegium invehendi merces prohibitas, aut immunitatis à vectigalibus, eo-ipso, quo merces non excluduntur ab Officiariis, aut non confiscantur, & quo nihil ab illo exigitur à redemtoribus vectigalium, utitur suo Privilegio; nec debet quidquam ulteriùs attentare.

Respondetur ad prius: Universitatem actu quidem positivo à gradu exclusisse auditores Societatis, qui non frequentâssent lectiones Facultatis: tamen dici, non impedivisse positivè Societatem in usu Privilegii sui, propriè loquendo. quia ad hoc satis non fuit, quòd Facultas positivè fecerit contraria contentis in Privilegio; sed etiam requirebatur, quòd Societas aliquando priùs, apud Facultatem, reproduxisset suum Privilegium, & ejus usum postulâsset, aut pro eo institisset. quæ nec Societas, nec quisquam ex Auditoribus ejus, unquàm præstitit. Eâ igitur de causâ Facultas nunquam positivè dicitur impedivisse Societatem, in prætensi Privilegii usu: quia ipsa pro eo apud Facultatem nunquàm institit: non, quòd Facultas non fecerit actus alioquin contrarios; quos fecit plurimos.

Ad posterius, patet ex dictis responsio: nempè, ad hoc, ut Societas sit in usu docendi Theologiâ, in ordine ad gradus, requiri aliquos actus ex parte ipsius: nempè, ut insinuaverit Privilegiũ, & testimonia perhibuerit suis auditoribus

pro

pro re natâ: alios ex parte ipsius Facultatis; nempè, ut ex scientiâ Privilegii, & in vim ejus, aliquos admiserit ad gradus. Illos verò actus Societatem; hos Facultatem nunquàm præstitisse, jam antè deduximus. Non ergo sufficit ad usum prętensi Privilegii, quod Societas quomodocunque docuerit; & Facultas quomodocunque admiserit: ut ibidem est deductum.

Exemplum ab usu Privilegii, advehendi merces prohibitas, & immunitatis à vectigalibus, manifestâ laborat falsitate. Nam, præter advectionem mercium, & non-exactionem vectigalium, requiritur scientia Privilegii, & patientia redemtorum, qui intuitu Privilegii nihil exigant; sive, ut inter advehentem, & redemtores, totum negotium jure Privilegii peragatur. *text. in l. ult. ff. quemadm. servit. amitt. gloss. in l. qui. ff. de servit. urb. prad. gloss. in l. 1. C. de servit. & aq. & ibi Johan. Faber, Bald. & alii.* Aliàs enim, qui per celationem vectigalia evitarent, essent quoque in usu immunitatis. quod est absurdum. Jam verò ostensum est, nihil in admissione ad gradus, unquàm à Facultate actum fuisse, ex scientiâ aut intuitu Privilegii, quod Societas prætendit.

Quintum argumentum obtendit Societas, ex testium depositionibus. Quibus Facultas opponit depositiones suorum testium; & ea, quæ de modo & formâ quasi-possessionis incipiendæ antè deduxit.

CAP. IV.

Facultatem, etiam post impetratum à Pio V. Privilegium, hactenus perstitisse in contrario usu prætensi Privilegii; observatione scilicet Statuti sui, quo nullus ad gradus admitti potest, qui non audierit lectiones ipsius Facultatis.

Ex ipsâ erectione jus hoc Universitati Lovaniensi natum esse, ut nullus in eâ ad gradus admitti possit; nisi quem Doctores Facultatum, tanquam proprii Magistri, instituerint seu erudierint; ostensum est primo capite, in primâ ratione: quâ ibidem probatum est, Universitatem Lovaniensem nominatim non comprehendi Privilegio Pii V. Hinc ergo Facultas Theologica statim, ut Lovanii erecta fuit, inter cætera statuit: *Ne ad gradus Theologicos ullus admitteretur, nisi Facultatis Theologica lectiones audivisset.* Statutumque hoc, in omnibus suorum Statutorum libris, descriptum habet: ut patet per extracta, quæ Amplissimi Domini Commissarii auctentizârunt, & sunt exhibita sub literâ G.

Ut ergo de authoritate hujus Statuti dubitari non potest: sive spectetur propria Universitatis Lovaniensis erectio; sive jus commune, *l. omnes resp. ff. de confir. Auth. habita. ne fil. pro patr. & ibi notat. Rebuff. de privil. Scholar. privil. 158. ubi dicit, quòd qualibet facultas & natio habet jurisdictionem, in concernentibus factum facultatis seu nationis.* quo omnibus Collegiis legitimè institutis authoritas competit, ea statuendi, quæ utilia existimant ad finem, quem sibi habent propositum:

Ità neque dubitari poteſt de perpetuo hujus Statuti uſu; pro quo à ſubreptionibus & obreptionibus vindicando, plurima ſucceſsivè ordinavit Facultas: ut patet ex ipſis actis, per Ampliſsimos Dominos Commiſſarios extractis, & quotatis literâ H. & patebit (uti confidimus) ex teſtium depoſitionibus, ſuper 3.4.5.6.7. & 8. articulis Intendit, per Facultatem exhibiti, & ſignati literâ F. qui tàm longi temporis uſus, ſupra hominum memoriam, foret vice Privilegii: *cap. ſuper quibusdam. 26. §. præterea. de verb. oblig.* habereturque loco tituli; *l. hoc jure. §. duct. aq. ff. de aqu. quotid. & æſtiv.* etiamſi nullum Privilegium præceſsiſſet.

Eundem uſum certiſsimè teſtantur, quæ Romanus Pontifex, Rex Catholicus, SS. Principes, pro illo decreverunt. Hinc enim Rex Catholicus, illi Statuto inhærens, Scholaſticas lectiones, quas dotavit, iſto Privilegio honorari voluit; ut eas audire tenerentur omnes graduandi: nullum hac in parte agnoſcens Societatis Privilegium. ut patet ex literis ipſius nomine ſcriptis, & quotatis literâ L. Voluit etiam, ſui Seminarii alumnos huic Statuto ſe accommodare: ut 2. capite latiùs diximus.

Hinc Clemens IIX. eundem uſum confirmavit, per expreſſum Breve; quo mandavit inhiberi Societati, ne aliter, quàm de permiſsione Univerſitatis, uſum prætenſi ſui Privilegii tentaret. Hinc tandem Paulus V. & SS. Principes, in nuperâ viſitatione, hunc eundem uſum, velut ad ea uſque tempora receptum, in-poſterum etiam obtinere voluerunt, edito hac de re ſpeciali articulo: ut patet ex actis hujus Viſitationis, exhibitis ſub literâ M. Indubiè ex informatione præhabitâ certum habentes, quòd Statutum ejusmodi in ſe æquiſſimum foret; illiusque uſus in ea uſque tempora continuatus fuiſſet. Hinc & Univerſitas Societatem impedivit, quò minùs Scholas Philoſophicas Leodii, juxta prætenſum Privilegium, aperiret.

CAP. V.

Quòd, etſi prætenſum iſtud Societatis Privilegium ab initio valuiſſet; exindè tamen evanuiſſet, per non-uſum Societatis, & contrarium uſum Facultatis, ac noviſſimam viſitationis confirmationem, à Paulo V. factam.

Privilegia amitti non-uſu, certiſsimum eſt. *Innoc. Panorm. Decius, Felin. in cap. cùm acceſſiſſent. de conſtitut. Bart. in l. falſo. C. de diverſ. reſcript. & in l. 1. ff. de nundinis.* Sed omnia Privilegia nō ejusdem conditionis, nec ejusdem juris ſunt. Eorum autem hæc potiſsimùm obſervanda eſt diſtinctio; maximè quæ affirmativa ſunt, & aliquid faciendum indulgent. Alia enim ex his ſunt, quæ Privilegiario quippiam tribuunt, unde redundet in alios onus aliquod: alia ſunt abſoluta, non habentia reſpectum ad alios; nec quæ ſint alicui oneri; ſed ſoli Privi-

legiario favorabilia. Posterioris generis, si nec à jure concedente habeant aliquam legem aut conditionem, nullo tempore perimuntur: quia usus eorum dependet à merâ voluntate Privilegiarii: cujusmodi res perpetuæ sunt, nec ullius temporis præscriptioni obnoxiæ. *text. in l. viam pub. ff. de viâ publ.* In prioris generis Privilegiis, (quale & Societatis Privilegium est) duobus modis contingit quem non-uti Privilegio suo: vel cùm utendi non occurrit occasio; qui modus dici possit negativus: vel quando datâ occasione usus omittitur; unde modum hunc non ineptè omissivum appellaveris. Primus modus Privilegio non opponitur: & ideò talis non-usus, quantocunque tempore continuetur, non sufficit ad Privilegii amissionem. quia non inest illi aliquod indicium voluntatis renunciandi Privilegio: cùm non procedat à voluntate; sed ab aliâ causâ, scilicet opportunitatis carentiâ. *text. in l. in filiis. C. de decur. ubi gloss. & Bart. Panorm. in cap. ut Privil. de Priv. Decius in d. cap. cùm access. n. 17. de constit. Menoch. in schol. Bart. in d. l. in filiis.*

Alter non-utendi modus, omissionis scilicet, habet aliquod voluntatis indicium renunciandi Privilegio. quia, quòd quis tempore opportuno non utitur jure suo, facit pro suo arbitrio; non aliâ coactus causâ. Quocirca proclivior præsumtio hîc esse potest tacitæ renuntiationis; quæ, legitimi temporis accessione corroborata, Privilegium tollit. *Decius in d. cap. cùm accessissent. n. 17. vers. 2. prædicta. Menoch. de præs. lib. 6. præs. 41. n. 16. Franc. Suar. tract. de leg. lib. 8. c. 34. n. 5. & 6.* Quanti verò temporis non-usus esse debeat, ut eo Privilegium evanescat; non longa est indagatio. Si communi Interpretum nostrorum sententiæ acquiescamus; decennium tollendo Privilegio par erit. Quò solet adferri, quod à Modestino JC. traditum est: nempè, Nundinis impetratis à Principe, non-utendo, qui meruit, decennii tempore usum amittere. *l. 1. ff. de nund. ubi Bart. Jason in l. fals. C. divers. rescr. Panormit. Felin. & alii, in d. c. cùm accessissent.* Aliis probabilius videtur, nonnisi decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, Privilegium amitti oportere; exemplo ususfructûs, & cæterarum servitutum. *l. sicut usumfruct. 13. C. de servit. & aq.*

Nunc ista breviter instituto nostro consignemus. Societas Privilegium obtendit, non solùm Universitati grave; verùm etiam summè damnosum. Ab impetratione Privilegii, 40. & plurium annorum curricula effluxerunt: ab obtento Principis diplomate, 30. & plures annos numerabis elapsos. Singulis propemodùm diebus aliquis potuit esse usus Privilegii. Societas intereà Privilegiis & Statutis Facultatis gnaviter obsecuta est. Confer modò hæc cum præmissis: & judicato, num aliquâ ratione Privilegium suum Societas, si quod habuit, integrum servaverit. & certè omne jus illi suum, per tot annorum spatia, periisse comperies.

Privilegia quoque amitti contrario usu, contrariâque possessione ejus, qui Privilegio gravatur; non minùs ex juris dispositione certum est. *l. hac autem. ff. de servitut. urb. præd. text. in cap. significante. de appellat. Jason in l. quò minùs. ff. de flum. n. 27. Cynus & Bald. in l. 1. Cod. de servit. & aq. Covarruv. in cap. possessor. 2. parte. §. 4. n. 6.*

verſ.quamobrem.de R.J.in 6. Privilegiũ igitur Societatis,ſi quod fuiſſet,contrariâ poſſeſsione Facultatis Theologicæ in hoc uſque tempus,per annos penè 50. ſtabilitâ,jamdudùm omninò deſiiſſet. Hujus verò longiſsimæ poſſeſsionis,in tollendo Privilegio,vim vehementer auget noviſsima Univerſitatis viſitatio. Hanc enim Pontifex confirmando, juſsit omnia Univerſitatis Decreta, Ordinationes,Privilegia,& jura recipi,diligenter conſervari & obſervari; non obſtantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Legem proinde,de tribus lectionibus audiendis,fixam perpetuamque voluit. Huic voluntati,decreto & imperio,non parebitur: Lex iſta fixa non erit; ſed palàm refigetur: ſi Societatis Privilegium obtineat. Clariùs non potuit Pontifex præjudicare Privilegio Societatis,(ſi tamen aliquod fuit contra Facultatem) quàm dum Decreta & Statuta Univerſitatis firmat, & quælibet amolitur obſtacula. Specialis eſt iſta confirmatio; cui generale Societatis jus cedat oportet. *Rip.in c.1.n.48.de reſcript.Anchoran.conſ.76. Decius in toto jure.n.20.de reg.jur. & in d.cap.1.n.12.de reſcr. Menoch.de præſumpt.lib.6.præſum.40.n.7.* Generi namque per ſpeciem derogatur: ac illud potiſsimum habetur, quod ad ſpeciem decretum eſt. *l.in toto.ff.de reg. jur.& l.ſervus.ff.de legat.3.* Et,ne qua ſupereſſet dubietas,expreſsè quædam Pontifex excepit,quorum potior eſſet cauſa; ſcilicet ſacros Canones,Concilium Tridentinum,& Apoſtolicas leges ſive conſtitutiones. Quapropter Societatis Privilegio non poteſt Lovanii eſſe locus; exceptione nimirùm firmante regulam, in caſibus non-exceptis.*l.nam quod liquidò.§.ſi reſp.ff.de pecun.leg.l.quæſitum.§.deniq;.in fine.& ibi Bart.ff.de fid.inſtrum.*

In his penè omnis conſiſtit Univerſitatis defenſio: quæ,ſive petitorium, ſive poſſeſſorium judicium ſpectetur, adeò eſt manifeſta; ut nullus de jure Univerſitatis ambigendi locus relinquatur. Bulla enim Pii V. non comprehendit Univerſitatem Lovanienſem; adeóque nihil ejus Privilegiis aut Statutis derogat. Ut Clemens IIX.noluerit,Univerſitatem in ſuâ pacificâ poſſeſsione turbari à Societate, prætextu ſuorum Privilegiorum,quoad de illis ſedes Apoſtolica petitoriè cognoviſſet: & poſt eum Paulus V.Apoſtolico diplomate confirmaverit noviſsimam viſitationem, ejusque omnes ordinationes (inter quas una eſt,de audiendis tribus primariis Facultatis Theologicæ lectionibus, ab omnibus,qui ad gradus aſpirant) obſervari mandaverit: Rex Catholicus duas ex his primariis lectionibus dotaverit,eâ conditione adjectâ; ut Facultas, pro jure ſuo, has in earum numero eſſe decerneret, quas omnes graduandi audire tenerentur; ut patet ex literis ſignatis literâ L. Sereniſsimi tandem Principes, proprio diplomate, hoc idem Statutis Univerſitatis inſeruerint. Nulla igitur ratio eſt, cur tàm ſolemnia ſummorum Pontificum,Regis Catholici,& SS.Principum,edicta ac regulamenta innoventur; eâque innovatione quaſi imprudentiæ arguantur: aut Univerſitas ſuâ poſſeſsione deturbetur, antequàm de ipſius & Societatis Privilegiis Apoſtolica ſedes cognoverit.

Extra-

Extractum ex Statutis Seminarii Serenissimorum Belgii Principum, Lovanii fundati, quorum est tale proœmium.

Statuta, ex quorum præscripto eos, qui in Seminario Catholici Hispaniarum Regis, & Belgarum Principis, admitti cupiunt, vitam instituere, & mores componere oportet.

Ad marginem autem habetur: Lecta sunt secundâ Octobris, Anno 1598.

Titulo de Lectionibus & Disputationibus, habetur, lege decimâ-nonâ. Audient ad unum omnes, exceptis Licentiatis Theologiæ, lectiones Regias in divum Thomam, quæ fiunt in Scholis Theologorum, manè horâ septimâ vel octavâ, & horâ secundâ pomeridianâ; & lectionem Regiam sacræ Scripturæ, quæ fit horâ decimâ ante meridiem.

Lege vigesimâ, eodem titulo, sic habetur: Intererunt omnes omninò Disputationi domesticæ, & quotidianæ Repetitioni, quæ fient ex lectionibus D. Thomæ; & Conferentiæ, quæ singulis septimanis habebitur de Casibus Conscientiæ. Intererunt etiam omnibus publicis Disputationibus, quæ fient in publicâ Scholâ Theologorum.

Rationes Universitatis Lovaniensis, anno 1619. ob quas, etiam ex consideratione Statûs, Societati concedendum non videtur, ut lectiones ejus Theologicæ valeant, in ordine ad gradus.

Alma Universitas Studii generalis, oppidi Lovaniensis, quia altero scripto satis ostensum existimat, neque ex Privilegio Pii V., neque ex prætensâ succedaneâ possessione, Societati jus quæsitũ esse, ad hoc, ut lectiones ejus Theologicæ Lovanii valere debeant ad gradus; isto ulteriùs demonstrandum suscepit, multò minùs ex intuitu boni publici id ei concedendum esse. Tria ad hoc ordine proponit: 1. Nulla hinc sperari posse Ecclesiæ aut Reipublicæ commoda. 2. Plurima incommoda meritò timeri. 3. Multa exstare decreta summorum utriusque Reipublicæ Principum, contra hunc Societatis conatum.

I. *Nulla ex hujusmodi concessione commoda in Ecclesiam aut Rempub. derivanda esse.*

1. Illud in-primis & passim inculcat Societas, quòd Theologicum cursum quadriennio expediat; quem Facultas septennio definivit.

Brevem tamen istum cursum, graduandorum institutioni nullatenus accommodatum esse, ante nos censuerũt, qui ducentis ferè annis Universitatem

rexerunt; & novennale ſtudium ad Licentiæ Theologicæ gradum exegerūt: quoad, aucto ſufficienter lectionum numero, judicatum eſt, illarum frequentiâ & methodo, biennii tempus compenſari poſſe. Id quod celebrioribus Belgii Eccleſiis adeò placuit: ut ad ſua Collegia neminem admittant titulo Licentiæ Theologicæ, niſi poſt ſeptennii ſtudium delato. SS. quoq; Principes, idem hoc tempus Licentiandis, in nuperâ viſitatione, præfinierunt.

Et verò ea eſt ſcientiæ Theologicæ dignitas, & amplitudo: ut, licèt iis, qui minùs ingenio valent, aut pro ſuo ſtatu non opus habent plenâ omnium ejus partiū inſtructione, quadriennio, imò etiam triennio compendiosè aut truncatim tradi poſsit: graduandis tamen, qui ad potiſsima Eccleſiæ munia deſtinantur, adeóq; in omni Theologię parte accuratè inſtituendi ſunt, non minùs quàm ſeptennio ſatis explicari poſsit. Atq; hoc tempus, aptiſsimâ proportione, reſpondet ætati, quâ ſolent graduandi matureſcere ad ea officia, quæ huic ſcientiæ ſunt propoſita. Ferè enim 17. aut 18. ætatis anno, ad Licentiam in Artibus promoventur: Sacerdotii autem capaces demùm fiunt anno 25. Commodiſsimè igitur, inter utrumq; hoc tempus, ſeptennii iſte curſus abſolvitur: ut neq; remora graduandis injiciatur, ad Eccleſiæ munia obeunda; neque ad otium dimittantur, priusquàm ad ea maturuerint. Brevior autem iſte quadriennii curſus, ordinem Theologici ſtudii planè confunderet; curſimque & obiter inſtructos graduandos, ante negotium, ad otium dimitteret; inſufficientiæq; & immaturitatis periculis exponeret.

2. Commendare ſolet Societas fructum æmulationis, inter Societatis & Facultatis profeſſores excitandæ.

Verùm magìs fida certiorque officii magiſtra eſt virtus ipſa; cujus intuitu, Profeſſores Facultatis, cum laude hactenus munia ſua obiverunt: ut proinde nihil opus habeāt adſcititio iſto & periculoſo ſtimulo; qui ſolâ neceſsitate, ubi venæ lectio, commendatur. Neq; verò deeſt eis honeſtæ, & nihil periculoſæ æmulationis adminiculum, ex intuitu Profeſſorum Duacenſis Academiæ; quibuscum certatim Univerſitatum ſuarum æſtimationem Belgio commendare ſtudent: quem alter ille domeſticus cum Societatis profeſſoribus concurſus, citra ordinem ad gradum, non parùm etiam exacuit; ille verò in ordine ad gradum, contentionum initia (prout experientia docuit) ad graviora magíſq; ſcandaloſa diſsidia promoveret.

3. Urgent quidam, graduandis liberum eſſe debere, ut extra Hallas audire poſsint rarum aliquem Profeſſorem; ſi quis talis exſurgat.

Id verò ſemper eis licuit, & licebit: ut ſcilicet tribus Facultatis lectionibus, quartam, aut etiā quintam, ſi libuerit, adjungere poſsint. Parùm tamen id conſultum æſtimamus, ob confuſionem, quam ferè parit contrariarum ſententiarum mixtio; ob quam neq; Societas id ſuis Religioſis permitteret: neq; ullus aliis Tyronibus prudenter conſuluerit, ut legant Scripta extranei Doctoris. Multò minùs ordinariâ lege, graduandis permittendus eſt promiſcuus lectionum delectus: cùm non ſatis ipſi diſcernant, aut profeſſoris acumen, aut do-

ctrinæ

ctrinæ soliditatem. Consultò igitur SS.Principes, tres Facultatis primarias lectiones graduandis determinârunt.

4. Promittit Societas majorem Theologorum frequentiam.

Sed ea neque Facultati nostræ, quæ numero certat cum famosissimis Orbis Universitatibus, necessaria est: neque à Societate emendicanda; quando eam nostrorum Professorum diligentia & doctrina in-dies auget; neque ullatenus ab eâ speranda, sive quia non potuit Societas alibi tantam frequentiam Scholis suis Theologicis conciliare; quanta modò Lovanii visitur: sive quia non est verisimile, eam aliis suis Scholis discipulos subtracturam, quos ad Lovanienses destinet; sed Facultatis potiùs auditorium ad suas Scholas evocaturam.

5. Ad hanc causam fortè trahet judicium summi Pontificis, Regis, & Regni Franciæ, quoad Parisiensem Universitatem.

Diploma Regis, editum Parisiis, anno 1618. die 15. Februarii, his verbis conceptum est: *Ordinavimus & ordinamus, ut conformiter dictis literis de 20. Augusti, 1610. isti Patres Jesuitæ deinceps legant, & lectiones publicas habeant, in omni genere scientiarum, & omnibus aliis exercitiis Professionis ipsorum in Collegio Claromontano; prout aliàs fecerunt.* Et infrà: *Eâ conditione, ut se submittant legibus & regulis Universitatis, prout à Majestate suâ ordinatæ sunt.* Initio verò ejusdem diplomatis significat, se hoc ordinâsse, ad requisitionem Statuum Generalium; & propter interesse Boni publici; quod in altero Diplomate, edito 20. Augusti 1610. specificat his verbis: *Viso, quòd plures Incolæ nostræ Urbis, magnâ cum incommoditate, Liberos suos ad alia loca miserint, ubi dicti Jesuitæ publicè legunt; & quòd utilius sit pro nostris subditis, ut Liberi ipsorum studeant in bonâ nostrâ Urbe Parisiensi, ubi omnis generis scientiæ & honesta exercitia abundant, atq; lingua Gallicana purior ac politior est, quàm alibi, &c.* Henricus verò quartus, in suo Diplomate, anno 1603. addit, etiam Clementem IIX. pro Societate intercessisse.

Ex his ista contra Societatem argumenta eliciuntur.

PRIMUM. Rex Franciæ ne quidem restituisset Societati Parisiis jus publicarum lectionum, (quantum ex verbis Diplomatis apparet) nisi hoc remedium discipulorum raritas exegisset. Multò igitur minùs SS.Principes ei concedent novam præeminentiam Lovanii: ubi frequentior modò est Facultas Theologica, quàm unquàm antè, ac augustissimis aliquot Collegiis recenter aucta.

SECUNDUM. Rex Franciæ hoc tantùm Parisiis Societati concessit, quod antè habuerat. Igitur hoc exemplo SS.quoque Principes nihil ampliùs concedent. Quare, cùm nunquam antehàc Societas Lovanii docuerit in ordine ad gradus: neque in-posterum id ei permittendum erit.

TERTIUM. Societas Parisiis tenetur se conformare legibus Universitatis, quas Rex probaverit. Debebunt ergo Societatis auditores Lovanii se conformare illi SS.Principum Statuto, quo graduandi jubentur audire tres primarias lectiones Scholæ publicæ.

QUAR-

QUARTUM. Rex Franciæ Societati concessit Parisiis Scholas publicas, ad petitionem summi Pontificis; ad requisitionem Ordinum, contra sententiam Parlamenti. Igitur SS. Principes meritò negabunt Societati, Lovanii, jus professionum Theologicarum in ordine ad gradus, ob inhibitionem Clementis IIX. & oppositionem Ordinum Brabantiæ.

6. Produxit Societas, in hac causâ, judicium SS. Principum, quo Societatis lectiones Duaci valent, in ordine ad gradus.

Hinc tamen non boni publici, sed juris argumentum eliceretur; nisi obstaret illa juris regula: *Ne res inter alios acta aliis præjudicet.* Licèt enim multum inter utramque Universitatem intersit: omninò tamen existimamus, nunquàm Societatem hoc Duaci obtenturam fuisse; si possessionem suam per testes solenniter probâsset, & boni publici rationes simul ursisset Duacensis Universitas. Cùm ergo possessionem nostram clarè, per testes, acta, & Statuta, deduxerimus: non debet in præjudicium nostrum trahi sententia, inter Societatem & Duacensem Universitatem lata.

Quòd si forsitan SS. Principes hanc prærogativam, Duaci, Societati concedendam judicaverint: non indè tamen rectè inferas, idem Lovanii fieri debere. Salmantica Universitas, Hispanicarum princeps, juri suo relicta est. Parisiensis disertè excepta fuit, omnibus diplomatibus Henrici IV. Nec eam exceptionem Ludovicus XIII. sustulisset; nisi in frequentia Scholarium hujusmodi remedium visa fuisset postulare. Lovaniensis ergo, Belgicarum princeps, numerosissima, florentissimaque, suo etiam juri permittenda est; Societatique potiùs ad æmulationem proponenda. ne, si Duacensem Universitatem in suam potestatem redegerit, & hanc simul occupaverit; suo deinde (quod multi præsagiunt) corpore marcescat, totiusque Belgicæ Ecclesiæ Status (ut olim Benedictinis operas remittentibus) uno momento ad extremum squallorem redigatur.

Sin majorem conformitatis, inter utramque Universitatem, rationem habendam esse Serenissimi Principes censuerint: æquius omninò erit, ut filia matri, quàm mater filiæ, conformetur: atque, intuitu matris, filiæ restituatur sua malè defensa possessio; quàm ut, ob filiæ negligentiam, matri simul eripiatur.

II. *Plurima incommoda ex hujusmodi concessione meritò timeri.*

1. Nunquàm hactenus vidit Orbis Christianus, quòd lectiones Regularium, in Scholis ipsorum Ordinum propriis, valuerint extraneis Studiosis in ordine ad gradus: imò nunquàm Regulares, pro hujusmodi Privilegio, apud summos Pontifices institerunt. Parisiis vetustissima Carolomanni lex semper viguit: ut Scholæ in Monasteriis non habeantur, nisi eorum, qui oblati sunt. Hispaniarum Universitates eundem usum, in hunc diem, constantissimè tenue-

tenuerunt; & hoc prætenſum Societatis Privilegium excluſerunt. Noſtra Lovanienſis, eodem Scholarum inſtituto, duobus ferè ſeculis floruit. Orbis ergo judicium, quàm unius Societatis, hac in re, majoris faciendum eſt: exploratusque tot ſæculorum uſus, ſecurior & magis fidus cenſeri debet; quàm inexploratus eventus hujus novi Societatis conatûs.

2. Facultatum Academica Collegia vigorem floremque ſuum perennâſſe, Univerſitatum, quæ adhuc exſtant, exempla teſtantur. Cùm enim præclariſſimis, & toto Mundo ingeniis ad ea ſemper aditus pateat: non poſſunt in iis ingenia deficere, quæ prædeceſſorum doctrinam æmulâ contentione perennent. De Societatis Collegiis, quantilla haberi poteſt experiétia, nihil perinde ſtabile promittit. Notârunt multi immutatam ex-nunc Scholarum Societatis faciem, quoad diſciplinæ ſeveritatem; quoad docendi methodum. Germanicæ Univerſitates, quas Societas ſuo hoc novo modo regendas ſuſcepit, Trevirenſis, Moguntina, Muſsipontana, &c: vigorem non intendunt; ſed remittunt. Ipſe Provincialis, in libello tertiâ Julii noviſsimi apoſtillato, diſertè fatetur: *Intereà dum alia ſtudia & negotia ipſius Societatis in-dies pejores fiunt in dictâ urbe Lovanio.* Non occaſione hujus controverſiæ, quæ nihil circa priſtinũ uſum innovavit: igitur defectu modernorum Profeſſorum, qui prædeceſſores ſuos non ſequantur pari paſſu. Denique *exemplum Ordinis Divi Benedicti,* penes quem aliquando fuit potiſsima doctrinæ authoritas, ſatis monet, Non debere majorem ſtabilitatem à Societate exſpectari.

3. Sicut non expedit, intra eandem Provinciam Univerſitates multiplicari: ità multò minùs expedit, intra unam ejuſdem Univerſitatis Facultatem multiplicari Scholas, quæ non recognoſcant eandem matrem; communesq; diſcipulos, in ſpem gradûs, pari jure inſtituant. Confundunt enim graduandorum ingenia, partim contrarietate ſententiarum, partim variâ terminorum uſurpatione, eo ferè modo; quo diverſarum nutricum lac, peregrinam infanti complexionem ingenerat; & plurium affecta imitatio, eloquentiæ vultum deformat. Iſta quoque doctrinæ & diſciplinæ varietas, ambitioſam diſcipulorum pro magiſtris æmulationem excitat: quæ deinde utrorumque animos in perpetuas diſcordias abripit; ac tandem in Rempublicam tota hæc diſsidia propagat: dum apud plebem, cui præficiuntur, hi ut licitum commendant; quod illi condemnant ut illicitum. Ii ergo, quibus Univerſitatum cura incumbit, hoc inprimis providere debent; ut, qui ad gradus adſpirant, quique ad potiſsima Reipub. munia deſtinantur, ab eâdem matre, iiſdem moribus, iiſdemque ſententiis, quantum fieri poteſt, imbuantur: quò, ex ejuſdem quaſi matris lacte, germanam fraternitatis indolem ſugant; germanoque ſpiritu & judicio, Rempub. in ſuo ſtatu concorditer gubernent.

4. Privilegium, quod ex Bullâ Pii V. prætendit Societas, æquè ad omnia Collegia ſpectat; ſive extra, ſive intra Univerſitatum loca ſita ſint. ut ſignificant iſta verba: *In ſuis Collegiis, etiam ubi Univerſitates exſtiterint, ſuas lectiones etiam publicas legere liberè & licitè poſsint.* Atque ità Provincialis generatim, pro uſu

Pppp

hujus Privilegii, supplicavit, in suo libello: eóque Societatem collimare, non obscurè indicat æmulus ille conatus & apparatus; quo Scholas suas Theologicas, quas habet in celebrioribus Belgii oppidis, Scholarium undiq; excitorum frequentiâ, ac disputationũ solenni pompâ, Academicis exæquare, imò & præferre nititur. Antuerpiense Collegium, Facultatis Mathematicæ nomen publicè thesibus impresśit; & quosvis promiscuè extraneos, etiam Hannones, ad disputationes responsionesque, Academico ritu admittit. Montense in Hannoniâ, Theologos immatriculatos Academicos vocat: prout hæc partim ex thesibus, in hac causâ exhibitis; partim fide-dignorum testimoniis, constare poterunt. Tot ergo in Belgio erunt Universitates, quot Societatis Collegia: robustissimusque scientiarum nervus, quem in hoc æmulo Studiosorum concursu Christianus Orbis firmaverat, marcescet; pacisque & concordiæ seminarium evelletur. Solatium & remedium, quod contra solitudinem, Lovaniensi oppido, Johannes Dux Brabantiæ dederat, illi subtrahetur: Gloria Brabantinæ Universitatis, in partes distractæ, omnibus extraneis communicabitur.

5. Ubi Privilegii prætensi usum Societas obtinuerit: mox eundem cæteræ Religiones mendicantes pari curâ, nec minore jure, obtinere satagent; non secùs, quàm ipsa Privilegia omnium Ordinum mendicantium, (adeóq; etiam Societatis) præsentia & futura, jam-dudum sibi singulis à S. Sede concedi & communicari procurârunt, *ut refert Emanuel Rodriguez qq. Regul. tom. 1. q. 55. art. 17.* Cùm ergo Lovanii octo ferè sint Regularium Scholæ Theologicæ, pro unâ Universitate, chaos quoddam Universitatum intra eosdem muros miscebitur; quarum singulæ pleno & æquo jure graduandos instituent, contrariisq; sententiis imbuent: qui deindè illam morum & judiciorum difformitatem, ad unius ejusdemque Episcopatûs clerum transferent; neque inter se, neq; cum Episcopo consentientes.

6. Ista Professionum Theologicarum prærogativa, præsentissimam Societati occasionem dabit, pleraq; ingenia, jam ultimò ad cæteras Ecclesię functiones exculta, sibi incorporandi. Quare, cùm Societas, ultra omnem proportionem membri, quod in Ecclesiâ constituit, ac functionis subsidiariæ, quam suo arbitrio, citra ullius imperium, obit, numerum suum in-dies magìs magísque augeat: iis, qui Ecclesiæ & Reipub. provisum cupiunt, cavendum erit; ne membrum hoc, suâ enormi magnitudine, corpus Christi monstrosum efficiat; & succum, qui in cętera membra derivandus esset, in se ultra modum derivet. Principalem ergo graduandorum institutionem, potiùs committent uni Facultatis Collegio: quod, sicut pro majore parte Secularibus constat; itâ Statûs ecclesiastici secularis curam in-primis gerit; ad omnes autem Regularium ordines indifferenter se habet. Exemplum, quod imitentur, dedit Cardinalis Borromęus, qui suorum Archiepiscopaliũ Collegiorum pręfecturas Societatis Religiosis ademit, hac additâ ratione; *Ecclesiam magìs egere Pastoribus, quàm Religiosis.* Enixè hoc à SS. Principibus, si viverét, efflagitarent, qui Theologi-

logica Collegia Lovanii fundârunt, non in Religiosorum; sed in Pastorum seminaria, Religiosis disertè exclusis. Ut enim Præsides & alumnos seculares esse voluerunt; ità alumnorum instructionem, secularibus itèm Magistris committi, desiderârunt.

7. Graduandorum institutione ad Societatem translatâ, omnium partium Reipub. & Ecclesię potestas, ad eandem devolvetur: novoque hoc Theologicæ instructionis beneficio, ipsos etiam Ecclesiæ Pastores & Episcopos devinctos sibi habebit; uniusque ordinis prædominans authoritas magìs, quàm hactenus, cæteris gravis exsistet.

8. Societas nulli paret, nisi suo Generali, & summo Pontifici: cúmque se gratìs omnia pręstare glorietur; nihil se aliis debere, aut plura sibi ab aliis deberi, æstimat. Multò igitur gloriosius erit SS. Principibus, multò etiam ad facilem Reipub. gubernationem consultius, Universitati suæ, cujus ipsi Parentes sunt; cujus proinde omne decus in ipsos hoc nomine redundat; istum honorem publicarum professionum, in ordine ad gradus, proprium, utì hactenus fuit, decernere.

9. Tres illæ primariæ lectiones, quibus hoc Privilegium Academicę Professionis per visitationem adstringitur, partim à Carolo V. Imperatore; partim à Philippo II. Hispaniarum Rege, institutæ sunt ac dotatæ, hoc ipso fine: ut, quotquot ad gradus Theologicos adspirarent, eas audire tenerentur. Non est ergo, cur SS. Principes, augustissimas Parentum & Prędecessorum memorias, piissimasque fundationes obscurent, suâque intentione frustrent; propriâ illarum gloriâ Societatis lectionibus communicatâ.

10. Quòd si omnibus cęteris Facultatis Theologicę Professionibus, sive ordinariis, sive noviter fundatis, jus illud professionũ, in ordine ad gradus, quod eatenus habuerunt, per visitationem ademtum est: profectò iniquissimũ erit, illud modò communicari Societatis lectionibus; quæ nunquàm illud habuerunt, neque ullo jure Academicis Professionibus anteponendæ sunt.

11. Si hæc nova celebritas Societatis Scholis accesserit: multò in-posterum severiùs accuratiùsq; Ordines confœderatarum Provinciarum cavebunt, ne Catholici filios suos ad Lovaniensem Academiam mittant.

12. Juri naturæ prorsus adversatur, ut non eadem, quæ concepit, mater pariat; aut, quæ parit, non cõceperit. Facultatis ergo Professores, quibus, ex judicio Catholicæ majestatis, gradus Academici, & graduandorũ examina, disputationesq; reservantur; graduandos quoq; omnes principaliter instituere debent. Alioqui subjacebunt illi opprobrio, Hieremiæ 17. *Perdix fovit, quæ non peperit.* Illisque avibus assimilabuntur, quæ supposita cuculi ova excludunt.

13. Et verò multa ac gravia incommoda emergent ex hac officiorum ejusdem matris in plures factâ distributione. Cùm etenim disputationũ Præsides, iis, qui respondent, subsidio esse debeant: frequentissimè continget, Societatis discipulos à Facultatis Magistris deseri; quoties illi responsionẽ suam deduxerint ad eas Societatis opiniones, quas Facultas omninò improbat, suisque

in Scholis defendi vetat; aut ad Magistrorum suorum novas ac privatas speculationes, quas similiter Facultatis Magistri, ut improbabiles, & imperitè à responsalibus excogitatas, rejicient. adeóque Societatis discipuli, ad singula penè responsa, Præsidis sui censuram anxii reformidare cogentur. Ne autem hujus incommodi consideratio, frequentiæ Scholarum Societatis obsit: accuratissimè observabit, num Præsides aliquam sententiam Professorum Societatis redarguant; ut eam ipsi etiam contrà vindicent. Erit ergo hoc fœcundissimum quotidianæ contentionis seminarium; quæ Scholas Theologicas, & verisimiliter etiam Tribunalia, non sinè gravi scandalo, implebit.

Ostium deinde magnum licentiæ, & negligentiæ Studiosorum, aperient illa Professorum utriusque Scholæ promiscua testimonia, de auditis lectionibus: sive quia Facultas non perinde explorata habere poterit testimonia Professorum Societatis, ac suorum; qui examini, & præsentationi, intersunt: sive quia Professores ipsi, ut gratiam Studiosorum præoccupent, auditoriique sui numerum augeant, ex fide eorum, qui se visitâsse affirmabunt, testimonium perhibebunt. Verendum etiam, ne Societatis Professores, auditoribus Scholarum Societatis, extra Universitates, promiscuè testimonium perhibeant; quo se examinandas Facultati præsentent. Quia enim illos Privilegio Pii V. æquè comprehensos censebunt: eodem omnes loco habebunt; simulq; cum suis auditoribus Facultati præsentabunt. Denique ritus, quo graduandi se præsidibus suis, uti filios eruditionis, addicunt, non poterit à Societatis auditoribus usurpari: quia Præsides non fuerint eruditionis ipsorum magistri.

14. Certum est, Societatem, si hoc obtinuerit, non hìc substituram; sed ad plenum jus examinis, graduumque conferendorum, adscensum hinc facturam: ob incommoda, quæ jam deduximus; quæque Societas in hunc finem tùm re fovebit, tùm verbis exaggerabit. aut, si hoc minùs successerit, graduum ipsorum æstimationem minùs, simiæque instar, novum graduum specimen, majore etiam pompâ adornabit: quale scilicet Dolanum Societatis Collegium Dolæ nuper edidit; & in literis Dolanæ Universitatis, quas exhibuimus, describitur. Ipsum deinde Facultatis Collegium occupare conabitur, sibique incorporare: ne plenæ Societatis in totâ Rempub. authoritati aliquid detrahat; ejusque Scholas æmulo conatu exagitet. idque aut lectiones Facultatis ab earum patronis impetrando; aut à Pontifice obtinendo, ut Societatis Professores in Regentum quoque numero habeantur; aut eorum, qui ex Societatis institutione ad hoc Collegium admissi erunt, suffragia conciliando; aut denique Facultatis Magistros perpetuis dissidiis exagitando, ut tandem vacuam Societati relinquant Theologicę Facultatis possessionem. Cui enim lubebit, ad certam cum Societate contentionem, desperatumque contentionis successum, Lovanii subsistere? Ità Collegium Doctorum Regentum, è quo tot insignes Viri, ad præcipua Status Ecclesiastici sæcularis munia, evocati fuêre, in Societatis potestatem concedet: quæ deinde, ab hoc quasi capite, in subjecta membra, pleno se jure diffundet; Collegiorum Theologicorum Præsiden-

sidentias,& Provisiones,apprehendet: ut ex iis Scholæ suæ auditorium,Ordinisque seminarium, constituat. Fortè etiam opulentiora aliquot, & magis opportuna Collegia, in Professorum,Novitiorum,& Studiorum domos,convertet:Collegiorum proventus,& nominationum jura,suis vindicabit. Quidquid enim his conatibus objecerint Collegiorum Statuta,dispensatione amoveri curabit; honoresq; & præmia, jure onerum,quæ feret,communicari sibi postulabit. Uno verbo: Non antè finis erit contentionum,quàm plenum Facultatis jus in Societatis potestatem concesserit; proinde ac Treviris,Moguntiæ,Mussiponti,& alibi. Ut ergo Societas,horum spe ac intuitu, tanto conatu,tantâque invidiâ,aditum sibi ad Universitatem parare videtur: ità iis,qui totius Ecclesiæ & Reipublicæ curam gerunt, providendum est; ne reliquus Ecclesiæ status grave hinc detrimentum accipiat: quando ille de manu Societatis,non nisi feces,quas rejecerit,accipiet.

15. Jus hoc omnes graduandos instituendi, antiquissima est Academiæ hæreditas,& avita possessio. Non ergo potest ei, nihil demeritæ,citra injuriam,pars quædam hujus juris eripi,& in Societatem hoc solo nomine conferri; quòd incertâ spe major indè fructus exspectari prætendatur: non magis, quàm civi pars hæreditatis, aut ordinario Magistratui pars muneris, hoc solo titulo subtrahi. Quòd si fenestra hæc hominibus,sua, quàm aliorum, pluris æstimantibus,aperta fuerit: nullus erit finis,aliorum privilegia & munia hoc nomine ambiendi; nulla ejusmodi præmiorum fida & secura possessio.

16. Officium, quod Facultas Theologica Lovaniensis Belgio præstitit, duorum seculorum experientiâ, testimonioque Ordinum Brabantiæ,probatur. Officii,quod Societas pollicetur,probatio, ab incerto & sero venturæ diei testimonio suspensa est. Potiùs ergo animanda est eadem Facultas, ut integrum hoc officium eâdem industriâ diligentiâque continuet; quàm alienanda ab ulteriore officio,parte illius ad Societatem translatâ.

III. *Præjudicia contra hunc Societatis conatum, supremâ authoritate edita.*

Anno 1584. Placetum, quod tempore Philippi II. Hispaniarum Regis evulgatum est,hunc usum Privilegii Societati negavit: ut in altero scripto deduximus.

Anno 1595. idem Rex Catholicus hanc suam voluntatem,placitique sensum,novo ac celeberrimo suo facto declaravit: quando,contranitente Societate,(ut patet ex literis in hac causâ exhibitis)pro una lectione Magistri duas instituit S.Thomæ,easque voluit ab omnibus, qui ad gradus adspirarent,frequentari,ut habetur in literis Serenissimi Principis nomine Catholicæ Majestatis ad Facultatem scriptis.

Eodem anno, sanctissimus D. Clemens IIX. super eodem negotio ab Universitate interpellatus, Breve direxit ad Abbates S.Gertrudis & B.Mariæ

Parcensis: quo mandavit, ut inhiberent Societati, ne pergeret in docendâ Logicâ & Physicâ: ac simul de cæteris Scientiis voluntatem suam expressit, his verbis: *Per præsentes autem non intendimus, iisdem Clericis dictæ Societatis prohibere, quò minùs in suis Scholis Metaphysicam, nec-non cæteras Disciplinas & Facultates, quas ibidem docere ab Universitate permissi sunt, posthàc profiteantur.* Nempè nolle se, ut Societas aliàs, aut aliter, quàm de consensu Universitatis, & permissione, utatur jure, quod ex Bullâ Pii V. prætendit: quoad de ipso Privilegii jure, per Judicem Apostolicum, petitoriè cognitum fuerit.

Tandem, quod antè seorsim, in nuperâ Universitatis visitatione conjunctim, uterque hic supremus Princeps statuit, in hanc formam: *Statuimus, ut non aliter ad primum Baccalaureatum admittantur, quàm si fuerint Artium Magistri, aut Religiosi: nisi tertio ad minus à promotione, vel studii Theologici incepti, anno expleto: aut ad minus tres primarias lectiones, sacræ scilicet Scripturæ, & duas Scholasticæ Theologiæ, exactè audiverint; & eâ de re ab ipsis Professoribus testimonium attulerint.* Cùm ergo hoc judicium adeò recenter summus Pontifex, & SS. Principes, proprio uterq; Diplomate, ediderit, actisq; Visitationis, post diligẽtissimum omnium circumstantiarum per Visitatores factum examen, post accuratissimam hujus examinis ad SS. Principes relationem factam, inseri mandaverit: non potest boni publici ratio in hoc negotio dubia censeri.

Intellexit quidem Universitas, Societatem, postquàm hoc Statutum à SS. Principibus conceptum & probatum fuit, pro jure, quod ex Bullâ Pii V. prætendit, intercessisse; ne scilicet illo Statuto ei præjudicatũ censeretur: Serenissimos verò Principes respondisse; Jus, si quod Societati quęsitum esset, integrũ ei fore. Sed hęc de jure (quod altero Scripto ostendimus nullum esse) exceptio fuit; non de Bono publico, quod hîc expendimus. Neque enim Societas nomine Boni publici intercessit; quasi de imprudentiâ arguens Principis judicium: sed nudè Pii V. Bullam repræsentavit, petiitque declarari, nihil illi derogari hoc novo Statuto: ut patet ex verbis libelli supplicis, quem Provincialis exhibuit. Ista ergo de jure exceptio, argumentũ publici Boni, quod hinc elicimus, potiùs confirmat: Statutum scilicet illud, tanquam ex intuitu publici Boni latum, Societatis quoque auditores comprehendere debere; nisi illa docuerit, contrarium sibi jus quæsitum esse. Neq; opponere potest, non fuisse sui habitam rationem, dum lex illa conciperetur: nisi forte Visitatores, ipsosque Serenissimos Principes, temeritatis & imprudentiæ velit arguere; quasi legem universalem conceperint & promulgaverint, non attentis iis omnibus, quorum fuisset habenda ratio: Statutumq; hoc illusorium facere, contra quod omnes cæteri Religiosi eodem titulo possent excipere.

Jure ergo Privilegii Academici, & perpetuâ possessione penes Universitatem exsistente: (ut altero Scripto deductum est) non potest ex capite Boni publici controversia Facultati moveri, citra injuriam Visitationis factæ. Id quod Serenissimi Principes non obscurè indicârunt, quando sub initium hujus controversiæ, per apostillam 20. Decembris, anni 1618. libello Universitatis adscri-

adſcriptam, totum ejus ſtatum ad viam juſtitiæ revocavit, his verbis: *Toto remiſſo negotio à dictâ ſuâ Serenitate ad dictum conſilium, pro ordinando eo, quod Juſtitiæ convenerit: Curia ipſa jam anteà juſtum eſſe decrevit, ut dicti Supplicatores admittantur ad verificandum factum, à ſe poſitum in ſuo Reſponſo, articulo 26. dicti Scripti, cui titulus eſt, Informatio.* Et infrà: *Quo facto, ordinabitur, quod Juſtitiæ convenerit.* Idque adeò certum habuit ſecretum Concilium SS. Principum: ut Deputatis Univerſitatis, inſtantibus pro communicatione integri reſponſi Societatis, ad Scriptum Informatorium, reſponderit, ideò non communicari: quia ex ſolo articulo poſſeſsionis cauſa eſſet decidenda; nullâ cæterorum habitâ ratione.

Enixè ob hæc SS. Principes rogat Univerſitas Lovanienſis, Parẽtes ſcilicet Filia: ne hæreditatem, quam de illorum manu accepit, & ducentis ferè annis poſſedit, Societati cedere cogatur: honoremque, tanto ſuo labore & ſudore partũ, in ſibi extraneos transferre jubeatur. Ne tàm multâ prole feliciſsimam, fœcundiſsimamq; matrem, parte materni officii mutilari ſinant: & quam, ſuâ poſt Deum providentiâ, ad hunc pacatiſsimum feliciſsimumque ſtatum promoverũt, in perpetuam infeliciſsimæ contentionis miſeriam conjici, totamq; ſimul Rempublicam eidem periculo exponi, permittant.

Atque ità ſuæ quoq; Religioni addictis non parcere ſolent Jeſuitæ. Veruntamen nequitias ac technas ſuas parricidiales, magìs in Confœderatorum Ordinum Provinciis per Belgium, exercuerunt. Illorum ſiquidem inſtituto factum eſt, ut anno 1584. ſub initium menſis Maji, quidam Balthaſar Gerardus, Seracus dictus, Villeſano in Burgundiâ oriundus, Delphos in Hollandiâ veniret: ubi tùm temporis Wilhelmus, Princeps Auraicus, agebat. Is literas aliquot Principi ferebat; zelum eâ re adversùs Religionem reformatam, cupiditatemque Principi inſerviendi, falſo prætextu ſignificans: addensque, ſe, per Lucemburgiorum provinciam iter facientem, quendam ſuorum cognatorum, Mansfeldii Comitis Secretarium, inviſiſſe, & apud illum aliquantiſper ſubſtitiſſe; donec tandem, cùm Religionis cauſsâ Jeſuitis ſuſpectus redditus eſſet, indè ſubitò abeundum ſibi conſtituiſſet. ibi tùm ſe, à cognato illo ſuo, aliquot libera & volantia ſigilla, Comitis Mansfeldii inſignia præ ſe ferentia, nactũ fuiſſe; quibus fortean, ad ſtratagema inſigne aliquod pertentandum, uſus foret: aliaque his ſimilia, quibus apud Principem, fidem & officium aliquod ſibi conciliare præſumebat. Princeps illi credit, & in aulâ ſuâ retinet. Cúmq; Dominus Schönwallius, ad Ducẽ Andegavenſem, in Gallias legaretur; Gerardus iſte cum eo profectus eſt. Poſt reditum ſuũ, literas denuò ſecum affert, Principi & Ordinibus inſcriptas, de morte Ducis illius: ideóq; Princeps illum ad ſe in cubiculũ, adhuc in lecto jacens, admittit; peculiariter quædam de circumſtantiis mortis Ducis ſciſcitaturus. Ità jam-tùm Parricida iſte Principem trucidare valuiſſet; ſiquidem cultro aut ſicâ ad id inſtructus fuiſſet. Paulò pòſt, iterum diſcedere juſſus, pecunias pro emendis veſtibus, rebusque aliis neceſſariis, petit: quibus acceptis, mox à militibus prĕſidiariis duos ſclopetos coẽmit, facinoris propoſiti tandem perficiendi gratiâ.

Jeſuitarum technę parricidiales in Confœderato Belgio.

Die

Wilhelm' Princeps Auraicus, à ficario globo trajectus.

Die 10. Julii, Principem Auraicum, ad prandium iturum, ficarius iste adit, discessumq; cum testimonio flagitat: qui etiam condictus illi est. Finito prandio, Principe versùs cubiculum suum egrediente, latro ante fores aulæ adstat; honoremque illi exhibens, eâdem operâ sclopeto, tribus globis onerato, Principem petit: adeò ut læsus ille, non multò pòst, vitam cum morte commutare cogeretur. Parricida in fugâ à duobus satellitibus deprehensus, captivus ductus, & examinatus, confessus est; se, ante id triennium, audito, quòd Princeps à Rege Hispaniæ publicè proscriptus esset, jam-tùm in animo habuisse, ad Principem ire, eumq; trucidare. Quia verò in viâ sibi dictum esset, Principem, à Mercatoris cujusdam Antuerpiensis ministro, jam sclopò trajectum fuisse; (id quod factum quidem die 18. Martii, anno 1582. sed Princeps, à vulnere illo convalescens, superstes tunc manserat. Latronis verò illius & complicum, supplicio affectorum, membra quadripartita in Castello Antuerpiensi suspensa, anno posteà 1586. magnâ solennitate à Jesuitis remota, & pro sanctorum reliquiis culta sunt) aliquamdiù se apud Comitis Mansfeldii Secretariũ substitisse: certiorem verò posteà, de Principis superstite vitâ, factum, tandem conclusisse apud se, illud, quod dudum sibi in animo proposuisset, quocunque eventu suo, effectum dare. Quod propositum suum, cùm in transitu, Treviris, Jesuitę cuidam, Rectori Collegii ibidem, per Confessionem aperuisset; idque, post tunc instans Paschatis festum, Comiti Mansfeldio indicari, rogâsset: Jesuitam quoque se adhortatum fuisse, ut ejus Principem Parmensem certum faceret; cum asseveratione, quòd illud jam cum tribus Sociis suis communicâsset, qui omninò id à Deo profectum putarent. Benedictione quoque suâ impertitâ, priusquàm Treviris abiisset, sibi Jesuitas pollicitos fuisse; quòd, si vitam suam super heroico illo facto profundere contingeret, exindè Martyris nomen & coronam in cœlo certò relaturum esse. Consimili ratione etiam Fratrem quendam Minimum, Tornaci, D. Gereonem nomine, sibi exhortationem fecisse; Deumque pro se rogaturum, promisisse.

Jesuitę parricidarum ossa, pro Sanctorum reliquiis venerantur;

& Parricidis ipsis Martyrum coronam condicunt.

Ad quæ omnia, Processus criminalis adversùs Seracum institutus, ac sententia contra ipsum lata est: Ut in tabulatum, eum in finem exstructum, adducto, manus primùm dextera, quâ proditorium ac parricidiale id facinus perpetrâsset, ferro candente præuratur; ipse postmodùm forcipibus candentibus, in diversis corporis membris, sexies laceretur: tumque vivus, ex inferioribus partibus, in quatuor frusta concidatur, ex aperto ventre, perfidum cor ipsius extractum, ter in ipsius parricidæ faciem impingatur; capite dehinc abscisso, quatuor corporis frusta, ab-invicem separata, in quatuor vallis Urbis suspendantur; ipsum verò caput, humeris impositum, retrò interfecti Principis domicilium, palo suffigatur; bona denique illius omnia Fisco adjudicentur. Ità conclusum & pronuntiatum in Curiâ Civitatis Delphensis, die Sabbati, 14. Julii, anno 1584.

Quia verò, per suprà-dicti Principis Auraici cædem, Jesuitæ & Hispani intentum ac propositum suum assequi non poterant; sed illius loco, filius ipsius Mauri-

Mauritius, Nassoviæ Comes, à Dominis Ordinibus, in caput ipsorum electus ac receptus fuit: etiam istum, similibus technis parricidialibus, è medio tollere conati sunt. Hinc factum, ut anno 1598. die 27. Maji, ex variis suspicionibus, Lugduni Batavorum, quidam Petrus Pannes, Hyperius Flander patriâ, opificio vietor, sed ad extremam pauperiem & æs alienum redactus, in carcerem adductus fuerit: qui, ut ære illo alieno se-se levaret, grande aliquod facinus patraturum recepit: ideóque à Jesuitâ, Melchiore Walle, ut Comitem Mauritium trucidaret, sibi persuaderi est passus. Quo nomine, ut securior ageret, Duacum profectus, ulteriorem instructionem ab ejus loci Jesuitis accepit, eâ opinione; quòd pium admodùm meritoriumque opus & sacrificium præstiturus esset, siquidem ejuscemodi animarum latronem è medio tolleret: quódque illo non tantùm cœlum promeriturus; sed etiam, si eidem facto immori contingeret, certo certiùs & rectà in Paradysi gaudia recipiendus: addito promisso precio ducentarum librarum Flandricarum, à Jesuitis accipiendarum, atque officii alicujus publici, in urbe Hyperensi consequendi; filio autem illius, Canonicatum quendam in urbe Tornaco impetrandi. Ad quæ promissa, dictus Petrus Pannes parricidium istud in se recepit; ac super eo confessus, auditâque Missâ, Deo Jesuitico communicavit: sed etiam (uti jam dictum) deprehensus, captivus ductus; à Senatu Lugdunensi primùm ad gladium condemnatus, ac posteà in quatuor frusta concisus est. Factum id 22. Junii die, anno 1598.

Technæ parricidiales contra Mauritiũ, Nassoviæ Comitem.

Jesuitis igitur cum ejusmodi technis suis continuò pergentibus; &, cùm vi nihil obtinere possent, præsertim post illas, inter Hispanum & Unitos Ordines, pactas aliquot annorum inducias, proditoriis suis consiliis in Republicâ, falsisque ac hæreticis dogmatibus in Religione, (quam ad rem etiam nonnulli perfidi Patriæ cives operam suam contulerunt) propositum suum obtinere satagentibus; ex quo turbæ continuæ subsecutæ sunt: Domini Ordines generales, quò practicis illis obviàm irent, easque præcaverent, Mandatum sequens contra ipsos, eorumque similes, promulgârunt.

ORDINES Generales Provinciarum Confœderatarum in Belgio, omnibus hæc visuris, aut legi audituris, salutem. Certò ad Nos relatum est, multos Sacrificulos, Monachos, & alios id genus Ecclesiasticos, maximè verò de perniciosissimâ illâ Sectâ Jesuitas, in confœderatas Belgii Provincias quotidiè confluere; ibiq; exotericas suas doctrinas inter Subditos disseminare; contrarias Verbo Dei superstitiones hominibus instillare; & id maximè agere, ut tyrannidem & potestatem Pontificis Romani, quam non solùm in spiritualibus super omnia Concilia, sed etiam in secularibus super omnes Reges, Principes, & Respublicas, statuunt; affirmantes, eum illis omnibus, eorumq; Regnis & Provinciis, imperare, & Subditos ab obedientiâ eorum absolvere posse, stabiliant. quod quidem ad seditionem in Populo excitandam necessariò comparatum est; multisq; nefariis consultationibus & machinationibus occasionem præbet: velut ex Galliæ Britanniæq; Regnis, & Ducatu Veneto, desumta ejus rei exempla, in recenti adhuc memoriâ versantur. Quandoquidem igitur unitarum Provinciarũ Statibus necessarium jam antè visum fuit, ejusmodi Edicta

Jesuitæ ex Belgio Cõfœderato proscripti.

publicare; quibus caveatur, ne Subditi istarum Provinciarum, venenatis istis, & tàm veræ Christianæ fidei, quàm honestis politicis Constitutionibus, adversantibus opinionibus inficerentur; infecti verò, & jurejurando Pontificiis istis erroribus addicti, ad officia & munera publica nulla admitterentur; ad præcavenda omnia perniciosa Reipublicæ conventicula, & tacitas occultasq; contributiones, pecuniarumq; exactiones evitandas: necessarium verò est, unicè id curare, ut Pax & Concordia, inter Subditos Belgicarum Provinciarū, cum vicinis Regionibus, cōservetur; nec quid contra libertatem Provinciarum, sub honestâ conversationum & commerciorum specie, tentetur: Edicta omnia, tàm in Provinciis istis, quam vicinis Regionibus condita, evolvimus, & deliberato, cum Mauritio Nassoviæ Comite, consilio, decrevimus: decernimus etiam & imperamus, ut omnes Sacrificuli, Monachi, Jesuitæ, & alii id genus Ecclesiastici, Clerici, & religioni Romanæ addicti, cujuscunq; ordinis & dignitatis sint, quos duorum mensium, à publicatione hujus Edicti, tempore, in unitas Belgii Provincias venire contigerit, primo statim adventûs sui loco, & locis porrò, ubi pernoctare voluerint, omnibus, nomina sua, coram Præfecto & Magistratu loci istius, profiteantur; &, quæ causa sit adventûs sui, ubi itèm hospitium suum habeant, aperiant, utq; idem etiam, elapso duorum mensium spatio, facere teneantur omnes modò-dictæ personæ, quæ jam antea ad Provincias istas venerunt, nec sedem tamen ibi certam habent: Præfectis ista omnia fideliter consignantibus, & ad superiorem Magistratum referentibus: ne fortè quid ab hujusmodi personis, quod in Provinciarum perniciem cadat, tentetur. Quòd si verò quis nomen suum non professus deprehendatur; is 50. florenis mulctatus, solum vertere cogatur: ità ut nunquàm ad Provincias istas unitas, sub proscriptionis publicæ pœnâ, redire possit.

Imperamus autem etiam & mandamus omnibus & singulis, apud quos Jesuitæ, Monachi, & alii Clerici, Ecclesiasticiq; Romanæ religionis homines, diversuri sunt: ut diligenter, an nominum suorum professionem fecerint, inquirant; vel ipsimet, ante tertiam mansionis eorum noctem, eam apud Præfectos & Magistratum, sub pœnâ 100. florenorum, faciant: excusatione omni, quasi personas istas non noverint, posthabitâ & neglectâ: exceptis tamen publicis diversoriis; utpotè de quorum notitiâ certi aliquid affirmari non possit. Prohibemus porrò, & interdicimus omnibus Provinciarum unitarum Incolis; ne, publicato hoc mandato, in ullum se-se Collegium aut Scholam Jesuitarum conferant: sub pœnâ, quòd perpetuo tempore inutiles censeri debeant, qui ad officium aliquod & munus publicum in Provinciis admittantur, vel Canonicatu & beneficiis ullis fruantur; & insuper ex suis bonis, 100. florenorum mulctam, singulis mensibus persolvere cogantur. Quam pœnam subire etiam teneantur omnes, qui, ante publicationem hujus mandati, in Scholas & Collegia Jesuitarum se contulerint, neq; intra duorum mensium spatium egressi fuerint. Quòd si verò aliqui bona nulla habeant: à Parentibus vel Tutoribus eorum mulcta ista exigatur: nisi fortè, præter & contra eorum voluntatem, in Scholas & Collegia ista se contulerint. quo casu, Parentibus Tutoribusq; interdictum volumus, ne pecuniam ipsis, vel aliud quid, sive directè, sive per indirectū, mittant afferrive curent; sub modò dictâ 100. florenorum mulctâ, ex propriis suis bonis præstandâ. Omnem autem alienationem bonorum suorum ab illis, qui contra mandatum hoc in Scholis & Collegiis Jesuiticis mansuri sunt, sive per donationem, sive per testamenta, codicillos, aut dispositiones alias factam, nullam

omninò

omninò & nullius efficaciæ declaramus. Mandamus etiam, ut ad nullũ officium vel munus publicũ admittantur, sive indigenæ, sive advenæ; qui, post duorũ mensium à publicatione Mandati defluxum, gradũ aliquem honoris apud eos, præstito de defendendis Romanis superstitionibus juramento, acceperint: & ut illi, qui, post factam anno 1576. pacificationem Gandavi, juramentũ illud præstiterunt, & ad officia aliqua adhibiti sunt, se intra duorum mensium post publicationem hanc spatiũ, à juramento isto expediant, & juramento fidelitatis hisce Provinciis, locisq; ubi habitant, se adstringant: nisi jam anteà, juramento fidelitatis præstito, superstitionibus istis nuntiũ remiserint; quam renuntiationem, & juramenti præstationem, ratam habere velint. Imperamus porrò omnibus, qui sub juramento Pontificio gradum aliquem vel adepti sunt, vel porrò etiam adipiscentur; & in unitarum Provinciarum loco aliquo vel jam habitant, vel in-posterum habitaturi sint: ut primo, vel post publicationem Edicti hujus, vel post adventum suum in has Provincias, mense, coràm loci istius Magistratu compareant, & juramentum fidelitatis præstent; sub pœnâ, ut Provinciis istis excedant: persolutis post primum mensem 50., post alterum verò 100. florenis; tertio verò mense, nisi discesserint, publicè proscribantur.

Mandamus præterea omnibus unitarum Provinciarum Incolis & advenis, ut in nullo Templo, vel privato loco alio, sive in agro, sive navibus, conventum ullum, sive virorum, sive mulierum, instituant; Missas celebrent; superstitiones Papisticas, docendo, legendo, & admonendo, exerceant; aut conventicula Romanæ religioni addictarum personarum foveant: etiamsi nec Sacrificulus, nec Monachus, nec Clericus eis ullus adsit, qui exercitia ista peragat: sub quocunque etiam prætextu id fiat, sive publice, sive privatim: sub pœnâ 200. florenorum, quos persolvere cogatur is, in cujus vel domo, vel agro, vel navi, conventicula ista habita fuerint. Illi verò, qui Missas celebrârint, vel exercitia superstitionis Pontificiæ alia peregerint, si extranei sint; perpetuæ proscriptionis, & arbitrariâ quâdam aliâ insuper pœnâ: sin indigenæ: perpetuæ item relegationis, & omnium beneficiorum privationis, pœnâ afficiantur; nec à quoquam hospitio excipiantur, mulctâ hospiti 100. florenorum, pro primâ vice; 200. pro secundâ; & 300. cum perpetuâ proscriptione, pro tertiâ vice, irrogatâ. Illi vero, qui Missæ, & aliarum superstitionum Papisticarum exercitio interfuerint, beneficiis suis omnibus priventur; & 25. florenis pro singulis vicibus, quotiescunq; id fecisse vel deprehendantur, vel convincantur, persolvant. Quam mulctam omnes etiam alii, qui in conventiculis istis deprehensi fuerint, unà cum optimi sui vestimenti amissione, præstare teneantur: habitâ consideratione, quòd si quis doctrinam aliquam, politicæ Provinciarum gubernationi repugnantẽ, & obedientiæ Subditorum contrariam attulerit, capitis supplicio, tanquàm pacis & tranquillitatis publicæ turbator, afficiendus sit. Constituimus porrò, & decernimus, ut, qui sub specie, quasi Romanæ religioni addicti essent, à Sacrificulo, aut Monacho, vel rebaptizari se, vel matrimonio novo copulari curaverint, præter arbitrariam Magistratûs pœnam, 100. florenos persolvant: omnes verò alii, qui vel Baptismo, vel copulationi isti maritali adfuerint, 50. florenos numerent. Sacrificulus verò, vel Monachus, qui id fecerit, simili pœnâ afficiatur. Qui autem conventicula ejusmodi instituere, & introducere in loco aliquo, conati fuerint, quadruplo majori, quàm qui illis adfuerint, mulctâ afficiantur. Sed & hoc tandem imperamus, ne quis, vel in Provinciis habitans, vel in illis com-

mercia sua agitans, ullam contributionem pecuniarum faciat, quæ ex Provinciis ad loca alia transferantur; & vel ad Templi alicujus exstruendi, vel Collegii instituendi, usum adhibeatur: nec quicquam expendat aut contribuat, sinè expresso Magistratûs Provinciarum consensu: constitutâ in eos, qui vel exactiones istas facere, vel contributam pecuniam ex Provinciis abducere ausi fuerint, pœnâ capitali, & omnium bonorum confiscatione. In eos verò, qui contributionem aliquam fecerint, pœnâ Magistratûs arbitrariâ, & mulctâ quadrupli statutâ: quarum mulctarum tertia pars, Præfectis sive Magistratui; tertia, delatoribus cedere; tertia item, in usum Reipublicæ converti debeat: nec tamen specialibus interim, in hoc negotio, pro Provinciis promulgatis Edictis quicquam hoc Edicto derogetur.

Sic actum & decretum in Congregatione Dominorum Ordinum Generalium, Hagæ Comitis, 27. Martii, anno 1612.

Negotiatio occulta Jesuitarum in Belgio.

Hoc quantúmvis severissimo Edicto non obstante Jesuitæ, tamen occultas technas suas in Confœderato Belgio agitare non destiterunt, omniaque illa tentare, quæ ullâ ratione poterant, ad restitutionem Pontificiæ Religionis, cum dominatione Jesuiticâ; & contrà in perniciem reformatæ Religionis ac liberæ dominationis Provinciarum, facientia. Manifestè id docent literæ & scripta, Harlingæ apud Sacerdotem Jesuiticum (cujus occulta idololatria ibidem explorata, & mandato Dominorum Ordinum disturbata fuit) reperta, & Leovvardiæ, anno 1616. excusa sunt, hoc titulo: *Jesuitica per unitas Belgii Provincias negotiatio.* In quo libello sequentia notatu digna occurrunt.

1. Complures Jesuitas, in Provincias Belgicas fœderatas, à Superioribus emitti.

2. Non tantùm, ut veteres Pontificios confirment; sed etiam, ut omnibus modis novos lucrifaciant.

3. Atq; adeò, ut integras Provincias ad consensum in Religione Papisticâ perducant.

4. Illud ut effectum dent, non solùm plebem eos seducere; sed vel in-primis id operam dare: ut eos, qui authoritate valent, & rerum potiuntur, in nassam suam pertrahant: quorum operâ Jesuiticam negotiationem, per totam Provinciam, fructuosiùs exerceant.

5. Talibus eos permittere, ut fiant Secretò-Catholici, quod ajunt: modò se totos ad nutum & consilia Jesuitarum accommodent.

6. Quin-etiam cum talibus eos dispensare, in audiendis Reformatorum concionibus & carnium esu: ut eò tutiùs lateant, & res Papisticas commodiùs juvent.

7. Permittere etiam illis, ut Senatui Reformatorum intersint; in deprehensionem & dissipationem conventuum Pontificiorum, unà cum cæteris consentiant: modò genuini sint Papistæ, eoq; id faciant fine; ut se occultent, & consilia, quæ adversùs Papistas habentur, impediant: eosdem urgente necessitate præmoneant; omniq; occasione Papisticam religionem propagent.

8. Omni eos arte & studio Belgicam juventutem tentare.

9. Eos invigilare super externis & internis; & versari in utroque homine, & utroq; sæculo.

10. Dumq; isthæc omnia jussu Superiorum gnaviter exsequuntur; nolle tamen censeri in eorum numero, qui se rebus Statuum immisceant.

11. Distri-

11. *Distribui fœderatum Belgium in Provincias: & unicuiq; emissario Jesuitico assignari certum & fixum locum residentiæ; è quo se movere ipsi non liceat, absq; Superiorum consensu.*

12. *Excursiones etiam ad vicina loca singulis imperari.*

13. *Habere eos in Provinciis unitis Superiorem missionis, quem vocant: ad quem tenentur recurrere, incidentibus difficultatibus.*

14. *Hunc missionis Superiorem residere Ultrajecti, aut Leydæ, aut alibi; prout visum fuerit Patri Provinciali, aut Rectori Antuerpiensi. Penes hunc etiam asservari pecuniam in communes usus missorum; itemq; chartas Jesuiticas.*

15. *Anno 1614. Superiorem missionis fuisse quendam Patrem Tempelium, residentem Leydæ.*

16. *Jesuitas numerum Pontificiorum, in singulis Urbibus, & decreta, ab iis in rem Pontificiam facta, referre in libros, usui isti destinatos.*

17. *Pecunias quoq; eorum directione colligi; & à Quæstoribus in usus communes rei Pontificiæ asservari.*

18. *Describuntur etiam ordo & forma conventuum Pontificiorum, tàm majorum, quàm minorum: itemq; media, quæ detectioni, dissipationi, & mulctis declinandis, Sacrificulo & præcipuis Auditoribus occultandis, inservire queant.*

19. *Emissos, & in Belgio residentes Jesuitas teneri, sæpissimè ad Superiores scribere de omnibus, tàm politicis, quàm ecclesiasticis: ut omnium locorum conditio illis plenissimè innotescat.*

20. *In hunc finem certa capita illis præscripta esse, quæ in literis scribendis sequantur.*

21. *Habere eos stylum, ipsis solis (non externis) cognitum: & plerumq; de rebus suis scribere, tanquam de seculari mercaturâ, sive negotiatione; itèm rationibus & computo, debiti, soluti, &c.*

22. *Cùm tabellariis literas perferendas committunt, non exprimere eos in inscriptione nomen Jesuitæ, ad quem pertinent; sed nomen alicujus Civis, aut Mercatoris Pontificii: qui sciat, ad quem sint curandæ literæ, ex duabus prioribus literis nominis Jesuitæ, inscriptioni subjectis.*

23. *Superiores de iis, quæ ab emissis Jesuitis perscribuntur, statuere; &, si postulet necessitas, consulere Provincialem, aut Generalem Romæ residentem: ut, pro re natâ, Romæ & Bruxellis impetrent, aut disponant, quæ ad commodum Jesuiticæ negotiationis spectare possint.*

24. *Non sufficere, ut sæpè & diligenter de omnibus scribant Emissarii: sed requiri insuper, ut aliquoties (minimùm semel in anno) ad Superiores excurrant, & de omnibus quàm-accuratissimè eos certiores faciant; eaq;, quæ literis committi non expedit, coràm audiant & videant.*

25. *Præter ordinariè in his partibus residentes, etiam emitti extraordinarios: qui Regionem, maximè ædes Nobilium & Potentiorum, perambulent.*

26. *Nomina multorum Jesuitarum, qui in missione Belgicâ, sive (ut illi vocant) Hollandicâ, versantur, in hisce literis exprimuntur: narraturq; speciatim, Leovvardiam (præter aliorum Sacrificulorum copiam) Gulielmo Gulielmi Waringen assignatam*

esse; Harlingam Gerardo Johannis Carbonel. Ità tamen,ut excursionibus se mutuò & alios in vicinis urbibus & pagis juvare teneantur.

27. Arnoldum Cattium residere Svvollis: ita tamen,ut Snecam & Groningam subindè excurrat,ibiq; ad tempus hæreat.

28. Gulielmum Gulielmi,& Arnoldum Cattium,acriter de limitibus litigâsse.

29. Leovvardiæ acerrimam fuisse contentionem inter Papistas, super causâ cujusdam Magistri Lamberti: quem, licèt ab Illustrissimo & Reverendissimo quodam missum, Pontificii tamen, à Jesuitis fascinati, pro Ordinario recipere recusârunt. Quare etiam rebellionis sunt accusati,& in excommunicationis periculo,unà cum Jesuitâ Waringen, constituti.

30. Jesuitas ut-plurimùm commoda veteribus Sacrificulis præripere; iisq; expulsis, longè & latè dominari, propter authoritatem, quâ pollent Bruxellis, & potissimùm Romæ.

31. Anno 1613. Hagæ residentiam habuisse Archipresbyterum quendam; qui potestatem habuit, compescendi Jesuitas: ne nimiùm veteribus Sacrificulis incommodarent.

32. Notatu etiam digna est Epistola; quam Jesuita non est veritus,de ratione faciendæ Pacis,ad Illustrissimum quendam Dominum conscribere.

33. Illustrissimum istum Dominum, à Jesuitis haberi pro Induciarum directore,& Pacis porrò faciendæ amantissimo.

34. Eundem judicare, quòd Religio Reformata & Pontificia, tantùm discrepent in ceremoniolis quibusdam non magni momenti; in præcipuis verò fidei mysteriis conveniant.

35. Itèm,Pacem fieri posse; si pervicaces quidam Pontificii aliquid de suo velint remittere; vel Reformatos,qui se ad istas ceremoniolas adstringi nolunt,tolerare.

36. Jesuitam verò Illustrissimo illi, non exiguâ successûs spe, conatum persuadere: nec debere Pontificios quicquam de fide suâ remittere; nec Reformatos tolerare: Reformatos autem Papistis libertatem debere concedere. Pacem Reformatos,aliósve diversum à Papistis sentientes, cum Pontificiis facere non posse; nisi fiant Pontificii. Unde patet, quid Reformati,aliique non-Papistæ,sibi de Pace Pontificiâ,secundùm hunc Jesuitam,possint polliceri; si Papismum nolint amplecti. Et sanè istam esse omnium Jesuitarum sententiam,testantur acta Jesuitica in Orbem nota.

37. Illustrissimo isti Catholicos esse intimos; iisq; ipsum sententiam suam, de negotio Pacis & Religionis, sæpè familiariter aperuisse. Talia audere Jesuitas; & interim rebus Statuum (scilicet) posteà se nullo modo immiscere?

38. Jesuitam istum eodem modo, atq; hodiè ab Arminianis apud nos fit, perstringere doctrinam Ecclesiarum Reformatarum,de divinâ Electione,ejusq; appendicibus.

39. Jesuitas sibi passim,in Provinciis unitis,magnam messem polliceri.

40. Instructiones Jesuitarum emissariorum à Superioribus sæpè mutari,& ad præsentem unitarum Provinciarum statum accommodari.

Ex quibus omnibus plùs-satis apparet,quomodo cum Jesuiticis missionibus, de quibus peculiare caput in Regulis suis habent,res sit comparata; & quomodo etiam alibi locorum passim, ubi publicè non audent,clanculùm tamen,

tamen, ſpiritualem ſuam mercaturam & negotiationem, & quidem plerumque ſub nomine & habitu ſecularium Mercatorum ac Negotiatorum, exercere nôrint.


Infinita quidem certè adhuc Jeſuitarum acta, & paſsim hinc-indè, præſertim in Germaniâ, Civitatibusque ejus Imperialibus, in quibus illi admiſsi ſunt, geſta, in medium adferri poſſent; ſi ad particularia digredi animus eſſet. Verùm hisce, quæ huc-uſque, & quidem Jeſuitis nimiùm verè, allata ſunt, nunc tandem acquieſcemus: fidelem illum & omnipotentem Deum, Patrem cœleſtem, animitùs deprecantes, ut is dilectam Patriam noſtram, ab Ægyptiacis hisce locuſtis, & Antichriſtiano examine, tandem aliquando clementer iterum liberare dignetur; propter divini ſui Nominis gloriam, per unicum Dominum ac Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum.

Amen!

FINIS QUARTI ET POSTREMI LIBRI Hiſtoriæ iſtius Jeſuiticæ.



PRE-



PRECATIO AFFLICTÆ ECCLESIAE EVANGELICAE, AD DEUM Patrem ſuum, per JESUM CHRISTUM, ſuper gravi perſecutione & anguſtiâ, quam hoc tempore, ob ſolam Euangelii Chriſti veritatem, à Romano Anti-Chriſto, ejusq́; complicibus Jeſu adverſariis, ſuſtinet ac perpetitur: è Pſalterio Davidis extracta.

I. Querela Eccleſiæ: de Hoſtium ſuorũ UA'M multi me infeſtant, ô JOVA! quàm multi in me conſurgunt? *Pſal.3.verſ.1.*

Potentiâ; Conſpirant Orbis Reges: coëunt Optimates, contra Jovam, & ejus Unctum. *Pſal.2.v.2.*

Superbiâ; Deus, conſurgunt in me Superbi: Crudeliumq́; caterva mihi necem machinatur, Te ſibi propoſitum nõ habens. *Pſal.86.v.14.*

Cavant mihi Superbi ſcrobes, non ſanè ex tuâ Lege. *Pſal.119.v.85.*

Crudelitate; Verſatur inter Leones vita mea: jaceo inter incendiarium genus Hominum: quorum & dentes ſpicula ſunt, atque ſagittæ; & lingua, gladius acutus. *Pſal.57.v.5.*

Multitudine; Tot me Tauri circumdant: opimi Boves Baſanici circumſident: faucibus inhiant mihi Leones rapaces, & rugientes. *Pſal.22.v.13,14.* Circumſiſtunt etiam me Canes: me circumvallat Improborum caterva. *v.17.*

Iniquitate; Me plures, quàm ſunt mei capitis capilli, oderunt imme-

immeritò: tot me hostes injuriâ incessunt; ut, quod non rapui, tamen reddam. *Psal.69.v.5.*

A' multis audio contumelias, terrore circumsessus *Minis;*
conspirantium contra me, & mihi animam eripere conantium. *Psal.31.v.14.*

Contra tuum Populum malitiosè consultant, con- *Technis;*
spirantes cõtra tuos Intimos in hunc modum: Agite, deleamus eos ex hominum genere; ne ampliùs me-
moretur nomen eorum. Nam conspirant uno animo, *Conspiratione;*
icto contra Te fœdere. *Psal.83.v.4,5,6.*

In eorum ore nihil certi est: pectus eis dirum est: *Dolis;*
guttur, sepulcrum patens: linguâ blandiuntur. *Psal.5.v.10.*

Nequiter loquuntur inter se-se blandis labris: mente duplici loquuntur. *Psal.12 v.3.*

Jamq; gressus nostros obsident; oculis ità compo- *Insidiis;*
sitis, ut ad terram conquiniscãt: similes avido rapiendi Leoni; aut in latibulis sedenti Leunculo. *Psal.17.v.11,12.*

Tuâ causâ quotidiè interficimur, & pro ovibus la- *Tyrannide;*
nienæ ducimur. *Psal.44.v.23.*

Tuorum cadavera Cultorum, volucribus aëriis; Tuorum corpora Piorum, bestiis objiciunt comedenda terrestribus. Effundunt eorum sanguinis undas circum-circa, sepeliente nemine. *Psal.79.v.2,3.*

Et habentes in animo semel depopulari, cremârunt omnes Dei curias in regione. *Psal.74.v.8.*

Omnibus inimicis meis ostentui sum; & maxi- *Contemptu.*
mè vicinis. Abhorrent me mei familiares: qui me foris vident, à me recedunt. *Psal.31.v.12.*

Nos vicinorum probris, finitimorum derisioni & ludibriis, exposuisti. Nos Gentium dicteriis, Nationum sannis, objecisti. Assiduè nobis obversatur nostra turpitudo; vultûsque pudore velamur: propter maledicorum convitiatorumque voces; propter hostes & infestos. *Psal.44 v.14,15,16,17.*

II. *Constantia Ecclesiæ in afflictionibus.* Hæc omnia patientes, non tamen tui sumus immemores, fœdúsve tuum violamus: Non mentibus retrocedimus, aut gressibus de viis tuis deflectimus. *Psal.44.v.18,19.*

III. *Causa afflictionum.* Atqui, ô Jova, nostram noxam agnoscimus; nostrumq; peccatum nobis semper obversatur. *Psal.51.v.5.*

Tu verò justus es: quippè cui nos non morigerati fuerimus. *Thren.1.v.18.*

Tua, Domine, est æquitas; nostra verò, ut liquidò appáret, ignominia. *Dan.9.v.7.*

At tuâ caussâ infamiam sustinemus, faciem ignominiâ tectam habentes. Quoniam tuæ domûs studio conficimur: tuorumque convitiatorum convitiis impetimur. *Psal.69.v.8,10.*

Qui de te nefariè loquuntur, Adversarii tui nequitiâ elati. *Psal.139.v.20.*

IV. *Precatio: pro Exauditione;* Jova, audi meas preces; ausculta meæ supplicationi, pro tuâ fide: exaudi me, pro tuâ justitiâ. *Psal.143.v.1.*

Miseratione; Miserere nostrî, Jova; miserere nostrî: qui multo sumus contemtu saturi. *Psal.123.v.3.*

Noli in nos animadvertere præterita commissa; sed propera in nos uti tuâ misericordiâ: nam valdè sumus atte-

attenuati. Succurre nobis, Deus nostræ salutis, tui nominis gloriæ caussa: nosque libera, & nostris peccatis veniam da, tui nominis gratiâ. *Psal.79.v.8,9.* *Remissione peccatorū;*

Si vitia observaveris, Jova: Domine, quis stabit? *Psal. 130.v.3.*

Quocirca effunde bilem tuā, in Gentes ignaras tui; in Regna, quæ tuum non invocant Nomen. *Psal.79.v.6.* *Liberatione ab hostibus;*

Ne nobis, Jova; ne nobis: sed Nomini tuo gloriam tribue, ob tuam benignitatem atque fidem. *Psal.115.v.1.*

Quò-usq; tandem, ô Deus, convitiabuntur Adversarii? proscindent Hostes Nomen tuum? *Psal.74.v.10.*

Cur quærant Idololatræ; ubínam sit Deus noster? Cùm sit Deus noster in cœlis; quicquid ei libet, faciens. Illorum verò simulacra, argentum aurumque sunt, humanarum opus manuum. Os habent; neque loquuntur: oculos habent; neque vident: aures habent; nec audiunt: nares habent; nec olfaciunt: manus habent; neque tangunt: pedes habent; nec ambulant: nihil suo gutture sonant. Tales sunt etiam, qui ea faciunt; quique fidunt eis. *Psal.115.v.2,3,4,5,6,7,8.*

Utere igitur, ô Deus, tuâ mirificâ clementiâ: qui tuâ fretos dexterâ defendis, ab insurgentibus in ipsos. *Psal. 17.v.7.*

Ne prode feris vitam tuæ Turturis: noli perpetuò gregis inopum tuorum esse immemor. *Psal.74.v.19.*

Veniat in conspectum tuum gemitus vinctorum: pro tui magnitudine lacerti, reliquos fac eos, qui sunt morti destinati. *Psal.79.v.11.*

Vindictâ de hostibus. Age-dum Deus, age tuam causam: memento ignominiæ, quâ te quotidiè afficiunt insani *Psal.74.v.22.*

Deus ultor, Jova, Deus ultor affulge. Invehere, terrarum Arbiter; redde Superbis præmium. *Psal.94.v.1,2.*

Nostrisq; vicinis in sinum septuplò repende ignominiam; quam tibi, Jova, inurunt. *Psal.79.v.12.*

His tu digna suis factis, & morum pravitate, pręmia repende: hos, ut postulant eorum actiones, remunerare: his dignam ipsorum meritis solve mercedem. *Psal.28.v.4.*

Cernatur apud Gentes, in nostris oculis, ultio effusi tuorum sanguinis. *Psal.79.v.10.*

Sit eorum via tenebricosa atq; lubrica, persequente Jovæ genio. *Psal.35.v.6.*

Nos autem, tu Jova, conserva: tuere nos ab hac natione in perpetuum. *Psal.12.v.8.*

V. Sic in Deo promissa laudabo; in Jovâ promissa lau-
Spes in auxilio divino; dabo. In Deo fiduciam habens, non metuam, ne quid mihi faciant mortales. *Psal.56.v.11,12.*

Si contra me castra fiant; non metuam animo: si in me bellum surgat; tamen confidam. *Psal.27.v.3.*

cum fiduciâ interitûs hostium. Turpiter retrò agantur omnes Zionis osores: sintq; similes herbæ tectorum; quæ priùs, quàm evellatur, arescit. *Psal.129.v.5,6.*

VI. Neque enim is Deus es, cui placeat improbitas; cui
Fundamentum spei. familiares sint mali; cujus oculis obversentur insani. Odisti maleficos omnes; falsiloquosque perdis: abominaris sanguinarios & fraudulentos, Jova. *Psal.5.v.5,6,7.*

Qui

Qui illis injuriam rependet, & ob improbitatem ipſorum perdet eos; perdet eos Jova, Deus noſter. *Pſal. 94. v. 23.*

Qui eorum, quos curat, injurias perſequitur, haud immemor inopum querimoniæ. *Pſal. 9. v. 13.*

Non enim deſtituet Jova ſuum Populum; non deſeret ſuum patrimonium: quin ad juſtitiam redeat judicium; quam ſequantur omnes homines frugi. *Pſal. 94. v. 14, 15.*

Neque perpetuò erunt in oblivione pauperes: nec ſemper erit irrita ſpes inopum. *Pſal. 9. v. 19.*

Nec reſidebit impietatis ſceptrum in juſtorum ſortem: ne Juſti manus admoveant nequitiæ. *Pſal. 125. v. 3.*

Jova ſuis potentiam dabit: Jova ſuos pace fortunabit. *Pſal. 29. v. 11.* VII. *Fructus liberationis.*

Tunc & ora noſtra riſu, & linguæ cantu plenæ erũt. Tunc dictitabitur inter gentes; Jova his magna præſtitit. Nam, qui ſerebant cum lacrymis, cum cantu meſſuri ſunt. *Pſal. 126. v. 2, 5.*

Tùm Boni gaudebunt in Jovâ: eiq; confident gloriantes, omnes mente probi. *Pſal. 64. v. 11.*

Quo viſo, multi Jovam verebuntur, ei confidentes. *Pſal. 40. v. 4.*

Nos verò, tuus Populus, & Oves tui paſcui, te in omnem ſeculorum perpetuitatem, tuas enarrandò laudes, concelebrabimus. *Pſal. 79. v. 13.* IIX. *Votum gratitudinis.*

Deus, miſerere noſtrî, & fave nobis, tuo nos illuſtrando vultu! Ut in terris tua ratio; ut apud omnes gentes tua cognoſcatur tutela. *Pſal. 67. v. 2, 3.* IX. *Oratio pro conſervatione ac propagatione Evangelii.*

Mitte lucem fidemque tuam, quæ mihi duces ſint; meque in ſacrum tuum montem, & in tuas perducant ſedes. *Pſal. 43. v. 3.*

Néve mihi prorſus ex ore eripias verum Verbum, qui à tuis ſententiis pendeam. Et dabo convitiatori meo reſponſum, tuâ fretus oratione. *Pſal. 119. v. 43, 42.*

Nam penes te eſt vitæ fons: & in lumine tuo lumen videmus. *Pſal. 36. v. 10.*

X. *Exhortatio, ad fiduciã,* Deo confidite omni tempore, Mortales: effundite apud eum veſtros affectus; qui Deus eſt noſtra fiducia. Sanè adeò vana res eſt genus hominum; adeò frivolum quiddam eſt mortale genus: ut, ſi ſimul in ſtaterâ ponantur, ſint ipsâ vanitate leviores. *Pſal. 62. v. 9, 10.*


At felix, qui præſidium habet in Deo Jacobæorum, in Jovam Deum ſuum intuens; qui cœli, terræque, maris, & omnium, quæ ſunt in eis, conditor, fidem ſervat in perpetuum. *Pſal. 146. v. 5, 6.*

Felix eſt natio, cujus Jova Deus eſt; populus, quem ille ſibi poſſidendum delegit. *Pſal. 33. v. 12.*

& laudem Dei. Laudate Jovam, omnes gentes; hunc celebrate, nationes omnes: cujus & clementia erga nos excellit, & fides æterna eſt. *Pſal. 117. v. 1, 2.*

Laudetur Jova, Deus Iſraëlitarum; Deus ſolus mirificus. Laudetur & ejus glorioſum Nomen in æternum: ejusque gloriâ repleatur univerſus Orbis terrarum. AMEN, AMEN!

Pſal. 72. v. 18, 19.



INDEX
PERSONARUM ET RERUM
in Historiam hanc Jesuiticam.

Bohe-

D

E

Rector

Tttt 2

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA
ſic corrigenda.

Pag.	lin.	
8.	*12.*	adſciſcere. *Et in margine:* è Societate.
132.	*23.*	pædico.
193.	*6.*	retractare ac elevare.
267.	*1.2.*	*marginali:* Jeſuitæ magnis.
381.	*12.*	Ludovicam Camam.
	13.	Presbyterum S.Petri, Magiſtrum Jacobum Bernhardum, Clericum.
395.	*2.*	*marginali:* cari.
433.	*36.*	ſe faſſum.
464.	*17.*	verbatim.
515.	*35.*	intra decimum ab.
587.	*22.*	ridebit.
		In Indice, ſub lit. B. *Brulardus.*

Conſimilia leviuſcula benevolus L*ECTOR*
facilè per ſe-ſe corriget.

VERITAS PREMITUR, SED NON OPPRIMITUR: TANDEM ENIM BONA CAUSA TRIUMPHAT.





